THEOLOGIA MORALIS,

Luci exposita

à

JOHANNE ADAMO OSIANDRO,
S. S. Theol. D. ejusdemque in Academiâ Tubingensi P. P.





TUBINGÆ,
Apud JOHANN-GEORGIUM COTTAM.

ANNO M. DC. LXXVIII.



SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DN.

FRIDERICO CAROLO,

Duci Wirtembergiæ & Tecciæ, Comiti Montisbelgardi, Dynastæ in Heydenheim, &c.

DUCATUS ADMINISTRATORI MAGNANIMO

Principi ac Domino meo Clementissimo.



Uanquam inter Arma dicantur ſilere Leges, Tympana, Tubæ, & Litui ſilentia Studiorum & Academica Otia obtundant, nec in una ſede morentur Imperium Martium &

ſubmiſſa docendi Ratio; non tamen hæc ita diſtant, multò minus adverſis cornibus pugnant, ut non etiam Belli artes dirigant Regulæ, Studiorum ſubſidia temperent Horrorem Strepitûs violenti, & ſubveniant dogmata, quæ Academia promit Imperio in Exercitum ferro & robore formidandum. Sanè quicquid fomenta Virtuti miniſtrat, quicquid Felicitatis Fulcra exhibet, id & Belli & Pacis temporibus conducit, in utroque regnat, & ſtatum Reipublicæ, tum militaris tum civilis, ſtabilit, nec inter moratiores gentes illud cenſetur juſtum, turbatis etiam per Animorũ & armorum Motus, publicæ Tranquillitatis opibus, quod absque lege fluit, absque conſcientia exerrat, absque lumine divino in tenebras ſe recondit, atque regionis terminos haſtarum cuſpidibus ſignat & diſtinguit. Maxumè verò ſi affulgeant læta tempora, & aut exedantur Rubigine æra, aut in ligones & vomeres conflentur nocendi Inſtrumenta, Jani templo cluſo Leges vigeant, quas tum divini tum humani Juris Doctores profitentur, Ornamenta Chriſtia-

niſmi

nisſmi adoleſcant, & ſub DEO, à DEO vivatur DEO: Præſcribitur.tunc & urgetur cum ſucceſſu Affectuum Temperatura, Inferiorum facultatum Obſequium, Superiorum & rectæ Rationis Officium, commendatur Conſcientiæ Serenitas, & quantum abludat ab illa, quæ vel Ducem nacta cœcum impingit, vel ſuſpenſa & in ſcrupulis hæret demonſtratur, promovetur Cultus divinus, inſeruntur ſemina virtutum, radices Reipublicæ Chriſtianæ, & quæ quemvis privatum quoque dirigunt, ex Ambone ſacro & academico proponuntur, aut Scripto comprehenſa cum aliis communicantur. Non auſus fuiſſem accedere TE SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, qui hactenus in caſtris egiſti inter claſſicorum cantus, Armorum Tinnitum, Ictus gladiorum, Equorum hinnitus, fremitumque militum, niſi noſſem Generoſitatis bellicæ Spiritum non in Exilium ablegaſſe, quæ ex academica Informatione & ſinceræ Religionis Chriſtianæ Regulis hauſta profundè animum occuparunt, & TE nuper admoto Regimini ſeſe

luculenter cœperunt exſerere, Vigilantiâ & Induſtriâ TE oſtendiſſe hactenus Joſephum Pro Regem Ægypti & Sitarchum, Magnanimitate Joſuam, electi populi Ducem, Pietate Davidem, qui deſideravit aulam repurgatam, DEO favente obtinuit, miſſis & longè ablegatis Gnathonum Umbris, qui non, quod ad pacem Iſraëlis facit, conſulunt, ſed artibus agunt, & ſuis utilitatibus lenocinantur; cui itaque magis conveniret præſens argumentum, quod tractat THEOLOGIA MORALIS, Scriptio exhibet de formandis animis, pietate fovendâ, confirmandâ, niſi Principi, qui in hæc propendet, quæ DEO grata, ſubditis amica, Reipublicæ fauſta & proficua? Accipe itaque SERENISSIME PRINCEPS hoc non ex Mole, ſed ex animi ſubmiſſi Sinceritate & Devotione debitâ, Opus Pietatis æſtimandum, quod Formam delineat Hominis DEO probati, lineas virtutum pingit, ornamenta fidei noſtræ in omni Statu deſcribit, & quem complexus es Gratiâ tuâ Junior, ad Senium vergentem Adultus Calore illo Favoris Principalis ne deſtituas,

tuas, Exemplo Magni Patris EBERHARDI, qui in ſinu æternitatis conquieſcit: Fratris piè defuncti, WILHELMI LUDOVICI, laudabiliter contra Inſultus adverſitatum defende. Interea Tuæ Adminiſtrationi adſit, qui totum Orbem Regimine ſuo ſuſtentat, ſuo Lumine Te inſtruat, ſuis radiis Mentem Tuam illuſtret, ut ſive arma rapiant, ſive pax vocet, ſive ſecunda extollant, ſive adverſa premant, ſive Favor exterorum adſpiret, ſive minæ inſurgant, in utrumque paratus, adverſis & ſecundis, inter tuos, qui te ſincere amant, jugiter inclareſcas.

TUBINGÆ, Calend. Martii
Anno 1678.


Ita vovet & precatur

Devotus Cultor & Interceſſor Tuus apud DEUM,

JOHANN-ADAM OSIANDER, D.

Benevole Lector.

Errore Typographi factum est, ut Thesis vigesima Capitis decimi tertii pag. 354. fuerit transposita, cum fuerit referenda sub capitis undecimi pag. 313. Thesin quintam; irrepserunt etiam Errata quædam partim ex Authoris Absentia, partim ex negotiorum Multitudine, quæ Benevolus Lector pro Humanitate suâ corriget: & cùm festinaret Bibliopola, quædam concisiùs fuerunt proposita, multa contracta in compendium, quæ diffusiùs expendenda: auctarium quoq; sequetur ad Materiam de Sabbatho, nempè de Festis, Argumento scil. affini & quæ in Spicilegium relicta.



Συνθεῶ.

CAPUT I.
De
THEOLOGIA MORALI.
THESIS I.



Olenne est Scriptoribus, qui aliquam Disciplinam tradunt, de natura habitus aliquid præmonere. Quapropter ne tritam videamur deseruisse viam, aliquid in antecessum de Indole & Essentia Theologiæ Moralis præfabimur; quamvis enim hoc non requiratur ad Esse alicujus Scientiæ, quæ res ipsas pandit & tractat, ad benè esse tamen facere, quivis, cui cerebrum non est in calcaneo, lubens admittet.

II.

Describitur autem Theologia Moralis; quod sit pars Theologiæ ex Scriptura petita, quæ actiones hominis renati dirigit, in quantum sanctitas in illis refulgere debet, & perducit ad vitæ pietatem & honestatem, quæ hîc inchoatur, in altero vero Seculo consummatur.

III.

De Definito non multum soliciti erimus, cum constet dicere aliquod complexum, Theologiam nempe, de qua egimus in Tractatu de Theologia theticopolemica, & Morale, quod quomodo accipiatur, & in quo consistat, sequentia docebunt, hîc maximè obtinet illa significatio, quæ à Moribus derivatur, mos verò secundum Perottum & Scaligerum à modo, Martinium à meo, ut Theologia Moralis vi nominis nihil aliud dicat, quam Doctrinam de Moribus Christianorum, quomodo illi formandi, poliendi, quorsum referimus illa Cyrilli Hierosolymitani scribentis Cathechesi quartâ: Religio duobus istis constat, dogmatum piorum accuratâ notitiâ, & bonis operibus: ita ut neque dogmata sine bonis Moribus DEO grata sint, neque opera, quæ absque dogmatibus piis fiunt, DEUS accepta habeat.

IV.

In Definitione loco Generis stat Pars Theologiæ. Cum enim Theologia se habeat per modum Totius, & quidem integri analogi, ut Philosophia, cum in illa occurrant non tantum credenda, sed & agenda, cum partes non melius describantur quam à habitudine ad totum & vicissim, præeligendum censemus hoc genus, nec obstare arbitramur ipsum nomen Theologiæ Moralis, quia quemadmodum Ethica & secundum quosdam unà cum illâ Politica & Oeconomica venit nomine Philosophiæ moralis, & tamen non est peculiaris aliqua Philosophia, sed pars illius, ita quoque Theologia Moralis non dicitur opposite ad Theologiam, sed partis naturam sustinet & imitatur.

V.

Non satis clarè mentem suam exposuit primò Johannes Gerson, qui Theologiam quandam mysticam practicam confinxit, quæ consistat in opere, contradistinctam speculativæ, addens: *Non in subtili Inquisitione veritatis, sed in cultu charitatis consistit regnum DEI, & impletio Legis, consecutioque salutis.* Nec secundò illi videntur satis genus expressisse, qui definierunt per habitum practicum, cum & hoc habeat Theologia Moralis cum Theologia simpliciter tali commune, & magis conveniat nomen partis, proximiusque attingat naturam Moralis Theologiæ, nec peculiarem illa constituat disciplinam, sed ad Theologiæ integritatem faciat, quanquam si quis ita illam absolutè considerare velit, nos cum ipso nolimus contentionis serram reciprocare. Tertiò non absque censura hîc dimittendi Lojolitæ, qui Theologiam Moralem transformarunt in doctrinam scelerum, officinam licentiæ, & volumen illud volans, secundum quod nebulones, fures & perjuri justificantur, ut constabit ex progressu, bilem imo justam indignationem moventes sociis Religionis, qui calamum strinxerunt adversus illos, inter quos eminent Merenda, Mercatus, Fagnanus, Marinarius, Augustinus de Angelis, Vincentius Baro, Montaltus, Wendrokius, Sinnichius, Valerianus Magnus & alii.

VI.

Objectum reale hujus Theologiæ ponimus actiones hominis renati, vocabulo actionis laxè sumpto, quatenus etiam complectitur cogitata, motus primos, conatus & omne id, quod regulabile verbo divino, quod in exteriorum actionum exhibitione non acquiescit, nec exter-

nas

mas tantum dirigit, sed exactiorem requirit motuum complexum, & ad ipsas facultates animæ penetrat. Hominem autem renatum cum dicimus, intelligimus talem, qui regenitus ex aqua & Spiritu, Joh. 3. ℣. 5. ex incorruptibili semine verbi, 1. Petr. 1. ℣. 23. mundum, oppositum immundo, cujus sensus & conscientia est inquinata, ad Titum 1. ℣. 15. atque ita hoc objectum secundum Materiale exprimimus. Formale verò est Refulgentia sanctitatis: ideò enim substituuntur Theologiæ Morali Actiones, ut sanctitas illis introducatur, & lux nostra reluceat coram hominibus, ut Christus loquitur Matth. 5. ℣. 16. Personale hominem regenitum sive conversum & justificatum, qui scil. capax informationis & directionis, prius enim restaurari debet homo, quam exornari, prius renasci ex Spiritu, quam operari, prius fieri arbor bona, quam ferre fructus, cum nulla mala arbor possit ferre fructus bonos, teste Christo Matth. 7. ℣. 18.

VII.

Minus commodè de Objecto materiali Theologiæ Moralis philosophantur Pontificii Doctores, primò, dum maximè substernunt illi actus humanos, qui proprii hominis à voluntate deliberatâ procedunt, cujus homo sit Dominus per liberum voluntatis arbitrium, ut ad finem propositum possit pervenire, de quo videndi Thomas 1. secundæ. q. 1. 6. & 7. Azorius T. 1. cap. 3. Filliucius tract. 21. num. 48. Et nimium viribus arbitrii tribuunt. Secundò, qui cum illis veram sanctitatem negligunt, confictam in variis electitiis inducunt, & vitrum pro margarita substituunt, ut ipsa Tractatio docebit. Tertiò, qui etiam homini irregenito aliquam libertatem circa supernaturalia assignant, impeditum tantum esse censent, non viribus destitutum, qui cum auxilio gratiæ actualis hoc & illud possit, ut docent Bellarminus, Costerus, Forerus, Stubrokius contra Wendrokium pag. 53. & Martinez de Ripalda passim in suis Tomis.

VIII.

Finis ultimus Theologiæ Moralis est Gloria DEI, quam supponimus, & ad quam omnia ultimò vergunt: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*, Proverb. 16. ℣. 4. *Ex ipso (DEO) & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, Rom. 11. ℣. 36. Finis medius & internus est perductio ad vitæ Pietatem, Honestatem, & Morum Integritatem, cum enim Theologia sese habeat regulariter, ut habitus inhærens Theologis, non

fidelibus, quâ talibus, ideoque internus finis illius erit operatio illa, quæ versatur circa hominem moribus informandum, honestate Christianâ poliendum, quemadmodum Medicus pro fine habet perductionem ad sanitatem, Philosophus moralis introductionem honestatis; externus intermedius est ipsa vitæ integritas, charitas scil. de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, 1. Timoth. 1. ℣. 5. quæ consummantur in Beatitudine. Hic enim sumus in perpetuo profectu, nec Imago DEI uno momento, sed sensim reparatur, usque dum deposita omni imperfectione ex carne plena in nobis refulgeat, secundum illud Pauli: *Deponite vos, secundum pristinam conversationem veterem hominem; qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum DEUM creatus est in justitiâ & sanctitate veritatis,* Eph. 4. ℣. 22. 23. 24.

IX.

De Fine non dextrè sentiunt primò, qui cum Pontificiis ex actionibus nostris merita faciunt, & Beatitudinem æternam illis respondere tanquam mercedem opinantur, quos pridem castigavit Nicolaus Lyra, scribens in cap. 10. Johan. Gloria cœlestis non propriè dicitur merces, sed tantummodo largè, in quantum omne, quod redditur in præmium laboris, dicitur merces. Secundò, qui vitam æternam asserunt simpliciter esse finem Theologiæ Moralis: ambigua enim est hæc phrasis, atq; vel ita intelligitur, quod finis Theologiæ moralis sit vita æterna, in quantum illa honestas & vitæ sanctitas, quam exponit, sit medium quoddam causale, aut conditio necessariò præ requisita, à qua suspendatur ipsa Beatitudo essentialis, atq; ita nequit admitti in sinceriori Theologia hæc Opinio, aut quod finis illius sit vita æterna, in quantum tenditur per viam crucis & Lucis, pietatis & honestatis ad vitam æternam tanquam ad exoptatam Metam & Terminum, ab inchoata sanctitate ad consummatam, atque eo perducit Theologia, & ita largimur, posse dici finem, quorsum etiam respeximus in Descriptione. Probare autem non possumus, quæ scribit aliàs celeberrimus Theologus in Theol. Moral. pag. 5. thesi 6. Finis igitur ultimus hujus, uti universæ Theologiæ, salus & beatitudo est æterna: intermedii verò conservatio fidei & sanctimonia vitæ, quæ legibus & voluntati DEI conformetur; sive potius, accuratè loquendo, finis hujus partis adæquatus est conservatio fidei salvificæ & status gratiæ, in quantum à studio pietatis &

sanctimonia vitæ pendent. Et iterum pag. 4. Neque nunc medium ipsum, à quo consequutio finis secundum hanc considerationem pendet, ignorari poterit. Id videlicet est sanctitas vitæ posita in actionibus legi & voluntati divinæ conformibus. Actiones itaque hominis Christiani, quales diximus, media sunt ad rem nostram facientia, quæ propterea potissimas tractationis partes sibi vindicabunt. Hactenus ille. Posito enim opera esse necessaria ad salutem, quod nunquam largimur, ex præcepto, non tamen necessaria essent sub ratione medii, quæ duo distinctissima. Videatur ipse Becanus in Theol. Schol. Tract. de Virt. Theol. cap. 12. Tertio, qui putant cum Camerone, Spanhemio & aliis, nullos fore gradus in altera vita, & pro qualitate sanctitatis atque virtutum, quæ vel magis vel minus refulserunt in hoc vel illo subjecto, nullam fore diversitatem præmiorum, contra illud Pauli: *Et corpora cœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium: Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum: Stella enim à Stella differt in claritate.* 1. Corinth. 15. ℣. 40. 41. Videatur Augustinus lib. 22. de Civitate DEI capite ultimo.

X.

De Efficiente principali Theologiæ non est ut laboremus, cum planum sit illam esse DEUM in Essentiâ unum, in personis trinum: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Jacobi 1. ℣. 17. Medium vero revelatio divina, unde etiam in definitione meminimus originis, & diximus illam ex Scriptura esse petitam, Matth. 11. *In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine Cœli & Terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis.* ℣. 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo novit filium nisi Pater: neque patrem quis novit, nisi filius, & cui voluerit filius revelare.* Joh. 1. ℣. 18. *DEUM nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* 1. Cor. 2. ℣. 14. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI, stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur*, adminiculorum rationem habent Canones Conciliorum, Scripta Patrum, Prudentum & Philosophorum monita & regulæ.

XI.

Nimis insolenter & injuriose in ipsum DEUM Johannes Caramuel à Lobkowiz primò in Theologia Morali perorat, & dicit: Ad Te, Magne Benedicte, mentis oculos subigo, & Tuam summam discretionem considerans, Poëtæ labio utor, & exclamo:

Is genus indocile & dispersum montibus altis,
Composuit legesque dedit.

Tibi Legislatori optimo maximo debetur tota Philosophia & Theologia moralis: Tibi enim Jus Canonicum, Tibi etiam Regulare, Tibi seculare & Politicum. Gratianus Decretum, quod totius Juris Canonici basis & fundamentum, edidit; & Gratianus, seu Classensis seu Fœlicensis fuerit Monachus; seu utrumque seu neutrum (nam scriptores variant) Monachus Tuus fuit; & si vitæ, quæ ex variis excerpta Decretorum volumini præfigitur, creditur, cœlum possidet; quoniam in conversatione regulari tuæ exactissimè consonuit regulæ, & per duodecim securissimos gradus Humilitatis ad gloriam divinam ascendit. Jus Regulare Tu scripsisti, indixisti, observasti; & à Te morum integritatem videntur juniores Patriarchæ, & Ordinum Institutores didicisse. Sed & Jus Cæsareum Tuum est; Nam Justinianus Legislator, nepos fuit Tuus, ipseque gloria Aniciæ gentis, à quâ Serenissima Domus Austriaca ducit originem; quoniam si res debito studio examinetur, ante Rudolphos & Albertos, cum Domus Austriaca audivit Justiniana & Anicia, illa Cæsarum fuit; à Cæsaribus orta, dedit Europæ Cæsares, & regiones nobiliores Cæsaribus. A Te, Pater Sanctissime, à Tuo Gratiano, à Justiniano Cæsare etiam Tuo, à Petro Lombardo & Comestore doceor, & qualis esse debeat Theologus, qui Vir Doctus nominetur, addisco. Sic sentio, sic pronuncio, sic assero. *Non est dignus eximio Viri Docti vocabulo, qui non sit alter Benedictus, alter Gratianus, alter Lombardus, alter Comestor, & alter etiam Justinianus*, rem pertingo. Secundò iniqui sunt Pontificii in Scripturam, quæ principium Theologiæ Moralis, vel medium à quibusdam dicitur, tum traditiones illi exæquando, ut constat ex jure Canonico Distinct. 11. c. Ecclesiasticarum. 5. ubi hæc leguntur: Ecclesiasticarum Institutionum quasdam in scriptis, quasdam verò Apostolicâ Traditione per successores in Ministerio confirmatas accepimus, quasdam verò consuetudine roboratas approbavit Usus, quibus par ritus & idem utrisque debetur pie-

pietatis affectus. Paria habentur in Concil. Trident. Sess. 4. tum à Pontifice vim Scripturæ suspendendo. Nota sunt illa Stapletoni Controversia quarta, quæst. 1. art. 3. scribentis: DEO loquenti in verbo suo scripto non est credendum, nisi interposito judicio authoritativo scil. Pontificis, tum patrum & Conciliorum placita nimis extollendo. Tollatur, inquit Eccius in Enchiridio, Art. de Concil. Conciliorum aut Patrum Authoritas, & omnia in Ecclesia erunt ambigua, dubia, pendentia, incerta: Adde Salmeronem in 1. Joh. 5. Disp. 25. §. 3. Duræum contra Wittakerum, pag. 125. & 140. Melchiorem Canum in locis Theol. l. 7. cap. 3. num. 12. Tertiò, piæ Antiquitati insultant Lojolitæ, dum præferunt recentiorum commenta, & opiniones versatiles Patrum venerandorum gravitati & adstrictiori disciplinæ, unde Pater ille, cum quo Ludovicus Montaltus contulit Epistolâ quintâ opponens Patres, hoc respondit, næ tu omninò cœcutis in istis rebus. Nescis formandis suorum temporum moribus accommodatos Patres fuisse, à nostrorum temporum moribus longè abhorrere? Non igitur nunc ex illorum Decretis, sed ex recentium Casuistarum legibus vivitur, adducto testimonio Cellotii, Reginaldi, Dianæ confirmavit, atque tandem conclusit: His Patres relinquimus, qui positivam, ut ajunt, Theologiam tractant: Nos quibus regendarum animarum cura commissa est, veteribus illis parum utimur, recentioribus contenti: hinc vix alios in scriptis nostris laudari cernas. Exemplo erit meus Diana immensorum Voluminnm confector. Hic Scriptorum, quorum in libris suis meminit, Catalogum in limine præmittit, ducentos supra nonaginta sex enumerat, quorum antiquissimum non plus octogintâ ab hinc annis scripsit.

XII.

Affectiones easdem habet cum Theologia, si de veritate, necessitate, & sanctitate sit sermo: nam & hæc pars Theologiæ vera est, quia hausta ex Revelatione divina, necessaria est ex hypothesi consequendæ honestatis in vita Christianâ; sancta est vel maxime, ut cætera transeamus ex formali, quia sanctitatem intendit hominis & actionum, quæ ab ipso eduntur.

XIII.

Non hisce gaudet insignibus Theologia moralis Jesuitarum. Destituitur illa veritate, utpote difformis verbo DEI, ut etiam Abbas Cyro-

conius Doctrinam moralem vocarit Jesuitarum diabolica dogmata, totam iniquitatis & licentiæ doctrinam, nefariam sanctissimorum dogmatum perversionem, atque funestarum opinionum Torrentem. Secundò, Necessitate, si enim non necessaria est scholastica, ut disputat & propugnat Rodericus ab Arriaga tom. 1. disp. 1. sect. 4. §. 32. carere poterimus quoque sorore illius Theologia scil. morali; si pia Antiquitas nihil novit de illo opinionum systemate, & honestè vixerunt Christiani antequam illa commenta Christiano orbi fuerunt obtrusa, quidni illis possimus rejectis studere pietati; si Legis divinæ præcepta sufficiunt ad directionem morum, maximè si probè & exactè proponantur & explicentur, quid opus erit hominum adinventionibus, quæ pietati adversantur. Tertiò Sanctitate, percurre Moralistarum libros, deprehendes te adiisse cloacam ex quâ omnium vitiorum foetores exhalant, invenias ad quæ humani ingenii vim, cordisque malitiam non potuisse pertingere tibi persuasisses, videbis vitia coloribus virtutum incrustari, elevari omnis generis peccata, Atheismum, Polytheismum, idololatriam, profanationem nominis Divini, Festorum vilipendia, parentum contemtum, homicidia, lenocinia, adulteria, furta, mendacia, & quicquid sordium est in Mundo; stare pro impiis sententiis, tanquam pro aris & focis, Caramuelem, Dianam, Baunium, Sanchezium, Garassum, Lessium, Tamburinum, Ferdinandum à Castro Palao, Antonium de Escobar & Mendozam atque alios. Diana certè ab Innocentio Decimo, Caramuele & aliis vocatus fuit ob laxitatem sententiarum & peccatorum excusationem Agnus DEI, qui tollit peccata mundi. Ut meritò repetamus illa Basilii: Subversa sunt pietatis dogmata, turbati pietatis ritus, Ambitio eorum, qui dominium non metuunt, Ecclesiarum Gubernacula invadit. Desierunt, qui gregem Domini pascant cum scientia, dispensationes pauperum ad propria oblectamenta absumentibus iis, qui ambitionis dominandique studio tenentur. Elanguit Canonum exacta diligentia, multa est peccandi licentia. Qui enim humanis officiis adjuti ad Principatum perveniunt, hac ipsa delinquendi permissa licentia vicissim gratificantur. Interiit justum judicium, juxta desiderium cordis sui nemo non ambulat. Malitia omnem excedit mensuram. Fides ipsa in ambiguum vocatur, ignorantia offunditur mentibus: propterea quod formam ad speciem veritatis prætexerunt, qui sermonem versutè adulterant. Silent enim piè docentium ora: resoluta verò est quævis blasphema lingua: lingua nulla-

sta est exercitæ pietatis, nulla ad Evangelii normam conversationis reverentia, cessarunt doctrinæ salubres, occlusa sunt piorum ora, reserata verò est quælibet audax lingua eorum, qui adversus DEUM loquuntur injustitiam. Columna & stabilimentum veritatis dissipatur. Quis dabit capiti meo aquas, & palpebris meis fontem lachrymarum? & plorabo complures dies populum perversis doctrinis ad perditionem adactum. In transversum enim rapiuntur simplicium aures, & in consuetudinem transeunt hæretica impietas, in istis impietatis turbinibus educantur Ecclesiæ infantes, revera namque insolens est, & vehementer jam rarum, Ecclesiam videre sinceram, quæ nihil à malitia temporum istorum læsa sit, quæ integram & inoffensam servet Apostolicam doctrinam. Vobis igitur à pestiferis contra DEI Spiritum doctrinis caveatis, congressus sane illorum subdolos & ad subversionem audientium instructos declinetis. State in fide, Patrumque fidem infractam ac sanam conservate.

XIV.

Quamvis autem videatur non ita necessaria hæc pars Theologiæ, utilis tamen & necessaria est partim, quia integrat corpus Theologiæ sinceræ tanquam membrum quoddam, & pertinet ad ἐπίγνωσιν ἀληθείας, τῆς κατ' εὐσέβειαν. Tit. 1. ℣. 1. partim quia Christianismus omnimodo promovendus, qui secundum Cyrillum Catechesi quarta, eorum, qui illuminantis religionem dicit, quæ duobus istis constat, dogmatum piorum accurata notitiâ & bonis operibus: ita ut neque dogmata, sine bonis moribus DEO grata sint, neque opera, quæ absque dogmatibus piis fiunt, DEUS accepta habeat, huc que nos ducat Decalogus veræ & sinceræ sanctitatis & honestatis Prototypon, partim quia non tantum hîc occurrunt, quæ Lucem desiderant ex Scriptura & serenationem mentis in praxi, sive agendi, sed etiam propter adversarios, qui jactant in hac Arenâ Magistros, & nihilominus totam moralem Theologiam conspurcant, ut proinde necessaria & utilis merito habeatur illius Tractatio.

XV.

Non itaque ex vero, quod Remonstrantes tribuunt Reformatis in primis, si ad Lutheranos extendant, versari illos in merè speculativis, nec profectum fuit ex ingenuo Animi sensu illud Petri Bertii dicentis in Oratione sua habita Parisiis: Totum illud, quod est de moribus &

conſcientiæ examine negligere in Scholis Novatores Theologos, & tamen quoties in Templis aliquid ad populum hac de re dicendum eſt, non aliunde quam à noſtris petere argumentum, quibus auditores ad dilectionem DEI & proximi excitari poſſint. Nec ſecundo, quod quidam Theologis noſtris exprobrabant negligentiam in hoc ſtudii genere, cum non tantum primum poſt tot corruptelas ſincera doctrina revocanda articulorum, & illa maxime fuerit inculcanda, ſed & ſparſim de argumento egerunt, B. Lutherus, Balduinus, Koningius, Mengeringius, Keslerus, &, quanquam cum grano ſalis accipiendus Joannes Arndius. Tertiò, quod quidam putant eſſe vel inutilem, vel etiam noxiam hanc partem, quod tamen devera dici plane nequit.

XVI.

Diviſio Theologiæ moralis quamvis à variis variè inſtituatur, nos tamen exiſtimamus poſſe illam in tres partes diſtingui, ut prima ſcil. agat de ſanctitate vitæ, altera de ſubjecto homine ſcil. renato, & objecto reali, actibus humanis, ad quos referenda doctrina, de principiis illorum, denique tertia de mediis, lege ſcil. divina, maximè morali & virtutibus illi reſpondentibus, nec non vitiis adverſantibus.

XVII.

Non placent autem primo ex Pontificiis illi Doctores, qui cum Martino Bonacina Mediolanenſi, Carolo Malleto, Ludovico Abelly Pariſino doctrinam de Sacramentis ſub Theologiam moralem referunt & primum de illa in ea prolixè agunt. Secundò illi, qui cum Antonio de Eſcobar & Mendoza, Valliſolitano in ſeptem Sigilla illam dividunt. Tertiò, qui cum Laymanno & Bardo à Conſcientia ordiuntur, cum Caramuele à Libertate humana, cum Antonio Fernandes de Moure à Legibus & progrediuntur inde ad Sacramenta, ab his ad peccata.

XVIII.

Notabilis eſt depravatio Scripturæ & inſulſa plane accommodatio ad Theologiam moralem Pontificiorum, quam exhibet Idea operis Eſcobariani, quæ ita habet: Johannes videns *Apocalypſeos cap. 5.* methodum, meo operi indulget, ut Theologiæ Moralis tractatio Poſitivas ſapiat interpretem. Agnus JESUS Theologiæ Moralis librum obſignatum oſtentat. Septem Sigillis Leges, Peccata, Juſtitia, Cenſuræ, Virtutes, Status, ac Sacramenta occluduntur; quæ quatuor Animantibus, Bovi fortiſſimo agri verſatori Suario, volanti Aquilæ Vaſquez, prudentiæ

denti juris Homini Molinæ, ac Leoni adversus hæreses rugienti Valentiæ celebravit. Consident lectores viginti quatuor Jesuitæ, seniores quidem, non ætate solùm, sed & Scientia, videlicet, *Sanchius*, *Azorius*, *Toletus*, *Henriquez*, *Lessius*, *Rebellus*, *Coninch*, *Avila*, *Reginaldus*, *Filliucius*, *Salas*, *Hurtado de Mendoza*, *Gaspar Hurtado*, *Laymannus*, *uterque Lugo*, *Franciscus & Ioannes*, sanguine ac sapientiâ germani, (hunc virtutes & sapientia ad Sacræ Romanæ Ecclesiæ Principatum evexerunt,) *Becanus*, *Fagundez*, *Granados*, *Castro Palaus*, *Gordonus*, *Baldellus*, *Saa*, *ac Maratius*. Legunt & *Præpositus*, *Tannerus*, *Bellarminus*, *Gretserus*, *Turrianus*, *uterque Polancus*, *Busæus*, *Fernandez de Cordua*, & alii, si Alcasare Authore, numerus ille viginti quatuor Seniorum officii est. Etenim omnes præcelsi Ordines Angeli septem appellantur, juxta illud Raphaëlis: *Sum unus ex septem*. Tob. 12. cùm penè sint innumerabiles. Mysteria itaque libri reseraturus, libri præmittam Procemium, principiorum Theologiæ Moralis nonnulla prælibans; nempe de fine ultimo, de Actibus humanis, de Conscientia, de Gratia. Mox quidem ad Sigilli primi pergo reserationem. *Et vidi* (ait Johannes) *quòd aperuisset Agnus unum de septem sigillis, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum*, Apoc. 6. Christus eques potestatis arcum ostentans, qua & naturæ author, & Rex, ac Parens Ecclesiæ leges præscribit, præcepta antiqua indicit, nova præfert: in onerisque sublevationem Privilegia indulget. Sigillo secundo reserato, *exivit equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficerent: & datus ei gladius magnus*. Apoc. 6. Pacis ablegatio, vulnera, interitus undenam ducunt exortum? An non ex peccati gladio animum vulnerante, corpus imminuente? Ita Absbertus, & alii hujusce gladii magnitudinem interpretantur. Exhibet igitur hujusce sigilli Mysterium materias de peccatis in communi, de septem vitiis capitalibus, de universis peccatis mortalibus, quæ possunt à fideli committi. *Et cum aperuisset* (pergit Joannes) *sigillum tertium, ecce equus niger: & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua; & audivi quasi vocem: Bilibris tritici denario*. Apoc. 6. Quis non videat hîc Justitiæ manu stateram gestantis imaginem, ut cunctis suum jus impertiri possit? Porrò ex quarto aperto sigillo *equus pallidus* prodiit, & *qui sedebat super eum, nomen illi Mors & Infernus sequebatur eum: & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte*. Apoc. 6. Quàm

appositè mortem peccati, quam inferni contumacia comitatur, Censurarum, ac Pœnarum vulnera flagellant. Post quinti sigilli apertionem: *Vidi* (ait Joannes) *subtus Altare animas interfectorum propter verbum DEI, & datæ sunt illis singulæ stolæ albæ.* Martyres quidem adhuc clamitantes subtus Altare divi amoris igne succensi, Fidei assertores, Speique felicitatis interminabilis, ob quam perituram vitam obtulere, commendatores Theologicarum virtutum Fidei, Spei, ac Charitatis victorias concelebrant, Religionisque gloriæ thura libant. Equidem sexti sigilli rationem terræ sequitur concitatio. *Et ecce terræ motus magnus factus est*,&c. Apoc. 6. Principes, divites, & fortes terræ montium advolant ad latibula, Agni futuram iram instar Leonis meditantes. Adstant Ecclesiæ Proceres Ordinum signati charactere. Gentes, Tribus, Populi, & linguæ innocentiæ amictu Agnum adorant. Dominicæ Reipublicæ tres Status hoc profert sigillum; Clericalem, Regularem, Sæcularem. Quorum obligationes aggrediar exprimere. Denique Apostolus: *Et cùm aperuisset sigillum septimum, vidi septem Angelos stantes in conspectu DEI, & data sunt illis septem tubæ. Et alius Angelus stetit ante Altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa.* Apoc. 8. Planè Angelus hic Sacerdos Pontifex Ecclesiæ Dominicæ, minister utique Sacramentorum, quæ septem in Tubis, totidem Angelorum, Augustino auctore, signantur. Cui consimilem adornavit Joannes Caramuel, quæ tamen ut dissensum videas in expositione non convenit cum Escobariana. Verba illius pag. 44. ita reboant:

Iam patet accessus. Lector procede: sigillis
Olim septenis Erbita clausa fuit.
Clavibus at dudum reseramus singula paucis;
Tu securè illis Utere: Vive: Vale.

Inter Revelationes, quas divinitus hausit Joannes Theologus & Evangelista, mirabilis illa est quam Apocalypseos sexto scribit: *Vidi in dextera sedentis supra thronum*, ait, *librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.* Et quidem Evangel. Theologo non debebat alius Liber cœlitus ostendi, quàm Theol. Liber igitur scriptus intus & foris, Moralis Theologiæ liber est, ut benè notavit Escobar, quamvis conceptum alter fuerit prosecutus. Porro Scholasticæ speculationes licet internæ & mentales nos attingunt exteriùs, (eruditionem enim & doctrinam perficiunt, sed forum interius non tangunt) at practicæ Mora-

ftates forum interius & exterius concernunt, & ideò scriptæ interius & exterius dicuntur. Si rem altè considerem, inveniam Libri interiorem faciem (conscientiam humanam subintelligo) debere aperiri, & solere etiam frangi. Olim apud tenebrarum Principem, oraculis circumvenientem populos, solvi aut frangi ab Alexandro nodum Gordianum idem fuit; at apud Lucis Empyreæ Principem, aliud est aperire, aliud rumpere; aliud solvere, aliud frangere. Ruptæ homines conscientiæ sunt, quotquot divini timoris immemores temerè in Theologicas sanctiones impingunt; apertæ verò, qui in angustia dubiorum constituti, clavibus legitimis interpretando & dispensando, solverunt legum vincula & viam benignam aperuerunt. Sed quis est dignus angustias relaxare conscientiæ, & aperire librum & solvere signacula ejus? Profectò nemo potest in cœlo Angelus, nemo in terrâ Homo, nemo subtus terram spiritus, non solùm conscientiam strictam solvere, aut confusam componere, sed neque providere anxiæ, & prospicere dubiæ, nisi Agnus-Leo, aut etiam ejus nomine ille, cui claves ipse communicaverit. Sanè Agnus-Deus, Regni cœlestis claves Pontifici summo commisit; at claves Libri scripti intus & foris, non solùm ipsi, sed etiam Ecclesiæ Doctoribus, quibus aperire conscientiæ novas easque probabiles vias divinitus concessum est. Cùm igitur seræ seu sigilla sint septem, multæ erunt claves, quas juvat proponere & exponere. Sed quæ sunt ista septem Sigilla? Quæ istæ analogæ eisdem correspondentes claves? Audiamus ipsum Evangelistam. E primo sigillo aperto ab Agno, ut Apocalypseos sexto Johannes ait, egressus fuit Justitia speculativa; sed unde id scio? ex charactere & symbolo; nam si dicebat olim vates: *Phœbus adest; sonuere tubæ, sonuere pharetræ: signa Deos nosco per sua, Phœbus adest*, cur non potero ex symbolo justitiam noscere, sed proponitur symbolum: *Eques, qui habebat Arcum; & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Multa interspicio arcana, quæ alibi uberius explicabo: nunc breviter singula perstringam. Porrò Arcui est similis Justitia speculativa, flecti debet, ut scopum attingat; & tamen, si nimium flectatur, rumpetur: quo sensu intelligendum est illud Pronunciatum Juridicum *subtilitas nimia nil valet.* Justitiæ postulat, ut Leges Pietati & publico bono se attemperent, & quando ratio postulat, inflectantur; non tamen ut rumpantur: dantur enim decretorum & legum commutationes, dispensationes & interpretationes, sine quibus tyranni-

 dis

nis esset, quæ nominaretur *Iustitia*: nam ut est in adagio, *summum jus, summa injuria*; & quidem illud est summum Jus, quod nimium; quod rumpi solet & flecti non solet: quod nullam commutationem aut dispensationem; quodque nullam interpretationem admittit. Pulchrè author quidam Junior. [Si omnia ad legum rigorem examinentur, injuria fiet plurimis. Leges enim de factis statuunt, nullâ circumstantiarum varietate definitis: facta verò singula circumstantiis suis descripta sunt, quibus vel mitigantur, vel aggravantur, *(imò etiam vel aliquando mutantur specie)* quarum cum *(penè infinita)* sit varietas; nullis unquam legibus illa comprehendi possunt.] Si ad alias facultates oculos convertamus, succurrent tres illustres Artifices, Polycletus, Lesbias & Vitruvius: primus utebatur regulâ ferreâ, quæ frangi priùs, quam flecti posset: secundus plumbeâ, quæ se omnibus angulis accommodaret, sed tamen eosdem retineret: ultimus ligneâ, quæ flecteretur, cùm esset opus, ac causâ cessante ad rectitudinem rediret. Tyranni Polycleto sunt similes, ferro subditos regunt, & malunt crepare quam flecti. Lesbiæ autem Principes, quos ignavos & remissos vocamus. Ex causâ liberiorem conversationem tolerant, & ea cessante antiquum rigorem non restituunt. Hinc contra leges, mores & consuetudines, hinc præscriptiones, hinc usus, & abusus sunt orti. Ergo peritura est Respublica, si Magistratus regulâ utatur ferreâ aut plumbeâ. Pereunt communitates, cùm in plumbum degenerant, non seculares solùm, sed etiam Ecclesiasticæ: Monachi enim, qui plumbeâ regulâ probantur, D. Benedicto teste nullâ approbantur, *quoniam secundum plumbi naturam molliti, adhuc operibus servantes seculo fidem, mentiri* DEO *per tonsuram noscuntur.* Ergo superest, ut Leges sint similes Vitruvii Regulæ, ut flecti possint, cùm ratio & prudentia præcipiunt, & è vestigio redeant, si cesset causa. Sint arcui similes, habeant inflexionis mensuram, ut dum retorquentur redeuntque, scopum seu finem tangamus. Reipublicæ, quæ tales leges habeat, *data est corona*; ut ipsa coronetur, & etiam suos cives coronet. Ut coronetur quidem; ejusmodi enim communitas erit omnium Rerumpublicarum Imperatrix. ut suos coronet; nam si præmia absint, languebit virtus, & animo despondebit modestia. At hæc ipsa corona, non inermi & indigno, sed homini capaci, qui possit militare, debetur; Homini, qui sit vincens ut vincat: est enim militia vita hominis super terram, & in quo-

cunque

cunque statu cum improbis pugnandum est. Dantur præmia victori, & victuro: sequuntur enim & præcedunt merita. Sunt enim præmia & prævia: quà præmia & virtutes antiquas coronant; & quà prævia excitant & præformant futuras. E secundo sigillo Justitia Practica generalis exorta est: *Et datum ei, ut sumeret pacem de terrâ; & ut invicem se interficiant, datus est ei gladius magnus.* Nam cùm agimus de speculativis, summa est animorum tranquillitas; at verò ubi primùm venimus ad Practica, incipiunt quæstiones & lites. Porrò litigantibus datur gladius magnus. An-ne ut vincant? Ne crede. Nam magni gladii non sunt homini præsidio, sed oneri: in cujus propositionis confirmationem succurrit apophthegma ex Plutarcho. [Cum enim Lacones non in linguis, sed & in lingulis (gladiis) etiam brevitatem summam affectarent, irridebantur à nonnullis; quibus fortiter respondit Agis: *His brevissimis ensibus Lacedæmonij assequuntur hostes longissimis armatos gladiis.*] Quæ verba me juvant, & verbis Cypriani ad Donatum, si & ista juventur, juvantur. *Paratur gladiatorum ludus*, ait Cyprianus: sed quando? quando partes inter se dissentientes litem contestantur juridice. Sed cur? *ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet*: omnes enim avari Judices & Advocati, crudeles sunt: exsugunt enim clientum sanguinem. *Homo occiditur*, aut exspoliatur saltem, *in hominis voluptatem, & qui possit occidere*, aut exspoliare, *peritia est usus*: *scelus non tantùm geritur, sed docetur.* Ecce lites Advocatorum sunt & Judicum frequentissimæ nundinæ, in quibus litigantes magnis utuntur gladiis, hoc est, follis, & tamen semper à Ministris Justitiæ superantur. Nam dum inter te cognatumque tuum sunt jurgia & privatæ aliquæ dissensiones, (puta de hereditate) ad utrum illa pertineat, dubium est: cùm autem primùm lite contestatâ incipit tribunalium strepitus, ante omnem sententiam cessat dubium; illa enim jam hereditas, non ad te, non ad illum pertinet, sed ad Judices & Advocatos: nam dum vos gladiis magnis Jura propria tuemini, Advocati, Senatores, Consules, Judices, &c. parvis aut nullis vos assequuntur, & tandem exuunt. Habet nostra ætas multos Stratocles & Diocles, qui periti erant Juris, & se asserente Plutarcho, ad auream messem invitabant: unde meritò Ludovicus XII. Galliarum Rex, ut in Annalibus Francorum legimus, Tribunalia vocabat *Senatorum nundinas*, in quibus multi sub hastâ sententias & jura mercantur. Scio esse multos Jure-consultos pios; sed quæ in avaros dicta, viros probos

bos non tangunt. Prodiit è tertio Justitia specialis formalis; illa, quæ leges ipsas formaliter sumptas considerat, & examinat: *Et habebat stateram in manu*; ut doceamur debere leges in pondere numero & mensurâ proferri. In pondere; nam ponderari singulæ circumstantiæ sæpè debent, & onera subditorum viribus commensurari; debet considerari numerus legum & civium; non enim omninò errant, qui dicunt, eò pauciores oportere esse leges, quò plures subditi. Debent leges attemperari & proportionari subditorum viribus & ingenio, omnis enim humana potestas à DEO, & ad publicæ rei conservationem & non destructionem data: quâ qui abuteretur, deberet ad Locrensium mores & instituta judicari: debebat enim apud ipsos legem laturus, priùs collum laqueo inserere, & legem posteriùs pronunciare; acclamatione populi honorandus, si tulisset honestam; sin minus, laqueo constricto suffocandus. Egressa ex quarto fuit Justitia specialis materialis: nimirùm, quæ legum contemplatur materiam: *Et vidi, & ecce equus pallidus*, (pauper & languidus) *& qui sedebat super eum, nomen illi mors; & infernus sequebatur eum.* Ecce verbis paucissimis legum omnium materia comprehenditur. Agitur in Ethicâ de divitiis, agitur de vitâ, agitur de animâ. E quinto sigillo prodiit Justitia Canonica; Juris Pontificii Fundamentis insistens: *Et vidi subtus Altare animas interfectorum propter verbum DEI, & propter testimonium, quod habebant: & clamabant voce magnâ, dicentes; Usque quo Domine Sanctus & verus, non judicas & vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?* Quoniam Ecclesiastici omnes, si sunt, qui debent, mundo mortui, vivunt DEO. Habitant apud aras; imò infra aras; qui enim supra aras volunt potestatem exserere, non Christi Domini, sed Antichristi sunt. Duo sunt Ecclesiasticorum genera, aliorum enim conversatio est in cœlis, & aliorum in terris; illorum, qui cœlestia diligunt, & despiciunt terrestria, vita & mores implorant DEUM adversus illos, qui sub Ecclesiasticorum nomine & habitu despiciunt cœlestia & sola terrena procurant. Huc pertinent principia etiam Theologica, quæ voco *Axiomata*; huc etiam Regularia, quæ voco *Syntheses*, huc Civilia, quæ *Regulæ* vulgò vocantur. Hæ Positiones sæpè fuerunt proscriptæ, sæpè dilaceratæ, sæpè extinctæ, ab Heterodoxis, imò & à Catholicis interdum. Sed clamavimus ad DEUM; & jam suscitantur, firmantur, revocantur. Jam obinent ab omni malæ interpretationis infectione aut suspicione vindicatæ. Et è sigillo sexto

Justi-

Justitia Theologica emersit: illa nimirùm, quæ dilucidat & illustrat Decalogum: *Et ecce terræ motus magnus factus est, & Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & Luna tota facta est sicut sanguis, & Stellæ de cælo ceciderunt.* Quando enim ad Decalogi principia devenitur, lumen rationis etsi pulchrum ut Luna sit, aut etiam electum ut Sol, multa obscuritate eclipsatur. Multa sunt præcepta divinitùs, quorum obscuræ sunt rationes; quoniam supra humanam illæ sunt, quibus æternus Legislator mundum rationalem gubernat. Unde merito in sacrâ Scriptura esse dicitur DEUS absconditus, & qui posuit tenebras latibulum suum; in quo rimemur paucula, & innumerabilia ignoremus. Et tandem ex sigillo septimo prodiit Sacramentalis Lex; *Et factum est silentium in cælo quasi media horâ. Si bene intelliguntur Sacramenta, ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram DEO:* Et si malè vitia pullulant, sylvescunt peccata, *& facta sunt tonitrua, & voces & fulgura & terræ motus.* Et quidem mihi à me impositum est moralia dicendi & docendi silentium; non perpetuum, sed quasi mediâ horâ; non enim multis indiges, AMICE LECTOR, ut singulas propositiones recognoscas; nec ego multis, ut tuas Recognitiones specules. Emitto in lucem istum librum, & sicut Cous Apelles olim, lateo apud Tabulam, & singulos audire desidero; modò nemo sutor judicet ultra crepidam; quoniam subaudire Grammaticos de subtilissimis Theologiæ arcanis delirantes, si jocosè res agatur, jucundum; si seriò, durum & intolerabile est. Judicium tuum, quod spero, recipiam: silebo congruo tempore, quousque subtiles meditationes tuas addiscam: & postmodum à te doctus eloquar, & singula eruditior resumam.

XIX.

Languet etiam Excusatio sociorum quam Honoratus Fabri adornavit, negando primò Jesuitas usuras inducere, adducens Alexandrum VII. Pontificem occinentem in societate multos esse, eosque eximios divini verbi præcones, scriptores doctissimos, Magistros & Professores scientissimos, Homines literaturæ omnis generis peritissimos, imo & quod ipse ultrò fassus, Christianis virtutibus & religiosæ vitæ sanctimoniâ præstantissimos, vix tamen in tanto numero, vel tolerabilem Oeconomum sive Procuratorem esse. Secundò, Simoniæ labem abstergendo, à qua instituti Lojolitici homines sint alieni, ut ne stipendia quidem pro sacris Ministeriis rependi solita, vel petere, vel accipere va-

leant. Tertiò, homicidia amoliendo. Num enim, scribit, vitam hominibus eripiant, qui propriam vitam & sanguinem pro illorum salute profundant? Num diro mucrone Christianos petant ad mortem, qui pectora Mucronibus infidelium objiciant ad vitam animę iis procurandam. Nam primò Barisonius Domus & Collegia Lojolitarum nihil aliud esse dicit, quam Tabernas sanctissimæ cujusdam usuræ, in quibus is cui initiandi facta fuerit potestas, modum inveniat omnem affectum absque scandalis evomendi, & sine sorte ullâ maximas commoditates non mediocribus cum divitiis acquirendi, quas invicem possidere, iisque uti frui queant. Quis nescit, quantum proficiant in Bonis istius Ordinis homines. Num benedictio Domini ita ditat absque labore; si Oeconomo laborat societas, cur Pontifex Paulus V. in cura rei familiaris sive constabiliendæ, sive locupletandæ Jesuitarum Procuratore fuit usus, ut docent nos Arcana Societatis pag. 45. Quem etiam fuit opinió, tametsi faciem vix hominis haberet, & nihil admodum literarum didicisset, mox Cardinalem creatum iri, quia videlicet cum fœcundum pectus concusserit, inveniendi argenti technas instituere, & difficultates nummarias expedire noverit. Secundò, an pro sacris Ministeriis nihil accipiant Lojolitæ Barisonius docebit, qui refert illos libenter recipere divites & leniter tractare, si confessiones audiendæ, ne ad desperationem adigantur; sed potius ut ex opibus illis, quæ ipsis peccandi causam præbuerunt, largas Eleemosynas Domibus & Ecclesiis facientes, & cœlum lucrantes à via, quæ eos ad Infernum ductura erat, declinent. Author Arcanorum Societatis ita differit: Multi quo minus eos admittant, iisque Collegia ædificent, hoc potissimum Metu præpediuntur, ne nunquam satis habituri, sed semper plus petituri sint, donec nihil quod impetrare queant, reliqui fecerint. Nam tametsi gratis docent, nec quicquam ipsorum ullius rei Dominus est, quid hinc tamen Principes ac Provinciæ compendii lucrique faciunt, cum aliter eorum opera uti non possint, nisi maximis impensis Collegia eis exstruant, & vectigalibus peramplis augeant. Tertiò animarum, num verò cruoris humani sitim prodant illa Coloniensium in Censura: Nisi Lutherana Religio ferro & igne tollatur, Ecclesia Romana pacem & tranquillitatem habere non potest. Illa Marianæ lib. 1. de Regè cap. 6. Si monitis Princeps non obediat: Consilia erunt explicanda, arma expedienda, pecuniæ in Belli sumptus subditis infirmandæ; Princeps etiam privatâ authoritate ferro opponen-

dus,

ctus, cuivis sanæ mentis expendendum relinquimus. Adde, quæ habentur apud Possevinum, Emanuelem Saa & alios.

CAPUT II.

De

VITÆ SANCTITATE.

THESIS I.

AD vitæ integritatem vel morum & actionum sanctitatem, collimare Theologiam Moralem supra diximus. Ut enim in Ethicis tenditur ad summum Bonum morale, quod est operatio animæ rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta: ita in Theologia morali ordinantur cætera, quæ in illa pertractantur ad actionem sanctam, DEOque placentem, cum ut Theophylactus loquitur in cap. III. Evang. Johan. Christianismus non solum recta dogmata, sed & honestam vitam exigat. Et secundùm Paulum: *Voluntas DEI sit sanctificatio nostra*, 1. Thess. 4. ℣. 3.

II.

Sanctitas & sanctus à verbo sancio, h. e. confirmo suos habent natales, & complectitur illa primò Emendationem, & abstersionem macularum, vitiorum & sordium, quorsum referimus illa Pauli dicentis: *Christus dilexit Ecclesiam, & se tradidit pro illa, ut eam sanctificaret purgans lavacro aquæ in verbo, ut sisteret eam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata*, Eph. 5. ℣. 26. 27. Secundò, segregationem à profano, quo respexit Ezechiel nomine DEI arguens & dicens: *Sacerdotes ejus vim faciunt legi meæ, & prophanant res sanctas meas, inter sanctum & profanum non discernunt, & inter impurum & purum non ostendunt discrimen*, cap. 22. ℣. 26. Tertiò, destinationem ad usum sacrum, ita DEUS dicitur sanctificâsse Jeremiam cum nondum prodiisset ex utero, Jerem. 1. ℣. 5. Denique puritatis spiritualis & rectitudinis cujusdam communicationem, quo sensu accipiuntur verba Pauli, 1. Thessal. 5. ℣. 23. *Ipse DEUS pacis sanctificet vos totos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima & corpus sine querela, in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur.* De Integritate vitæ vero & sanctitate morum cum quæstio instituitur, quamvis omnia hæc obtineant, cum qui sanctitate fulget, deponat veterem hominem

minem cum fordibus fuis, se separet à filiis seculi profanis, usui sacro ex DEI voluntate destinetur, tanquam vas in honorem, sanctificatum, & accommodum usibus Domini, ultimum tamen prævalet, unde etiam Paulus Ephesios monet, ut *induant novum hominem, qui secundum DEUM creatus est in justitia & sanctitate veritatis*, Eph. 4. ℣. 24.

III.

Inepti sunt Pontificii Doctores primò, qui cum Altenstaigio vocem ἅγιος volunt notare extra terram & sanctus quasi sine terra, cum planum sit illam derivari à verbo ἅζω, veneror. Secundò, qui cum Stephano Brulifero sanctum propriè dictum illum vocant, qui est in gratia, & nihil habet purgabile, tamen non videt Essentiam divinam, sicut sunt animæ, quæ in Purgatorio fecerunt pœnitentiam suam, vel qui decedentes de hoc seculo nihil habent purgabile, ut S. Franciscus. Tertiò, qui cum Alexandro Halensi & Gabriele sanctitatem accipiunt pro confirmatione in bono, atque adhibent verba Psal. 15. in confirmationem, ubi David quærit: *Domine, quis requiescet in monte sancto tuo*, quasi mons sanctus notaret confirmationem in bono.

IV.

Actionum autem nomine veniunt illi actus, qui procedunt à Spiritu Sancto inhabitante, homine regenito, & quæ comitem habent lætam conscientiam, de qua Paulus 2. Cor. 1. ℣. 12. *Gloriatio nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate & sinceritate DEI, & non in sapientia carnali, sed in gratia DEI conversati sumus in hoc mundo*. Et dulcedinem quandam spiritualem, quæ mentem perfundit, ut *gustent, quod benignus sit Dominus*, 1. Petr. 2. ℣. 3.

V.

Reprehenduntur autem merito primò Pelagiani, qui statuerunt, non indigere hominem peculiari gratia divina ad Bonum faciendum, ut ad malum vitandum, sed sibi relictum sufficere ad omnem actionem bonam, quod Benedictinus Antisioderensis in vitâ Germani ita proposuit, quod satis ad propriam possiit conferre salutem arbitrii libertas, etiamsi gratia desit. Secundò Massilienses, qui censebant DEUM interdum conferre Gratiam propter bonum naturæ usum. Tertiò, veteres Scholastici, qui cum Durando, Scoto, Gabriele & aliis senserunt posse hominem servare omnem legem naturalem non solum brevi, sed etiam longo tempore, sine ullo auxilio gratiæ per Christum, ut quidem recentiores referunt.

VI. Hæc

VI.

Hæc actionum sanctitas, hoc exercitium juge secundum mensuram virium divinitus dispensatarum intenditur à Theologo morali, procuratur ab eo; qui ejus ductui & directioni se submittit, atque rationem finis habet; cujus causa 1. Efficiens est Spiritus Sanctus per certum appropriationis modum, sive DEUS Pater, Filius & Spiritus, cum à tali opere nunquam excludantur reliquæ personæ, unde Paulus Tit. 3. ℣. 5. dicit: *DEUM salvasse nos secundum misericordiam suam per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritus Sancti.* Et nos dicimur ἐν τῷ Θεῷ Πατρὶ ἡγιασμένοι, 1. Thess. 5. ℣. 23. κλιθέντες *in Christo Iesu ad bona opera,* Eph. 2. ℣. 10. *ducti à Spiritu,* Rom. 8. ℣. 14. sub directorio vero & operatione Spiritus 2. Fideles, qui possunt & solent *corpora sua sistere hostiam vivam, sanctam, placentem DEO, rationalem illum cultum Christianorum,* Rom. 12. ℣. 1. & 2. qui possunt & solent *deponere veterem hominem, & induere novum, qui secundum DEUM creatus est in justitia, & sanctitate veritatis,* Eph. 4. ℣. 22. 23. 24. qui denique *se sistunt DEO, ut ex mortuis vivos, & membra sua arma justitiæ DEO,* Roman. 6. ℣. 12. 13. Media denique Verbum & Sacramenta. *Sanctifica,* inquit Christus, *eos tua veritate, sermo ille tuus veritas est,* Joh. 17. ℣. 17. *Consepulti sumus,* teste Paulo, *Christo per Baptismum in mortem. Et sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos nova vita ambulemus,* Rom. 6. ℣. 4. & 1. Corinth. 12. ℣. 13. *per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus & Iudæi & Græci, & servi & liberi: & omnes potati sumus in unum Spiritum.* 3. Exemplaris denique est Sanctitas Jehovæ: ut enim DEUS in perpetua vita & actu Sanctitatis, ita nobis prælucet illa atque ipse dicit: *Ego Iehova DEUS vester. Sanctificate ergo vos ipsos, & estote sancti, quia Ego sanctus sum, & ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod movetur super terram. Ego enim sum Dominus, qui eduxit vos de terra Ægypti, ut essem vobis in DEUM,* Levit. 11. ℣. 44 45. 1. Petr. 1. ℣. 16. 4 προηγουμένη DEI εὐδοκία & Gratia, quo referunt illa Pauli: *DEUS, qui dives est Misericordia, ob multam charitatem, qua dilexit nos, &c. una vivificavit cum Christo, & corresuscitavit, & considere fecit in cœlestibus in Christo Iesu,* Eph. 2. ℣. 4. 5. 6. 5. προκαταρκτική, & quidem meritoria Christus, quod volunt indigitasse Christum dicentem: *Eorum causa Ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate,* Joh. 17. ℣. 19.



VII.

Inter calumnias ergo referimus Pontificiorum, quod cum Bozio de signis Ecclesiæ libro 8. cap. 5. dicere non verentur: Ut æternam salutem consequaris, & sis sanctus, ajunt Protestantes, nihil est necesse boni aliquid velis, moliaris, aut facias. Christo fidas, impunè quidvis audeas, & ad exitum perducas. Adde, quæ habet Becanus opusc. 4. tom. 1. de Justificatione Calvinistarum. Secundò inter Pseudhermenias Calvinianorum, quod scil. dicta Scripturæ, quæ agunt de ἁγιασμῷ πνεύματος, qui est Ministerium verbi, restringunt ad sanctificationem illam internam, ut suæ opinioni de Electione absoluta serviant. Tertiò inter Heterodoxias Photinianorum, quod sanctitatem non deducunt ex merito & satisfactione Christi, sed tùm temporaria, tum æterna bona nobis pacta esse, & ideò tum demum fœdus istud ex nostra etiam parte ratum firmumque fore, si ex Christi mandatis vitæ nostræ statum composuerimus, asserunt.

VIII.

Latè autem nomen actionis accipiendum: quanquam enim hîc maximè de illa Actione sit sermo, quæ illustri modo se pandit, præsupponenda tamen interna illa sanitas, & exercitium illius, de qa Petrus: *Dominum DEUM sanctificate in cordibus vestris*, 1. Epist. cap. 3. ℣. 15. quemadmodum hic spectatur, ut refulget etiam in sermone & verbis, de quo Christus Matth. 12. ℣. 34. 35. *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala.* Actionibus, de quo Paulus Rom. 6. ℣. 19. *Nunc membra vestra sistatis serva justitiæ ad sanctitatem in conversatione.* De quo Petrus 2. Epist. 3. ℣. 11. *Sancti sitis ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς in conversationibus, sive omni conversatione*, 1. Pett. 1. ℣. 15. & hisce actibus ostendit regenitus se esse talem, *qui semet servet ἄσπιλον à mundo*, Jacobi 1. ℣. 27. *qui studeat esse ἀμώμος, irreprehensibilis in sanctitate*, 1. Thess. 3. ℣. 13. Qui denique *se referat ad illos, qui jugiter proficiunt ἐπιτελοῦντες τὴν ἁγιωσύνην*, 2. Cor. 7. ℣. 1.

IX.

Frustra verò primò Pontificii per immaculatos apud Jacobum intelligunt peculiare genus hominum, quòd Religiosos vocant, simile illis, de quibus Johan. 7. ℣. 48. 49. *Nunquid ex Principibus aliquis credidit*

in

in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. vel illos, qui cum divina gratia immaculatos se se custodiunt à lethali macula, & per Baptismum, pœnitentiamve mundati exhibent se Christo sanctos & immaculatos, absque macula & ruga peccati, præcipuè mortalis atque vetustatis; disponunt verò se, ut penitus careant levi culpa quoque ac omni vetustate, cum notum sit, quid nomine peccati mortalis & venialis intelligant. Ita enim Lorinus ad hunc locum p. m. 88. Hoc loco seculum idem valet, quod seculum alibi, ut dixi, cognominatum nequam, seu mundus in maligno positus; quiq; toties in Test. Novo tam male sonat: & quem diligens, caritate caret DEI, quoniam amicitia ejus inimica est DEO, & in quo quidquid est, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, cujus sapientia stultitia est, & cujus princeps diabolus; & de quo non est regnum Christi, & pro quo ipse non oravit, & qui Christum non cognoscit. A tali mundo immaculatum se custodire perdifficile, ingredique sine macula, immaculatum esse cum DEO, immaculatam habere viam, in qua, qui ambulat beatus, seu qui in lege immaculata, quia Domino ministrabit, habereque cor immaculatum in justificationibus ipsius. Huc aspirandum; quoniam elegit nos DEUS in Christo agno immaculato ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus, in caritate, nec intrabit in cœlestem Jerusalem aliquid coinquinatum, ne levi quidem sorde, vel macula, quæ hic interim non potest non contrahi; licet multi cum divina gratia immaculatos se custodiant à lethali macula; & per baptismum, pœnitentiamve mundati exhibeant se Christo Sanctos, & immaculatos absque macula, & ruga peccati præcipue mortalis, atque vetustatis; disponant vero se, ut penitus careant levi quoque culpa, ac omni vetustate, quod hic inchoatur; perficietur in cœlo, ut ait Augustinus, ubi omnes omnino sunt sine macula ante thronum DEI. Index vitæ sine macula hic transigendæ candida vestis recens baptizatis imponi solita, de qua Dionysius, Ambrosius, Augustinus, Arnobius, Socrates, Theodoretus, Lactantius, aliusve, Turonensis, Laurentius, Novariensis, Paulus Diaconus, Rabanus, Amalarius, Arator, Constantinus Imp. Cyrillus Jerosolym. Hieronymus, qui vocat Christi vestimenta lineamque vestem, Chrysostomus, Damascenus, Fortunatus, Nyssenus, Ado, Paulinus, Auctor vitæ Ludgeri, Auctor Prati Spiritualis, Gregorius

Methodius, qui pœnitentibus post abnegatam fidem vestes novas, ut in baptismo dari præcipit, Metaphrastes, Marcus Gazensis, Beda, Origenes, Rupertus, Severus Alexand. Ordo Romanus, Aponius, Albinus, Glossa Decreti, Theophylactus, Ivo Carn. alii plures Secundò subdolè Irreprehensibilitatem, quæ affectio & consequens sanctitatis & piorum, rapiunt in occasionem disputandi de perfectione fidelium, & quia Zacharias & Elisabeth dicuntur fuisse justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, sine querela, concludunt, Legi divinæ satisfecisse, ex Lucæ 1. ℣. 6. de quo videri potest Laurentius Forerus in Manuali. Cum tamen ipse Augustinus prævenerit contra Pelagium huic objectioni, docens: dictum esse secundum quandam inter homines conversationem probabilem, atque laudabilem, quam nullus hominum justè posset in accusationis & criminationis querelam vocare, quam propterea in DEI conspectu Zacharias & Uxor ejus habuisse referantur, quia in eâ homines nulla dissimulatione fefellerint, sed ut apparuerunt hominibus, ita noti fuerint in oculis DEI. Tertiò absurde combinare tentant, renovationis profectum & impletionem mandatorum, perfectionem distinguunt in illam, quæ est viatorum & beatorum, quarum illa profectus non sit capax, hæc vero illum admittat, & primam tantum exigi in Lege, posteriorem autem non exigi, in illa per modum medii præstandi, sed indicari solum per modum finis obtinendi asserunt. Videatur Bellarminus de Amissione Gratiæ & Statu peccati, lib. 5. cap. 10. cum tamen, qui profecit nondum Metam attigerit, aliquousque progressus fuerit, Iter nondum consummarit, qui in studio Doctrinæ alicujus decurrit, atque in via est, nondum illius consummatus Doctor habeatur; nec Decalogus utpote perfectæ sanctitatis Typus, exactum nostræ cum DEO conformitatis Exemplar acquiescat in illa perfectione viæ, quæ à Pontificiis fingitur, sed requirat illam quoque, quæ est patriæ, non exigat tantum concupiscentiæ suppressionem, sed & absentiam & omnimodam cessationem, adeoque non tantum illam indicet, sed & imperet: *Maledictus enim, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis*, Deut. 27. ℣. 26.

X.

Solet aliàs illa actionum Sanctitas, morum Integritas, vitæ candor etiam appellari Exercitium virtutum Christianarum, fructuum Spiritus Demonstratio, bonorum operum præstatio, quæ si bona verè cen-

senda

fenda requirunt ex parte Normæ, ut fiant secundum Legem DEI, ita enim DEUS Deut. 4. ℣. 1, 2. *Nunc ergo, ô Israël, audi statuta & judicia, quæ Ego doceo vos, ut faciatis, ut vivatis: non addetur ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini DEI vestri, quæ ego præcipio vobis.* Et Christus disertè Matth. 5. ℣. 19. *Quisquis solverit unum ex præceptis hisce minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Ex parte principii, ut fiant ex fide: *Sine fide enim impoßibile est placere DEO*, Ebr. 11. ℣. 6. & *pollutis & incredulis nihil est mundum, sed polluta est eorum mens & conscientia.* Adde Joh. 15. ℣. 1. 2. 3. *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Tertiò, ex parte finis, ut cedant in gloriam DEI, & aliorum ædificationem: *Repleti enim sumus fructibus justitiæ, qui sunt per Iesum Christum ad gloriam & laudem DEI*, Philipp. 1. ℣. 10. 11. & *splendere debet lux nostra coram hominibus, ut videant nostra bona opera, glorificentque Patrem nostrum, qui est in cœlis*, Matth. 5. ℣. 16. Præterea illustre monitum Pauli est: *Adhortamini alij alios, & ædificate singuli singulos, sicut & facitis.* Adde loca Coloss. 3. ℣. 16. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia: docentes & commonentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis, & canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris.* 1. Petr. 3. ℣. 1. 2. *Mulieres sint subditæ viris suis: ut si, qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucresiant. Considerantes in timore castam conversationem vestram.* Jacobi 5. ℣. 19. 20. *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum: scire debet quoniam, qui converterit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

XI.

Prævaricantur hic Pontificii primò, dum opera quædam crepant bona, quæ tamen in Lege divina non imperata, divinitus non præcepta, nec huic normæ, sed propriis adinventionibus attemperata; Lutheranos verò comparant servo cuidam, qui cum officii partes consignatas haberet, nec jussus inter cætera esset, ut herum equo lapsum erigeret, hoc ideò detrectaverit, quia inter rationes obsequii non extaret. Cum tamen quicquid ab homine exigi, quicquid ab eo etiam integro præstari

possit, expressum sit Deuter. 6. ℣. 4. 5. 6. DEO dicente: *Audi Israël, Dominus DEUS noster Dominus unus est. Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo*, repetitum à Christo Matth. 22. ℣. 37. 38. 39. 40. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.* Secundò, dum opera dicunt bona posse fieri moraliter talia, non solum sine fide, sed etiam sine auxilio speciali, si nulla tentatio urgeat, atque illud Effatum Pauli Ebræor. 11. ita exponunt, ut dicant, impossibile esse sine fide placere DEO, ut quis amicus DEI constituatur, & sicut natura humana, ut res aliæ creatæ, quia bona bonitate naturæ non possint non placere DEO, qui summè bonus est, & cui placent omnia Bona: ita etiam opera facta in Bono Naturæ sine admixtione alicujus malæ circumstantiæ bona esse, & DEO placere, tametsi non sint ejus pretii, ut vel gratiam vel vitam æternam mereantur. Quasi verò fides non sit bonorum omnium fundamentum, ut loquitur Fulgentius in Prologo de Fide ad Diaconum, quasi ab homine corrupto possit fieri opus sine admixtione alicujus malæ circumstantiæ; quasi non Prosper disertè edixisset contra Collatorem: Manifestissimè patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem; sed omnia opera eorum immunda esse atque prohibita, habentium sapientiam, non spiritualem, sed animalem, non cœlestem, sed terrenam, non Christianam, sed diabolicam, non à Patre Luminum, sed à Principe tenebrarum, dum per ea ipsa, quæ non haberent nisi dante DEO, subduntur ei, qui primus recessit à DEO. Videatur Cornelius Jansenius prolixè contra Socienos disputans ex Augustino & cæteris Pelagii Adversariis Tom. 3. Tertiò, dum statuunt, Bona opera homini justo esse necessaria ad salutem, non solùm ratione præsentiæ, sed etiam ratione Efficientiæ, & non minus opera, quam fidem ad salutem suo modo referri, ut loquitur Bellarminus lib. 4. de Justificatione cap. 7.

XII.

Omnem autem Apparatum operum, omnem splendorem nostrarum virtutum post lapsum rationem Meriti habere, & hunc induere respectum, nunquam admittere possumus. *Qui enim operatur ei Merces,*

non

non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, Rom. 4. ℣. 4. *Peccati quidem stipendium dicitur Mors, Gratia verò DEI vita æterna*, Rom. 6. ℣. 23. *Non condigna*, dicuntur *passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, Rom. 8. ℣. 18. consonat Augustinus in Psal. 70. conc. 2. scribens: Tua peccata sunt; merita DEI sunt. Supplicium tibi debetur, & cum præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua. Et sermone 15. de verbis Apostoli: Pro nihilo salvos facies illos; nihil invenis, unde salves, & multum invenis, unde damnes. Et iterum de Gratia & libero Arbitrio cap. 9. Maluit dicere Gratia DEI vita æterna, ut intelligeremus, non pro meritis nostris DEUM nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.

XIII.

Frustra itaque se fatigant Pontificii, dum pro Merito operum pugnant, quanquam divisi opinionibus. Nam primò quidam absolutè asserunt, omnia opera bona justorum etiam secundum se spectata, ac seclusa omni promissione divina, esse de condigno meritoria vitæ æternæ, quæ sententia tribuitur Richardo, Cajetano, Soto, Clictovæo, Lindano, Zumello & Vasquezio. Secundò quidam requirunt promissionem divinam ad meritum, ut opera justorum bona secundum se spectata, & seclusa divinâ promissione, nec dignitatem quidem & valorem seu proportionem habere asserant ad vitam æternam promerendam, cum ratione solius promissionis vim merendi habeant, quæ sententia fertur fuisse Scoti, Gregorii Ariminensis, Guilielmi Okami, Alphonsi à Castro, Bunderii & aliorum. Tertiò quidam medium commenti statuunt cum Tannero, hominem justum tametsi ratione Gratiæ sanctificantis seclusâ omni promissione possit dici dignus vita æternâ, quâdam dignitate proportionis quasi connaturalis ipsi Gratiæ, eo modo quo res quælibet dici potest digna suo fine connaturali; non posse tamen ita consideratum dici beatitudine dignum dignitate Meriti aut Justitiæ. Prætera etiam ipsa opera hominis justi, quatenus ex motione gratiæ procedunt, etiam seclusa promissione divina habere condignitatem quandam proportionis, seu valorem proportionatum & proportione æqualem, ad promerendum vitam æternam. Denique habere quidem opera bona justorum, quatenus ex gratia procedunt, proportionem quandam ad præmium vitæ æternæ, imò etiam quandam æqualitatem, non tamen

absolutam aut formali actu, sive secundum quantitatem molis, sed solum æqualitatem proportionis, & quasi secundum quantitatem virtutis, ita ut sint æqualia gloriæ non actu formali, sed virtute. Obligationem tamen remunerandi in DEO non oriri, ex solâ dignitate operum, sed inprimis ex promissione DEI, accedente tamen divinâ promissione, opera hominis justi non solum ratione promissionis divinæ, sed etiam ratione operis, esse & dici de condigno meritoria vitæ æternæ, cum quo ferè, sed non omnino conspirat Bellarminus.

XIV.

Frustra quoque circa Definitionem abstractam Meriti disputant, quam exhibet præ aliis Oviedo, quod scil. sit obsequium factum DEO, ex se potens movere ad retributionem Boni supernaturalis. Secundò circa Divisionem, dum volunt aliud esse meritum de congruo, aliud de condigno; dicitur enim aliquis secundum Thomam in 2. Dist. 27. q. 1. art. 3. mereri ex condigno, quando invenitur æqualitas inter præmium & meritum secundum rectam æstimationem; ex congruo autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem donantis munus tribuitur, quod dantem decet. Tertiò in applicatione generalis conceptus cornicantur, asserendo, meritum de condigno non solum esse potens movere ad retributionem, sed etiam exigere hujusmodi retributionem, non item meritum de condigno.

XV.

Frustra denique de conditionibus requisitis ad meritum disputant, non quidem si de merito in abstracto sit sermo: illud enim suis esse vestitum proprietatibus non negamus, sed in concreto & applicatè ad hominem lapsum, quasi in tali essent admittenda merita & ex his conditionibus pendenda. Requirunt autem primò ex parte operis libertatem, ita ut si meritum vel de condigno, vel de congruo ponatur liberum id esse debeat non solum à coactione, sed & à necessitate, & confirmamare satagunt ex Ecclesiastici 31. ℣. 10. ubi dicitur: *Qui potuit transgredi & non transgressus est; malum facere & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius.* Et 1. Cor. 9. ℣. 17. *Si volens hæc ago, mercedem habeo.* Atque pro hâc conditione stant, Alphonsus à Castro, Fischerus Episcopus Roffensis, Sotus, Vega & Bellarminus lib. 5. de justificat. cap. 10. Impugnant tamen hanc Gabriel in 3. Dist. 18. q. 1. art. 3. dub. 1. Major, Petrus

Petrus de Aliaco & Holcot in I. Dist. 17. qui volunt posse acceptari à DEO ad præmium vitæ æternæ, & fieri meritorium opus hominis, absque libertate contradictionis solum spontè factum, quod ipsi vocant opus liberum libertate complacentiæ. Disputant etiam, an ad meritum sufficiat imperfecta seu semiplena libertas, qualis ad peccatum veniale sufficit, an verò perfecta, qualis est necessaria ad mortale. Ubi affirmativam probabilem censet Rodericus ab Arriaga, & pro eadem refert recentiores quosdam Oviedo. Pro negativa autem stant Suarez, Zumel & Gamboa, si de merito condigni sit quæstio. Denique adhuc dubium est inter ipsos, an libertas ad actus omninò æquales in æstimabilitate morali cum necessitate ad alterum sub distinctione sufficiat ad meritum, affirmativam eligente Granado, Herizio, Hurtado & Lessio libro de summo Bono cap. 23. num. 183. In negativam verò concedente Sanchezio, Palao, Manuele, Rodriquezio, Puente, Lugone & aliis.

XVI.

Secundò Bonitatem, ut sc. sit opus bonum: *Cum odio sint DEO impius & impietas ejus*, Sap. 14. ℣. 9 sed hîc materia litis. Nam primò disputant, an ad merendum apud DEUM requiratur actus positivus, vel an pura omissio sufficiat, quorum postremum non veritus est probare Martinez de Ripalda Tom. 1. de Ente, supernat. Disput. 44. sect. 8. num. 54. & dis. 70. sect. 2. & seqq. Quanquam negativa sit communis, atque Vega, Suarez, Vasquez, Salas, Montesinus, Arriaga, Oviedo, Gonetus, & alii constanter defendant puram omissionem non esse meritoriam. Secundò, num ad meritum vitæ æternæ sufficiat actus moralis virtutis acquisitæ, elicitus ab homine justo, quod vult Gabriel Vasquez, negat verò Conink, Montesinus & Lorca. Et impudentissimè Vasquez illud Matth. 12. v. 50. *Qui fecerit voluntatem DEI, hic frater meus & soror mea, & mater est*, allegat pro sententiæ suæ confirmatione, quasi Christus ageret de illo, qui elicit actus bonos virtutum naturalium, quasi ille faceret voluntatem DEI, quasi ille veniret in consortium fraternitatis, &c. cum Christo. Tertiò, num actus virtutum infusarum sint meritorii vitæ æternæ, absque imperio charitatis, in quo puncto iterum dividiæ. Quidam enim volunt solos actus elicitos à charitate esse meritorios de condigno præmii Beatitudinis essentialis, actibus verò aliarum virtutum infusarum respondere præmium duntaxat accidentale, ut

Bonaventura & Bannés, alii cum Scoto, Durando, Paludano actus virtutum aliarum infusarum non esse meritorios de condigno vitæ æternæ absque imperio charitatis, quo saltem virtualiter referantur in DEUM, sicque ... Suarez, Vasquez, Granadus, Meratius, Oviedo, Arriaga, Monte... ius, Marcus à Serra, actus virtutum per se infusarum esse meritorios de condigno præmii essentialis Beatitudinis, etiamsi à charitate non imperarentur etiam virtualiter in ordine ad DEUM finem supernaturalem.

XVII.

Tertiò supernaturalitatem, ita ut opus sit elicitum vel saltem imperatum à virtute aliquâ infusâ, sive hæc Theologica sive Moralis fuerit, secundùm illud Pauli Rom. 2. ℣. 10. *Gloria & honor omni operanti bonum.* Et illud Christi Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Sed ex dilectione DEI, quæ primum est mandatum, reliqua omnia imperans. Verum primò hæc conditio secundum plures est superflua, quia scil. coincidit cum secundo, vel etiam cum illa, quam requirunt ex parte operantis, ut scil. merens sit amicus DEI, seu in statu gratiæ, unde etiam à Becano fuit neglecta part. 2. Theol. schol. Tom. 1. tract. 4. cap. 5. q. 1. Secundò, qui statuunt ad meritum vitæ æternæ sufficere actum virtutis moralis acquisitæ elicitum ab homine justo, & actus virtutum meritorios absque imperio charitatis, non multum soliciti erunt de hac conditione. Tertiò, si actus aliquis est supernaturalis, procedens à Gratia, eo ipso non erit meritorius, cum omnis vis, pondus, & valor illius non debeatur homini, utpote corrupto, & ex labe concupiscentiæ inhærente ipsum contaminante, sed soli gratiæ & virtuti Spiritus Sancti, quomodo enim id, quod imperfectum ex homine, nec ei amplius naturale, ut Adamo integro, potest habere rationem operis perfecti & meritorii apud DEUM.

XVIII.

Ex parte verò operantis, exposcunt primò, ut qui meretur, sit viator secundùm illud Pauli ad Gal. 6. ℣. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Et 2. Corinth. 6. v. 2. *Ecce nunc tempus acceptabile.* Johan. 9. ℣. 4. *Venit nox, quando nemo potest operari*, ut & Ecclesiastis 9. v. 5. *Non habent ultra mercedem*, sed & hic aliquis primò occurrit scrupulus, quomodo scil. Drexelius in Memoriali æternitatis Patrem precari potuerit per merita sui Angeli custodis, qui tamen non Viator,

tor, sed in termino constitutus. Secundò, ipsi Pontificii adhuc litigant, an status viæ requiratur ad meritum vitæ æternæ ex natura rei, vel ex sola DEI Voluntate, & quamvis Vasquez, Turnianus & Meratius putent illum requiri ex natura rei, ita ut nec de potentiâ absoluta possit homo extra statum viæ vitam æternam de condigno promereri, tamen Suarez, Tannerus & Oviedo, ad solam DEI ordinationem illum referunt. Tertiò, quomodo stante hâc conditione dici potest cum Vasquezio, Beatos aliquam Gloriam accidentalem sibi, & nobis Bona supernaturalia mereri. Secundò, ut sit amicus DEI, seu in statu Gratiæ, secundùm illud Gen. 4. ℣. 4. respexit DEUS ad personam Abel & Cain; deinde ad munera utriusque. Et Johan. 15. v. 1. & seq. *ut fructum proferat palmes, requiritur ut vivat, ut sit in vite, ut sit vitis in ipso*, quæ non sunt nisi per gratiam justificantem. Disputant tamen hîc, num status sanctitatis requiratur ad meritum tantum ordinariè, an verò etiam de potentia DEI absoluta? Ubi negativam defendunt Cajetanus, Sotus, Gabriel, Marsilius, Suarez, Granadus, Montesinus & Tannerus, affirmativam verò Capreolus, Ferrara, Gregorius Martinez, Vasquez, Turrianus, Oviedo, Amicus, Arriaga. Commodè autem hæc conditio secundum quosdam referri potest ad supernaturalitatem, vel hæc da illam.

XIX.

Denique ex parte DEI requirunt pactum, ut scil. ipse promiserit, se talibus operibus daturum præmium vitam æternam, secundum illud Jacobi 1. ℣. 12. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit diligentibus se.* Lucæ 12. v. 32. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Matth. 20. v. 13. *Nonne ex denario convenisti mecum.* Et quo jure alioqui DEUS, Dominus & Creator omnium, obligaretur ex Justitia suis creaturis quidam concludunt, nisi seipse suâ sponte obligasset. Verum & hîc obstrepent alii, nempe Cajetanus, Conradus, Sotus, Marcus à Serra, Vasquez, Turrianus & Moncæus, qui in condignitate operum ad præmium subsistunt, quibusdam tamen emollientibus hoc crudum assertum, & temperamentum adhibentibus, quod scil. operibus supernaturalibus hominis justi antecedenter & independenter à DEI promissione insit valor condignus vitæ æternæ, quasi in actu primo remoto, tamen ut sint meritoria complete, & in actu primo proximo indigere promissione cum Ægidio, Medina, Zumello, Suarezio, Granado, Coninkio, Ripalda, Mon-

Montesino, & Gregorio Martinezio opinantur. De quo in superioribus.

XX.

Quanquam autem ponant has conditiones, & ex illis velint æstimare Meritum, non tamen illas necessarias existimant omnes & singulas ad ei meritum de congruo, sed vel sufficere solas quinque priores, vel sine quinta, quatuor priores, & sexta, sic e. g. volunt justum orantem instanter pro peccatore mereri, sed solum de congruo, ut illi dentur gratiæ prævenientes necessariæ ad conversionem, cum desit promissio DEI, Jerem. 15. v. 1. sic peccatorem cooperantem gratiæ DEI excitanti ex fide & spe elicitum actum contritionis mereri de congruo gratiam justificantem, quia utut non sit amicus DEI, tamen hoc divinitus promissum esse, Ezech. 18. ℣. 30. *Convertimini ad me, & agite pœnitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Et cap. 33. v. 14. *Si egerit pœnitentiam impius, vitâ vivet & non morietur.*

XXI.

Observant si utem Theologi aliâs, quod ad opus propriè meritorium requiratur, ut sit ampliciter nostrum, quod non absolute de nostris dici potest actionibus. Etenim I. Opus propriè meritorium debet esse simpliciter *nostrum*; id verò nostris operibus, quæ DEI gratiæ sunt adscribenda, non convenit; *Ei enim, qui operatur merces non imputatur ex gratia, sed* datur seu rependitur *ex debitô*, Rom. 4. v. 4. At DEUS nemini debitor est; nam *quis prior dedit illi & reddatur ei?* Rom. 11. v. 35. Et *quid habes quod non acceperis? Quod si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* 1. Cor. 14. v. 7. Adeo nemo est, qui non debeat illud Paulinum usurpare, *Gratiâ DEI sum id quod sum; & gratia ejus, quæ in me collata est, non fuit inanis, sed amplius quam illi omnes laboravi, non ego tamen, sed gratia DEI, quæ mecum est.* 1. Cor. 15. v. 10. Eò magis quod *non idonei sumus per nos ipsos ad cogitandum quicquam velut ex nobis ipsis, sed quod idonei sumus id ex DEO est.* 2. Cor. III. v. 5. Nam *etiam* ô Jehova, *omnes res nostras confecisti nobis.* Esa. 26. v. 12. II. Debet esse *indebitum*; quod item est alienum à nostris operibus; *Quum feceritis omnia quæ edicta sunt vobis*, quod nemo de se dicere audebit, *dicite, servi inutiles sumus, nam quod debuimus facere, fecimus.* III. Debet esse præmio referendo *proportionatum & condignum:*

gnum: quod etiam de nostris operibus ad vitam æternam obtinendam dici non potest. Hinc Jacob de seipso: *Impar sum omnibus tuis beneficiis, totique illi fidei quam præstitisti servo tuo*, Gen. 32. v. 10. & Daniel: *Penes te Domine est justitia ipsa, & penes nos pudor faciei*; item *penes Dominum DEUM nostrum sunt miserationes, quia rebellavimus contra ipsum*, Dan. 9. vers. 7. 9. Hinc *ultimi qui unam horam opus fecerant* in vinea, *æquales* fiunt iis, qui videbantur sibi *portasse pondus diei & æstum*, Matth. 20. v. 12. & momentanea nostra afflictio, citò *præteriens*, nullam habet proportionem ad *pondus æternum gloriæ excellenter excellentis*, quod illam excipiet 2. Cor. 4. v. 17. nec *sunt paria, quæ præsenti tempore perpetimur*, sive ut habet V. V. *non sunt condigna passiones hujus temporis, gloriæ in nobis retegendæ*, Rom. 8. v. 18. Unde glorificatio & salus nostra tam sæpe gratiæ & misericordiæ divinæ tribuitur; nam DEUS est, *qui vindicat à fovea vitam tuam, qui circumtegit te benignitate & miserationibus*, Psal. 103. v. 4. & *beati misericordes quoniam ipsis misericordia tribuetur.* Sed non sanè proportionata merces suis meritis, Matth. 5. v. 7. Estque *donum DEI vita æterna in Christo Iesu Domino nostro*, Rom. 6. v. 23.

XXII.

Illud incommodè censemus dictum ab Antonio Creguto in Biurim th. 6. p. 630. quod ad quæstionem: An saltem sensu Catholico & respectu gratiæ efficacis istud affirmari possit, bona opera esse meritoria duntaxat ratione pacti? Respondeo audacter, sic bona opera esse meritoria vitæ æternæ; nam cum bona opera dicuntur meritoria ratione pacti, quod quidem non est sancitum à gratia quadam generali & prædeterminatione Thomistarum; sed à gratia efficaci, hoc idem est, ac si quis dicat, bona operæ non esse meritoria per se, sed solam gratiam efficacem esse meritoriam, quoniam illud pactum est Evangelicum, quo DEUS promittit fidelibus vitam æternam per Christi meritum, unde illos justificatos statim sanctificat, ut Spiritus sui motione edant bona opera, quæ sint media glorificationis. At contra pactum gratiæ generalis & prædeterminationis Thomistarum nihil est aliud, quam pactum Legale, quod non promittit vitam æternam nisi præstantibus Legem; at nos non sumus sub fœdere Legali, quod teste Apostolo generat filios ad servitutem, sed sub fœdere Evangelico, quod est cum spiritu adoptionis, qui facit clamare: *Abba Pater*, Rom. 8. v. 15.

XXIII.

Consequuntur operationes honestas, pias, & sanctas primò conscientia bona, de qua Salomon: *Secura mens quasi juge convivium*, Proverb. 15. v. 15. Et Johannes: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo*, 1. Epist. cap. 3. Adde illud Pauli: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate & sinceritate DEI, & non in sapientia carnali, sed in gratiâ DEI conversati sumus in hoc mundo*, 2. Corinth. 1. v. 12. Pronum, inquit, parat habitaculum DEO, cujus nec ratio decepta, nec voluntas perversa, nec memoria fuerit inquinata. Bernhardus in sermonibus. Quanquam supponendum, emendationem conscientiæ fieri à sanguine Christi: *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificet ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum DEO, emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum DEO viventi?* Ebr. 9. v. 13. 14. Dicendum cum Paulo etiam illis, qui sunt laudabilis vitæ: *Nihil mihi conscius, at in hoc non sum justificatus*, ex 1. Cor. 4. v. 4. nimisque superbum, vel ideale videtur illud è Stoa profectum: Talis est animus viri sapientis, & nullius mali sibi conscii, qualis mundi status super Lunam. Semper illic serenum est. Sapiens nunquam sine gaudio; gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia, ut Seneca loquitur Epistola 59. Sanè etiam pientissimi, si ad opera sua reflectant, si carnis maculas & sordes illis adhærentes expendant, si imperfectionem & miseriam status considerent, potius humilitatis argumentum ex opere ducunt bono, quam liberius animi spatium, & etiam in Speculo Syrmatis vitiosi ad pedes respicientes omnem fastum deponunt, gloriam demittunt. Secundò, voluptas quædam, dulcedo quædam Spiritus & gaudium singulare, ad monitum Pauli: *Gaudete in Domino semper; iterum dico: Gaudete.* Gaudete, & ut loquitur Bernhardus, quia jam percepistis dona sinistræ; Gaudete, quia jam exspectatis præmia dextræ. *Leva, inquit ejus sub capite meo, & dextera ipsius amplexabitur me. Lux sata est justo & rectis animo lætitia*, inquit Psaltes regius Psal. 97. v. 11. quanquam & hic aliqua occurrat graduum diversitas. Tertiò etiam externa quædam felicitas, quandoque in honore, quandoque in opibus, quandoque in amicis: *Pietas enim utilis est ad omnia, & habet promissionem hujus & futuræ vitæ sive bonorum utriusque*, 1. Tim. 4. v. 8. Et Eliphas ad Jobum cap. 5. *In fame eruet te de morte.*

morte, & in bello de manu gladij. A flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitates, cùm venerit. In vastitate & fame videbis, & bestias terræ non formidabis. Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. Et scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum, & visitans speciem tuam non peccabis. Scies quoque, quo..dieris in abundantiâ sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore niam multiplex erit semen tuum, & progenies tua quasi herba terræ. Ingressuo. ℣. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. Nec malè Gregorius lib. 6. Moral. cap. 15. Sancti viri habent contra famem verbi divini pabulum, contra belli gladium contumeliæ scutum; contra flagellum linguæ protectionum patientiæ; contra exterioris calamitatis damnum interni amoris adjutorium. Et cap. 21. Qui rectè vivit, pacto se cum lapidibus regionum jungit; quia in eo, quod Mundi Desideria superat, vitam suam procul dubio ad sanctorum præcedentium imitationem ligat: quanquam nunquam tanta serenitas in externis, ut non Nubes aliqua intervenerit, nec tanta felicitas piorum, ut non aliqua amaritudine crucis respergatur: nunquam bella piis, nunquam certamina desunt, & cum quo certet mens pia semper habet.

XXIV.

Nondum itaque subscribimus primò Cajetano, qui Paulo tribuit bonam conscientiam, eo quoque tempore, quo persequebatur Ecclesiam, occasione loci Actor. 23. v. 1. ubi Paulus intendens in Concilium dixit: *Viri fratres, ego omni conscientiâ bonâ conversatus sum ante DEUM, usque in hodiernum diem.* Cum possit commode ille locus accipi de toto tempore Apostolatus Pauli, quo erat functus in eum usque diem, tum quia de eo quæstio erat, an bona cum conscientia Judaismum cum Christianismo commutasset, q. d. non temere amplexus sum Christianam religionem, deserto Judaismo, sed bonâ cum conscientiâ, quare ejus rationem reddere paratus sum; unde etiam Ananias statim auditis, his verbis fuit offensus, non verò offensus fuisset, si Paulus dixisset se bona cum conscientiâ se gessisse in Judaismo antequam Christianismum fuisset amplexus, ut non malè observant Remonstrantes in defensione sententiæ circa articulum 5. pag. 27. tum quia vox πολιτεύεσθαι non notat simpliciter conversari, ut privati solent, sed creditum sibi munus administrare atque idem, quod διαπράσσειν μετὰ τῆς πρεσβείας, tum quia Dionysius Carthusianus etiam hoc Effatum ad

tempus conversationem illius insequens restringit. Malè autem Libertus Fromondus non tantum de conversatione Pauli in Judaismo hæc verba accipit, sed etiam cum Zachariæ & Elisabethæ Elogio comparat, de quo, *erant autem justi ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querelâ*, Luc. 1. v. 6. quasi scil. vita Pharisaica & irreprehensibilis piorum ejusdem essent indolis & conditionis. Alia censetur esse ratio loci, *gratias ago DEO, cui servio à progenitoribus meis in conscientiâ purâ*, 2. Timoth. 1. ℣. 3. si ad Græcos attendamus Patres, quanquam inveniantur, qui etiam hoc referant ad tempus præsens, aut illud ex quo factus fuerat Christianus. Ponamus autem posse tribui alicui conscientiam bonam & puram, qui nondum conversus, non tamen erat talis bonitate vel puritate intrinseca & essentiali, sed tantum extrinsecâ & finali, quatenus quocunq; modo intenditur Gloria DEI, non proprium commodum, utut oculus desit mentis, agitur non tam secundum Mensuram Regulæ præscripti, quam scientiæ, quæ nebulis quandoque circumsepta. Secundò Pontificiis & inprimis Lorino, qui gustum & experimentum spiritualis dulcedinis negat gignere certam, sed probabilem tantum notitiam, de spiritualibus ac supernaturalibus bonis; de quorum in se præsentia nemo absque revelatione indubitatam habere fidem prorsus possit. Tertiò Bellarmino, qui eo usque progreditur, ut notam decimam quintam Ecclesiæ ponat, felicitatem temporalem divinitus iis collatam, qui Ecclesiam defenderunt, lib. 4. cap. 18. quam etiam Mahumedani allegare solent, & de prærogativa facere Cardinali palmam dubiam: secundum Septemcastrensem enim Motivum Turcarum est, Victoria eorum contra Christianos, quod aliquos multum movet. Unde victores se nominant, & gloriantur quasi victores totius mundi. Orant etiam pro victoribus specialiter in omnibus congregationibus suis. Superbiunt insuper & Christianos fœminas despiciendo nominant, & se viros eorum. Et ut ad hoc magis magisque incitentur, antecessorum victorias describunt, decantant, laudant, ac præconizant. Hactenus ille.

XXV.

Illud maximè intolerabile in Pontificiis, quod primò gratiæ divinæ & salutis conservationem tribuant operibus, & illud Concilii Tridentini Canone 24. probent: si quis dixerit Justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram DEO per bona opera: sed opera ipsa

fru-

fructus solummodo & signa justificationis, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit. Secundò, quod cum Costero dicere non verentur in Enchiridio, p. 292. Doctrina Catholicorum & Merita nostra, adeo non extenuant, ut augeant etiam Gloriam Christi, & passionis ejus merita illustriora reddant. Tertiò, quod satisfactionem illis adscribunt, & cum Gregorio de Valentia, Tomo 3. Disp. 7. q. 10. nugantur, quod varia opera pia, quæcunque exercent, aut exercuerunt unquam fideles, qui sunt membra Ecclesiæ, præter vim merendi habuerint etiam vim satisfaciendi pro pœna.

XXVII.

Sanctitati vitæ opponitur exercitium omnis impietatis, impuritatis, malæ arboris mali fructus, de quibus Paulus: *Revelatur enim ira DEI de cœlo, super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem DEI in injustitia detinent: quia quod notum est DEI, manifestum est in illis. DEVS enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia cùm cognovissent DEVM: non sicut DEVM glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis DEI, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & serpentium. (Propter quod tradidit illos DEVS in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.) Qui commutaverunt veritatem DEI in mendacium: & coluerunt, & servierunt creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in secula, Amen. Propterea tradidit illos DEVS in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem (quam oportuit) erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt DEVM habere in notitia: tradidit illos DEVS in reprobum sensum: ut faciant ea, quæ non conveniunt: Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, DEO odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedien-*

dientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cum justitiam DEI cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solum, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus, Rom. 1. ℣. 10. usque 32. *Gentes ambulant in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitâ DEI, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam*, Eph. 4. ℣. 19. 20. *Gentes ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus & illicitis idolorum cultibus*, 1. Petr. 4. ℣. 3. Cujus comites sunt, primò mala conscientia, de qua Philo Sap. 4. ℣. 20. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.* Nec male Cicero: sua quemque fraus & suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat amentiaque afficit; suæ malæ cogitationes conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiæ. Adde Juvenalem Satyra sexta. Mœror animi & anxietas mentis, quo respexit Propheta: *Ad legem magis & ad testimonium, quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Et transibit per eam, corruet & esuriet: & cùm esurierit, irascetur, & maledicet Regi suo, & suscipiet sursum. Et ad terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ, dissolutio & angustia, & caligo persequens, & non poterit avolare de angustiâ suâ*, Esa. cap. 8. ℣. 20. 21. 22. Denique tertiò omnis generis calamitates, pœnæ tum temporales, tum æternæ, quarum Catalogum exhibet Moses: *Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, si spreveritis leges meas, & judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis, visitabo vos velociter in egestate & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subjiciemini his, qui oderunt vos. Fugietis nemine persequente. Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, & conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, & terram æneam. Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt*, Levit. 26. ℣. 14. 15. & seq. *Quod si audire nolueris vocem Domini DEI tui,*

ut custodias & facias omnia mandata eius & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Mittet Dominus super te famem & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas, in quibus reliquisti me. Adjunget tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra ad quam ingrederis possidendam Compendium facit Paulus scribens: *Stipendium peccati mors*, Rom. 6. ℣. 23.

XXVI.

Impiè Photiniani primò fingunt probitatem quandam naturalem, atque non attendentes corruptionem hominis, perversitatem irregenitorum, de illa ut Philosophi gentiles philosophantur, cum Volkelio illam describunt per rectæ agendi studium à rectæ rationis judicio profectum, cujus probitatis DEUS in ipsa hominis natura fundamenta jecerit, inserendo rationem, voluntatem & appetitum, inter quæ voluntas media, eaque libera existens jam ad rationem se applicet, & sic caussari probitatem illam, jam appetitui obtemperet, & exinde improbitatem emergere, ut ita sit in hominis potestate positum, vel probitatem colere, vel improbitatem consectari; cum Deus liberum voluntatis arbitrium homini concesserit. Secundò distinguunt inter probitatem naturalem, qua hominis voluntas, quantumvis libera, naturali quâdam inductione magis ad virtutem, quam vitii studium propendeat. Quo pacto & naturalis improbitas sit, quâ hominis voluntas naturali quadam inclinatione ad flagitia suscipienda, quam ad pietatis sanctimoniæque officia præstanda paratior promptiorque sit, etiamsi interea, ut ille in vitium, ita hic in virtutem animum flectere nequeat. Et acquisitam, quâ fiat, ut hominis voluntas, etiamsi forte naturaliter ad flagitia sit propensa, assuetudine tamen quâdam ad virtutis studium traducatur, quemadmodum acquisita improbitas illa sit, in quam hominis voluntas ad virtutis exercititum alioqui, si illius naturam spectes propensior, vel prava institutione, vel sceleratissimorum hominum commercio, ac flagitiorum consuetudine impellatur. Bis inepti, statuendo naturalem probitatem, cum Scriptura testetur: *Omne figmentum cordis humani esse tantum malum*

lum à pueritia, Gen. 6. ℣. 5. arguat omnes defectionis & peccari, Roman. 3. ℣. 12. & 23. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Omnes enim peccaverunt, & carent gloria DEI.* Eph. 2. ℣. 1. 2. 3. Dicat *esse filios iræ natura & mortuos in peccatis.* Præterea in acquisita probitate præclaræ educationi & conversationi tribuendo, quod maximè debetur Gratiæ divinæ, cui adminiculantur tantum illa accidentia, quod enim idonei simus ad aliquid boni, id DEO tribuendum, 2. Corinth. 3. ℣. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.* Tertiò de Religione pugantur Christiana, quod scil. hoc habeat Christi disciplina, ut cum in eum hominem incidit, qui virtute delectatur, avidissimè soleat arripi; quasi verò non inventi fuerint gentiles, qui virtute fuerunt delectati, imò in illa summum hominis Bonum posuerunt, qui toto animo aversati sunt Religionem Christianam, Actor. 17. ℣. 18. *Quidam autem Epicurei & Stoici Philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminator verborum hic dicere? Alii verò, Novorum dæmoniorum videtur annunciator esse, quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis.* quasi Religio Christiana attemperata sit phantasiæ Philosophorum, quasi animalis homo non satis luculenter describeretur à Paulo 1. Cor. 2. v. 14. ubi dicit: ὐ δέχεται, *non accipit, non suscipit ea, quæ sunt Spiritus DEI, stultitia siquidem illi sint, nec potest cognoscere, quod spiritualiter judicatur.*

XXVIII.

Non satis dextre etiam primò quidam ex Remonstrantibus statuunt notitiam DEI non ita infixam esse, ut penitus non evellatur, & proinde etiam in ipsam conscientiam arietant. Secundò ex Pontificiis illum mœrorem, tristitiam, & quas sibi ipsis fabricant cruces insulsi Monachi probant, de quo videndus B. Lutherus in Matthæum ad cap. 9. ℣. 15. Tertiò profani Ministri, qui impiis suavia prædicant, placentia dicunt, & sese assimilant illis, de quibus Ezech. 13. ℣. 18. 19. *Væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito minus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas, & cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo, credenti mendaciis.*

CAPVT

CAPUT III.

De SUBJECTO.

THESIS I.

SUbjectum sive Objectum personale Theologiæ Moralis non est homo convertendus, sed conversus: neque enim dirigi potest in moribus Christianis quisquam, nisi sit Christianus, nec præscribitur Typus agendorum, ni prius credenda mentem imbuerint. Immotum enim est Christi effatum Matth. 7. v. 18. *Non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor putris fructus bonos facere.* Illud Johan. 15. v. 5. *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & Ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere*: Adde illud Pauli de morte spirituali, Eph. 2. ℣. 1. *Et vos cùm essetis mortui delictis, & peccatis vestris*, &c.

II.

In limine hic impingunt primò Photiniani, dum dicunt: tam bonam arborem posse dici hominem non renatum, qui virtutis est studiosus, quam renatum, qui amore DEI virtuti dat operam, licet alius alio magis propriè, ut oves Christi, & populus Christi, tam ii appellantur, qui extra Christum sunt animi probitate præditi, quam qui in Christum credunt, licet hi magis propriè, ut loquitur Smalcius: Cum tamen Christus bonam & malam arborem opponat, per bonam illam intelligat, quam describit David Psalm. 1. ℣. 3. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Jeremias cap. 17. ℣. 8. *Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus. Et erit folium ejus viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* Eo ipso quo arbori comparatur ovis Christi, non intelligatur per illam nisi regenitus, quemadmodum nec per ovem Christi alius intelligitur, quam qui describitur Joh. 10. ℣. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* Dum volunt cum Johanne Ludovico Wolzogenio illud, χωρὶς ἐμοῦ, sine me, significare extra me, à me separati, mecum non

conjuncti, sicut palmes cum vite. Et sensum esse fingunt, quod qui prorsus extra Christum sunt, id est, qui de Christo nihil sciunt, vel in eum non credunt, nihil boni possint facere. Cum tamen posito, quod phrasis χωρὶς ἐμοῦ sit accipienda de negatione inexistentiæ, omnis non regenitus, etiam sit separatus à Christo, nec palmes illius dicendus, imo Wolzogenius paulo post asserat, etiam multos ex Ethnicis, qui à verâ notitiâ non solum Christi, sed & DEI alieni fuerunt præclaris virtutibus ornatos fuisse notum esse, ideoque non carituros omni prorsus remuneratione, ut Paulus doceat Roman. 2. ℣. 15. *Ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium.* Dum denique de peccatis actualibus quorundam locum, Eph. 2. exponunt. Cum tamen Apostolus loquatur de carentia omnium virium spiritualium, quæ non nisi vivificatione è supernis conferuntur.

III.

Impingunt præterea Arminiani, qui primò putant verba Christi Matth. 7. non ita pressè accipienda esse, quia DEUS etiam hominibus malis, qui progenies viperarum appellantur, adeoque iis ipsis, quos hic arborem malam tacite vocat, mandet, ut fructus bonos proferant dignos pœnitentia: quasi vero illos ferre possint, absque viribus divinitus collatis, nisi DEUS operetur velle & perficere, totumque hominem immutet. Secundò, qui cum Episcopio censent sine Christo & Gratia illius verbo revelata nihil nos posse: quasi vero possimus aliquid posita revelatione, & nondum concessa vita & viribus ex alto intrinsece. Denique, qui elevant mortis profundam vim à Paulo indicatam, quia figurata sit locutio, irregeniti non sunt ejusdem conditionis omnes, sed quidam omnis vocationis expertes, quidam jam gratia vocati & excitati. Mors denique in Scriptura non semper plenam secessionem & abolitionem vitæ notet. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? ℣. 6. hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non serviamus peccato*, Rom. 6. ℣. 2. & 6. & aliis etiam nominibus describatur hominis conversio, quam suscitatione ex mortuis, nempe excitatione è somno & sanatione, Eph. 5. ℣. 14. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus.*

1. Petr. 2.

1. Petr. 2. ℣. 24. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui justitia vivamus.* Quasi verò figurata locutio evoluta nequeat argumentum suppeditare in Theologia, analogia observata, vi mortis & vitæ docere miseriam status peccati & restitutionis? quasi verò si irregeniti variant secundum magis & minus, essentialiter quoad defectum vitæ spiritualis non sint æquales? quasi verò denique excitatio è somno non quandoque sit excitatio è morte, cum constet mortem in Scriptura somnum vocari, vel compellatio dirigatur ad irregenitos, Eph. 5. & non potius ad languidos in fide, vel sanatio non dicat etiam expulsionem mortis cum ægritudine, si de consummata sit sermo, quam consequimur ex vibicibus Christi in æternâ vitâ.

IV.

Impingunt denique Pontificii, qui colligunt, si ex malæ arboris conditione sequatur hominem non esse liberum ad operandum benè, ante conversionem, secuturum, quia post illam sit arbor bona, non posse malè operari, vel liberum esse ad peccandum. Præterea dictum hoc accipiendum de eo, quod fit ut plurimum, non verò semper, cum interdum fiat, ut & mala aliquos bonos, & bona aliquot malos ferat. Nec tandem per fructus intelligi qualiacunque opera, sed tantum meritoria vitæ æternæ. Nam renati nec perfectè boni sunt, nec Christus locutus fuit de illo, quod contingit, sed quod in necessitate nexus inter causam & causatum est fundatum; nec denique loquitur, de fructibus sub habitudine meriti ad vitam æternam, sed de fructibus simpliciter talibus ratione qualitatum, quas ex arbore ducunt, intrinsecarum. Secundò, qui concludunt, Christum tantum urgere necessitatem Gratiæ Christi, ut opus sit meritorium vitæ æternæ, Joh. 15. nam gratia ad merendum non dispensatur, nec ita homo nihil posset extra Christum, sed aliquid, cum tamen Augustinus observarit, Tract. 81. in Johan. non dixisse sine me parum potestis, sed nihil potestis; & ipse Toletus agnoverit palmitem non manere in vite, ut facilius fructum proferat, sed ut simpliciter fructum edat, utique nullum facturum à vite separatum. Adde Canonem Concilii Arausicani septimum. Tertiò, qui in mortuo spiritualiter tali defectum quidem admittunt gratiæ justificantis, sed non auxilium gratiæ actualis, quæ sit vis quædam vitalis, nec desit peccatori, cujus beneficio se disponere possit ad vitam spiritualem, prout Ezechiel dicat

cap. 18. ℣. 27. *Avertentem impium ab impietate suâ, vivificaturum esse animam suam.* Nam defectus gratiæ justificantis indicat hominem adhuc spiritualiter mortuum, nec præsentia auxilii, ut illi loquuntur, gratiæ actualis hominem vivum reddit, sed tantum præparat sensim ad vitam, nec homo dicitur vivificare animam suam activè in suam vivificationem influendo, cum hoc impossibile sit mortuo, & si verba ita presse sumantur, excludi possit gratia, & vivificatio in solidum homini vendicari, quod ipsi Pontificii non admittunt, sed vivificanti DEO non obnitendo, quemadmodum obstetrices in Ægypto dicuntur vivificasse pueros non vitam inhalando, quæ à solo DEO, sed passivè & permissivè sese supposito Decreto Pharaonis de necando, Exodi 1. ℣. 17. *Timuerunt autem obstetrices DEUM, & non fecerunt juxtà præceptum Regis Ægypti, sed conservabant mares.*

V.

Occurrunt autem etiam in regenito & converso duo spectanda principia, quorum unum dicitur caro, alterum Spiritus, ex quibus Lucta, difficultas, operum imperfectio. Caro autem hoc loco notat hominem veteris Adami moribus imbutum, vel corruptionem & vetustatem illam, quam habemus ex primo parente, & quandoque usurpatur pro pravis cupiditatibus naturæ corruptæ, ut Gal. 5. ℣. 17. ubi *caro*, dicitur, *concupiscere adversus spiritum*, vel pro homine non renato, qui dicitur *caro ex carne natus*, Joh. 3. ℣. 6. vel pro reliquiis vitiositatis naturalis Spiritui repugnantibus, ut Rom. 7. ℣. 14. 19. ubi Paulus: *Novi quod non habitet in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenoi*; ut quidam significationes hujus vocabuli evolvunt & distinguunt. Per Spiritum autem intelligimus hominem novi Adami viribus instructum, vel primitias Spiritus, quas habent regeniti, de quibus Rom. 8. v. 23. *Nos ipsi primitias Spiritûs habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum DEI, expectantes redemptionem corporis nostri.* Adeoque sicut caro corruptam hominis naturam, cœcitatem mentis in rebus agendis, obliquitatem voluntatis, pravitatem appetitus, & sensitivi motus, ita Spiritûs, inhabitantis Spiritus motus notat mentem illuminando, voluntatem dirigendo, affectus impellendo afficientes: atque hæc duo in unoquoque regenito & converso inveniri patet imprimis ex Rom. 7. v. 14. & seq. ubi Paulus ita: *Scimus, quòd Lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub pecca-*

peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim, quod volo, hoc ago: sed quod odi, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi DEI secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia DEI per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio Legi DEI: carne autem legi peccati. Cui addimus locum ex Epistola ad Gal. 5. v. 17. ubi dicit: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non, quæcunque vultis, illa faciatis.*

VI.

Male autem Photiniani primò cum Prospero Dysidæo, qui Socinus sub hac larvâ, Volkelio & Schlichtingio existimant, Paulum induisse personam hominis irregeniti & profani, atque hæc non de se ipso dixisse, idque, ut Schlichtingius argutatur, ideo, quia qui Corinthios objurget, quod adhuc carnales, 2. Cor. 3. v. 1. Christi discipulos omnes neget esse in carne, & dicat: *Nihil ergò nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo IESU: qui non secundùm carnem ambulant. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen Spiritus DEI habitat vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, non est ejus. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba. (Pater.)* Rom. 8. v. 1. 9. 10. & sub servitute peccati: *Rogo autem, ne præsens audeam per eam confidentiam, quâ existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos, tanquam secundum carnem ambulemus*, 2. Corinth. 10. v. 2. ille tanquam renatus & Apostolus Christi in sua persona non possit dicere: *Carnalis sum, venditus sub peccato*: quasi non etiam regeniti possint dici venundati sub peccatum, ita & patiantur inviti vincula, quæ adhuc constringunt,

gunt, peccatum illud circumstans, quod fatigat, de quo Ebræor. 12. v. 1. *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum.* Nec frustra Paulus dixit se πεπραμένον venditum esse, ut distingueret se ab irregenito, qui dicuntur vendere seipsos, quemadmodum de Achabo dicitur התמכרך *temetipsum vendidisti ad faciendum malum in conspectu Domini. Israël & Iuda tradiderunt se, ut facerent malum coram Domino, ut irritarent eum.* 1. Reg. 21. v. 20. ait Achab ad Eliam: *Num invenisti me inimicum tibi? qui dixit: Inveni, eò, quod venundatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini. Igitur non fuit alter talis, sicut Achab, qui venundatus est, ut faceret malum in conspectu* DEI. 2. Reg. 17. v. 17. & 1. Reg. 21. v. 20. 25. Nec denique absurdum etiam regenitos dicere carnales, utut non ex toto, tamen ex parte, utut non simpliciter, tamen secundum quid, ut colligitur ex 2. Corinth. 10. v. 3. *In carne autem ambulantes, non secundùm carnem militamus.* Malè secundò Remonstrantes de homine non sub gratia existente loqui Paulum censent, sed ut primipilus illorum Jacobus Arminius loquitur, Paulum putant personam in se transtulisse hominis sub lege constituti, quod per Disputationem obtinere vult Veteraquinas ille, vellicans argumentum validissimum, quod talis hîc loquatur homo, qui delectatur Lege DEI, secundum interiorem hominem, qualis esse non possit, nisi regenitus & sub gratiâ constitutus, reponendo interiorem hominem, neque ex Etymo vocis, neque ex usu Scripturæ idem esse, quod novum & regenitum hominem, eumque non esse regenitorum proprium, sed & non regenitis convenire, nec delectari lege DEI esse proprium regenitorum, & sub gratia constitutorum, sed convenire homini sub lege constituto, quæ verè sunt petitiones principii. Non malè hic Coccejus: Socinus, Arminius, alii, interiorem hominem volunt intellectum esse. Sed respondetur non quia versu 23. v. 25. mentis mentionem facit, ideò solum Intellectum intelligat, voluntatis est *velle* & *delectari.* Est *interior* HOMO. Quod nomen utramq; hominis partem, & omnes facultates comprehendit. Sed ideò novus homo vocatur, quia regimen & ducatus est intra hominem. Sic & *vetustus homo* dicitur *exterior*, non quòd consistat in solis *membris*, sed quòd in membris sit ducatus. Membra per se & propriè non concupiscunt, sed anima. At membra scandalizant animam Spiritu gubernatore destitutam. Duplicis hominis distinctio non est nisi ex regeneratione. Vide 2. Cor. 4. v. 16. 1. Petr. 3. v. 4. *Occultus homo cordis,*

Eph. 3.

Eph. 3. v. 16. *det potentiam confirmari quoad interiorem hominem.* Paulus hic non loquitur cum Philosophis, sed voces à Spiritu Sancto doctas. Est in irregenitis oppositio conscientiæ & voluntatis, sed non carnis & Spiritus, quorum illa concupiscit, hic facit velle cum DEO & Lege; non oppositio duorum hominum veteris & novi. Tertiò, Pontificii quidam, qui cum Toleto premunt vestigia Photinianorum & Arminianorum, aut cum Benedicto Pererio verba illa, quod operor, non intelligo, putant posse referri, & ad hominem peccatorem concupiscentiæ suæ obedientem atque servientem, & item ad hominem justum pugnantem cum sua concupiscentia, nec ei assentientem atque obsequentem pag. mihi 671. scil. secundum illorum Hermeneuticam, qui ex Scriptura faciunt Cothurnum, & tractant eam, ut Nasum cereum. Ingenuè hîc Augustinus lib. 6. contra Julian. cap. 11. Melioribus, *inquit*, & intelligentioribus cessi vel potius ipsi, quod fatendum est, veritati, ut viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse Sanctorum contra carnales concupiscentias dimicantium. Qui cum mente sint spirituales, adhuc tamen isto corruptibili corpore, quod aggravat animam, rectè intelliguntur esse carnales, qui erunt & corpore spirituales, quando seminatum fuerit corpus animale, & resurget corpus spirituale, & rectè adhuc intelliguntur ea parte captivi sub lege peccati, quæ desideriorum, quibus non consentiunt, motibus subjacet. Hinc factum est, ut sic ista intelligerem, prout intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ sancti votique Doctores, qui & ipsum Apostolum adversus carnales concupiscentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, strenuè confligisse, eundemque conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt.

VII.

. Malè etiam quidam apud Chrysostomum in loco ad Gal. 5. per carnem intelligunt corpus, per spiritum Animam, cum hæc duo se non habeant contrariè, sed relativè, ut materia & forma, conspirent, non dissideant. Secundò illi, qui carnem referunt ad historiam & carneum Scripturæ intellectum, qui Allegoriæ & spirituali doctrinæ repugnet, spiritum autem ad sublimiorem sensum, cum Paulus non loquatur de pugna extra nos in Scriptura, quæ quanta quanta est, nullum dissidium admittit, sed de certamine intra nos, de concupiscentia veteris & novi hominis, adeoque merito inter retrimenta Hieronymi & Origenis refertur.

ευρηχεὲκθεις. Tertiò, qui cum Dionysio Rikelio, & Adamo Sasbout per carnem intelligunt sensualitatem, per spiritum verò rationem, adeoque de collisione inferiorum & superiorum facultatum, appetitus & mentis hunc locum accipiunt; cum sermo sit Apostolo non promiscuè vel universaliter de quibuscunque hominibus, sed definitè de conversis & fidelibus, quos paulò ante animavit, ut ambulent Spiritu.

VIII.

Malè denique Hugo Grotius Socini & Arminii vestigiis insistens locum Rom. 7. pervertit, primò putans, Paulum loqui ℣. 14. de majori parte Judæorum affectibus abrepta, qui ex carne oriantur, cum Paulus loquatur de se & renatis. Secundò illustrare volens ℣. 15. exemplo Medeæ, de pugna rationis & appetitus sensitivi conquerentis; cum hic sit sermo Apostolo de lucta carnis & spiritus. Denique tertiò sibi persuadens à ℣. 17. per ἁμαρτίαν inhabitantem intelligi consuetudinem inolitam peccandi, ℣. 18. phrasin ἐν ἐμοὶ exponit de carne & affectibus ex carne orientibus, in quibus vix quicquam fuerit boni, quanquam in mente fuerit aliqua boni cognitio. Verba ℣. 19. tribuit Judæo & reliquos conspurcat. Contra quem Coccejus ita pag. 383. In ℣. 25. valdè se torquent, qui putant, Paulum loqui in persona hominis irregeniti. Instar omnium sit Grotius. Is primò extenuat illud *servio mente legi*, per *legem bonam fateri cogor*. Imò, si non illud *mente servio* satis emphaticum est, conferantur cætera, *addico esse bonam*, quia *volo* hoc, quod lex vult, & *ei condelector*, ita ut sit *lex mentis*. Secundò, αὐτὸς ἐγὼ, quod valet, *ipse ego*, vel *idem ego*, negat ita explicandum. *Non*, inquit, *ipse ego*, *sed ille ego*, *id est*, *is homo*, *quem sub primæ personæ nomine descripsi*. Ergò αὐτὸς ἐγὼ, *ipse ego* non est *ipse ego*, sed ἐκεῖνος ἐγὼ, *ille ego*, *quæ est* violenta mutatio verborum, & inepta explicatio. Quis enim dicit *ille ego* pro ὁ δεῖνα? Patior, Apostolum se nominare in exemplum, sed hominis regeniti, quia illa, quæ dicuntur, non sunt nisi regeniti. Tertiò, Colon primum ponit in parenthesi, ut scil. in eo colo ipse de se videatur loqui, quod sine ratione & signo ullo fit. Neque est commoda locutio, si non idem & antecedentia & sequentia dicit. Provoco ad aures eruditas. Quartò, initium cap. 8. continuat cum fine cap. 6. quasi non ex proximè præcedentibus, & toto cap. 7. sequatur, quod Apostolus dicit: *Nullam esse condemnationem ei, qui est in Christo Iesu.*

IX. Sub-

IX.

Subjectum quod Theologiæ moralis, cum sit homo regenitus & conversus, tum ratione animæ, tum ratione corporis: *DEUS enim pagis sanctificat nos*, ὁλοτελῶς *ut integer noster spiritus & anima & corpus servetur*, 1. Thess. 5. v. 23. *Purgantque tales se ab omni inquinamento carnis & spiritûs*, 2. Corinth. 7. v. 1. ideoque dicitur *nova creatura*, 2. Corinth. 5. v. 17. *homo novus*, Eph. 4. v. 24. *opus DEI creatum in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit DEUS, ut in illis ambulemus*, Eph. 2. v. 10. Quemadmodum ex vetustatis reliquiis dicitur adhuc carnalis. *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*, Rom. 7. v. 14. *Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*, 1. Cor. 3. v. 1. Subjectum autem quò, sunt facultates hominis regeniti, nempe Intellectus, quo quidem Paulus respicit Eph. 4. v. 23. dicens: *Renovamini spiritu mentis vestræ*. Et in Epistola ad Colossenses 3. v. 10. ubi hæc leguntur: *Induite novum illum hominem, qui renovatur in agnitionem, ad imaginem ejus, qui eum condidit*. Voluntas, quam indicat Paulus, scribens, *se non facere bonum, quod vult; sed facere malum, quod non velit, & invenire sibi volenti facere bonum hanc Legem, quod sibi malum adjaceat*, Rom. 7. v. 19. & 21. Denique Appetitus sensitivus tum concupiscibilis, tum irascibilis, quorsum nos ducit Paulus, qui Eph. 4. v. 22. dicit: *Deponite veterem hominem, qui corrumpitur cum affectibus suis deceptoribus*, κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης. Et omne illud, quod reliquum est ex veteri homine inconverso veri peccati rationem habet, sive sit in intellectu, sive in voluntate, sive in affectibus: quicquid enim est Legi divinæ adversum, illud ipsum verè & formaliter est peccatum, docente Johanne 1. Epistola cap. 3. v. 4. *Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas*. Omne autem, quod veteris est hominis, est Legi divinæ adversum, ut Paulus etiam dicat: *Lex est spiritualis, ego autem carnalis*, adeoque oppositionem insinuat diametralem inter legem & carnem. Ergò. Et ad hoc subjectum quo, referimus corpus, membra & locomotivam, de quibus Paulus: *Ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos DEO, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ DEO*, Rom. 6. vers. 13. 19.

X.

Improbamus itaque meritò primò Patres Concilii Tridentini, qui Sessione quintâ definiverunt: Concupiscentiam illam, quâm aliquando Apostolus peccatum vocat, sanctam Synodum declarare, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato sit, & ad peccatum inclinet. Si quis autem contrarium senserit, illum anathema esse. Secundò illos ex Doctoribus Pontificiis, qui concupiscentiam non per omnes facultates diffusam admittere volunt, sed illam concupiscentiam carnis dici volunt, quia in appetitu tantùm sensitivo locum habeat. Denique illos, qui volunt concupiscentiam repugnare legi mentis non formaliter, sed tantum naturaliter, suggerendo & objiciendo materiam, quæ si voluntas à consensu non abstineat, in formale peccatum abeat.

XI.

Differt autem lucta carnis & Spiritûs longè à pugna affectuum & rationis. Nam primò differunt caussis: illa enim est à gratia divinitus dispensata, & viribus novis contributis, quarum beneficio etiam exiguus David Goliathi tentationi objicitur: at pugna illa rationis & appetitus est ex lege naturali insita horrore & metu pœnæ, vel qualicunque civili dispositione, quæ appetitui frænum injiciunt, & non patiuntur illum in crassiora & extantia scelera prolabi. Secundò objectis, habet enim spiritus, qui carni obviat spiritualia, quæ proponit, quorum notitiam, amplexum & praxin urget, caro vero in oppositum nititur, *nec capit illa, quæ sunt spiritus, sed sunt illi stultitia*, 1. Corinth. 2. v. 14. In pugna autem rationis & appetitus collisio tantum fit boni alicujus vel mali superioris & menti proportionati, & inferioris sive sensitivi. Tertiò effectu. Lucta enim Spiritus victoriam repugnat, ut regeniti *non ambulent secundum carnem, sed secundum spiritum*, Rom. 8. v. 1. ipsam rationem quoque triumphent, secundùm illud Pauli: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia DEO ad destructionem munitionum, consilia destruentes. Et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam DEI, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, 2. Corinth. 10, 45. & anhelent ad illam quietem, quæ in morte obtinetur, ad illa bona, quæ post hanc vitam vincentibus provisa: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis: vincenti dabo Manna absconditum, & dabo illi calculum candidum,*

Actum, & in calculo nomen scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit, Apoc. 2. v. 10. 17. *Qui vicerit, faciam illum columnam in domo DEI mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen DEI & nomen civitatis DEI mei novæ Ierusalem, quæ descendit de cœlo à DEO meo, & nomen novum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Apoc. 3. v. 11. & 22. *Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi DEVS, & ille erit mihi filius*, Apoc. 21. v. 7. At pugna rationis & affectuum plerunque deficit in tristem eventum, secundum illud Medeæ: Video meliora proboque, deteriora sequor, nec aliquid obtinet, quam quandoque repressionem affectuum, ubi tamen uno domito, alter exsurgit, & hominem irregenitum contaminat, observante Augustino, & ex illo Cornelio Jansenio, Yprensi Episcopo.

XII.

Non possumus hic probare primò sententiam illorum, qui censent voluntatem dependere ita ab intellectu practico, ut in alteram partem per ultimum judicium necessariò determinetur, ut volunt cum Bellarmino ex Pontificiis quamplurimi, ex Calvinianis autem Johannes Camero, Maccovius & alii, quorum ille in Collatione cum Tileno eo usque progressus est, ut statuerit pravitatem & malitiam voluntatis nostræ, nisi per illuminationem errari non posse, voluntatem non flecti, nisi à mente illuminata efficaci veri & summi Boni cognitione, & DEUM non regenerare aliter voluntatem nostram corruptam, quam per mentis illuminationem. Respondens etiam Tileno urgenti, quod voluntas stante hâc sententia destruatur, cum ita moveatur, ut Brutorum appetitus, vel ut lapides, qui feruntur deorsum impetu naturali, Instantiâ petitâ à voluntate beatorum & Christi: quem ipsi Socii castigant, docendo illum statuere contra Art. 11. cap. 3. Synodi Dordracenæ, qui ita conceptus: Cæterum, quando DEUS hoc suum beneplacitum in Electis exsequitur, seu veram in iis conversionem operatur, non tantum Evangelium ipsis externè prædicari curat, & non illuminat tantum potenter mentem ipsorum per Spiritum Sanctum, ut rectè intelligant & dijudicent, quæ sunt Spiritus DEI, sed ejusdem etiam Spiritus renovantis efficaciæ ad intima hominis penetrat, cor clausum aperit, durum emollit, præputiatum circumcidit, voluntati novas qualitates infundit, facitque eam ex mortua vivam, ex mala bonam. Contra, secundò, Analogiam fidei; Quid enim, inquit Spanhemius, opus nos petere à DEO, ut cor lapi-

deum tollat, & det carneum, ut voluntatem renovet? Satis enim foret, nos petere potentissimam vel plenam illuminationem intellectus, quippe quam non posset consequi renovatio voluntatis. Sic etiam tota & corruptio primi hominis & sanctificationis ejusdem ratio consistet in intellectu, & in lumine illi vel negato vel indulto. Adde, sic videri actionem intellectus aliquo modo statui transeuntem & terminum actus mentis τὸ velle; quod crudum in scholis Philosophicis, quæ immanentes tantùm actus menti assignant. Nec intellectio, potentissima etiam, magis effectivè vel necessariò causat actum voluntatis, quàm sensatio actum appetitus sensitivi. Et quum DEUS immediatione non tantùm virtutis, sed & suppositi omnia alia moveat, cur non & voluntatem, nec tantum qua Ens est, sed etiam reduplicativè quâ voluntas est. Et durum omninò statuere, sive habitum, sive actum intellectualem generare habitum moralem in voluntate. Et quamvis voluntas sit ὄρεξις μετὰ λόγου, tamen secundùm ipsum Aristotelem, ἡ ὄρεξις quandoque, non tantùm κινεῖ movet, sed etiam νικᾷ vincit καὶ τὴν βούλησιν, ut docet Philosophus lib. 3. de Anima. Addit Synodus Articulo 12. modum hujus operationis fideles in hac vita plenè comprehendere non posse. Si tamen hanc sequamur sententiam, nihil in modo istius operationis vel obscuri est, vel alieni ab ordinaria & communi potentiarum operatione. Interim modum istum cum Scriptura Sacra potius exprimendum censemus, quam cum Peripato, per connexionem potentiarum intellectûs & voluntatis, & istius per illam determinationem. Contra, tertiò, experientiam & rationem. Ita enim Molin. tract. de lib. Arb. Celebris est in Scholis & usu pene contrita sententia. Voluntatem semper determinari, & regi ab ultimo judicio intellectus practici. Quæ tamen sententia longè abest à vero. Nam etsi hoc verum est, quotiescunque intellectus munere suo fungitur, & habet obsequentes appetitus & voluntatem, sæpè tamen accidit, ut intellectus determinetur à voluntate. Multi credunt id, quod volunt credere, & quod cupiditas suadet esse credendum, quales sunt, qui religionem lucro metiuntur, quorum mens inservit ventri, & quorum intellectui avaritia aut metus aut sitis honorum interdixit ulteriorem inquisitionem veri, & vetuit aliud sapere aut sentire, quam quod domesticis rationibus est accommodatum. Hi habent fidem imperatam, & factam ad alterius voluntatem, cui subjecerant suam. In his voluntas quidem non movetur

vetur sine aliquo judicio intellectus practici, sed hoc judicium imperatum est à voluntate, & voluntas prius determinat intellectum, quam intellectus suadeat voluntati. Aliud est habere rationem ducem, aliud comitem aut pedissequam. Semperque voluntas est cum intellectu aliquo aut ratione, sed non semper movetur ex ratione. Secundò, sententiam illorum; qui cum Arminianis statuunt: Obedientiæ habitum non potuisse voluntati indi, sed tantum libertatem, quam posset homo vel bonam vel malam facere. Tertiò illorum, qui cum Calvinianis existimant, electum non posse ita succumbere, ut spiritus penitus excutiatur: unde Guilielmus Perkinsus in Operibus Theol. pag. mihi 1094. ad quæstionem: Utrum caro prædominans non extinguant spiritum, & ita hominem à Christo abscindat, usque quò ex integro inseratur, dicit: Solutio in promptu est, sunt duæ Christianorum species: una, quæ externa forma & nomine tantùm tenus Christum profitetur: hujusmodi professor non veriore ratione membrum Christi mystici corporis existit, quàm ligneus pes adjunctus corpori est membrum corporis. Secunda species est illa, quæ in nomine & facto est viva pars & membrum Christi. Si primus Professor excidat, non potest dici quòd amputatur: utpote qui nunquam insitus & plantatus fuit. Sin verò secundus professor cadat, potest fieri ut abscindatur à Christo, & etiam revera abscinditur, sed in aliqua parte tantùm, nimirum respectu (ejus) internæ societatis & communionis cum Christo: non autem quoad vinculum conjunctionis. Humanum brachium apoplexiâ correptum, appendet & adhæret corpori, sed nullum calorem, vitam aut sensum à reliquis membris accipit, aut à capite attrahit, nihilominus unitum & adjunctum corpori permanet, ut emplastris & medicamentis reparari, & ad priorem sensum & vigorem reduci queat. Sic gravissimâ acceptâ calamitate aut prolapsione filius DEI nullam internam pacem & consolationem agnoscit, sed in sua conscientia, propter ejus offensam horrore spiritualis paralyseôs percellitur: & nihilominus respectu conjunctionis cum Christo, in conspectu DEI membrum Christi perseverat, & ad suam pristinam conditionem, post seriam & sinceram resipiscentiam restituetur. DEUS autem has clades ob causas maximi momenti permittit: primò, ut homines spectata sua vili & depravata natura erubescant, & pudore confundantur, & ut præ superbia insolescere & inflari desistant, utcunque gratia DEI ornentur. Paulus testatur,

quod *postquam raptus fuerat in tertium usque cœlum, Angelus Satanæ immissus est, ut colaphis cæderet eum:* & (ut loqui consuevimus) *verberibus contunderet, ne supra modum efferretur*, 2. Cor. 12. v. 7. Secundò, ut nos ipsos abnegare, & ab intimo corde Domino adhærere discamus. Paulus pronuntiat, quòd ipse (gravissimè ægrotans) apud se decretum mortis habuit, *ne confideret in seipso, sed in DEO, qui mortuos suscitet*, 2. Corinth. 1. v. 9.

XIII.

Non tantum autem homo regenitus & conversus se habet, ut subjectum à Morali Theologia informandum & dirigendum, sed etiam aliquatenus activè, adeoque ut principium sub Spiritus Sancti moderamine, impulsu & operatione ad opera bona, quæ edit intellectu, voluntate & appetitu reformatis in verum & bonum inclinantibus: factus est enim homo per conversionem *Arbor bona*, quæ proinde etiam *fert fructus bonos* Matth. 7. v. 17. *est palmes in Christo*, & propterea *fert multum fructum*, Johan. 15. v. 5 *est arbor ad aquas plantata, quæ non foliis, sed fructibus illustribus sese commendat*, Psal. 1. v. 3. Jerem. 17. v. 8. unde etiam B. noster Chemnitius rectè in loco de viribus humanis seu lib. arb. cap. 7. Numeratur voluntas humana inter causas bonæ actionis primò, quia potest resistere Spiritui Sancto: *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui S. resistitis*, Actor. 7. v. 51. & *destruere opus DEI*, Rom. 14. v. 20. Secundò annumeratur voluntas humana. Nam filii DEI aguntur Spiritu Sancto, non ut ignorantes aut inviti credant, aut benè operentur; sicut Bileam benedicit: *Quomodo maledicam, cui non maledixit DEVS? Quâ ratione detester, quem Dominus non detestatur?* Num. 23. v. 8 & asinus ejus loquitur: *Aperuitque Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me ecce jam tertiò?* Num. 22. v. 28. Caiphas prophetavit: *Hoc autem à semetipso non dixit: Sed quod esset Pontifex anni illius, prophetavit*, Joh. 12. v. 51. sed gratia facit ex nolentibus volentes, quia operatur velle: *Condelector enim Legi DEI secundum interiorem hominem*, Rom. 7. v. 22.

XIV.

Illud autem est, quod reprehenderunt Theologi orthodoxi primò in Victorino Strigelio, quod voluntati hominis nondum conversi aliquam causalitatem adscripserit, & scripserit: Necesse esse, retineri discrimen inter liberum agens, & naturaliter agens, quo sublato tollatur

discri-

discrimen inter DEUM & plurimas creaturas, quæ agunt materialiter, &c. vid. Disp. Vinar. f. 1. p. 22. item f. 2. p. 29. depravationem L. A. agnosco, profiteor & deploro. Sed prorsus ablatum ab homine L. A. non assequor vel intelligo, &c. ut & alibi p. 102. ubi urget velle suum quoad substantiam actus. Spiritum Sanctum non esse in homine efficacem tanquam in Trunco nihil agente, sed ita hominem trahere, vi convertere, ut velit in eo esse aliquam voluntatis actionem, quæ suam efficacem comitetur. Secundò in aliis quibusdam, quod Gratia divina præventum, nondum autem conversum censuerunt, non quidem ex facultate propria, sed viribus tamen desuper acceptis aliquid cooperari ad conversionem, ita ut voluntas nostra συνεργὸς sit, seu divinæ Gratiæ cooperetur, non tantum cum homo jam conversus, renatus & justificatus in fide & charitate crescit, & opera pietatis per gratiam justificantem & inhabitantem facit, sed etiam cum per auxilia Gratiæ prævenientis, præparantis & adjuvantis ad DEUM convertitur, & primum justificatur, sicut enim homo renatus & justificatus cooperari Gratiæ Spiritus S. jam inhabitantis dicitur, dum Dono seu Talento gratiæ justificantis & sanctificantis semel accepto, sedulo negotiatur: ita putant eundem etiam auxiliis gratiæ Spiritus S. adhuc corda nostra nondum inhabitantis, sed ut intret atque inhabitet pulsantis, cooperari, dum auxiliis illis præventus, adjutus & præparatus ad DEUM convertatur, ut justificatus & renatus Templum DEI & Spiritus ejus fiat. Tertiò in Pontificiis, quod statuerint, hominem per gratiam prævenientem excitatum, & à DEO adjutum ita valere operari, scil. ex viribus Arbitrii, ut possit etiam non operari, quemadmodum Bellarminus loquitur lib. 6. de Grat. & lib. Arbit. cap. 9.

XV.

Consistit autem sanctificatio, quâ credentes à dominio peccati liberati renovantur in sanctitate & justitia, paulatim intrinsecus in mortificatione & vivificatione, quorum prior est veteris hominis, posterior novi, quæ à quibusdam forma sanctificationis dicitur, quibusdam circumcisio non manufacta, crucifixio carnis, amotio cordis lapidei, renovatio spiritus. Mortificatio est, quâ peccati vis paulatim debilitatur & necatur, de qua Paulus Gal. 5. v. 24. scribens: *Qui sunt Christi, carnem crucifigunt cum affectibus & concupiscentiis.* Facit autem ad illam maxime mors & sepultura Christi tum causaliter, tum exemplariter,

Unde

Unde Paulus Rom. 6. v. 2. 3. 4. *Absit, qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo IESV, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus.* Vivificatio est, quo sanctitas interna & inchoata semper & paulatim augetur, de qua Paulus Eph. 4. v. 23. 24. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum DEVM creatus est in justitiâ, & sanctitate veritatis.* Facit ad illam causaliter & exemplariter Resurrectio Christi, unde Paulus Philipp. 3. v. 10. *Vt cognoscam eum, & virtutem resurrectionis ejus, & societatem passionum illius, configuratus morti ejus.* Adeoque sanctificatio duos respicit terminos, nempe prout est Aversio à malo & mortificatio veteris hominis terminum à quo, in quantum vero est vivificatio sive conversio ad bonum, terminum ad quem.

XVI.

Non dextre tamen mentem exponunt primò Calviniani, qui cum Beza in Absters. Calumn. Heshusii, ad Gal. 4. cum Martyre in locis cit. de pœnitentiâ, sect. 3. Musculo Dusano in loc. p. 554. Bucano loco 30. renovationem volunt esse pœnitentiam, cujus partes sint mortificatio & vivificatio, & nuper Walæus, loco de Resipisc. pag. 30. qui distinxit ita: resipiscentiam aliquando totam hominis conversionem notare, in qua & fides & studium vitæ novæ: aliquando tamen distingui ut fontem & rivum, causam & effectum proximum; nonnunquam synecdochicè comprehendi sub voce conversionis fidem etiam & novæ vitæ studium: nonnunquam verò ab eo distingui, ut fides in Christo apprehendat Christum & beneficia ejus, resipiscentia doleat ob peccata admissa, idque secundum DEUM, & contineat in se propositum firmum conformandi se divinæ voluntati, quos tamen deserit Kekermannus in Systemate lib. 3. cap. ultimo, qui pœnitentiam à sanctificatione distinguit; imò ipsa Veritas, cum renovatio pœnitentiam demum subsequatur, nec Apologia Augustanæ Confessionis cum illis conspirat. Quando namq; illa & nostrarum Ecclesiarum Doctores, mortificationem carnis annumerant partibus pœnitentiæ, nihil ea est aliud, quam serius cordis con-

conscientiæ que dolor, è legalibus comminationibus, ob admissa peccata, virtute Spiritus S. accensus. Secundò non benè colligit Bellarminus, quod renovatio & pœnitentia differant, quia pœnitentia non sit omnium hominum, mortificatio verò & vivificatio omnium; adducens pro confirmatione suæ sententiæ Testimonium Christi, Lucæ 15. ℣. 7. dicentis: *Gaudium majus est in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem, qui pœnitentia non indigent*: quasi hodie invenirentur, qui non peccatores, & proinde non indigi pœnitentiæ. Tertiò, male Photiniani disputant sanctificationem nonnisi in pravæ consuetudinis & vitæ mutatione, atque secundum Doctrinam Christi reformatione consistere. quos tamen arguit & refutat naturæ corruptio, Indigentia Restaurationis.

XVII.

Insidiose quoque dictum ab Antonio Creguto in Elucidationibus de Apicibus SS. Theol. p.635 th.80. in qua hæc habentur: Sanctificatio secundum suos diversos actus considerata à seipsa distinguitur. Nam in primo momento homo habet se παθητικῶς, quia Eph.2. v. 1. *Mortuus est in peccatis*, atqui mortuus seipse vivificare non potest. Unde *conversio* vocatur *resurrectio*, quæ est solùm à virtute infinita. Attamen ne intelligas illud παθητικῶς absolutè, quia primò non est quid passivum merè naturale instar lapidis aut rerum inanimatarum, quoniam homo intellectu & voluntate præditus est; idcircò intelligere potest & velle antequam convertatur. Secundò, ut homo potest physicè intelligere & velle, quod non facit lapis; at respectu actionis moralis seu spiritualis duo sunt distinguendi termini; nam respectu termini à quo homo purum putum cadaver, nec verum intelligere potest, aut bonum velle; sed respectu motus ad terminum ad quem, homo est quid mixtum, nam illius actus est partim παθητικὸς, partim ἐνεργητικὸς, quoniam patiendo agit, & agendo patitur, nam eodem momento, quo DEUS mentem illuminat, & voluntatem flectit, eodem intellectus clarè concipit, & voluntas benè vult bonum; sicut cum cœcus visum recuperat, eodem momento, quo patitur, agit; quia cum illuminatur oculus, ipse tunc videt, licet duo termini designari possint. Non ergo patitur mens in conversione, ut ille, qui vapulat, cum est sine actione, sed ut patitur, qui credit, intelligit, vult. Quod ex variis Scripturæ locis convinci-

tur, Psal. 118. v. 8. *Inclina cor meum in testimonia tua.* Psal. 36. v. 23. *A Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet.* Proverb. 8. *Paratur voluntas à Domino.* Ezech. 11. v. 19. *Spiritum meum dabo in vobis, & faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, & mea judicia observetis & faciatis.* Proverb. 21. v. 2. *Dirigit corda Dominus.*

XVIII.

Minuuntur itaque vires peccati in Renovatione & sanctificatione, privatio scil. quæ consistit in ignorantia mentis, profunda cœcitas in spiritualibus, & quæ consimilis sunt conditionis, & positivum illud, quod dicitur concupiscentia: *Peccatum enim non dominatur fidelibus: non enim sunt sub Lege, sed sub Gratia*, Rom. 6. v. 14. Quicquid sit de peccati transmissione à parentibus in liberos. Generatio enim non fit secundùm primitias Novitatis, sed reliquias vetustatis, & ut in circumcisi ex circumcisis generabantur, ita ex renovatis renovandi: & hoc est, quod docere voluit B. Rungius Dispur. 8. de veteri & novo homine, th. 15. & 16. ita pronuncians: Qualis est destructio, tale etiam corpus destruendum hoc loco intelligi oportet: Destructio verò veteris Adami est naturæ nostræ alteratio, quâ corpus peccati servitium altè inhærens naturæ paulatim aboletur, & succedit donum renovationis, collatum à Spiritu Sancto, quâ in locum ἀδυναμίας spiritualis novæ vires agnoscendi & invocandi DEUM divinitus in nobis accenduntur, & expulsis vitiis spiritualibus, cor purgatur, & nova luce, intelligentiæ & bonis motibus illustratur & sanctificatur. Hanc alterationem vocat Paulus crucifixionem & destructionem, ut ostendat, hanc mutationem carni nostræ, hoc est rationi, affectibus, & omnibus viribus ingratam & molestam esse, & simul doceat tenebras mentis plenè discutiendas, & pravos affectus cordis omninò extirpandos esse, si tota hominis renovatio fieri debeat, quod tamen in hac vita propter naturæ imbecillitatem perfectè præstari nequit.

XIX.

Non placent verò illa Bonaventuræ, quem Gerson præ aliis Doctoribus aliàs volvit & commendavit idoneum, primò, scribentis: Sicut videmus, quod in culpa actuali est & conversio, & aversio in ipso actu peccandi, & in ipso habitu peccati est privatio habitus boni, & quædam habilitatio ad actum peccati; sic in originali intelligimus esse debitæ justi-

Justitiæ carentiam & concupiscentiam. Et quemadmodum in actuali privatio habilitatis bonæ est ipsum peccatum formaliter loquendo; ipsa verò habilitatio sive pronitas ad actum peccati non est peccatum nisi materialiter loquendo, pro eo, quod non est culpa, nisi quandiu ibi manet privatio: sic intelligendum est in proposito. Et quemadmodum in actualis peccati deletione, cum Gratia infunditur, statim moritur culpa, in quantum erat Deformitas & privatio, nihilominus tamen simul cum hoc manet quædam pronitas ad actum licet remissa, in his potissimè, qui peccaverunt peccato consuetudinis. Sic quando Gratia baptismatis infunditur animæ, statim removetur originale peccatum catenus, qua erat carentia debitæ justitiæ, etiam cum statim gratia est in anima, sic & cum ea est etiam justitia, concupiscentia verò non omnino tollitur, sed minuitur pro eo, quod pronitas ad culpam simul potest stare cum Gratia, quia non erat ipsum peccatum loquendo formaliter, sed naturaliter. Secundò illa Durandi de Sancto Portiano concedentis quidem tolli peccatum in Baptismo, passibilitatem autem & necessitatem moriendi, & rebellionem carnis & spiritus asserentis esse conditiones naturæ totam speciem consequentes, & ex principiis naturæ per se causatas, & ideò non tolli per Baptismum, sed auferendas in generali Resurrectione, quoniam per Christum ipsa natura liberanda à servitute corruptionis secundum illud Pauli Rom. 8. v. 21. *Et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEI.* Tertiò, illa Bonaventuræ dicentis: Dupliciter est loqui de causa originali, aut secundum considerationem unius hominis in se, aut per comparationem ipsius ad alterum, ex ipso propagandum. Si primo modo loquimur, sic semper cum deletur peccatum originale, deletur etiam causa originalis peccati, quantum ad hoc, ut non possit deinceps peccatum originale causari in anima baptizati. Remittitur enim quodammodo fœditas carnis, & per consequens improbitas sive Tyrannis, ratione cujus debebat spiritum in servitutem peccati redigere, quod quidem non potest facere post Baptismum propter auxilium gratiæ, quod ibi datur spiritui, per quod præsidet carni, & ita Effectus illius gratiæ quodammodo redundat in carnem. Si autem loquamur de causa originalis respectu alterius propagandi, sic per Baptismum non deletur originale quantum ad causam sive radicem. Et ratio hujus potissima est, ut credo, quod corruptio, quæ est causa originalis peccati propagandi, est corruptio natu-

naturæ consistens penes vim, quæ habet radicari in carne. Unde originale, prout est vitium personæ, respicit voluntatem, prout autem est vitium naturæ, respicit generativam virtutem & carnem, Gratia autem sacramentalis propriè respicit corruptionem personæ, contra vero corruptionem naturæ non habet ordinari directè, & hinc est, quod cum infunditur Gratia baptismatis, deletur originalis culpa secundum quod erat peccatum ipsius animæ, remanet tamen aliquis languor in carne, quæ est causa originalis in prole. Si autem quæratur remedium gratiæ Sacramentalis, ordinatur directè contra originale, prout corrumpit personam. Et non prout corrumpit naturam, dicendum, quòd summus Medicus hoc instituit ratione congrua exigente, tum ex parte Medici, tum ex parte ægroti, tum ex parte medicamenti. Ex parte, inquam, Medici, quia sic Dominus debuit nos curare, ut salutem nostram unusquisque ab ipso immediatè recogitaret. Et ideò unumquemque voluit curari à suo baptismate immediatè & in se. Et propterea Baptismus delet originale in homine peccatum, secundum quod est individuum, non secundum, quod est alterius principium. Ut ex hoc unusquisq; reddat obsequium DEO debitum, & magis recognoscat salvationis suæ beneficium. Ex parte etiam ægroti congruentia erat. DEUS enim neminem vult salvari, nisi salvâ arbitrii sui libertate, & ideò talem efficaciam medicamento dedit, ut salva esset libertas, & meritum liberi arbitrii sui libertate, & ideò talem efficaciam medicamento dedit, ut salva esset libertas, & meritum liberi arbitrii. Ideò etiam ut fides habeat locum, occultat Dominus Sacramenti sui effectum, & ideò non curatur naturæ morbus. Ex parte etiam Medicamenti ratio est, quia virtus regenerativa in Sacramento est ipsa fides; unde à fide passionis Sacramenta dicuntur habere efficaciam. Quoniam ergo hæc virtus regenerativa principaliter respicit voluntatem & mentem, virtus autem generativa decisionem carnis à carne. Hinc est, quod Baptismus sanat sive curat originale peccatum, quod est morbus personæ, dum in ea datur gratia, per quam rectificatur personalis voluntas, remanente nihilominus corruptione in carne & in vi generativa, quæ causa est transfundendi originalem culpam. Et sic probatur, quòd per Baptismum deletur originale peccatum, quantum ad culpam, non tamen removetur causa transfundendi originalem in personam alteram, sicut rationes ostendunt, quæ ad secundam partem inducunt. Et ideò concedendæ sunt.

XX. Ad-

XX.

Addere juvat illud Augustini de verâ Religione cap. 16. Tota vita Christi morum disciplina fuit; satellites voluptatum divitias populi perniciosè appetebant, pauper esse voluit. Honoribus & Imperiis inhiabant, Rex fieri noluit. Carnales suos filios magnum bonum putabant, tale conjugium prolemque contempsit, contumelias superbissimè horrebant, omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles arbitrabantur, quæ major injuria quam justum innocentemque damnari? Dolores corporis exsecrabantur; flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant, morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant, crucifixus est; omnia, quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carendo vilia fecit, omnia quæ vitare cupientes à studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit.

XXI.

Antequam finiamus hoc caput singularem illam opinionem Mosis Amyraldi notare juvat, qui tria genera hominum sub Oeconomia V. T. constituit. primùm illorum, quorum perditam & profligatam vitam Paulus describat Rom. 3. v. 10. 11. Alterum illorum, quorum fidem, pietatem, constantiam invictam, cæterasque singulares virtutes meritis laudibus celebret Apostolus cap. 11. ad Ebræos. Denique tertium mediorum scil. inter utrosque, qui vel similes vel prope similes extitêre Paulo, qualem sese descripsit, dixitque fuisse antequam ad Christi cognitionem vocaretur. Testatur enim de se scribens ad Philippenses cap. 3. atque alibi, de se nihil ferè quicquam eorum esse prætermissum, quæ ad Legis Mosaicæ impletionem pertinebant. Adeo ut fuerit inter cæteros *irreprehensibilis*. Studium autem illud sanctimoniæ Legalis in eo non fuisse simulatum, ex eo constare existimat, quod ait Act. 23. *Ego omni bona conscientia me gessi apud DEUM ad hunc usq; diem*. Quæ verba pertinere ad superiora tempora, & quæ vocationem ipsius antecesserant, institutum ipsius manifestum faciat. Adde, inquit, quod acrem illum atque immanem animum, quo tum Ecclesiam Christianam persequebatur, zelo ipse attribuit, & inter laudes suas, quibus sese jactare poterat inter Judæos disertè connumerarit. Quod certè non fecisset nisi ad eam truculentiam impulsus fuisset instinctu conscientiæ, errantis illius quidem maximopere, sed tamen putantis sese DEI gloriam ea ratione promovere.

CAPUT IV.

De OBJECTO REALI, ET QUIDEM MAXIME DE PASSIONIBUS.

THESIS I.

PRogredimur ad Objectum reale, quod duplex, internum & externum, quanquam enim in Definitione supra posita mentionem tantum fecerimus actionum, non tamen hoc intellectum volumus exclusis affectibus, qui intra hominem; imò si velimus satisfacere Regimini hujus Doctrinæ, quod amplissimi ambitus, non tantùm affectus, sed etiam sensus externi & interni, omnes facultates & membra, nec non affectus sive passiones erunt eidem substernendæ, cum omnia hæc aliquo modo moralitatis capacia. Nam primò, si totus homo est subjectum Theologiæ Moralis, secundùm Animam & corpus, si illius omnia dirigenda ad Honestatem, si quicquid in illo conformabile vel conformandum Legi divinæ, utique non tantum actiones externæ, nec tantum passiones, sed & ipsæ facultates Intellectus & voluntas imo sensus, qui competunt homini ut animali, erunt submittendi Theologiæ morali. Secundò cum Theologia in id nitatur, ut vetus homo mortificetur, novus vigeat, atque vetustas illa contaminet quicquid est in homine, Spiritus verò stet contra Rationem & voluntatem, passiones & sensus refrenare, emendare, superare contendat, ut supra demonstratum est, ideoque omnia hæc suberunt huic disciplinæ, in quantum scil. dirigi, coërceri & & regi debent. Luctantur in homine regenito non tantum Ratio & inferior pars animæ, sed totus vetus homo, qui rationem quoque comprehendit, & cæteras facultates cum novo homine, imò ne in Ethicis quidem omne ferunt punctum, qui multa de Lucta rationis & appetitus sensitivi produnt, utut enim illam non negemus simpliciter, supponere tamen videntur tales Rationem sæpè rectam, quæ tamen æque ut Affectus laborat, & quod hi impetu agunt cœcitatis vitio æquat. Tertiò, cum non tantum affectus, sed & sensus, utut ex connexione cum illis moralitatem aliquam induant, Bonitatis vel malitiæ notis interdistinguantur, errori atque peccato sint obnoxii, ideoque & illi Theologo morali subjicientur; visus, quem ipse Christus corrigit Matth. 5. v. 28.

Ego

Ego dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo. Auditus, quem Paulus circumvallat 1. Corinth 15. v. 33. *Nolite seduci, corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Olfactus, gustus & tactus, quorum Excessum perstringit Ezechiel cap. 8. v. 17. *Ecce, applicant ad ramum.* Esaias 5. cap. v. 11. *Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque vesperam, ut vino æstuetis.* Jeremias cap. 5. v. 7. & 8. *Saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores in fœminas, & emissarij facti sunt: unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Nec sensus interni exempti sunt corruptæ sensationi & imaginationi, ex quibus suspiciones, odia & alia possunt oboriri bonæ mentis deliquia, unde non tantum jubemur *circumcidere cor nostrum*, Jerem. 4. v. 4. sed tenemur etiam circumcidere oculos, *ne videant vanitatem*, Psal. 119. v. 37. sed sint *intenti ad DEUM*, Psal. 123. v. 2. aures ne gestiant *audire jocos illiberales, sed verbum DEI, & quod honestum*, Phil. 4. v. 8. Os & linguam, ne maledicant, blasphement, mentiantur, Psal. 12. v. 3. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde & corde locuti sunt.* Rom. 2. v. 24. *Nomen DEI per vos blasphematur inter gentes.* sed DEUM collaudent: *Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*, Psal. 51. v. 17. adde illud Davidis Psal. 141. v. 3. *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Manus *ne furentur, sed laborent, & Eleemosynas distribuant*, Eph. 4. v. 28. *Pedes ne properent ad malum*, Proverb. 16. v. 18. *Ne in viam impiorum abeant*, Psal. 1. v. 1. Omnes itaque facultates hominis tum superiores tum inferiores, sive sint intellectus & voluntas cum omnibus cogitationibus, judicio, discursibus, extensionibus, inclinationibus, omnes Affectus quocunque veniant etiam nomine, omnes sensus materiam exhibent circa quam Theologiæ morali, non quidem ut una aut altera facultatum refertur Spiritu imbuta ad principia actionum piarum, honestarum & laudabilium, sed in quantum hæc omnia laborant, quibus proinde remedia paranda, in quantum omnia hæc labilia & insultibus peccati obnoxia, quibus Terminus Modusq; figendus. Et sanè in ipsa Ethices doctrina hactenus videtur hoc punctum neglectum, quanquam illa tantum formet hominem externe, & quocunque modo bonum, negari tamen nequit, præter appetitum, etiam sensus huic disciplinæ materiam suppeditare, & ejusdem esse operæ turbulentum mare passionum

num compescere, & canales, qui ignem, spiritum & vim inferunt probè observare.

II.

Ut ergo non satis dextre progrediuntur illi, qui materiam circa quam occupatur Theologus moralis, nimis restrictè tractant, ut videre est apud Pontificios Scriptores. Omnes quidem quos vidi moralium Professores, ita cœcitatem quoque suum, in hoc puncto prodiderunt primò Philosophi veteres Aristoteles, Hermippus, Eupodus, qui duo principia admiserunt, quorum alterum DEUM, alterum δαίμονα dixerunt. Ex quibus lucta in homine, certamen in animalium nobilissimo. Secundò Hæretici veteres Messaliani, qui Satanam vitæ & actionum nostrarum præsidem esse voluerunt; Luciferani & Marcionitæ, quorum illi Deum accusarunt ex eo, quod Luciferum cœlo moverit, hi vero quod Pharaonem dicatur indurasse. Et tandem Manichæi, qui duo principia confinxerunt infinita & æterna scil. unum causam omnium Bonorum, alterum Authorem omnis mali, contra quos inprimis dimicavit B. Augustinus. Tertiò, Pythagoras & Plato cum suis, qui sese in hoc Argumento non potuerunt expedire, hæsitabundi disputarunt, & tandem etiam ad duo delapsi sunt principia, quibus accesserunt Stoici, qui rogati unde mala? Perversitatem seminarium malorum causati sunt, pergit autem Chalcidius: Nec expediunt adhuc, unde ipsa perversitas, seu juxta ipsos duo sint initia rerum, DEUS scil. & Sylva sive ὕλη, materia. DEUS summum & præcellens Bonum Sylva ut censent, nec bonum nec malum, de quibus videndus Edwardus Stillingfleet Anglus in Originibus sacris lib. 3. cap. 3.

III.

Cum autem Affectus multum facessant negotii etiam regenito, nec abs re sit hanc materiam hîc expendere, ideoque de illa agemus, ita quidem, ut constet quid de passionibus, quæ aliàs materia virtutis moralis dicuntur, sit sentiendum. Supponimus autem præter sensum tam externum, quam internum dari aliud potentiæ vitalis genus, nempe appetitum, qui proprius animalium & cognitione utentium, Pondusq; quoddam dicit in objectum, cùm quod quis prorsus ignorat, secundùm Augustinum lib. 10. de Trin. cap. 1. amare nullo pacto possit, contra distinctum appetitui naturali, qui ad unum determinatus, & simpliciter fertur in objectum, ut corpus grave ad suum centrum, nec non appeti-

petitui, ut vocant rationali. Distinguunt autem communiter Philosophi appetitum illum electivum in concupiscibilem & irascibilem, nixi tum authoritate Aristotelis, imprimis lib. 1. Magnor. Moral. cap. 13. ubi hæc leguntur: Tres sunt appetitus, cupiditas, furor, (sive irascibilis) & voluntas; tum ratione, quia hîc inveniatur vis ad prosequendum convenientia, & refugiendum nociva, objectum utriusque moraliter diversum, nempe Bonum seu malum absolutè, & Bonum seu malum arduum, nec non inveniantur, qui valdè apti & proni ad actiones appetitus concupiscibilis, & qui magis propendeant in illa, quæ sunt facultatis irascibilis; tum consensu Philosophorum & Theologorum, Thomæ, Alberti, Bonaventuræ, Henrici, Scoti, Cajetani, Gregorii de Valentia, Toleti, Azorii, & aliorum inprimis Thomistarum.

IV.

Nondum itaque calculum addimus primò cuidam Viro docto, qui distinctionem negat appetitus sensitivi à rationali, scribens: Quamvis homines ita loqui soleant, & superiorem ab appetitu inferiori distinguere: difficile tamen erit, in naturâ reperire ullas distinctas facultates, in quibus passiones illæ subjectantur, & à quibus emanant. Desiderium intellectuale & sensuale in eadem facultate fundantur, subjectis non distinguuntur, sed tantùm objectis: sunt solùm ab, vel ad contraria objecta motus diversi. Cùm homo desiderat quod maximè rationi est congruum, aut perfectivum, aut intellectui consonum, appetitus intellectualis aut rationalis appellatur; sed si desideret, quod ipsi animæ nocet, aut quod ejus maximè interest, impedit, & tamen desiderat, quia placet ipsi, æquum est, ut appetitus sensitivus appelletur, quoniam objectum est sensitivum, & eligitur ob rationem sensitivam. *Et paucis interpositis*: Proinde, hîc planum est, quòd cùm caro & spiritus certant, non est inter duas animæ facultates certamen, sed in anima certamen de duorum objectorum electione: non aliter se res habet in hoc, quàm in quâvis deliberatione, quando argumenta aliò & aliò respicientia, sibi invicem adversantur. Quem propterea castigat Author Animi Medelæ, sequentia reponens: primò, quoniam inter utrumque appetitum lucta magna & vehemens est, ut in continente; quæ lucta impossibilis esset, si unicus tantum esset appetitus. Quemadmodum medicamenta nonnulla sunt, quæ adversis prædita sunt facultatibus; ut Rhabarbarum, quod & vim astringentem atque corrobo-

gilis esse nequit: quilibet autem in seipso experitur motus vehementes, ad objecta quædam, quos vel non omninò, vel saltem cum magna difficultate reprimere potest, etiam intensiore volitione: qui tamen motus si liberi essent (ut necesse est, si appetitus sensitivus sit rationalis) ipsos refrenare, volenti non esset difficile, quoniam facultati liberæ nihil facilius est, quàm velle & nolle. Tertiò. Intellectus reipsâ à phantasia distinguitur: sed appetitus sensitivus immediatè à phantasia, rationalis ab intellectu movetur. Proinde, vel sunt facultates duæ, vel unus appetitus à duplici facultate, intellectu scilicet & phantasia, movetur: quod tamen à ratione alienum est. Nam idem motibus contrariis, iisque vehementioribus moveretur. Verbi gratia: Intellectus *continentis* ad objectum fugiendum fortiter movet; phantasia ad objectum prosequendum fortiter impellit, atque ita unus & idem appetitus simul & ab objecto, & ad objectum movetur. Vide Aquinatem 1. q. 80. Art. Verùm, qualescunque sint binæ posteriores rationes, prima, etiam sola sufficit. Hinc de sapientis ab affectibus immunitate inter Stoicos & Platonicos, nec non Aristotelicos, controversia orta est. Platonici enim & Aristotelici affectuum moderationem, non eradicationem; Stoici verò eradicationem præscribunt: Illi quippe rationem seu animum, & appetitum sensitivum, tum irascibilem tum concupiscibilem discriminant: hi verò rationem & affectum re ipsâ non distinguunt: Ut Seneca de Irâ c. 8. Non separata ista diductasque sedes habent suas, sed affectus & ratio in melius pejusque mutatio est animi. Quem locum Justus Lipsius Manud. ad Stoicam Philosoph. l. 3. c. 7. explicat in hunc modum: Unus animus (inquit) atque una rationalis pars, modò ad melius tendit, & ratio dicitur. Unde non est, quòd Stoicos affectuum omnium eradicationem suadere, miremur: quia affectus universos, non naturales, sed voluntarios & liberos, utpote actus facultatis rationalis, esse existimârunt; contra quàm Platonici & Aristotelici senserunt: hi enim affectuum eradicationem non suaserunt, quoniam affectus & naturales, & subjecto ab actibus appetitus rationalis distinctos, seu ab actibus liberis diversos esse, ac proinde non esse in potestate nostra, judicârunt, Secundò Angesto in Moralibus cap. 4. Gabrieli in secundum Dist. 16. quæst. unica, & in 3. Distinct. 26. quæst. unica; art. 3. Dub. 1. atque Roderico ab Arriaga, qui Tomo tertio prolixè disputat, non tantum supponens potentias etiam materiales ab anima non distingui, ex quo pateat

unitas appetitus, sed & casu, quo appetitus esset ab anima distinctus negans admittendum esse concupiscibilem, & irascibilem, quanquam non male argumenta Tanneri premat & concutiat: existimamus enim distinctionem illam doctrinæ causa posse tolerari, & si non admittenda realis, aliquam tamen esse hic concedendam. Nec ineptè quidam ex Pontificiis Philosophus, postquam dixerat videri eundem appetitum concupiscibilis & irascibilis posse officio fungi, tàm, quàm eosdem esse dentes, quibus canis unus ossis sui delicias rodit, & quos adversus alterum canem competitorem stringit. Addit, sed in re distinctionis Thomas solet esse similis diviti patrifamilias, cujus culina ac supellex multitudine ac varietate instrumentorum gaudet, ut divisis officiis omnia sine confusione concinnius peragi possint. Nec curat parsimoniam Nominalium, quibus tam curta & paupertina supellex, ut cum Diogene scutellam abjiciant, si cavâ manu bibere valeant; ingeminantes vulgare illud utique suum: frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora. Tertiò, quibusdam recentioribus, qui appetitum distinguunt in internum & externum, quia e. g. aliquis possit habere exterius delectationem de cibo aut tactu, etiamsi interius displiceat in eo, quod talis cibus ipsi intrudatur; putantibus delectationem & dolorem ad appetitum pertinere, qui etiam eo sunt usque, progressi, ut cum in quolibet sensu, & per totum corpus esse possit & dolor & delectatio, existimârunt per totum corpus diversos appetitus sparsos esse.

V.

Appetitus verò sensitivus suos habet peculiares Motus, qui aliàs dicuntur passiones, quod Nomen secundum Thomam quæst. 22. art. 1. tripliciter accipi solet. Primò pro receptione cujuslibet formæ, aër enim dum lucem recipit, pati dicitur. Secundò pro receptione alicujus rei cum alterius abjectione, quo sensu patitur aqua, cum refrigeratur. Tertiò pro receptione rei alicujus cum abjectione illius, quod naturæ patientis erat accommodatum, ut cum aqua calefit, patitur, quia recipit sibi aliquid disconveniens. Primo modo pati dicitur anima, cum sentit & intelligit, quia intelligere & sentire est quodammodo pati; secundò animæ passio convenit ratione corporis; ut & tertiò, quando interveniente sensibili transmutatione corporis, à priori statu per aliquam animi affectionem animal dimovetur, sive hoc modo in meliorem statum transmutetur sive in deteriorem, quæ tamen transmutatio

ma-

magis propriè habet rationem passionis: unde Tristitia magis est propriè passio, quam lætitia: quanquam alii in ultima tantum volunt significatione usurpari hoc loco passionem, quia significet illos Motus animi secundum Augustinum lib. 9. de Civitate DEI cap. 4. quos Græci πάθη appellant, ex Latinis quidam, ut Cicero 3. Tusculanarum perturbationes dixerunt, alii affectiones, alii affectus, alii expressius passiones vocaverunt. Quanquam autem de vocabulis nemini litem moveri placeat, malumus tamen vocabulum affectus sive affectionis usurpare, si de istiusmodi Motibus in præcisione sit sermo, quam passionis, quanquam & hoc sit satis commodum, si sit sermo de illis, quæ in homine corrupto urgent, turbant, abripiunt. Describuntur autem Affectus, quod sint Motus sensitivi appetitus ex apprehensione boni vel mali, cum aliqua mutatione non naturali corporis: cum qua descriptione consonat illa Damasceni lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 22. dicentis: esse Motum virtutis appetitivæ sensibilis ob imaginationem boni & mali. Motus nomen adhibetur generis loco, quia sunt actus immanentes, & non receptiones tantum aliquarum formarum, & ut distinguantur, & à facultatibus animæ naturalibus, & ab habitibus consuetudine paratis, sensitivo appetitui appropriantur, ut discernantur à lætitia, tristitia & consimilibus mentis & Spiritus affectionibus, atque volitionibus, sive actibus appetitus rationalis, qui sequuntur bonum intellectu apprehensum, cum actus sensitivi appetitus prosequuntur bonum sensu apprehensum, dicuntur insuper esse ex apprehensione boni vel mali, cum enim appetitus sit cæcus, neque tamen feratur in incognitum, quapropter objecta sensibilia feriunt primùm externos sensus, inde phantasiam appellunt, eique proponuntur, ut bona vel mala, unde in appetitu nascitur statim Amor, Desiderium, Gaudium, Odium, Pugna, Dolor. Immutatio autem corporis dicitur comitari affectus, & quidem non naturalis, quia sanguis & spiritus corporis commoventur, e. g. in lætitia ita, ut cor dilatetur, quasi recepturus intra suum complexum illud Bonum, quo delectatur, in tristitia & metu ita, ut constringatur, fores quasi occludendo malo imminenti, & cum cor in perpetuo sit motu naturali dilatationis & contractionis, ab illo autem per Excessum aut defectum dimoveatur orto passionis impetu, vel nascente Affectus pulsu, ideo Mutatio illa corporis dicitur non naturalis, hoc est, non ordinaria, sed ab illa aliquantum recedens alteratio.

VI.

Non satis commodè, itaque primò Pontificii Scriptores loquuntur, qui affectus passionum & perturbationum nomine generaliter insigniunt, tum quia Affectus etiam locum habuissent in statu integritatis, nec tamen perturbationum titulo accusari potuissent: passionis autem vox est ambigua, & nunc accipitur, ut æquipollens perturbationi, nunc ita tantum dicitur ob immutationem corporis, quæ posterior hîc tolerari potest, tum quia non nisi in homine lapso aliquam labem habent affectus, quatenus carnis censentur impetus, vetustatis stimuli, qui hominem exagitant, tum quia affectus præscindunt à Bono & malo, & boni quoque dantur, ut communiter admittunt, & Rodericus ab Arriaga illustrare contendit Exemplo Mathathiæ, qui doluit, cujus renes contremuerunt, cujus furor accensus, 1. Maccab. 2. Josephi amore commoti in Benjaminum, Gen. 43. nec non Christi, cujus anima tristis fuit usque ad mortem, Matth. 26. & propterea Affectum describit per Excitationem appetitus cum commotione aliqua sensibili, sive ea sit excitatio in objectum Bonum, sive in malum, sive in indifferens moraliter: nec abnuit nobis Bonaventura Baro in Scoto defenso Instantiâ petitâ à Beatis, in quibus affectus adhuc locum habituri, nec tamen passiones sive perturbationes, socios impugnans. Secundò rejicimus Stoicorum sententiam, qui Affectum definiunt per commotionem animi adversam rectæ rationi & contra naturam, nec non Platonicorum, qui descripserunt affectum per motum animi rationis expertem, concitatum ab opinione boni & mali, denique Ciceronis, qui dixit 4. Tuscul. Affectiones esse opiniones judicantis. Prima enim non subsistit, quia non omnes affectus adversantur rectæ rationi, pugnant contra naturam, rebelles sunt cives in corpore humano, sed quidam etiam & satellites adstant, rationis Imperia excipiunt, & exequuntur, Rectoremque nostri, ut Seneca mentem appellat, sequuntur. Altera non est solida, cum affectus etiam excitari possint, præcisâ opinione, sensu & phantasia suum peragente officium, nec desunt Brutis, quæ tamen intellectu destituuntur. Tertia denique ex Stoicorum doctrina hausta non quadrat, quia actus circa bonum & malum non sunt judicia vel opiniones, sed actus appetitivi, possuntque opiniones concipi & foveri animo sine immutatione corporis, & cum languet opinio, passio esse vehementissima, quanquam non negemus Affectibus conjuncta esse judicia, & qui malum

lum metuit, imaginari malum. Tertiò non feliciter impugnare censemus Bonaventuram Baronem receptam de affectibus sententiam, de appetitu sensitivo, apprehensione boni vel mali, & tandem de immutatione corporis. Primumquidem ita, quærendo cur passio appropriatur appetitui sensitivo, & opponendo, nonne cadunt etiam in appetitum rationalem lætitia, tristitia, miseratio & similia? Imò ultima hæc non quadrant appetitui sensitivo, sed soli voluntati, Bruta enim non norunt misereri, sicut nec irridere Miseriam. Secundum verò, dicendo, videri illud planè parergon: utique enim apprehensionem aliquam hic intercedere, tum appetitus sensitivus non possit moveri, nisi prævià apprehensione, idque sit indispensabile, ut planè non fuerit necesse id interponere expresse. Tertium verò reponendo ad illud, non esse id essentiale Affectui, quia anima separata & Angelus possint tangi passionibus, nec tamen habeant carnem, quæ moveatur, aut sanguinem, qui bulliat. Nam primò de affectibus nobis est sermo hic, non in quantum in tantâ accipiuntur latitudine, sed determinate ut in homine existunt & contradistinguuntur facultatibus superioribus. Secundò, si apprehensio boni & mali est necessaria, malè omittitur. Tertiò instantia de animâ separata & Angelo non ferit, quia disputamus de affectibus hominis.

VII.

Sedes & subjectum affectuum, ut appetitus sensitivi est Cor, quod docet primò ipsa Scriptura. Ut enim illud quandoque notat Intellectum, Matth. 15. ℣. 18. *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem*, & inprimis Proverb. 16. ℣. 9. *Cor hominis disponit viam suam*; voluntatem, 1. Chron. 29 ℣. 16. *Domine DEUS, &c. custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat*; & Actor. 16. ℣. 14. *Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens DEUM, audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Ita ut sedes & origo affectuum describitur à Christo, dicente: *è corde* non tantum *egredi cogitationes, sed & adulteria, scortationes, cædes, furta, falsa testimonia, blasphemias*, Matth. 15. ℣. 17. 18. Marc. 7. ℣. 21. 22. *Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritia, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia*: dicente Jacobo *in corde esse avaritiam*, cap. 3. ℣. 14. *invidiam & irritationem*, cap. 3. ℣. 14. dicente

Pau-

Paulo, *in corde esse studium aliquid agendi*, 2. Cor. 8. ℣. 16. Secundò Ratio, Cor enim est spirituum officina, vitalium operationum principium, vitæ animalis Radix, in corde itaque erit appetitus sensitivus, per quem animal sese conservare studet. Unde etiam passione vehementi concussi, in corde sentiunt notabilem alterationem, & ubi quæso nidulabitur Amor, ira, & consimilia, nisi in corde. Unde fit, ut nimio affectu correpti, quandoque deliquium patiantur etiam ipsius vitæ, nisi quia cor pulsatur? Unde illa sensibilis pulsus alteratio, nisi à corde affectibus agitato & correpto. Denique Philosophorum consensus, qui Aristotelis placita probant, Peripateticos sequuntur.

VIII.

Non itaque subscribimus quibusdam primò Medicis, qui appetitum sensitivum collocant in cerebro: nec obstant argumenta Templeri, quod Affectus sensitivi sunt motus & affectiones animalis, cujus est appetere bonum sensibile, & aversari malum, lætari, tristari, amare, odisse, sperare, timere. &c. Non itaque esse cordis motiones. Præterea, Si affectus essent motus cordis, sequeretur cor sentire, appetere, aversari, amare, odisse: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens. Quia motus hi sunt animalis, non cordis. Nam confunditur Subjectum denominationis, quod utique animal cum Subjecto inhæsionis, quod cor esse, demonstravimus, è quo spiritus vitales Affectuum ministri, & quamvis animal dicatur appetere aversari, non tamen id de corde negandum. Accedit Templero Claudius Berigardus in Circulis Pisanis, XIX. p. 702. scribens: Hanc Plato posuit in hepate, sicut vim irascendi in corde, cognoscendi verò in cerebro. Aristoteles harum omnium facultatum sedem in corde statuit, sed cùm 3. de Anima 29. vim sentiendi & appetendi distinguat sola ratione, illa quatenus judicat sentiens est, ut verò fugit, vel prosequitur, quod judicavit, est appetens. Atqui judicium & appetitionem neque in corde, neque in jecore fieri, sed in cerebro potius ex doctrina veterum arbitrandum est. Quod intelligens Plotinus, ait: cor & jecur apud Platonem non esse sedem primariam, in qua facultates loco sejungantur, sed membra ubi præcipuè illarum fomenta conspicua sunt. Jecur alimenta suppeditans videtur fovere cupiditatem, cor bilem, & iram, tamen res ita se habet, ut nulla sit opus qualitate, quæ sit facultas appetendi & irascendi, sed tantum

tum partibus, quæ ad recipiendas impressiones & afflictionum ortarum à cerebro materiem habeant præparatam. In cerebro igitur fiunt, ut dictum est, rerum simulacra, eorumque proprii motus sunt cogitationes, quibus aliquid apprehenditur fugiendum, vel prosequendum, & in iis consistit actus intimi sensus, qui diversa ratione dici potest judicium & appetitus. Tunc verò præcipuò refert nomen appetitionis, cùm ad motionem simulacri naturali consensione fertur spiritus ad partem aliquam corporis incitandam, ubi seminaria continentur illecebrarum, in pudendis quidem venereæ titillationis, in ore ventriculi cupediarum, in corde excandescentiæ. Inde fit, ut cùm aliquid princeps sensus annunciaverit, fiat accessus vel recessus spirituum, qui in ore ventriculi motum absolvant liguritionis & cupediæ, partem illam convellendo peculiari quodam incitamento, cor æstuat iræ vel ambitionis commotione, libidinis aculeo stimulantur partes obscœnæ, cæteræ quoque sequentes impetum spiritus à simulacro concitati varios cient motus, & actiones etiam progressionis, cujus causas proximas non affert alias Aristoteles in animalibus præter cognitionem & appetitum, quæ ratione differunt, reapse idem sunt. Quare nihil mirum est, si nullam movendi facultatem constituit distinctam ab appetitu, hoc est vi sentiente; quemadmodum enim exsurgente spectro rei jucundæ & voluptuariæ spiritus fusi è prioribus cerebri ventriculis accurrunt ad appetitus absolutionem, citra facultatis alterius adminiculum, idque per nervos ad sensum & appetitionem destinatos, sic alii spiritus ejusdem spectri motu concitati, media ac posteriore cerebri parte per alios nervos musculis impertiunt vim motus effectricem. Frustra igitur in corde facultas appetendi collocatur, cùm ad progressionem sufficiat apprehensæ rei simulacrum, spiritus, & instrumentum. Vel ea saltem in capite statuenda esset, ne ventriculus, & pudenda suam quoque vim appetendi vindicarent. Non enim solum cor exultat in lætitia, contrahiturque in mœrore, sed idem præstat cerebrum agitatum continuo motu, atque ex ejus appetitione sequuntur cordis & aliarum partium affectus. Observavit Athenæus in Calce lib. 2. hanc fuisse veterum Philosophorum opinionem, ac propterea esum cerebri vetuisse, quod esset sensuum omnium sedes. Apollodorus Atheniensis ait, unum quidem antiquorum ausum fuisse cerebrum appellare proprio nomine ἐγκέφαλον: unde Pindarus de Licha projecto ab Hercule in Trachiniis

niis vocat albam medullam, λευκὸν μυελὸν, declinans, quod religione vocari fas non erat. Hinc caput antiquis sacrum habebatur, ac per illud jurejurando se obstringebant:

Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.

Primus Hippocrates tegendum censuit, veluti dignum veneratione, ut referunt quidam apud Glycam annal. 3. parte. Denique Regio, qui subjectum & sedem Affectuum statuit esse Cor & Cerebrum, cor, quia & quatenus per Affectus illud movetur; cerebrum verò, quia & quatenus etiam illis metus perturbatur. Secundò non Cartesio & illis, qui sequuntur eum, statuenti dari affectum quendam, qui Cordi submovendus, nempe admirationem; ita scribens de passionibus animæ part. 2. Art. 70. & 71. Admiratio est subitanea animæ occupatio, quâ fertur in considerationem attentam objectorum, quæ ipsi videntur rara & extraordinaria. Sic autem primum producitur ab impressione, quæ extat in cerebro, quæque repræsentat objectum ut rarum, & per consequens dignum maximâ consideratione; tum deinde per modum spirituum, qui dispositi sunt ab hac impressione, ut magna vi tendant versus locum cerebri in quo est, ad eam ibi corroborandam & conservandam; prout quoque ab ipsa disponuntur ad transeundum inde in musculos, qui inserviunt retinendis organis sensuum in eodem situ in quo sunt, ut ab illis insuper conservetur, si modo per illos formata fuerit. Et huic passioni hoc speciatim convenit, quod observari nequeat ullam mutationem in corde & in sanguine, ut in aliis affectibus evenit, eam comitari. Cujus rei ratio est, quod cum non habeat bonum vel malum pro objecto, sed solummodo cognitionem rei quam miramur, nullam etiam relationem habeat cum corde & sanguine, à quibus pendet omne bonum corporis, sed solummodo cum cerebro, in quo sunt organa sensuum, quæ inserviunt huic cognitioni Securè supponens, Admirationem ad familiam Affectuum pertinere, referendam inter numerum passionum, quod non largimur. Nec obstat, quod Damascenus definiit admirationem metum ex imaginatione vehementi, metus verò affectio sit appetitus: accepit enim eo loco Admirationem paulo latius, sicuti & Aristot. 4. Ethic. cap. 3. cum ait, magnanimum non esse admirabundum; vel voluit admirationem propterea dici timorem, quia admirans rei novæ, & insolitæ magnitudine oppressus considesiderationem timet, ac refugit, ut Thomas 1. 2. quæst. 41. art. 4. ait.

Ter-

Tertiò, quibusdam Philosophis, qui existimant singulorum sensuum externorum Organis inhærere peculiarem illi sensui appetitum, quo objectum conveniens appetat, inconveniens respuat: nec obstat, quod Dolor, qui sensum Tactus torquere dicitur, videatur esse actus elicitus ab Appetitu quodam, qui illi sensui interno in eodem Organo assistat: id enim, quod in membro sauciato aut ustulato nos torquet, secundum Philosophos non est ipse dolor proprius & formalis ab Appetitu sensitivo elicitus, sed qualitas quædam membro illi disconveniens, quam non solum Tactus cognoscere, sed eminentiori phantasiæ Tribunali etiam sisti & ab eo judicari debet; quo facto appetitus (ubicumque ille sedem in corpore animalis habeat) eam Qualitatem aversari potest.

IX.

Liquet etiam, quid censendum ex Disputatis de veterum opinionibus, & quidem Primò Alcinoi in libro de Platonis Doctrina cap. 37. qui ait: Secundùm Platonem juniores Deos, qui ornandi humani corporis curam susceperant, cùm in capite rationis & sapientiæ domicilium constituissent, ne pars illa divina inquinaretur, mortalibus passionibus, hoc est, utrique appetitui proprias Provincias designasse: iracundiæ præcordia, cupidini locum prope diaphragma ibique vim eam quasi furiosum & agreste malum ligasse; quin etiam condidisse pulmones cordis gratiâ molles & ventosos, atque instar fistulæ cavos & spongiæ similes, ut cor iræ ardore nonnunquam æstuans refrigeratione mitigaretur: simulque jecori, ad excitandam concupiscentiam animæ rursusque sedandam, dulcedinem & amaritudinem indidisse. Quibus similia scripsit Apulejus in lib. de dogm. Plat. statuens mentem capitis arcem tenere: irascentiam procul à ratione ad domicilium cordis deductam esse; cupidinem atque appetitus postremam portionem infernas abdominis sedes occupasse, ut popinas quasdam & diversoria nequitiæ atque luxuriæ: religatam verò idcircò longissimè à sapientia hanc partem videri, ne importuna vicinitas rationem super constitutam ipsa cognitionum vicinitate perturbaret. Aliorum, qui affectum iracundiæ in felle constitutum putant, pavoris in corde, lætitiæ in splene. Cui distributioni ea ratio astipulatur, quòd è tribus humoribus recrementitiis, qui è chylo secernuntur, bilis ad vesicam fellis demandatur: constat autem bilem irritamentum esse iracundiæ; unde

& biliosi iracundi esse consueverunt. Ex quo verisimile, iram in fellis conceptaculo residere. Inesse autem pavorem in corde, suaderi posse videtur, ex eo, quia qui timent confestim sanguinem & calorem evocant ad præcordia, ubi videlicet trepidatio potissimum est. Item, quia animalia, quæ pro sui corporis magnitudine majus habent cor, timidiora sunt: nimirum quòd virtutem pavoris expultricem magis sparsam habeant; cùm tamen virtus unita actuosior fortiorque sit, quàm dispersa. Postremò, quòd lætitia in splene locum obtinuerit, argumento esse possit: quòd (ut Medici tradunt) iis, qui splene laborant, rarus ac difficilis sit risus, quæ lætitiæ & hilaritatis comes est. Tertiò Galeni, qui lib. 3. de loc. aff. & in libr. qui inscribitur, *quòd animi mores corporis temperamentum sequantur:* existimat, appetitum concupiscibilem residere in hepate; quòd ii, qui multo abundant sanguine, suopte ingenio proclviores sunt ad libidinem; appetitum verò irascibilem ponit in corde. Pro qua parte confirmanda variæ adducuntur Rationes. De quibus alio die.

X.

Brutis quoque competere affectus receptum est inter Philosophos, nec abnuit Scriptua, Ratio & Experientia. Disertè enim Esaias cap. 1. v. 3. *Bos cognovit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui,* nec Ratio abnuit, habent enim animalia Cor, ex quo prodeunt Affectus, phantasiam & imaginationem, ad quam sequuntur, Voluptatem & Dolorem, quibus passiones stipantur; imò Experientiâ teste lætantur, cum saltant, sperant canes, dum præsens est præda, tristantur, cum feriuntur feles, irasci vitulus adolescens in cornua discit, habet & Musca splenem, & formicæ sua Bilis inest, nec tamen illi affectus moralitatis, si propriè loqui velimus, sunt capaces, ut in homine: quanquam non negandum, etiam Bestias cicurari, ferocissima animantia mitigari, sed externo hominis imperio, cui se phantasia & memoria submittunt, citra internam aliquam facultatem, cui pondus insit ad Honestatem.

XI.

In defectu itaque peccarunt Stoici, negantes in Brutis reperiri Affectus, perturbationes adscribentes soli Homini, de quo videndus Seneca lib. 1. de Ira cap. 3. & 4. Secundò Medium, non tenuere quoque illi, qui putarunt in Bruta cadere mediocritatem affectuum, si scil. admittatur illa esse disciplinabilia. Tertiò in Excessu, qui ad plantas quo-

quoque extendunt passiones cum Manichæis, de quibus Augustinus lib. de Moribus Manichæorum cap. 17. Quos secutus fuit Patrum nostrorum tempore Desiderius Erasmus, Experientiam falso prætendens, quia scil. Truncus primum securis ictum profundius intra se admittat, & minus resistat, alterum verò validius elidat, & magis resistat, intra se non tam profunde admittendo, quod ex eo sit, quod primus ictus incauto, & damnum præcaventi ligno obveniat, secundus cautiori & malo suo jam edocto, unde se contrahendo & securim metuendo, conetur elidere ictum & minus intra se adigi patiatur.

XII.

De Bonitate & Malitia Affectuum quæ disputantur, possunt commodè expediri, si dicatur, aut considerari illos in genere naturæ aut morum, & quidem priori modo si spectentur, suâ naturâ non esse malos aut vitiosos, sed gaudere bonitate physica, si verò considerentur moraliter, neque bonos esse, neque malos, sed bonos, si moderati, malos, si immoderati & superioris imperio sese opponant. Prius constat ex eo, quod affectus ab ipso DEO homini sint concreati, locum habuerint in statu integritatis, ex Jure naturæ & lege divina exigantur in præcepto de proximo diligendo, nec Christo defuerint: *IESVS infremuit Spiritu, & turbavit seipsum, ut vidit Mariam plorantem, & Iudaos, qui venerant cum ea, plorantes. Et lachrymatus est IESVS*, Johan. 11. v. 33. & 35. Posterius ex eo, quia in Brutis neque Bonitate gaudent, neque labe laborant, adeoque in se præcisi sunt à moralitate, in homine verò possunt ferri vel ad bonum, vel ad malum. Hoc quidem certum est ex lapsu primi hominis esse corruptam facultatem appetitivam, verum ut superiores quoque intellectus scil. & voluntas, quæ ut possunt à Spiritu serenari & dirigi ad verum & Bonum, ita quoque illi eodem possunt regi, ut laudabili Exercitio stricturas virtutum imitentur, quod prolixè docet B. Augustinus Tract. 60. in Johannem, scribens: Pereant argumenta Philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Stultam DEUS fecit sapientiam hujus mundi: & Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Turbetur planè animus Christianus, non miseria, sed misericordia: timeat, ne pereant homines Christo: contristetur, cum perit aliquis Christo: Concupiscat acquirere homines Christo: lætetur, cum acquiruntur homines Christo: timeat, ne sibi pereat & Christo: contristetur pe-

 regri-

ægrinari se à Christo: concupiscat regnare cum Christo; lætetur, dum sperat se regnaturum esse cum Christo. Illæ sunt certè quatuor, quas perturbationes vocant, timor & tristitia, amor & lætitia. Habeant eas justis de causis animi Christiani; nec philosophorum Stoicorum, vel quorumque similium consentiatur errori, qui profectò quemadmodum vanitatem existimant veritatem: Sic stuporem deputant sanitatem, ignorantes sic hominis animum, quemadmodum corporis membrum, desperatius ægrotare, quando & doloris amiserit sensum.

XIII.

Non itaque accedere possumus primò Stoicis, qui affectus toto suo genere vitiosos esse asserunt, & proinde exscindendos, penitusque tollendos, similes perinde homini, qui cum vicinum conspicatus esset, vites & arbores putantem, suas ipse totas, excidit & detruncavit, ut illos Herodes Atticus apud Gellium lib. 9. cap. 11. comparat. Planè contra Davidem Psal. 4. v. 5. *Irascimini, & nolite peccare.* Syracidem cap. 38. v. 16. 17. *Fili, in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundum judicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius. Propter delaturam autem amarum fer luctum illius uno die, consolare propter tristitiam; & fac luctum secundum meritum ejus uno die, vel duobus, propter detractionem.* Paulum 1. Thessal. 4. v. 13. *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.* Animus, inquit ille apud Gellium lib. 19. cap. 13. omninò langueret, & torperet, omnem vigorem & alacritatem bonam & utilem indolem amitteret, nisi his agitaretur motibus, & quasi concitaretur. Secundò Francisco Suarezio, qui Disp. 1. sect. 2. de passionibus putat inter Peripateticos & Stoicos esse tantum quæstionem de nomine, quorum posteriores moderatos Motus noluerint nominare nominibus passionum, sed virtututum. Quanquam enim Seneca Epist. 71. scripserit: Non educo Sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente submoveo. Memini ex duabus partibus illum esse compositum, altera est irrationalis, hæc mordetur, uritur, dolet; altera rationalis, hæc inconcussas habet opiniones, intrepida est & indomita. Quanquam Cicero quoque lib. 4. de finibus eo collimarit, nec non Augustinus lib. 9. de Civit. DEI cap. 4. ita censuerit: Aut nihil, aut penè nihil distare inter Stoicorum aliorumque Philoso-

pho-

phorum opinionem de passionibus & perturbationibus animorum. Utrosque enim Mentem rationemque Sapientis ab earum dominatione defendere, & ideò fortasse dicere Stoicos eos in sapientem non cadere, quia nequaquam ejus sapientiam, quâ utique sapiens est, ullo errore obnubilare, aut labe aliqua subvertere possit. Non tamen omnimoda concordia aut consensus evinci potest, quia vetustiores Stoici apertè professi sunt passiones esse morbos, quibus carere debeat sapiens, ut est apud Ciceronem lib. 1. Tusculan. quæst. adde Plinium lib. 17. cap. 19. Præterea, quia etiam moderatiores è Stoa nihilominus quosdam affectus incusarunt vitii, nempe Tristitiam, Misericordiam, quod tamen à vero & Peripato alienum. Denique Lactantius satis perspicuè lib. 6. divinar. Instit. cap. 15. Stoici furiosi, qui ea non temperant, sed abscindunt, rebusque à natura insitis castrare hominem quodammodo volunt. Quod tale est, quale si velint aut Metum detrahere cervis, aut venenum anguibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus. Nam quæ singula cunctis animalibus data sunt, ea verò universa homini. Tertiò illis Philosophis, qui Affectus dividunt in bonos, malos & neutros, nullus enim Affectus malus est, utpote à DEO insitus, sed si quæ nomina referuntur, quæ pravitatem dicunt, & in censum affectuum ponuntur, non Affectus, sed vitia Affectum erunt censenda.

XIV.

Insulsum autem planè est illud Roderici ab Arriaga, scribentis: Esto, passiones in eo sensu tertio in malum accipiantur, nihilominus posse dici eas cadere in sapientem; id quod intelligi potest dupliciter: Primo modo materialiter; nam is, qui sapiens est, aliquando potest in aliquo deficere, & habere passiones, sicut dicitur Proverb. 24. septies in die cadere justum: in eo autem facto non se geret tanquam sapiens. Secundo modo in eum cadunt passiones magis propriè; quia aliquando motus hi seu passiones possunt esse, & verò frequentissimè sunt sine libertate ullâ, & consequenter sine ulla culpa; tunc autem certum est, per eos motus non impediri sapientiam, nec virtutem, non solùm in aliis materiis, sed nec in ea ipsa particulari, in quâ sunt passiones: imò frequenter tales motus sic necessariò excitati solent esse occasio virtututis, humilitatis scilicet vel patientiæ, vel fortitudinis, dum eis superatis homo virtutem consequitur. Nam & Scripturæ sensum non assequitur, sed pervertit & motus peccaminosos fingit absque culpa.

XV. Præ-

XV.

Præmissa divisione affectuum in eos, qui consentiunt in prosecutione Boni, & qui in Fuga Mali, communiter discernunt in illos, qui sunt appetitus concupiscibilis & irascibilis: cum enim versentur vel circa Bonum & Malum absolutè sumpta, vel circa illud sub ratione ardui, ideoque sub priori respectu dicuntur esse appetitus concupiscibilis, sub posteriori irascibilis. Bonum enim dupliciter experi potest, & malum repudiari, primò, ut est absolutè bonum aut malum; secundò ut difficile obtineri vel vitari potest, non quod difficultas ipsa sit formalis ratio Objecti, quod terminat appetitum, sed quia Bonum sic expetitur aliquando, ut per eam prosequutionem Animal reddatur expeditum ad superandas difficultates, si quæ occurrunt in prosequutione Boni aut fuga mali, de qua Divisione videndi Thomas q. 23. Art. 1. Albertus in summ. de Homine Quæstione de Irascibili. Scotus in 3. Distinct. 26. & 51. Gabriel in 3. Distinct. 26. Franciscus Suarez. Disput. 1. sect. 3. Bonaventura Baro Actione 2. pag. 333. atque alii quamplures. Specialius dividuntur Affectus concupiscibilis & irascibilis Appetitus in undecim, atque ita ut concupiscibilis sint sex; Amor & Odium, Desiderium seu concupiscentia, Abominatio, Delectatio sive Gaudium, Tristitia sive Dolor. Irascibilis verò sint quinque; Spes scil. audacia, Desperatio, Timor, quem Numerum senarium appetitus concupiscibilis colligit Thomas ex similitudine agentium naturalium quæst. 23. Art. 2. hoc modo: In agentibus naturalibus omne movens seu agens trahit ad se quodammodo patiens, vel à se repellit. Trahendo quidem ad se tria facit in ipso. Nam primò trahit inclinationem vel aptitudinem, ut in ipsum (simplici quasi appetitu seu inclinatione) tendat: sicut cum corpus leve, quod est sursum, dat levitatem corpori generato, per quam habet inclinationem vel aptitudinem ad hoc, quod sit sursum. Secundò, si corpus generatum est extra locum proprium, dat ei movere ad locum. Tertiò dat ei quiescere in loco, cum pervenerit: quia ex eadem causa aliquid quiescit in loco, per quam movebatur ad locum. Et similiter intelligendum est de causa repulsionis. In motibus autem appetitivæ partis bonum habet quasi virtutem attractivam, malum autem virtutem repulsivam. Bonum ergo primò in potentia appetitiva causat quandam inclinationem, seu aptitudinem, seu connaturalitatem ad bonum; quod pertinet ad passionem amoris: cui per contrarium respon-

spon;

spondet odium ex parte mali. Secundò, si bonum sit nondum habitum, dat ei motum ad assequendum bonum amatum; & hoc pertinet ad passionem desiderii vel concupiscentiæ; & ex opposito ex parte mali est fuga, vel abominatio. Tertiò, cum adeptum fuerit bonum, dat appetitus ipsius quietationem quandam in ipso bono adepto, & hoc pertinet ad delectationem vel gaudium: cui opponitur ex parte mali, dolor vel tristitia. Ita Thomas; cujus ratiocinatio non videtur contemnenda, & fundatur in hoc principio, quod inclinatio animalis & elicita ad bonum prosequendum, aut malum fugiendum, non minus perfecta sit, quam inclinatio naturalis, & insita rebus naturalibus, ad idem bonum prosequendum, aut malum oppositum fugiendum; tametsi Gregorius de Valentia hic q. 1. pun. 2. cum eam rationem Thomæ exposuisset, subjungit, ejus rei (de numero sex passionum appetitus concupiscibilis) potissimum fundamentum videri in experientia ponendum esse. Irascibilis verò ita: In passionibus irascibilis præsupponitur quidem aptitudo vel inclinatio ad prosequendum bonum, vel fugiendum malum, ex concupiscibili, quæ absolute respicit bonum vel malum; & respectu boni nondum adepti est spes & desperatio: respectu autem boni adepti, non est aliqua passio in irascibili; quia non habet rationem ardui; sed ex malo jam injacenti sequitur passio iræ. Sunt igitur etiam in irascibili tres conjugationes (non omnino complete) passionum, scilicet spes & desperatio; timor & audacia; hoc ipsum q. 23. a. 3. fusius explicat; addens, opponi ei solummodo cessationem à motu; sicut Aristoteles lib. 2. Rhet. cap. 3. ait: mitescere opponi ei, quod est irasci. Sed, quod, inquit Thomas, non est oppositum contrarie, sed negative vel privativè. Aliter probat Tannner, scribens: Potest etiam earundem passionum numerus in hunc modum colligi. Cum enim proprium sit appetitus irascibilis versari circa bonum efficaciter fugiendum, ut dictum dubio præcedenti; exclusis tum actibus inefficacibus simplicis amoris vel odii; tum etiam iis passionibus, quæ circa bonum & malum, quia formaliter præsentia sunt, versantur, ut est delectatio & dolor; quandoquidem in neutris ejusmodi actibus eliciendis, est aliqua difficultas; ut notavit etiam Thomas hic quæst. 25. a. 1. duæ tantum generatim esse possunt rationes difficultatis, circa prosequendum bonum arduum, aut fugam mali ardui. Prima difficultas occurrit circa ipsammet efficacem intentionem seu desiderium ejusdem boni vel mali consequen-

 di-

est, vel fugiendi. Quod si ea difficultate boni prosequendi postposita, nihilominus bonum illud efficaciter possibile intenditur vel desideratur, tum constituitur spes; sicuti & timor, cum malum aliquod efficaciter devitandum proponitur. Secunda difficultatis ratio occurrit in ipsa actuali & reali prosecutione boni, aut declinatione mali; eaque difficultas vel oritur ex aggrediendis periculis, quæ circa procurationem boni, aut fugam mali occurrunt; & tunc locum habet audacia: aut ea difficultas nascitur ex impugnatione seu resistentia contrariorum; & tunc enascitur ira, quæ repellit contraria. Aut denique animus difficultate consequendi vel tuendi boni, aut etiam evitandi mali victus, succumbit, adeoque ab insecutione boni, aut declinatione mali penitus desistit, ipsummet illud bonum ob difficultatem velut exosus, malumve ultro amplexus; & tunc nascitur desperatio.

XVI.

Impugnat autem Tannerum Rodericus ab Arriaga, & in senario vult acquiescere, & post producta argumenta ita differit p. 319. §. 32. Mihi probabilius est, in sex solas dividi debere, in tres irascibilis, & tres concupiscibilis, quod P. Suarez sect. 12. benè probat. Videamus nunc, quid pro eo undecimo numero dici possit. Argumentantur ergo sic: Non est minus perfecta inclinatio animalis ad bonum, quàm inclinatio naturalis lapidis v. g. in centrum; atqui in lapide eos, quasi undecim actus possumus distinguere, ergo & in animali. Probatur minor: Primò enim agens, quod est supra, dat gravitatem corpori generaliter, ut descendat; ea autem datio respondet amori seu inclinationi in bonum. Secundò, dat ei moveri deorsum, quod respondet desiderio; jam verò infra existenti dat quietem, quæ respondet gaudio. Ecce tres. Jam alii tres contrarii; primus odium in existentiam extra centrum, secundus abominatio ejusdem existentiæ, & tertius dolor illius. Ex quibus formantur sex illi, qui ad concupiscibilem pertinent in animali. Sed contra, quia ex hac allegorica similitudine nihil potest ad rem nostram solidè deduci; maximè cùm odium illud & abominatio in lapide respectu existentiæ extra centrum nec quidem allegoricè videantur posse distingui. Secundò, in ea similitudine eam video difficultatem, quod in lapide confundit potentiam locomotivam cum actu ipsius lapidis, & sic efficit illum ternarium numerum actuum: nam potentia locomotiva non est actus lapidis, sed principium actus. In quo sensu in animali respon-

det ipsa potentia concupiscibilis, non verò amor; hic enim jam est per modum actualis tendentiæ in objectum, seu per modum descensus actualis lapidis deorsum; ergo amor & desiderium non habet sibi duos actus in lapide respondentes: ergo ex ea similitudine non rectè hic numerus infertur. Ratione idem numerus fortè posset melius suaderi; quia vel bonum consideratur secundùm se, ut præscindens ab absentiâ & præsentia, & sic constituit amorem; vel consideratur ut absens, & sic constituit desiderium; vel consideratur ut præsens, & sic constituit gaudium: & idem numerus potest è contrario reperiri circa odium. Est tamen adhuc in hac explicatione ea difficultas, quòd licet pro concupiscibili rectè assignentur hæ sex passiones, tunc nullæ manebunt pro irascibili; aut certè sex etiam in illa debebunt eadem ratione poni: quod enim, ait Thomas eo articulo, pro irascibili supponit ex concupiscibili bonum jam amatum, unde credit, irascibilem primò incipere à spe, quæ respondeat desiderio; hoc, inquam, facilè rejicitur: nam sicut spes & & desiderium licet omnino conveniant in hoc, quod est ferri in bonum absens, quia tamen differunt in eo, quòd illud bonum sit, aut non sit arduum, constituunt tamen duas passiones irascibilis & concupiscibilis; eodem planè modo sine ulla tergiversatione amori ut sic deberet distincta respondere passio ex parte irascibilis: non enim solùm inter bona absentia potest considerari ea diversitas ardui seu difficilis, sed inter bona secundùm se; prout abstrahunt ab existentia & ab absentia possumus considerare arduitatem, quia eadem illa habitudo, v.g. quæ est objectum spei, & consideratur ut ardua & absens, potest considerari secundùm se connexa cum difficultatibus, & ut sic considerari, ut præscindens ab absentia & existentia; ergo ut sic debebit terminare etiam suum amorem, qui pertineat ad irascibilem; ideò haud immeritò Aristoteles 2. Ethicorum cap. 5. duodecim actus numerat. Fortè respondebitur, omnem arduitatem necessariò dicere difficultatem in consecutione; ergo si bonum non concipiatur ut absens, non potest concipi ut arduum: ergo arduitas non potest terminare actum amoris secundùm se. Sed contra, quia ipsam difficultatem, quâ vestitur objectum, possum ego considerare, ut præscindentem ab existentia, velut existentem; quia etiam ipsa difficultas, sicut cætera entia, potest concipi secundùm se vel ut absens, vel ut præsens; ergo eodem modo etiam concipere possum objectum cum difficultate seu cum ea circumstantia, abstrahendo ab eo,

quòd realiter existat, aut absit; hoc modo: *Esse Regem, licet magnas habeat difficultates, bonum est.* In hoc autem conceptu nihil ego dico de absentia & de præsentia regni; ergo ut amem hanc dignitatem secundùm se, debet irascibilis incipere ab arduitate, etiam antequam cogitem eam regiam dignitatem à me absentem; & consequenter etiam antequam in desiderium & spem illius prorumpam. Deinde, si ea arduitas in objecto amoris etiam ut tali non constituit diversum actum, qui ad irascibilem pertineat, ergo neque in aliis actibus; quia etiam objecta bona ardua non possunt considerari nisi ut secundùm se, velut absentia, vel ut præsentia; & tunc per solos illos tres actus concupiscibilis explicabuntur omnes, qui ad irascibilem pertinent, adjunctâ solâ arduitate ex parte objecti; & non erit necessum recurrere ad spem, timorem & iram.

XVII.

Non placet autem, quod primò Gabriel Vasquez arduitatem, quæ vestit objectum appetitus irascibilis, putat consistere in eo, quod res obtinenda pendeat ab alterius voluntate, rationem quoque ardui in objecto spei constituens in illa dependentia. Recte enim Rodericus ab Arriaga contra ipsum concludit, quod scil. multa sint, quæ pendeant à voluntate alterius, quæ tamen non dicamus sperare, ut victus, vestitus calcei, &c. Si enim adsit pecunia ad emendum, non sperare nos talia, sed quasi certo ea habere; præterea multos sperare se ingenio aliquid inventuros, aut propriis viribus hostem victuros, imò si res benè ponderetur, suppositâ jam voluntate DEI in ordine Gratiæ de dandis nobis auxiliis necessariis, in sola nostra voluntate esse obtinere Gloriam, & tamen eam censeri nobis arduam, & erga illam quasi unicè versari spem, quæ maximè arduitatem requirat: quod postremum tamen inter retrimenta Theologiæ Pontificiæ deputamus. Secundò, quod Cartesius novaturiens, rejecta communiter recepta sententiâ, passiones distinguant in primitivas & à primitivis ortas, & prioris generis sex constituat, Admirationem, Amorem, Odium, Cupiditatem, Lætitiam & Mœrorem. Ab his autem cæteras oriri, & ex his componi omnes existimet, ita scribens parte 2. de Passionib. Art. 68. pag. m.32. Ecce ordo, qui mihi videtur optimus enumerandis Passionibus; in quo non nescio me recedere ab opinione eorum omnium, qui de illis antehac scripserunt; sed non absque sontica causa: Nam derivant suam enumerationem ex eo,

quod

quod distinguunt in parte sensitiva animæ duos appetitus, quorum unum vocant *Concupiscibilem*, alterum *Irascibilem*. Et quoniam nullam in anima agnosco distinctionem partium, ut supra dixi, id mihi videtur nihil aliud significare, quam quod habeat duas facultates, unam concupiscendi, alteram irascendi: sed cum similiter habeat facultates admirandi, amandi, sperandi, metuendi, atque sic in se recipiendi singulos alios Affectus, aut ea agendi, ad quæ hi Affectus eam impellunt, non video, cur voluerint eas omnes referre ad Concupiscentiam vel iram. Adde, quod eorum enumeratio non comprehendit omnes præcipuas Passiones, ut hanc meam credo facere. De præcipuis solùm loquor, quia plures aliæ specialiores adhuc possent distingui, & earum numerus indefinitus est. Et iterum Artic. 69. Numerus simplicium & primitivarum non est adeo magnus. Si enim percurramus eas omnes, quas enumeravi, facile poterit observari, sex tantùm tales esse, nimirum Admirationem, Amorem, Odium, Cupiditatem, Lætitiam & Mœrorem; cæteras omnes componi ex quibusdam harum sex, aut earum esse species. Idcircò ne earum multitudo intricet Lectores, tractabo hîc separatim de his sex Primitivis, & postea ostendam, quomodo cæteræ omnes ab illis originem trahant. Cum tamen neque admiratio sit cum sanguinis & spirituum commotione, nec à primitivis excludi posse videntur aliæ scil. passiones, quæ ex primitivis illis oriri nequeunt, adeoque illarum Numerus ampliandus, imò minui possit, cum Lætitia ad Amorem, Mœror ad Odium posset reduci. Tertiò, quod veteres Philosophi in Numero hæreant cum quibusdam recentioribus. Plato, qui in Theæteto dicit, eas passiones, quæ nomen habent, multas esse; quæ carent nomine, innumeras. Item lib. 9. de Republ. Hominem esse quasi Monstrum & Sphyngem quandam ex variorum Animantium partibus conflatam; & cupiditatem esse partem latissimam, multa Bestiarum, hoc est passionum capita continentem. In Timæo denique sex enumerat perturbationes: Voluptatem & Dolorem tanquam principia, quibus accedant Audacia, Metus, Ira & Spes. Quanquam in lib. 1. de legib. aliter loquatur & dicat, quemlibet nostrum esse unum, & habere in se consiliarios duos contrarios & amentes, Voluptatem & Dolorem, ad quos accedant futurorum Timor & confidentia. Galenus, qui docet, ex veterum sententia passiones esse quinque: Mœrorem, Iram, Excandescentiam, Cupiditatem, Metum; alibi autem sex recenset, Excande-

candeſcentiam, Iram, Timorem, Mœrorem, Invidiam, & Cupiditatem vehementem, quibus addit Amorem & Odium. Stoici, qui ut ex quarto Tuſculan. Ciceronis conſtat, quatuor conſtituerunt, Ægritudinem, Metum, Lætitiam & Libidinem. Quibus affinia deprehendas apud Boëthium 1. de Coſil. Philoſophiæ, Metro 7. Gaudia pelle, pelle Timorem, ſpemque fugato, nec dolor adſit. Hieronymum ad cap. 1. Ezech. Auguſtinum lib. 14. de Civit. DEI cap. 3. qui quatuor illas paſſiones verſu Virg. Æn. 4. exprimit. Hinc metuunt, cupiuntque, dolenque, gaudentque. Ex recentioribus Lælius Peregrinus principales duodecim, minus principales octo. Ludovicus Vives & Hieronymus Cardanus viginti numerant.

XVIII.

Nec obſtat, quod primò intellectus & ſenſus non multiplicentur ex arduitate objecti cognoſcibilis, & propterea etiam appetitus non debet multiplicari. Quod ſecundò fames & ſitis, Nemeſis, indignatio, zelus, Æmulatio, Invidia, Verecundia & Miſericordia non videantur à paſſionibus poſſe excludi. Tertiò, quod deſperatio non cenſeatur verſari circa objectum arduum, & propterea non referenda ad appetitum iraſcibilem. Nam primò objectum, cùm bonum ſit extra Sphæram potentiæ, cognoſcetur ſub formali ſua ratione & motivo, ideoque non multiplicantur ex Bono potentiæ cognoſcitivæ, multiplicantur autem appetitivæ. Secundò fames & ſitis dicunt indigentiam calidi & ſicci, frigidi & humidi, reliquæ verò ſub recenſitis comprehenduntur. Denique tertiò Deſperatio iraſcibili Appetitui rectè accenſetur: Non ſolum negative quaſi opponitur cæteris paſſionibus iraſcibilis, eaſdemque ab animo excludit, ſed quia ſimul ex parte objecti verſatur circa bonum arduum; idipſum propter difficultatem refugiendo, tametſi alias ab operante amatum & deſideratum. Quia *deſperatio*, ut ait Thomas q. 40. artic. 4. ad 3. *præſupponit deſiderium, ſicut & ſpes. De eo enim, quod ſub deſiderio noſtro non cadit, neque ſpem, neque deſperationem habemus: & propter hoc etiam utrumque eorum eſt de bono, quod ſub deſiderio cadit.* In fugienda autem re alioquin amata, nobiſque ſua natura convenienti, non poteſt non eſſe difficultas & repugnantia. Accedit, quod deſperatio plærunque, ac ſua quaſi natura animum inclinat ad ſubeundum aliquid triſte, & in ſe moleſtum atque adverſum operanti; v. g. ad ſui ipſius internecionem, ad abjectionem mediorum & inſtrumentorum, qui-

bus

bus malum imminens devitari poterat, &c. In his autem rebus, utpote sua natura adversis operanti suscipiendis, non potest non esse difficultas: secus accidit in tristitia, quæ sibi ipsi operanti malum triste non accersit, sed tantum patitur seu dolet illatum.

XIX.

Multum autem possunt Affectus in homine, & immutare solent Corpus & Animum, de quo non ignobilis Gallus lib. 3. Disp. 2. sect. 2. §. 1. pag. 561. ita: Dico, passiones causare semper mutationem aliquam in corpore, quæ initium semper habet in ipso corde, inde transit ad spiritus & sanguinem, unde totum immutatur temperamentum. Ratio est naturalis sympathia inter potentias ejusdem animæ, ex qua fit, ut appetitu excitato per aliquam passionem, motrix etiam potentia ipsius cordis agat, & in ipso corde motum producat. Nam quia sedes appetitus est ipsum cor, quòd continuò movetur per dilatationem & compressionem, servatque spiritus vitales; simul ac exoritur passio, mutatur ipse motus cordis, quod in passionibus prosequutivis dilatatur, in aversativis comprimitur. Hinc in spiritibus oritur agitatio, qui sanguini immixti, illum etiam immutant; cùmque sanguis toto sit fusus corpore, necesse est totam inde corporis temperiem disturbari; crearique morbos, & ipsam etiam aliquando mortem. Verùm non omnes eodem modo passiones corpus immutant; siquidem amor accendit sanguinem & spiritum, & qui amant, ardent & calescunt; hinc ad amandum procliviores sunt, quibus corporis temperies est calidior. Tristitia cor contrahit, sanguinem & spiritum efficit crassiorem; sicut etiam magis ad tristitiam inclinantur, qui crassiori sunt sanguine; quibus autem purior sanguis est, & tenuior, sunt hilariores. In timore sanguis & spiritus relictis exterioribus partibus confugit ad cor tanquam ad arcem ipsius vitæ; unde sequitur in vultu pallor, tremor in externis partibus. Contra verò in voluptate, gaudio & spe ad partes omnes effunduntur: ideò in senibus periculosa est lætitia repentina, quia ubi parum est sanguinis & spirituum, vacuatur facilè totum cor. Irâ incalescunt spiritus, & effunduntur cum sanguine, ut patebit magis ex sequenti sectione. Non satis est dicere, quod in passionibus spiritus effunduntur vel contrahuntur, incalescunt vel refrigerantur. Dico præterea, passionibus etiam immutari vehementer animam, quatenus per eas primò sic perturbatur vis cognoscitiva intellectus, ut perspicere liquidò nequeat veritatem

ritatem, neque rectè de singulis dijudicare: deinde libertas ipsa voluntatis plurimùm imminuitur. Breviùs dicam, excœcari mentem, & obtenebrescere, ligari & captivam fieri libertatem.

XX.

An autem Affectus sequantur Temperamentum corporis, aliquatenus ex dictis intelligi potest, & videtur Philosophis & Medicis hîc aliquid concedendum, quia primò diversitas locorum diversos nobis exhibet homines. Differunt sane, etiam Aristotelis judicio, Europæi & Asiatici, nec Plato abnuit, qui ventis expositos censuit esse morosos, qui ægre à proposito divellantur, nec Experientia in contrarium militat, sed pro nobis stat, quæ non tantum testatur Afros, Asianos & Europæos multum differre, sed etiam in ipsa Europa Germanos, Gallos, Hispanos, Anglos, &c. fuerunt inter Asiaticos, qui Abderitanæ pectora plebis habebant, fuerunt Athenis, qui ad sapientiæ studium præ cæteris inclinabant. Consulatur hîc Scrutinium Huardi cap. 4. Secundò Copia vel Defectus sanguinis multum variare potest in Homine & cæteris animantibus, unde etiam diversitas sæpè in uno homine deprehenditur, mutata ætate. Tertiò Primorum Motuum causalitas referenda videtur in Temperamentum, ex quo illi subito exsurgunt, & rationem actus antevertunt. Interim nulla necessitas hîc locum habet, quasi aliter homo agere non posset, quam inclinatur à Temperamento, quemadmodum Ignis naturaliter & necessariò urit, ita enim Homo assuefactione non posset immutari, nec passiones in illo possent à superiori principio regi, domari, compesci: haberet excusationem in peccatis, nec laudem, si operaretur bene, & quanquam Scheggius noster: Materiæ causa, quæ fiunt, ex necessitate fiunt, non quia melius sit. Ut si talis sit temperatio humorum, necesse erit, aut glaucos aut nigros oculos fieri, albos aut nigros capillos, raucam aut claram vocem, procerum corpus aut pumilum, ingeniosum aut hebetem; quæ differentiæ omnes insunt rebus ex necessitate, propter affectionem & qualitatem materiæ. Ita tamen hoc capiendum ut propensiones, quidem aliquâ necessitate illigentur, non verò ita ut non compesci & edomari possint.

XXI.

Meritò autem rejicimus primò sententiam Galeni & illorum, qui ipsum sequuntur, statuentis Mores simpliciter sequi Temperamentum, imo

imo animam nihil aliud esse nisi temperiem Qualitatum. Cui ex hæreticis subscripserunt Carpocrates, Epiphanes, Prodicus, Cajani & Antitactæ, teste Theodoreto in libro de divinis Decretis, quanquam aliqui sentiant, Galenum hic dubium fuisse & nesciisse, quo se verteret. Secundò nimis exiliter de Temperamento videtur sensisse Gisbertus Voëtius, scribens: Meritò disquiritur, annon Temperamentum, quatenus executrices partes & potentias corporis afficit ac modificat per prius inclinetur ab animâ, non verò contra, sed quicquid sit de hac distinctione, saltem constat gentilem esse ἀθεολογίαν, quâ Analysis bonæ indolis seu Docilitatis, & consequenter Conversionis nostræ ad DEUM fit in Temperamentum seu complexionem & in educationem. Num enim Temperamentum non inclinat. Non necessitare enim largimur. Num Anima inclinat illud, quod sicut Venter caret auribus, non excipit imperium Rationis. Num Dispositio naturalis Materiæ à Superiori regitur, & anima calorem temperat, frigus emendat, choleram habet in sua potestate, phlegma sub suo Regimine, num aliquid tribuitur Temperamento in Conversione hominis? Num quia ipse Animam præfert, eique Inclinationem, quæ tamen post lapsum corrupta, quanta quanta peccato infecta, non ita Pelagianismi affinem se reddet, & redibit in ipsum Telum, quod torquere voluit in illos, qui statuunt Temperamentum inclinare. Tertiò Arminianis excedentibus non adstipulamur, quorum verba in Apologia cap. 10. fol. 118. hæc sunt. Neque verò negandum omnino videtur, conditionem temperamenti cujusque hominis vim magnam habere ad mores animi, ad virtutes & vitia. Pro ratione ejus aptior vel ineptior quisque est ad docilitatem & probitatem animi consequendam, præcipuam tamen vim habent educatio & institutio. Atque inde ferè discrimen petendum est. Non videtur hoc negare Censor, ideoque per cautelam addit, *ubi de vera docilitate & de vera probitate, quæ ad res divinas requiritur, quæstio agitatur.* Atqui docilitas, quæ nos aptos reddit ad virtutes, sive ad honestatem morumque castitatem, quomodo non reddat nos aptos ad res divinas? Docilis probusque animus, quas res citius libentiusque admittat, quam virtutes divinas, utpote æquitati & rationi rectæ maximè consentaneas, & ejusmodi argumento adstrictas, quibus & qualibus cæteræ disciplinæ omnes carent?

XXII.

Subjicitur quidem Appetitus sensitivus superiori Facultati, verùm ita, ut politicum potius sit Rationis in affectus imperium, quam despoticum. In primo quidem Homine omnia sese rectè habebant, summaque erat Harmonia inferiorum & imperiorum facultatum, nec parebant inferiores tam ex vi prædominii in superioribus, quàm ex ipsa integritate, quâ naturaliter imbutæ sanctitate, quam DEUS non tantum intellectui & voluntati, sed etiam Appetitui sensitivo & affectibus indidit. *Creavit enim Hominem rectum*, teste Ecclesiast. cap. 7. v. 30. at nunc omnia sunt turbata, excussa sanctitas omnibus potentiis, ut quamvis ratio quandoque in naturalibus & civilibus aliquid adhuc deprehendat bonum & commodum, affectus tamen ad præmonstrationem illius non rapiantur in obsequium, sæpè illam antevertant, & rebellium civium indolem referant, ut etiam Medea conqueratur: Video meliora proboque, Deteriora sequor.

XXIII.

Impingunt autem primò Pontificii, qui in primo Homine *σύῤῥαξιν* quandam admittunt. Secundò, quidam recentiores, qui inter docta naturalia in primo homine etiam pugnam referunt Rationis & Appetitus. Tertiò Author Anglus in Animi Medela libr. 2. cap. 5. cujus sunt sequentia: Dicimus primò, affectum sensitivum ante lapsum Adami, ejus voluntati, imperio *despotico* subditum non fuisse, probabile est: quia nonnulli actus appetitus sensitivi, etiam ante lapsum, voluntatem necessariò anticipant; nam, nisi phantasia Adamo frustra concessa fuisset, ipsum, ad intellectus sui operationem, phantasiæ adminiculo secundùm ordinem naturæ, uti oportuit; prior idcirco foret aliqua phantasiæ operatio, etiam in statu innocentiæ, quàm intellectus operatio, quâ posterior est voluntatis actus. Jam verò, nisi appetitus sensitivi operationem, donec intellectus, adminiculo phantasiæ operantis, operetur, & liberè quoque voluntas consentiat, suspendi existimemus; (quod tamen absurdum videtur, quia appetitui sensitivo, phantasiam sequi, tam naturale est, quam corpori gravi, ferri deorsum) quosdam saltem appetitus sensitivi actus, etiam in statu innocentiæ, voluntati, imperio *despotico* nequaquam subditos fuisse, manifestum est. Præterea, inter rationes, ob quas DEUS semen Abrahami, non verò Angelos assumpserit, licet utrique peccaverint, hæc una est: quòd

quòd Adamus tentatus, lapſus eſt; Angeli autem non tentati, lapſi ſunt: jam verò, præter appetitus ſenſitivi *rebellionem*, nulla vel minima tentatio, cui Adamus ſuccubuit, excogitari poteſt. Nam, quamvis mulier ipſum tentâſſe dicatur, obſervandum tamen eſt, quod (prætermiſsâ allegoriâ, quâ nonnulli per *Evam tentantem*, intelligunt partem animæ inferiorem, (quæ τὸ θῆλυ dicitur) ſtimulantem & tentantem, partem animæ ſuperiorem, (quæ ὁ ἄνθρωπος nuncupatur) nec mulier, nec quodvis aliud objectum, hominem tentare poteſt, niſi excitando appetitum ſenſitivum. Si enim intellectus lumen ſit clarum (ut fuit in Adamo ante lapſum) & appetitus ſenſitivus pacatus, quietus, & voluntati imperio *deſpotico* ſubjectus, nullum eſt ab objectis periculum, (quod in ipsâ tentationis ratione involvitur) niſi motum aliquem inordinatum appetitus ſenſitivi excitent. Unde Jacob. 1. v. 13. 14. *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam à DEO tentatur. DEVS enim intentator malorum eſt*, (ſeu, ut alii vertunt) *malis tentari non poteſt) ipſe autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus*: quæ concupiſcentia non eſt peccatum. Nam in v. 15. *Concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum.* Quidni igitur Adamus à concupiſcentiâ ſeu ab appetitu ſenſitivo tentetur? Concupiſcentiâ enim tentans, abſtrahens & illiciens, (quæ absque *rebellione* appetitus inferioris eſſe nequit) ſecum patitur innocentiam; nam non eſt peccatum, ſed ipſum, ut conceptio partum, præcedit, uti docet Apoſtolus in verſu modò citato. Quòd ſi Adamus *rebelli* appetitus inferioris motu, ad peccandum impulſus & ſtimulatus non fuiſſet, ratio illa naturam humanam potiùs, quam Angelicam aſſumendi, à *tentatione* deſumpta, prorſus corrueret: nam Angeli, qui peccaverunt, & ſua habuerunt ſibi propoſita objecta, non tamen tentati fuerunt. Quia *unusquisque tentatur à concupiſcentiâ ſuâ*, (ut dicit Apoſtolus,) quæ in illis non fuit: & ſine quâ nihil hominem tentat, niſi omne hominis objectum, ipſius voluntatem tentare dicamus; atque ita, & ipſos Angelos tentatos fuiſſe negandum non eſt. Verùm, nomine tentationis hoc modo acceptæ, id eſt, καταχρηστικῶς, non magis idonea eſt natura humana, quam Angelica, ut in unionem hypoſtaticam aſſumeretur. Quòd ſi homo concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus peccaverit, (quo modo Angelos non peccâſſe creditur) ejus quidem peccatum non excuſatur, verùm peccatum minus eſt, quam ſi abs-

que istiusmodi concupiscentiâ abstrahente & illiciente, istud perpetrasset; atque ita, quia homo minus peccavit, quam Angeli, quia à concupiscentia sua tentatus peccavit: ideò ex parte objecti, congrua est *tentationis* ratio, propter quam humana natura *potius*, quàm Angelica; non autem ob quam illa *simpliciter* assumeretur. Porrò, Adamus ex affectu mulieroso, qui probabiliter fuit actus *rebellis* appetitus inferioris, peccasse videtur: quod verò affectu mulieroso peccavit, ex Gen 3. probari posse videtur: nam in isto capite, de nulla peccati sui ratione motivâ mentio fit, præter mulierem & sociam seu uxorem. Etenim ℣.6. *Dedit viro suo, qui comedit.* Et hanc rationem solam agnoscit Adamus ℣.12. *Mulier* (inquit) *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno vita, & comedi*: Eva quoque, eodem modo ad peccandum, quo & universi ejus posteri, stimulata fuit. Concupiscentiâ nimirum carnis, concupiscentiâ oculorum, & superbiâ vitæ, (de quibus 1. Joh. c. 2. v. 16.) ad peccandum solicitata fuit. Serpenti enim dicenti Gen. 3. v. 5. *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum,* credidit, ecce superbiam vitæ! Et ℣.6. *Vidit mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum*, ecce concupiscentiam carnis! *Et pulchrum oculis aspectuque delectabile*, ecce concupiscentiam oculorum! Unde clarissimus vir Thomas Brown, Medicinæ Doctor, Pseudodox. Epidem. l. 1. c. 1. de Adami & Evæ ante lapsum deceptione disserens: *Decepti*, (inquit) *fuerunt sensuum ductu, & tentationibus ab ipso Objecto, quibus etsi facultates intellectiva in veritatis contemplatione non defecerint, inferiores tamen & brutales facultates, rationis motibus contradixere; voluptate & utilitate, honestatis admonitiones jam superantibus, & sensualitate, virtutis juxta rationem imperia, perturbant.*

XXIV.

Inter Affectus appetitus concupiscibilis primum supra dedimus locum Amori, qui describitur, quod sit affectus, quo cum re amata aut unimur, aut perpetuamus unionem, quamvis hâc in parte optatis nostris fortuna non semper respondeat, ut loquitur Scaliger Exercit. 317. sect. 1. & 2. Brevius ab aliis per actualem propensionem appetitus in Bonum, vel unionem affectivam amantis cum amato, definitur. Et à dilectione, charitate atque amicitia differt, quod amicitia significetur per modum habitus, amor autem & dilectio per modum actus, charitas actum quidem, sed non eodem modo significent; nam amor est quod-

dam commune ad reliqua duo; omnis enim dilectio vel charitas est Amor, sed non è converso: addit enim Dilectio supra amorem Electionem præcedentem, ut ipsum nomen indicat. Unde dilectio non est in concupiscibili, sed in voluntate, & rationali naturâ tantum; charitas autem addit supra Amorem perfectionem quandam Amoris. In quantum id quod amatur, magni pretii æstimatur, ut ipsum nomen designat, discrimen hoc assignante Thoma quæst. 26. art. 3. Esse autem Amorem affectionem sive propensionem, patet ex analogia Amoris naturalis, qui dicit inclinationem pondusque quoddam in Objectum. Amores enim corporum, ut Augustinus docet lib. 11. de Civitate DEI cap. 28. Momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate utantur. Amor itaque vitalis quoque propensio, unitiva affectio, unde iterum Augustinus: Amor meus pondus meum; illo feror quocunque feror. Ut autem Amor ut sic pro Objecto habet φιλητὰ & φιλητικὰ, amabilia & pulchra, ut Aristoteles loquitur, sive Bonum generaliter acceptum, ita appetitus sensitivi & Amoris objectum est Bonum quoque ejusdem Generis, nempe jucundum & delectabile, simile & conveniens, videatur Epicharmus apud Laërtium in Vita Platonis. Et dividi solet in Amorem amicitiæ & concupiscentiæ, quorum ille in Bonum secundum seipsum, & tanquam terminum fertur, hic verò in Bonum respicit, ut relatum in alterum, seu ut alteri applicatum vel applicandum. Nam id, inquit Thomas, quod amatur Amore amicitiæ simpliciter, & per se amatur: quod autem amatur Amore concupiscentiæ, non simpliciter & secundum se amatur, sed amatur alteri. Causa etiam statuitur Objecti primo Bonitas & Pulchritudo scil. cognita. Pulchrum enim & Bonum, ut loquitur Dionysius cap. 4. de divinis nominibus, omnibus est desiderabile & amabile, & secundum Augustinum lib. 10. de Trinit. cap. 1. Nullus potest amare aliquid incognitum. Secundò, Similitudo Amantis cum amato, ut docet Syracides cap. 13. v. 19. *Omne*, dicens, *animal diligit simile sibi; sic & omnis homo proximum sibi.* Aristoteles 8. Ethicorum, cujus est illud ὅμοιον ὁμοίου ἐφίεται, simile appetit simile. Ovidius qui ita: Rusticus agricolam, Miles fera bella gerentem, Rectorem dubiæ Navita puppis amat. Experientia quoque suffragante in parentibus, qui natos diligunt in omni genere animantium, & si similitudo odium parit, non hoc est per se, sed per accidens, quatenus duo similes sese impediunt in Assecutione alicujus Boni. Tertiò, ipse Amor. Mon-

ftr. bo, inquit Seneca Epist. 9. tibi Amatorium sine medicamento, sine illius veneficæ carmine, si vis amari, ama. Effectus denique Amoris recensentur à quibusdam, unio amantis cum re amata, mutua inhæsio, Extasis, zelus, languor, liquefactio & fervor. Sed illi sunt Amoris generaliter accepti.

XXV.

Deviarunt à vero hic primò Scotus cum suis, qui negavit Amorem esse actum vitalem, seu procedere ab intrinseco, quia appetitus hic Amoris non sit liber. Secundò illi ex Pontificiis Scriptoribus non multum sunt attendendi, qui difficultates movent de differentia Amoris & Desiderii, cum maneat Amor, si re amatâ potiamur, sed appetentia & desiderium cessent. Quanquam antequam aliquis re quâdam bona potiatur, desiderium conjunctum esse amori non negemus, imo si rem assequatur, desiderare possit fruitionis tractum. Tertiò non admittimus illos, qui negant rectè & adæquatè dividi Amorem in Amorem amicitiæ & concupiscentiæ, & volunt nullum amorem esse, qui non sit benevolentia simul & concupiscentia, quia duplicem Amor quilibet dicat habitudinem, unam ad personam, cui velit Bonum, alteram ad Bonum, quod velit personæ. Secundum priorem habitudinem dicunt esse amorem Benevolentiæ, quia velit Bonum, secundum posteriorem concupiscentiæ, quia bonum concupiscat personæ. Quod placuit Cartesio, qui parte 2. de Passionib. art. 81. p. 38. Ita distinguunt vulgo duas species Amoris, quarum prima vocatur Amor *benevolentiæ*, id est, qui incitat ad bene volendum rei quam amamus; Altera vocatur Amor *concupiscentiæ*, id est, qui efficit ut rem amatam cupiamus. Sed mihi videtur hæc distinctio respicere solum effectus Amoris, non ejus essentiam. Nam quam primum quis se voluntate junxerit cuidam objecto, cujuscunque demum naturæ fuerit, benevolentiâ quoque fertur in illud, id est, ei quoque voluntate adjungit res quas ipsi convenientes credit, qui unus est ex præcipuis Amoris effectis. Et, si judicetur bonum fore illud possidere, aut ipsi associari alio modo quam voluntate, appetitur: quod etiam inter frequentiores Amoris effectus censeri debet. Quem refutat Conterraneus Philosophus scribens: Immeritò hoc negatur. Ratio est, quia tunc est amor amicitiæ, quando ratio volendi bonum est perfectio & meritum personæ; quia scilicet illa digna est tali bono. Tunc autem est amor concupiscentiæ, quando ratio volendi bonum

est

est convenientia; seu bonitas ipsa boni, quod volumus cum tali persona; non autem dignitas personæ: ergo illi duo amores habent diversas rationes formales, & sunt specie distincti; amor enim amicitiæ respicit bonum absolutum, seu meritum personæ; amor autem concupiscentiæ respicit formaliter bonum respectivum, seu convenientiam ipsius boni. Sed hæc aliàs pleniùs, ubi ostendi rationem formalem amandi bonum esse distinctivam utriusque amoris, etiamsi fortasse in amore amicitiæ materialiter inveniatur aliqua etiam benevolentia. Sed rationes tamen formales semper sunt distinctæ, ideoque distincti specificè sunt amores.

XXVI.

Oppositus affectus amoris est Odium, offensio radicata, ut Ludovicus Vives illud appellat, vetus Ira ex pluribus causis collecta, secundùm Augustinum, appetitus amovendi rem aliquam, ut vult Scaliger Exerc. 316. Definitur verò, quod sit Affectus quidam appetitus concupiscibilis, quo malum respuitur simpliciter ut malum est, adeoque inconveniens. Differre ab Ira ostendit Lœlius Peregrinus multis. p. 409. §. 14. *Odium* à detrimento accepto. *Ira* concitatur, si quid in nos aut nostros pravè admittitur, *odium* ob illa etiam, quæ à nobis longè sunt remota; quâ ratione omnem improbitatem odimus quocunque loco existentem. *Ira* nascitur ex factis singularibus, & tendit in hunc vel illum; *odium* ad universa quoque tendit, ad hoc vel illud genus hominum. *Ira* non facilè admittit rationem, ob doloris vehementiam; *odium* magis utitur ratione, quia potest esse absque magno dolore. *Ira* tempore sanatur facilius: *odium* deletur difficilius, imo quandoque à naturâ insitum est insanabile. *Ira* studet afferre dolorem potius, quàm damnum: *odium* damnum potiùs, quàm dolorem. Interim non diffitemur quibusdam hæc non esse ad palatum, qui notant, quod *prima differentia* non sit perpetua: Tam à detrimento, quàm ab injuriâ est ira: uti & odium tàm ab injuriâ, quàm à detrimento, præsertim sæpius allato. *Altera* quoque sit lubrica: nam & absentibus longeque remotis irascimur, quos tamen illicò semper non odimus: Etiamsi enim omne odium procedit ex quadam offensione & indignatione, tamen non omnis offensio & indignatio post se relinquit odium. *Tertia* & ipsa non accuratior: Nunquam universa odimus, nisi prius ab universis aliquo modo offensi simus, iisque indignemur. Unde & *ira* aliquo modo

modo tendit in universa. Dicitur tamen in universa *odium* tendere, quia in singula fertur individua, quandocunque occurrunt: quod & ira facit. Reliquæ *tres differentiæ* ipsis videntur rectius constitutæ: quibus *quartam* addunt: quod *odium* ferè sit occultius, *ira* verò *apertior*. Et *quintam*; quod ira magis lædat violentiâ suâ subjectum, quàm odium: Et *sextam*, quod odium tam repentè non oboriatur, quàm ira: Et *septimam*, quod omne odium ex antegressâ oriatur irâ vel offensione, sive leviore, sive graviore. Quanquam disputari possit, an illæ differentiæ tam sint accuratæ. Unde alii in hisce subsistunt, quod odium sine Ira esse possit, & illud sit in concupiscibili, hæc verò irascibili appetitu. Ab Invidia verò differt Odium, quia *Odio* habemus mala potissimum, aut si quæ bona, tamen sub specie mali: *Invidia* plerumque est rerum optimarum. *Invidia* inter homines, *odium* etiam erga bestias & inter bestias. *Odium* sæpè justissimum: *Invidia* propriè dicta semper turpis. *Odimus* ea, quæ mala esse pergunt: *Invidemus* iis, quorum virtus crescit. *Odium* malefacere cupit, non *invidia*, nisi odio juncta. Dividi solet in Odium abominationis, quo aliquid velut malum à nobis, vel aliis vel conveniens refugimus & detestamur, & Inimicitiæ, quo alicui nolumus Bonum, sed potius volumus mala: ab aliis in Odium bonum & malum, quorsum referunt illud: *Qui diligitis Dominum, odite malum*. Psalm. 97. v. 10. *Timor Domini odit malum*. Proverb. 8. v. 13. Causam ponunt ex parte objecti malum vel tale, vel apparens à nobis apprehensum, ex parte subjecti amorem, cum unius rei amor generet odium alterius. Unde Tannerus p. 368. §. 38 Omne odium oritur ex amore: nam hoc ipso quod aliquid amamus, fit, ut oppositum ejus odio habeamus. Et sicut in speculatione prior est affirmatio, quam negatio, ita in appetitu prior est actus prosecutionis, quam oppositus fugæ ut docet S. Thomas q. 29. a. 2. Et quamvis ob eam ipsam causam, amor ex se fortior sit & potentior odio, sæpe tamen magis sentitur odium, quam amor; quia non est ita secundum naturam animalis, sicut amor. Qua ratione etiam magis sentitur frigus naturali calori animalis contrarium, quam temperatus calor eidem naturali calori affinis, juxta S. Thomam ibidem a. 3.

XXVII.

Illud hic maxime disputatur, an odium sit per modum fugæ, an verò per modum persecutionis. De quo audiendus Rodericus ab Arriaga, Subsectione primâ: qui primo Statum Controversiæ exponit & scri-

& scribit: Pro intelligentia illius adverte, nolitionem hîc non accipi negativè; eo enim sensu idem esset ac non volitio; tunc autem odium esset potiùs carentia actus, quàm actus; quod ex terminis falsum est: constat enim, odium esse verum & realem actum. Quæstio ergo præsens ut benè intelligatur sic est proponenda, utrum odium doloris, v. g. sit appetitus seu prosecutio carentiæ doloris, ideoque sit formaliter amor carentiæ, dicatur autem odium respectivè ad dolorem, quia amatur contradictorium illius; an verò sit aliquis actus, qui ad ipsum dolorem verè terminetur, ipsum aversetur, in eoque displiceat. Postea recenset opinionem, & pergit: Aliqui opinantur, omne odium esse formalem prosecutionem: quorum fundamentum est, quia omnis actus potentiæ appetitivæ debet esse appetitus. Confirmant primò, odio habere, est, appetitum disjungi ab aliquâ re; sed hoc est amare illam disjunctionem, ergo. Secundò à simili ex intellectu; nam ipsum dissentire, est, cognoscere objectum non esse ita; ergo displicere in objecto est appetere non existentiam illius. Pater Suarez supra sect. 7. ita hanc sententiam approbat, ut dicat, odium quà tale non consistere formaliter in amore carentiæ; explicetur tamen à nobis per illam. Tandem definit: Dicendum est in hac quæstione primò, non omne odium, etiam virtualiter, æquivalere volitioni seu amori carentiæ objecti. Ita Pater Suarez supra; ubi id inde probat: nam aliquando displicentiam habemus in aliquo malo, nec tamen per hoc volumus illius carentiam: cùm enim mihi proponitur res in se mala & turpis, quæ mihi tamen nullum incommodum fert; quis dubitet, posse me in illâ habere displicentiam per quoddam odium; per hoc tamen non opto ullo modo ejus carentiam. Quod si dicas saltem tunc, opto separationem ab illâ; & ex hoc capite ille actus erit formaliter amor. Respondebit, ideò se dixisse illam rem nullum afferre incommodum odio habenti; inde enim præcluditur via objectioni huic; non enim est cur ego tunc eam separationem à me optem & amem, si in eâ nullam invenio rationem boni mihi, quandoquidem è contrario nullum malum ea res affert. Nihilominus tamen hæc ratio nullo modo potest sustineri; quia si tunc non amo me aut aliquod objectum bonum; ergo potest voluntas incipere immediatè ab odio, si proponatur illud objectum fœdum, & voluntati illud displiceat; hoc autem falsum est; nam suprà dixi, in omni odio semper esse amorem alicujus subjecti, eò quòd nulla res sit essentialiter in se

mala, sed solùm respectivè ad alium, ex cujus amore odio habetur talis res; quod & ipse Pater Suarez admittit; inde enim clarè infertur, illud odium debere esse volitionem saltem virtualem separationis ejus rei malæ ab eo cui inest, seu cui apprehenditur mala. Ad argumentum respondeo, rem eam fœdam saltem esse molestam nobis, quatenus illam intuemur; ut est molesta auditui mala musica; tunc autem saltem à nobis eam removere cupimus, ne eam intueri aut audire cogamur; est ergo jam virtualiter in eo actu ratio aliqua appetitus; ergo ea ratio pro nostrâ conclusione non est sufficiens. Sufficiens secundò suadetur; nam potest quis odio habere inimicum, esto non optet illum mori; illud autem odium non potest esse volitio virtualis alicujus negationis. Dices, vult illi virtualiter aliquod malum. Sed contrà, quia non est id necessarium semper. Contrà secundò, quia esto ex illo odio & displicentiâ sequatur deinde alius actus, quo illud malum optetur; certè primus actus non id optabat, sed solum habebat displicentiam in eo objecto, id quod magis sequenti conclusione confirmo. Dico ergo secundò, sive odium includat virtualiter volitionem carentiæ, sive non, certissimum debet esse, illud non consistere formaliter præcisè in eâ volitione carentiæ objecti. Hæc est communis, & videtur manifestè inde suaderi; quia alioquin omnis omnino amor esset in tanto rigore odium; hoc autem est evidenter contra omnes, & contra experientiam, ergo. Probo sequelam; nam si odium Petri nihil est aliud quàm amor contradictorii; ergò amor Petri erit odium respectu carentiæ Petri: & sicut ille actus, quia est amor unius contradictorii, dicitur odium respectu alterius contradictorii; ita necessariò omnis amor dicetur odium respectu contradictorii objecti ejus quod amat: quod enim contradictorium sit negativum aut sit positivum, est per accidens ad punctum præsens; cùm etiam ipsæ privationes ponantur ut objecta vera & realia amoris & odii. Porrò id esse contra omnes, est certum; quia alioquin non dicerent, amorem distingui ab odio, sed omnem amorem esse odium respectu unius contradictorii; & è contrario, odium omne esse amorem respectu alterius objecti. Quod item id rationi seu experientiæ manifestè repugnet, patet: experimur enim longè aliter nos ipsos affici actu odii quam amoris; ille enim affligit, hic recreat; item quando odio habemus, non recurrimus ad eas negationes objecti: quis enim dixit, necessarium esse reflexè nobis negationem Petri proponi

ut bo-

ut bonam; quod si non fiat, non posse nos odio habere Petrum; Certè manifestè contrarium experimur; nam immediatè nobis Petrus ipse proponitur ut malus; imò si negatio illius deberet nobis proponi tunc ut bona, ideò formalissimè, quia Petrus priùs propositus est ut malus; in hac autem primâ propositione non potest recurri ad negationem Petri, aut ad bonitatem negationis; positâ autem eâ præcisâ cognitione malitiæ, jam voluntas potest odio habere illud objectum; ergo illud odium formaliter non est amor bonitatis propositæ in carentiâ Petri. Hinc magis confirmatur quod in primâ conclusione dixi, non omne odium esse volitionem etiam implicitam negationis: cùm enim ibi non sit proposita per cognitionem negatio ulla, non potest ea nec implicitè amari, nisi valdè impropriè: id quod ad quæstionem de nomine pertinebit, quatenus ratione alterius actus, qui ex eo potest inferri, & quo amari potest ea negatio Petri, primus dicitur implicitè amor negationis non actu, sed virtute. Id quod non gravabor admittere. Secundò probo conclusionem exemplo actuum intellectus. Certum enim est, in intellectu dari duos actus ex ipso positivo modo tendendi diversos; quorum unus sit affirmatio, alter negatio. Quando enim dico, Petrus v. g. non currit, non affirmo tunc expressè quidquam; non enim ille formaliter est idem cum hoc, Existit negatio cursus: nam licet re ipsâ æquivaleant sibi, maxima tamen est in formali constitutivo, imò tanta, ut hunc secundum actum tanquam aliquid de fictione habentem, quatenus apprehendere videtur negationem per modum entis positivi, DEO indignum ferè omnes judicent; & licet ego docuerim, probabilius esse, DEO non repugnare talem modum cognoscendi, certissimum tamen est, illum esse diversum ab altero, quo diceret, *Petrus currit*; ergo pari etiam ratione in voluntate diversus erit actus ille odii, qui dicit, *nolo hoc*, ab eo, qui diceret, *volo carentiam hujus objecti:* nec est major ratio, ut odium dicamus esse voluntatem carentiæ, quàm ut amorem dicamus esse nolitionem carentiæ oppositæ objecto, quia tam notus est unus ac alter actus.

XXVIII.

Non autem probamus primò sententiam Ludovici Vivis, qui offensionem radicatam supponit pro odio, quem refutat Scaliger Exerc. 316. Quanquam non videatur aliis ab odio abesse omnis offensio: Est enim, ut observant aliqui, contrarium amori odium. Ut igitur cum amore con-

conjunctum offensionis contrarium, ita ab odio non videtur aliena esse offensio. Et quæ causa tandem odio non habendi, quâ nihil occurrat, quod meritò averseris, quod nullâ offensione animum & affectum alienet. Quod contra radicationem disputat Scaliger, nempe purum animum illico mendacem odisse; quod verò radicatur ex tempore non nasci, non adeo Vivem urgere volunt. Quia Odium, quo purus animus mendacem illicò prosequitur, non natum sit ex tempore. Odit enim purus animus mendacium etiam ante, quàm hunc vel illum mentiri novit: ad quem postmodum applicat odium, quod adversus mendacium ex lege DEI vel naturæ gessit ante. Secundò Philippi Melanchtonis, qui iram inveteratam urget, quem Scaliger quoque impugnat. Sunt tamen quidam, quibus non sine ira odium videtur esse; quia nunquam sine offensione est: vix autem est, ut offensio absque ira sit. Ab offensione videtur esse ira, vel gradus quidam ejus, ab ira odium: quod, ubi consedit nonnihil ira, tamen adhuc durat & stimulat animum, ut subinde recrudescat ira: quæ, durante odio, vix unquam penitus est exstirpata. Tertiò Cartesii, qui ut Amor ipsi est commotio aliena producta motu spirituum, qui eam incitat ad se voluntate jungendum objectis, quæ ipsius convenientia videtur, ita Odium definit, quod sit Commotio producta à spiritibus, quæ animum ad id incitet, ut velit separari ab Objectis, quæ illi offeruntur ut noxia.

XXIX.

Tertia Passio Appetitus concupiscibilis est Desiderium, quod alio nomine dicitur Cupiditas & Concupiscentia, atque describitur per Affectum Appetitus Concupiscentis; quo inclinat animal in bonum absens sive futurum, vel quod æstimatur futurum. Scaliger Exerc. 317. sect. 2. vult dictum, quasi aliquid de sideribus petamus, & inclinationem dicit esse voluntatis ad habenda Bona, quibus caremus, aut ad exutienda mala, quibus premimur: sed in inferiori occupamur hic facultate. Distinguitur ab Amore, quod necessario requirat bonum absens, & à Gaudio, quod de Bono possesso, nec non Abominatione, quæ dicit fugam à malo, quatenus imminet, cum desiderium referat prosecutionem objecti, & dividitur in naturale, quo appetuntur, quæ ad naturalem statum animalis faciunt, & non naturale, quod cum ratione conjunctum. Et quidem priores concupiscentias Aristoteles 1. Rhet. cap. 11. vocat irrationales, posteriores verò cum ratione; præterea in Efficax & inef-

effi-

efficax. Inefficax est, quo quis desiderat quidem habere aliud bonum, non tamen omnino resolutè, ideò non applicat media, quæ ad illud consequendum efficacia judicat; quod ex duobus capitibus contingere potest: vel quia non est amplius in potestate intendentis; si enim esset, tunc ea adhiberet: ejusmodi autem desiderium dici solet efficax, quantum est ex parte intendentis, seu secundùm se; per accidens verò inefficax; vel quia re ipsâ non adhibet media efficacia: nam licet sit in potestate operantis ea adhibere, pro sua tamen libertate id non vult, seu se ad id non determinat. Causas habet quas Amor: Effectus, lachrymas, suspiria, gemitus, anhelationem. Unde Doctores Effectus Desideriorum dicunt esse primò vexationem incredibilem eorum, qui desiderant. Secundò acuere industriam desiderantium, ideoque fastidiri, quæ in promptu sunt; in vetita exardescere appetitum. Tertiò unum desiderium ex alio pullulare, neque satiati appetitum adeptione rei desideratæ, quia caducum est & leve omne quod desideramus, nisi ad æterna & increata bona figatur desideriorum anchora.

XXX.

Abominatio, quæ aliàs passio innominata dici solet, est Affectus Desiderio contrarius, quo fugimus Malum nondum præsens, ne id nos corripiat: Et ab aliquibus dicitur *timor*, ab aliis *fuga*, formaliter autem esse videtur desiderium quoddam, quod versatur circa rem malam, ut malam, & ex odio intrinsece nascitur, & patet, nam *contrariorum eadem est ratio*, sicut *quot modis dicitur unum, dicitur & aliud*: ergo sicut ex amore boni sequitur motus in bonum, ut sic, ita ex odio mali sequitur motus ex parte objecti contrarius alteri motui, qui ex amore sequitur: motus vero voluntatis est desiderium. Si quæratur, quid desideret voluntas hoc motu. Respondetur primo, & præcipue re ipsa separari ab illo malo, & quia interdum satis est ad satiandum ipsum affectum odii, ideo simpliciter non est necesse aliquid aliud ex vi odii desiderare: si vero odium sit efficacissimum, & intensum, vel malum, quod odio habetur, non possit aliter vitare nisi destruendo ipsum, hoc ipsum desiderari potest hoc actu, nam revera hoc per se pertinet ad istam passionem, quamvis enim sit fuga, non tam id habet ex affectus modo, quam ex modo objecti, quia nimirum præcipua ratio ejus est appetere separationem, quod fieri solet fugiendo. An vero desiderare malum alteri possit sub alia ratione ad alias passiones pertinere alibi

 dispu-

disputatur. Quod vero D. Thomas 1.2.q.46. art.2. ad 6. ait hanc voluntatem pertinere ad odium, vel *causaliter* tantum intelligendum est, vel si intelligitur *formaliter*, ut ipse indicat, non satis intelligitur, quid sibi velit, & multo minus, quod Cajetanus commentatur, nam ponit hanc fugam, & desiderium in quibusdam actibus simplicibus, amorem vero, & odium in quadam complexione, quia dum amo, volo bonum alteri, dum odio habeo, volo malum, nam potius videtur contrario modo dicendum esse, ut ex dictis patet.

XXXI.

Delectatio est affectus appetitus sensitivi in Bono sensibili præsenti acquiescens, aliis dicitur Lætitia vel Gaudium, quod definitur per affectum, quo bonum præsens & obtentum amplectimur, fovemus & tenemus, aliis dicitur complacentia appetitus circa Bonum objectum, vel actus circa Bonum amatum, ejusque objectum primarium est Bonum præsens, secundarium verò à quibusdam Bonum præteritum & futurum, quatenus præsens quasi animo exhibetur, atque per hoc objectum differt gaudium à quocunque alio affectu, utpote ad quod tria requiruntur, possessio scil. & præsentia Boni sub ratione convenientis, conjuncti cum potentia possessionis, cognitio & amor illius Boni, quæ tria quoque habent rationem causæ. Effectus autem recensentur à Philosophis quinque: Primò, quod perficiat, & acuat operationem, de quo 10. Ethic. c. 4. & 5. ratio est, quia delectatio complementum quoddam est & terminus operationis: ergo formaliter reddit illam perfectiorem. Deinde suavitas stimulat operantem ad acriùs & perfectiùs operandum. Sed observat tamen Philosophus 6. Ethic. c. 5. & 7. Eth. c.11. quod delectatio maximè obstet cognitioni, quando est de operatione, quæ non est cognitio; quando enim delectatio est de cognitione ipsa, potiùs eam acuit, ideò delectationes corporis hebetant intelligentiam; vim enim omnem ad se derivant. Secundus effectus delectationis est, quod pariat sitim & desiderium. *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum.* Duplicem ob causam sic evenit. Prima est ex parte objecti delectabilis, si bonum illud de quo delectamur, imperfectum sit; cùm enim illo non satietur appetitus, cujus capacitas infinita est, necesse est ut ille statim ad aliam inhiet voluptatem. Hujusmodi sunt creata omnia bona, quibus degustatis, tollitur statim omnis eorum æstimatio & sapor, nauseatque statim anima super cibo illo levissi-

vissimo. Secunda causa est ex parte possessionis, seu operationis, quâ bonum delectabile nobis conjungitur; tametsi enim illud sit perfectissimum, si tamen imperfectè tantùm possideatur, imperfecta delectatio est. Hujusmodi est gaudium, quod hîc habetur de DEO imperfectè cognito; per illud enim quis excitatur illum meliùs cognoscendi. Dicitur etiam sitim causare perfecta delectatio, eo quod tollat omne fastidium, quale solent habere illi, qui adhuc cupiunt. Hujusmodi enim est gaudium Beatorum in cœlo, quod ita satiat, ut conjunctum tamen sit cum siti: *Qui bibunt me, adhuc sitient; & qui manducant me, adhuc esurient.* Tertius effectus est fastidium, quod delectationem quamlibet sequitur perceptam ex creatis bonis. Ratio est, quia delectatio quælibet conjunctum dolorem habet, unde causat displicentiam. Secundò bonum finitum capacitatem infinitam appetitus non implet, sed detinet aliquandiu & occupat; statim autem odium & fastidium sui parit. Aliam rationem addit Philosophus 7. *Eth.* in fine, petitam ex conditione naturali hominum, quæ simplex non est, sed ex multis composita, unde amat varietatem & mutationem: si autem alicujus natura simplex sit, inquit, ei semper eadem actio erit jucundissima, ideo DEUS unâ semper, & simplici delectatione gaudet. Quartus effectus spectat ad corpus, gaudium enim cor dilatat; appetitus enim insidens cordi amplificatur, & grandescere quodammodo vult ad pleniorem objecti possessionem. Hinc etiam oritur, ut in oculis, totoque homine decorus quidam nitor appareat propter effusionem spirituum, ex qua etiam risus efficitur, & hilaritas ac rubor, propter moderatum calorem.

XXXII.

Errare verò censemus illos, primò quosdam Scotistas, qui volunt, Gaudium esse puram passionem, aut etiam Qualitatem non vitalem, sed esse potius passionem; ità censuit Subtil. 3. d. 15. q. 1. n. 8. 9. 10. & 11. maximè autem ille 9. ubi palam ait *illud, quod inclinatur, recipere à perfectivo perfectionem, quæ dicitur delectatio*: ecce delectationem receptam, non verò productam secundum Scotum; unde ibidem statim: *Quæ quia non est in potestate passivi in præsentia agentis, dicitur passio*, &c. Si enim non sit actio, nihil relinquitur quod sit, nisi passio. Præterea probatur ex eo, quod delectatio non sit in potestate sensus, nec sentientis, quantumvis liberi; at vero si foret actio, esset in potestate agentis, ergo. Major experientiâ convincitur: sed quia dici potest ideo dele-

delectationem non esse in potestate hominis, quia operatio jam elicita non est in potestate ejus, ostendere conantur Scotistæ delectationem & similia non catenus esse necessaria quatenus actio producta necessariò recipitur; quia cessante actione non cessat delectatio vel dolor, nam qui passus est magnum damnum, v.g. mortem patris sui, etsi non cogitet de mortuo, & consequenter non habeat nolitionem actualem ejus, adhuc dolet, & est tristis, ergo jam hæc secundùm illos non sunt necessaria necessitate solius actionis, sed necessitate sua, quæ est passionis. Deinde notant sæpe optare posse coërcere lætitiam, timorem, &c. nec tamen posse; adeoque manifestum esse ea non esse nobis libera; sed si essent actiones certissime essent liberæ, ergo signum esse censent, quod non agamus hæc, sed patiamur. Secundò, qui cum Guilielmo Occamo putant lætitiam posse oriri, nullo præcedente amore, quia in appetitu sensitivo nullus actus sit medius inter objecti notitiam & delectationem, seu lætitiam ejusmodi & in voluntate, & aliquis mutari possit, immediatè de objecto, quod cognoscit jucundum, nec non adesse actionem, ex qua tamen delectationem nolens hauriat, ut exemplo virginis per vim compressæ constet. Primùm enim supponit, in appetitu sensitivo non esse medium actum inter objecti notitiam & delectationem, secundùm itidem petit principium, nempe posse aliquem immediatè lætari de objecto, ut & tertium: nec exemplum virginis aliquid demonstrat, si enim delectetur virgo compressa, actu venereo non delectatur, absque omni amoris affectu. Tertiò, qui cum Barone volunt supervacaneum esse resolvere & vix possibile, quid sit voluptas & delectatio. Cum enim objiceret sibi, quod Voluptatem vitaliter percipiamus. Vita autem non consistat in passione, imò si delectatio vera esset passio, mortuo inesse posset pressus difficultate agnovit non posse solvi hoc per omnia.

XXXIII.

Agmen claudit Dolor, qui opponitur delectationi, quique alio nomine dicitur Tristitia, quanquam hæc non tam ad appetitum sensitivum, quam rationalem referatur. Describitur quod sit Affectus, quo appetitus sensitivus cum molestia malum jam præsens aversatur. Vel quod sit motus animæ motus ex perpessione; quæ fit in corpore vel ex perceptione exterioris sensus, vel etiam interioris, ut est phantasia, interim dum tribuitur corpori, seu sensui externo secundum Augustinum,

non nisi causaliter illud erit intelligendum, quia causa doloris in corpore, seu externo sensu scil. cum patimur aliquod motivum in corpore, cum tamen motus doloris semper sit in anima, quia corpus dolere non potest, nisi dolente anima, ostendente hoc Augustino lib. 12. super Genes. cap. 24. unde duplex dolor secundùm Thomam. Alius enim causatur ab ipsa sensatione dissona seu læsione sensus externi, tactus, ut cum aliquis vulneratur; alius causatur à sola apprehensione interiori; ille absolute vocari solet dolor, hic vero proprie tristitia: qui duo dolores ita inter se comparantur, & ut per se & ex suo genere major & vehementior sit dolor internus, quam externus, ut docet S. Thomas hic q. 35. a. 7. Et quamvis ex suo genere & quasi materialiter omnis dolor quandam habeat oppositionem cum gaudio seu delectatione, formaliter tamen & secundum specificam rationem non item: ut docet idem S. Thomas hic q. 35. a. 3. & 3. part. q. 84. a. 9. ad 2. ubi addit: *Tristitiam & gaudium non compati sese mutuo quidem, ut sunt passiones in sensu, non solum ex eodem objecto, sed etiam ex diverso, ex parte motus cordis: quia gaudium est cum dilatatione cordis, tristitia verò cum districtione, &c. sed ut sunt motus voluntatis, non pugnant*, inquit, *inter se, nisi circa idem objectum, &c.* nisi quod summa delectatio de quovis objecto naturaliter excludit omnem dolorem & tristitiam, juxta Aristotelem 7. Eth. cap. ult. & l. 10. c. 5. ut pluribus Vasquez hic disp. 16. num. 13. Objectum autem Doloris est vel remotum, e. g. malum præsens, vel id, quod sensui disconvenit, quale quid in tactu divisio continui, combustio & similia; vel proximum, quale quid perceptio, seu actio sensus percipientis objectum illud inconveniens. Caussæ verò Doloris recensentur I. bonum amissum, vel malum conjunctum. II. Concupiscentia, si objecto obstaculo retardetur, ne quis concupitum adipiscatur. III. Naturalis appetitus unitatis ejus, in qua consistit perfectio naturæ, si quid huic unitati contrarium accidat, ut fit per incisionem continui, juxta Aristotelem 10. Ethic. c. 3. & Augustinum 3. de arbitr. c. 23. ubi ait: *Ex dolore, quem bestiæ sentiunt, satis apparet, in regendis animandisque suis corporibus, quam sint animæ appetentes unitatis. Quid enim est aliud dolor, nisi quidam sensus, divisionis vel corruptionis impatiens.* Sed hæc caussa sub prima comprehenditur. IV. Causa doloris non objectiva, sed efficiens, est de natura boni c. 20. *In animo dolorem facit voluntas resistens potestati majori; in corpore dolorem facit sensus resistens corpori*

O poten-

potentiori. Resistentem intelligit repudiantem seu aversantem: *Si enim non resisteret, sed cederet consentiendo, non sequeretur dolor, sed delectatio.* De qua re plura S. Thomas q. 26. Effectus à quibusdam recenseri solent sequentes: Primò enim rectè dictum est à S. Bernhardo lib. de interiori domo, c. 52. tristitiam impedimentum esse omnis boni; nam turbat & impedit omnem operationem rationis, & intelligentiæ, si fuerit immodica; tunc enim, cùm tristitia mentem occupat, nihil vel intelligere, vel rectè concipere potest animus, eo quod objectum doloris totam ad se trahat vim intelligendi, absumat spiritus, corpus aggravet. Deinde appetitum etiam totum occupat, trahitque ad se voluntatem, adeo ut nec placere possit virtus, neque rectum ullum consilium ritè suscipi, mente undique obsessa, fatigato appetitu, corpore debilitato. Sicut enim tinea vestimento, & vermis ligno, sic tristitia cordi nocet, ut habetur Proverb. 17. Secundò nocet etiam corpori, cor enim maximè contrahit, adeò ut aliquibus post mortem inventum sit cor non latius membranâ. Causat etiam sanguinis & spirituum contractionem ad Cor, & sic eos avocans ab instrumentis sensuum; unde sequitur macies, & ossium exsiccatio, eo quod evocentur spiritus ad cor, quod cum illis gravetur, erumpunt suspiria, & sic cor levatur; erumpunt etiam lachrymæ, quia cerebrum etiam contrahitur, videturque per eos quasi tubos ipse dolor quodammodo evaporare, ut ait Basilius homilia de gratiarum actione. Denique qui dolent, societatem hominum fugiunt, amicorum solatia illis sunt molesta, nihil eis placet præter cogitationem rei, de qua dolent. Aliis Effectus doloris sunt primò, quod sæpenumero, si admodum intensus sit, aufert omnem addiscendi seu studendi voluntatem & facultatem; ut suo exemplo ex dolore dentium testatur Augustinus lib. 1. Soliloquiorum c. 12. Secundus effectus doloris est, quod cum ex malo præsenti contingat, animum deprimat & aggravet, & quandoque etiam simul & corporis, & animi motum impediat, juxta illud 2. Corinth. 2. *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur.* Tertius juxta Aristotelem 10. Ethic. cap. 4. Sicut Delectatio perficit operationem, ita è converso tristitia impedit ac debilitat. Quartus denique tristitia per se ac ex suo genere magis nocet corpori, quam ullæ aliæ animi passiones: eo quod vitalem cordis motum ac influxum in cætera membra constringit & impedit; cum è contrario passiones, quæ in prosecutione consistunt, eum motum ac influxum potius promoveant.

Id

Id quod etiam Scriptura sæpius indicat Proverb. 17. v. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit; spiritus tristis exsiccat ossa.* Et Proverb. 25. v. 20. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Et Eccl. 38. v. 19. *A tristitia festinat mors, & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit cervicem.* Addit Thomas hîc q. 37. a. 4. ad 3. ipsam etiam tristitiam *quandoque auferre; sicut patet*, inquit, *in his, qui propter dolorem, in melancholiam, vel maniam* incidunt.

XXXIV.

Dissentiunt primò hic Doctores Pontificii in distinctione Doloris & Tristitiæ, inprimis circa verba Thomæ, de quibus Rodericus ab Arriaga pag. 332. sub sect. 1. scribens: Circa differentiam inter dolorem & tristitiam observat D. Thomas art. 2. illum dolorem, qui causatur ex apprehensione interiori, dici tristitiam; illum verò, qui præcisè causatur ex exteriori, dici dolorem sine addito. In qua doctrina eam ego difficultatem invenio, quòd omnino dolor videatur causari ex apprehensione interiori; ergo ea distinctio nulla est. Probo antecedens; nam dolor omnis (de quo hîc agimus) est actus potentiæ appetitivæ; atqui potentia appetitiva interior non regitur immediatè cognitione sensus communis (ut suppono ex libris de Anima) nec videtur Thomas nomine potentiæ interioris intelligere solam animam quà rationalem; sic enim facilè dici posset, dolores animæ rationalis quà, tales, dici tristitiam, dolores verò corporales retinere illud commune doloris Non, inquam, in eo sensu agit D. Thomas; nam ibidem ad secundum expressè videtur ostendere, nomine potentiæ interioris se intelligere vel sensum communem, vel animam rationalem, quod magis declarat art. 7. in corpore. Arbitror, D. Thomam non sic intelligendum, ut velit dicere, aliquem dolorem solùm dirigi cognitione externâ; id enim jam ostendi falsum: mens ergo illius est, quòd illi dolores, qui saltem mediatè caussantur ex sensatione externâ, licet eam immediatè etiam percipiat sensus internus, non vocentur tristitia, sed dolor; tristitia verò vocentur, quando non est sensatio ulla exterior disconveniens, sed de objectis solâ interiori imaginatione propositis tristatur homo: sic non solet homo dici tristis, quando dolent illi vehementer dentes, v. g. aut patitur aliquam aliam corporalem afflictionem; tunc enim dicitur dolens, patiens; at quando ex apprehensione vel mortis amici vel alterius rei est afflictus, dicitur propriè tristis. Quod sufficiat pro

quæstione de voce. Secundò, singularis est Author Medelæ Animæ qui libr. 3. cap. 1. pag 367. Ita perorat: *Doloris objectis, ut causis non nobismet ipsis dolores nostros universos imputamus, sed immeritò.* Objecti in actus voluntatis influxus *physicus* est. Nullum objectum voluntati *dolendi necessitatem* imponit. Voluntas est *αὐτοκίνητος*, movetur *αὐτεξουσίως*. *οὐ δυνατὸν* (inquit Simplicius in Epict. Ench. c. 1.) *ἔξω κινεῖσθαι τὴν αἵρεσιν*, id est, *Voluntas extrinsecùs moveri non potest.* Objecta accusamus. Quid ita? An quia *dolor*, nostræ voluntati ut origini ipsum imputando, augetur? An quia ipsum retinendo, ejus tamen causam objectis ascribendo, levatur? Si objecta ratione forent prædita, ad hunc modum suas instituerent vindicias: Nobis, ô homo, aliqualis in corpusculum, in reculam potestas concessa est; hanc nobis permittito. *Libertas* tua est, per ipsam extra & supra omnem nostram ditionem constitutus es; hanc Tibi permittimus. Nostra potestas exercenda non est, quia Tu tuam non exerces; nec nostri dominii limites ignores, nec Tuæ dignitatis obliviscaris. An adeò vilis tibi *libertas*, ut eam rerum pessimarum imperio subjicere non pudeat? Nobis, nos pro actuum tuorum dominis & caussis agnoscendo, non tam gratificaris, quàm nobis *dolorem* tuum imputando calumniaris. *Libertas* rerum etiam tuo ipsius judicio vilissimarum prostibulum facta, nostrum opprobrium est. *Quamobrem non inconcinnè (meherculè) hâc super re hujusmodi ab Æsopo narratur Apologus, quòd scilicet, cùm genitis à se Diis honores & munia singulis ascriberet Iuppiter, accessitque ad eum cum aliis etiam luctus, sibique hujusmodi quippiam expostulasset, Iovem dixisse, hoc se illi concedere munus, ut solis scilicet iis, qui voluissent, & illum elegissent, semper adesset. Et profectò ita se res habet: principio enim unusquisque mœrores luctusque ad se advocat, & admittit, quæ assuetudine postmodum, si neglecta fuerint, & tempore confirmata, ceu domestica animis familiariaque jam effecta, haudquaquam faciliter inde dejici extrudique possunt.* Nicolaus Leonicus de lubito compescendo. Tertiò, non ita benè philosophatur Renatus des Cartes, qui in libro de passionibus parte secunda, art. 92. pag. 44. Tristitiam dicit esse Languorem ingratum, in quo consistat incommoditas, quæ obvenit animæ ex malo, aut defectu, quem impressiones cerebri ipsi repræsentet ut suum. An autem Dolor exterior sit major, quam interior, disputat Rodericus ab Arriaga pag. 333. sub sect. 2. Ratio dubitan-

bitandi est, quia habent inæquales causas; exteriores enim desumuntur ex his, quæ repugnant appetitui ipsi solùm mediatè, quatenus repugnant sensibus; at dolor interior desumitur ex his, quæ repugnant immediatè ipsi appetitui. Deinde apprehensio imaginationis fortior est, quàm apprehensio sensus; ergo dolor interior, qui sequitur apprehensionem interiorem, vehementior erit quàm exterior, qui sequitur exteriorem. Confirmatur à posteriori, qua sæpè quis libenter sustinet dolores exteriores, ut evitet interiores. Ego in hoc discursu invenio inprimis difficultatem, quam supra tetigi, quòd videatur D. Thomas supponere, dolorem exteriorem non dirigi apprehensione imaginativâ; id quod jam dixi falsum esse. Secundò, si loquamur propriè de imaginativa v.g. in bruto, aut in homine, quà est animal, rarissimi dolores sunt in appetitu, qui non desumantur saltem indirectè ex sensibus; unde vix invenio dolores immediatè contrarios appetitui; brutum enim vel quia læditur in aliquo sensu, vel quia læditur in aliquo sensu, vel quia aufertur ei aliquid, quo fruebatur per sensus, dolet; ergo ibi non habet locum ea differentia de oppositione immediatâ vel mediatâ cum ipso appetitu: si verò loquamur in homine, quà rationalis est, tunc posset habere locum ex parte ea doctrina, licet adhuc universaliter non sit vera; quia etiam homo spiritualiter dolet, non solùm de his, quæ sunt immediatè contraria potentiæ volitivæ, sed etiam soli animæ, sicut per imaginationem dolet de his, quæ sunt contraria corpori; deberet autem tunc reddi ratio, cur vehementiùs doleat de contrariis animæ, quàm de contrariis corporis; & ibi dici posset, quia anima nobilior est corpore, & magis immediata seu intima sibi, quàm sit ei corpus, quidquid tamen de hoc sit. Præterea dico, regulam generalem in hoc puncto assignari non posse; quia licet ex se, cæteris paribus, mala spiritualia sint majora, non tamen ideò quodlibet spirituale est majus quolibet corporali. Certè cum amor pecuniæ ad potentiam spiritualem, quà talem pertineat, juxta D. Thomam; non ideò magis, quis dolet se amisisse decem florenos, quàm si aduratur ei manus; quod pertinet ad materialem dolorem & externum: & idem dicam de ipso honore; non enim fugit fortiùs quis decrementum alicujus honoris, dummodò non reddatur ullo modo infamis, quàm perpetuos dolores calculi, aut alios similes; ergò talis libentiùs fugiet eos cruciatus, quàm eam carentiam, quæ pertinet ad interiores potentias rationales. Constet ergo in hoc puncto

non posse generalem regulam tradi. Alii verò ita pag. 440. Tristitia & dolor *exterior* est, qui oritur ex læsione corporis, adeoque repugnat appetitui propter corpus: *Interior* ab alio objecto excitatus, & per imaginationem vel rationem apprehensus repugnat appetitui sine respectu ad corpus. Hinc *affirmativa* quæstionis eligitur & probatur primò, quia interior dolor repugnat appetitui per se, exterior verò propter corpus. Atqui magis repugnat, quod per se, quàm quod per & propter aliud repugnat. Secundò, quia apprehensio rationis & imaginationis altior est, quàm apprehensio sensus tactus. Atqui dolor interior apprehenditur per rationem & imaginationem, exterior per sensum tactus. Tertiò, quia dolores exteriores, quandoque voluntariè suscipiuntur, ut evitentur interiores: adeoque illi per comparationem appetitui interiori non repugnant, sed sunt quodammodo jucundi. Ut si quis suam affligat carnem, ut illibatam retineat mentis & conscientiæ tranquillitatem. Quartò, quia Ecclesiastici 25. v. 17. *Plaga cordis omni plagâ major* dicitur: illa verò tristitia animi interior est. Et graviter Chrysostomus Epist. 8. ad Olymp. *Tristitia animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis, & judicium omni judicio vindictaque deterius. Nam & vermi similis est venenato, non solum carnem, sed & animam ipsam perimens, & tinea non solum ad ossa, sed ad corda pertingens, & perpetuus quidam carnifex, non animam dilacerans, sed vires animæ consumens, & jugis nox & tenebræ profunda, & tempestas & turbo, febris, & non apparens, omni igni validius incendens, & pugna requiem non habens.*

XXXV.

Ad Appetitum irascibilem refertur primò Spes, quæ est passio appetitus irascentis, quâ animal fertur in Bonum absens, difficile &, arduum, apprehensum tamen sub ratione possibilis. Dicitur passio appetitus irascibilis, scil. prout distinguitur à Spe infusa, & illa, quæ aliâs sedem suam habet in voluntate, unde etiam in Brutis deprehenditur; si enim *canis videat leporem*, inquit S. Thomas ibidem a. 3. *aut accipiter avem nimis distantem, non movetur ad ipsam; quasi non sperans se eam posse adipisci; si autem sit in propinquo, movetur quasi sub spe adipiscendi*: difficultas tamen est, qua ratione animalia bruta apprehendant rationem futuri, quæ secundum Thomam in objecto spei includitur. Ad hoc respondet S. Thomas ibidem ad 2. *quamvis bruta animalia non cognoscant*

ſtant futurum, tamen ex inſtinctu naturali moveri animal ad aliquid futurum, ac ſi futurum praevideret. Sed quia objici poteſt, hac ratione etiam lapidem, dum ad ſuum locum movetur, ad aliquid futurum moveri, ideo recentiores quidam reſpondent, bruta proprie & formaliter cognoſcere futurum. Sed nec iſtud probatur; quia cum futurum ut futurum comparate dicatur ad præſens, non poteſt id formaliter cognoſci, niſi per comparativam notitiam, quæ brutis non convenit. Dicendum igitur, rationem futuri, in objecto ſpei incluſam, nihil aliud ſignificare, quam abſentiam ejuſdem objecti, quam utique etiam bruta cognoſcunt. In Bonum autem dicitur ferri abſens arduum poſſibile: abſens, quia quod actu poſſidetur, non ſperatur, Spes enim deſiderium quoddam eſt, & intentio finis. Arduum, quia Spes pertinet ad appetitum iraſcibilem, & per hoc differt à ſimplici deſiderio, quod tendit in bonum abſolutè ſumptum. Poſſibile, quod nimirum judicamus poſſe obtineri; nam quæ judicamus non poſſe obtineri, non ſperantur, ſed de his deſperatur. Quia verò bonum illud, quod ſperatur, ſuperat vires ipſius ſperantis, nec ſine alterius auxilio eſt poſſibile, hinc fit ut ſpes ſæpe connotet auxilium alienum, tanquam aliquid neceſſarium ad poſſibilitatem objecti ſperati, atque adeò ut hoc auxilium ſit unum ex objectis ſperatis. Hujuſmodi eſt Spes Chriſtiana, quæ ſic reſpicit DEUM remuneratorem, ut reſpiciat etiam auxiliatorem, id eſt omnipotentem & fidelem ad præſtandum auxilium, quod promiſit, ſed indirectè tantùm & ſecundariò id reſpicit. Tertiò, Spes eſt motus in bonum, quod aliquo modo apprehenditur futurum; non enim ad rationem ſpei ſatis eſt, ut poſſibile judicetur eſſe, id quod ſperatur, ſed requiritur etiam, ut judicetur futurum. Nemo videlicet ſperat, quod judicat ſe non adepturum; ſed neque ſperantur ea, quæ judicantur infallibiliter futura; nemo v. g. ſperat ſolem cras oriturum, ſed ea, quæ ſub aliqua probabiliſſima opinione judicantur futura; ita tamen ut poſſint non eſſe futura. Addit Thomas futurum, cum non ſufficiat ad rationem ſpei, ut poſſibile æſtimetur id, quod ſperatur, ſed requiratur etiam, ut judicetur futurum, cum nemo ſperet illa, quæ judicat ſeſe non eſſe futurum. Unde Thomas quæſt. 40. art. 4. Non enim eſt ſpes de præſenti jam habito. Et per hoc differt ſpes à gaudio, quod eſt de bono præſenti. Præterea requiritur, quod ſit aliquid arduum, cum difficultate adipiſcibile: non enim aliquis dicitur aliquid ſperare minimum,

quod

quod statim est in sua potestate, ut habeat; & per hoc differt spes à desiderio vel cupiditate, quæ de bono futuro absolute, unde pertinet ad concupiscibilem, spes autem ad irascibilem. Insuper quod illud arduum sit possibile adipisci: non enim aliquis sperat id, quod omnino adipisci non potest; & secundum hoc differt spes à desperatione. Sic ergo patet, quod spes differt à desiderio, sicuti differunt passiones irascibilis à passionibus concupiscibilis; & propter hoc spes præsupponit desiderium, sicut & omnes passiones irascibilis præsupponunt passiones concupiscibilis. Causa spei generatim sunt ea, quæ suppeditant facultatem ad bonum arduum assequendum, vel æstimare faciunt, posse bonum aliquo obtineri. Speciatim vero primo est Experientia consimilis boni sæpius obtenti, juxta Aristotel. 3. Eth. c. 8. ubi dicit: *quosdam esse bonæ spei, propter ea multoties & multos vicisse.* Et Vegetius lib. 1. de re militari: *Nemo*, inquit, *facere nequit, quod se bene didicisse confidit.* Secunda est bona de se ipso ac suis viribus existimatio. Tertia est *inexperientia impedimentorum & defectuum*, itemque *inconsideratio periculorum vel defectuum.* Et propter has causas posteriores ab Aristotele 3. Ethic. cap. 8. *Vinolenti* & libro secundo, Rhetoric. capit. 12. *Juvenes* dicuntur bene *sperantes*: in quibus utrisque etiam hæc causa accedit, quod calore & spiritibus abundant, quibus cor quasi ampliatur & laxatur, ut prompte & animose ad ardua tendat, ut docet Sanctus Thomas cit. quæstion. 40. articulo quinto & sexto. Sicut autem amor boni sperati causa est Spei, ita vicissim spes est causa amoris erga eum, à quo nos bonum aliquod consecuturos confidimus. Nec dubium, spem vel maxime conferre ad operationem; tum quia ex parte appetitus est quasi quoddam ejus principium; tum quia adjunctam habet delectationem, uti & omnes passiones, quæ in prosecutione consistunt, ut recte notavit Thomas ibidem artic. 7. & 8. Effectus autem Spei præcipuus est, operationem expeditam reddere: quod facit excitando animi attentionem ad illam. Excitat autem attentionem tum proponendo bonum possibile, quod allicit ad se animum, tum causando delectationem per æstimationem boni possibilis, quasi præsentis: delectatio autem trahit animum ad operandum. Effectus etiam spei conveniunt cum effectibus amoris & desiderii. Deinde dicitur spes lenire omnes labores, unde in mediis carceribus dicit Apostolus, *Gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI.* Præterea diligentiam ad operandum

dum incredibiliter acuit; unde Philo ſpem ait Antiſtitem & Æditaum eſſe Palatii, quod inhabitant virtutes omnes.

XXXVI.

Non ſubſcribimus primò quibusdam Scotiſtis, qui ſpem ex numero paſſionum expungunt, vel etiam illis, qui putant, illam potius referendam ad appetitum concupiſcibilem, quam iraſcibilem, quos tamen Thomas melius erudire poſſet, ſcribens prima ſecundæ quæſt. 23. artic. 1. Paſſiones reſpicere bonum vel malum abſolutè, vel ſub ratione ardui: illud *concupiſcibilis*, hoc *iraſcibilis* facultatis objectum eſſe. Cùm igitur ſpes ſit boni ardui, deſiderium boni abſolutè dicti: palam utique eſſe illam eſſe *iraſcibilis*, hoc *concupiſcibilis* facultatis: ſequitur illum *Peregrinus*, qui ad *concupiſcibilem* refert, gaudium, triſtitiam, amorem, odium, &c. ad *iraſcibilem*, audaciam, timorem, ſpem, &c. Secundo, qui Brutis negant ineſſe ſpem, quicquid ſit de ratione illius adductâ à Thoma, unde etiam Rodericus ab Arriaga, quamvis vellicet illam, tamen concedit in illius ſententiam, alia in medium productâ, p.339. ſect. 2. §. 9. usque 11. ſcribens: Nihilominus D. Thomas reſpondet, in Brutis eſſe ſpem; quod inde probat: Nam canis, & avis, quando videt leporem procul, ubi eum capere non poteſt, non movet ſe in ſequendum illum; quando autem videt propè, illum inſequitur; ergo quia ſperat ſe poſſe illum conſequi. Ad argumentum de futuritione reſpondet, DEUM, qui prævidet futura, infundere brutis inſtinctum, perinde ac ſi noſcerent futura. Ego quidem concluſionem hanc veram judico, haud tamen puto ſufficienter eo argumento probari; nam qui negare vellet brutis ſpem, reſponderet, brutum non ideò in vicinum leporem moveri, & non in valdè abſentem, quia habeat ſpem, ſed quia in uno caſu ſpecies non excitant in illo ſufficientem cognitionem ad appetendum eam inſecutionem; excitant tamen, dum viciniorem videt; vel quia, quando videt propè, putat ſe aſſecuturum, non autem quando videt procul: hoc autem poteſt eſſe ſine ſpe, quia (ut ipſemet D. Thomas docet, & paulò ante inſinuavimus,) id quod certò putat quis ſe obtenturum, non ſperat, poteſt autem optimè dici in brutis tunc excitari apprehenſionem quaſi certam, quòd ſint obtinenda ea objecta. Quod item reſpondetur de inſtinctu à DEO immiſſo, magnam habet difficultatem; vel enim intelligit D. Thomas, DEUM illis veram cognitionem apprehenſivam futuritionis infundere; & hoc non videtur eſſe verum: dare

enim brutis cognitiones per se infusas, est recurrere ad miracula sine ullâ causâ; vel negat Divus Thomas tales cognitiones; & tunc, cum brutum verè non habeat, nec à se, nec infusam à DEO cognitionem probabilem futuritionis, si movetur in rem futuram quasi cæco & mortuo modo, ut movetur lapis in centrum, quod non cognoscit, non potest ullâ ratione sufficere ad salvandam rationem spei; ergo per instinctum à D. Thomâ positum nullatenus satisfit difficultati. Conclusionem ergo sic probarem: Quidquid ad spem requiritur, potest in brutis reperiri, ut ostendam respondendo argumentis in contrarium; & aliunde non est, cur talis modis operandi dicatur excedere eorum capacitatem; imò experientia, quam D. Thomas affert, supposito, quòd aliunde non repugnet eis spes, valde probabiliter idem persuadet, etsi non omnino evidenter, ergo. Jam per partes probo, in eis omnia, quæ ad spem requiruntur, reperiri; nam in primis est cognitio boni. Secundò absentis. Ubi adverte, quando ad spem dicitur necessaria cognitio rei futuræ, non esse sermonem de futuritione verâ rei in se, sed de objecti absentiâ respectu operantis; hanc autem absentiam nobilissimè cognoscunt bruta: nam hæc absentia consistit in eo, quòd objectum sit à se distans; certum est autem, quòd bruta videant ubicationes rerum, & distantias rerum à se, sive id fiat per ipsos oculos, ut probavi in libris de animâ, & meo judicio evidenter, sive fiat per ipsum internum sensum; ergo absentiam seu futuritionem, prout ad spem requiritur, sufficienter cognoscunt. Pro quo non est necessarium recurrere ad instinctus divinos eis infusos. Dices, per hoc opponimur Augustino, qui lib 9. de Genesi ad literam cap. 14. ait bruta solis visis moveri. Respondeo, Divum Augustinum eo loci nihil agere de hac quæstione; solùm enim docet, bestiis ut adducerentur ad Adamum, non datum fuisse à DEO aliquod speciale mandatum, cui obedirent, sed Ministerio Angelorum fuisse congregatas. Adde, nos solùm docere, bestias moveri objecto viso, & distantiâ illius etiam visâ. Tertiò illis, qui cum Gabriele Vasquezio, non tantùm dicunt, spem ad Desiderium addere credulitatem eventus futuri, sed & necessarium esse, ut nitatur ope alienâ, cum alias objectum non dici posset arduum; cum tamen ad spem, quemadmodum ad desiderium, sufficiat judicium de possibilitate rei: ita ut probabile æstimetur bonum speratum, hîc & nunc omnibus spectatis posse à sperante obtineri, secundum Socios, qui ipsum impugnant: præterea indi-

gen-

gentia auxilii alieni non dicat ut sic rationem aliquam boni, imò multa speremus propriis viribus obtinenda, e.g. vincere hostem. Denique manifestè hoc adversetur ipsi Thomæ q. 40. art. 2. ad secundum, ubi hoc ipsum potius vult tribui Expectationi, quam spei.

XXXVII.

Alter Affectus Appetitus irascibilis est Desperatio, quæ itidem est passio appetitus irascentis, qua recedit animal ab appetitione futuri boni ob rei difficultatem apprehensam. Et non importat, ut Thomas observat, solam privationem spei, sed & quendam recessum à re desiderata propter æstimatam impossibilitatem adipiscendi, opponiturque spei secundum contrarietatem accessus & recessus respectu ejusdem termini, boni nimirum ardui.

XXXVIII.

Objectum illius dicitur esse bonum impossibile, non tamen malum sub ratione mali. Etsi enim desperatio sit actus aversativus, qui versari non potest circa bonum ut bonum; versari tamen potest circa objectum materiale: objectum autem formale illius est impossibilitas, vel difficultas illius boni superans vires proprias; desperatio enim est propriè nolitio, & odium boni sub ratione impossibilis aut difficilis: bonum ergo, de quo desperamus, sæpe cupimus absolutè, sed aversamur tamen illud ut impossibile, ac difficile. Sæpè tamen solùm adest judicium intellectus de impossibilitate boni, quæ non est desperatio, nisi accedat nolitio boni ut difficilis. Communiter enim dicitur, eum, qui certus esset de sua damnatione, non posse desperare, id est, non posse nolle beatitudinem, licèt judicaret se nunquam illam assequuturum. Causa autem desperationis est Opinio quædam de rei difficultate concepta, quam tùm animi contractio parit, tum hominum opinio sæpe adauget. Multa, quippe sunt, quæ quia difficillima judicantur, in desperationem adducunt, cùm verò hujusmodi non sint, communi tamen opininione talia putentur. Erroneum est primo quod Almainus libro secundo Moral. cap. 3. Desperationem negavit actum esse appetitus, & putavit esse potius negationem actus spei, ortam ex cognitione difficultatis comparandi bo-

num amatum aut desideratum, adeoque statuit esse actum Intellectus circa bonum aliquod nunquam futurum; cum tamen consensu Doctorum Desperatio sit passio aliqua, & ut spes refertur ad appetitum, eo quoque spectare videatur. Secundò quod Theophilus Raymundus desperationem ponit formaliter in actu aliquo prosecutivo, cæteris sententiis magis communibus improbatis, cum tamen actus prosecutivus magis conveniat spei, quæ desperationi opposita, præterea illa fuga & recessus præsupponat quidem aliquem affectum prosecutivum circa bonum appetitum & amatum, sed tamen formaliter sit recessus, sive fuga ex deprehensione arduitatis vel impossibilitatis, quæ illam circumstat. Tertiò quod quidam Scotistæ & Nominales plærique asserunt, malum ut malum posse appeti, de quo Hugo Cavellus Disp. 2. de Anima sect. 3. Faber, Heribarne, Vulpes, & alii.

XXXIX.

Spei incertæ & vanæ anteambulatrices sunt Temeritas & Stultitia. Comites, Sollicitudines & Cura: Pedissequæ, Infelicitas & Frustratio, quæ omnia uno quasi fasciculo complexus est Plato, qui *spem vigilantium somnium esse* dicebat, Ælian. lib. 13. variar. histor. His ipsis sacra quoque suffragantur. Psal. 146. *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Jerem. 17. *Maledictus, qui confidit in homine, & ponit brachium suum in carnem.* Cicer. lib. 3. de Oratore: *O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spacio sæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipso portu obruuntur, quàm portum conspicere potuerint.*

XL.

Tertius Affectus est Timor sive Metus, qui dicitur Passio appetitus irascentis ex opinione Mali futuri difficilis & nocivi orta. Inveniuntur tamen, qui cum Scaligero distinguunt Metum à Timore, formidine, pavore, quod scil. Timor sit Expectatio censuræ eorum, qui in dignitate constituti sunt παρὰ τὸ τιμᾶν, unde ἐπιτιμᾶν. *Formido* à formis, hoc est, à spectris, ita dicatur, quod foràs hîc animi motus feratur. Varr. lib. 5. de Ling. Lat. *Pavor*, seu perculsio, cum animus quasi verberatus imminentis mali opinione: à Græco παίειν, hoc est, pavere, cedere, percutere & percellere. Hujus summum fastigium est *Consternatio*, quoties ex perculsione concidimus, & spe & consiliis abjectis.

jectis. Atrocior tamen exanimatio, quæ omnem vim animi adimit, seu omnem sapientiam ex animo expectorat. Differt ab Odio ex eo, quod Metus aversetur Malum futurum, à Fuga simplici, quod Metus respiciat Malum arduum proxime imminens, à Tristitia, quod Timor aversetur Malum, quod ægrè potest evitari. Objectum illius dicitur esse Malum arduum, futurum, seu imminens: Passio appetitus irascibilis est Timor; qui cum circa malum arduum ac evitatu difficile versetur, non sine quadam anxietate animi, & contractione cordis, juxta Damascenum lib. 3. fidei cap. 23. propriissimè etiam passionis rationem habet, ut docet Thomas quæst, 41. a. 1. Est autem timor, efficax fuga mali ardui futuri seu imminentis, ut colligitur ex eodem Thoma a. 2. ibidem: *Sicut enim*, inquit, *objectum spei est bonum futurum arduum, possibile adipisci; ita objectum timoris est malum futurum difficile, cui resisti non potest.* Sed hoc intelligendum, juxta explicationem, quam Thomas ibidem adhibet. Ad 3. de quadam *difficultate vel arduitate, ut ei resisti vix possit.* Si enim opinione ipsius operantis, ei malo resisti non posset, jam non posset esse fuga efficax ejusdem mali, quia non possumus efficaciter fugere, seu quod reipsa tantundem est, velle evitare malum, quod scimus à nobis vitari non posse. Timor opponitur Spei, non quidem secundum accessum vel recessum ab eo objecto, *sed secundum contrarietatem objectorum*, scilicet boni & mali, ut docet S. Thomas quæst. 40. a. 4. ad 1. Et quamvis timor per se ac directè versetur circa malum, ut dictum, indirectè tamen & per accidens, respicit etiam bonum, quod sua virtute potest infligere malum. *Et per hunc modum*, inquit Thomas quæst. 42. a. 1. *DEUS timetur ab homine, in quantum potest infligere malum, vel spirituale vel corporale. Et per hunc etiam modum timetur potestas alicujus hominis, maximè quando est læsiva, vel quando est injusta; quia hic in promptu habet nocumentum inferre.* Ita etiam timetur, super alium esse (ut loquitur Aristoteles 2. Rhetor. 5.) id est, *inniti aliĳ; ut scilicet in ejus potestate sit constitutum, nobis nocumentum inferre. Sicut ille, qui est conscius criminis, timetur ne crimen revelet.* Causas Timoris aliqui ponunt duas: quibus causa timoris primò est amor boni, cui opponitur malum, quod timemus; juxta Augustinum lib. 83. quæst. 33. ubi ait: *Nulli dubium est non aliam esse metuendi causam, nisi ne id, quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum.* Secunda causa timoris, est defectus virtutis, seu imbecillitas timentis. Quia *contrariorum*

contraria sunt causa. Ergo sicut *divitiæ*, *& robur*, *& multitudo amicorum*, *& potestas excludunt timorem*, juxta Aristotelem 2. Rhetor. cap. 5. ita ex horum defectu necesse est effici timorem. Alii quatuor, nempe Amorem Boni, Malum imminens, frigidiorem corporis Temperiem, & occultam sæpe quandam inimicitiam. Quidam septem, quibus prima, & principalior est malum futurum, & probabiliter saltem imminens. Vocat hujusmodi mala Philosophus terribilia; ea scilicet, quæ magnos dolores, aut corruptiones inducunt: imò signa illorum terribilia sunt & timentur, ut inimicitia & ira potentium; nam cum non lateat velle ac posse ipsos, propè ad jam faciendum sunt. Item Injustitia vires habens. Similiter in potestate alterius esse, timorem infert, quamobrem conscii aliquid quempiam fecisse, timentur, ne aut dicant, aut deferant. Potentes illis terribiles sunt, qui possunt injuriis affici, homines enim ut plurimum, cùm possunt, inferunt injuriam. Timentur quoque, qui passi sunt injuriam, aut pati se putant; semper enim expectant opportunitatem. Qui item injuriam intulerunt, terribiles sunt; timent enim, ne par referatur: ad hæc, qui de iisdem certant, cùm utrisque simul eadem esse non possint. Ex affectis injuriâ non timentur ii, qui sunt acutæ iræ, ac minaces, sed tranquilli, & dissimulatores. Cuncta verò, quæ timentur, terribiliora sunt, si cùm erraverint, corrigi non possint. Denique terribilia sunt ea, quæ quoties in alios fiunt aut imminent, sunt miserabilia. Secunda causa timoris est amor; res enim est solliciti plena timoris amor, quia qui amat, displicere metuit dilecto, vel etiam timet jacturam rei amatæ. Tertia defectus potestatis ad resistendum potentioribus. Quarta, mala conscientia. *Magna enim*, inquit Tullius, *vis est conscientia, ut neque timeant, qui nihil commiserunt; & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverunt.* Quinta cognitio periculi præsentis; sic enim noctambuli si subitò excitentur, turbantur, & sæpe pereunt. Sexta vehemens desiderium alicujus boni, quod magni sit. Septima frigiditas sanguinis cum magna copia atræ bilis; qui enim habent hujusmodi temperamentum, ii vehementer sunt timidi. Effectus itidem varii recensentur: Primò *contractio caloris & spirituum ad interiora*; juxta Damascenum lib. 3. fidei, cap. 23. secus tamen quam in iratis accidit. Nam in iratis *propter calorem & subtilitatem spirituum, qua proveniunt ex appetitu vindictæ, interius fit spirituum motus ab inferioribus ad superiora; & ideo congregantur spiritus & calor circa cor ex quo*

magis à corde fugiunt; & propter hoc timentes non promptè invadunt, sed magis refugiunt. Ita Thomas quæst. 44. artic. 1. ex Aristotele Problem. sect. 27. num. 3. & 5. Eademque de causa, quod in timentibus est; ex quo sequitur, *quod irati redduntur prompti & audaces ad invadendum. Sed in timentibus, propter frigiditatem ingrossantem, spiritus moventur à superioribus ad inferiora: quæ quidem frigiditas contigit ex imaginatione defectus virtutis; & ideo non multiplicantur calor, & spiritus cor, sed* lor interior, ac spiritus à corde moventur ad inferiora, timor *adversatur formationi vocis, quæ fit per missionem spirituum ad superiora per os;* cum è contrario dolentes vix à clamore se contineant; quia *multiplicatis spiritibus introrsum, & calore, &c. ad repellendum nocivum,* necesse est, *ut emittantur per vocem,* ut ex eodem Aristotele Problem. sect. 27. n. 9. notavit Thomas ibidem ad 2. Diversa quoad hoc est ratio verecundiæ, quæ faciei ruborem inducit, quia cum exterius de malo arguí timeat is, qui verecundatur, hinc natura quasi auxilio futura, contra malum ejusmodi ab imaginatione conceptum, *spiritum & calorem ad exteriora diffundit;* ita ut quia malum, quod timet verecundia, *non opponitur naturæ, sed solum appetitui animali, ideo solum contradictio quædam sequatur, secundum ipsum appetitum, non autem secundum naturam corporalem,* ut ait Thomas ibidem ad 3. post Aristotelem 4. Ethic. c. ult. Secundò timor *facit consiliativos,* juxta Aristotelem 2. Rhethoric. cap. 5. non quod ipsam facultatem bene consultandi perficiat, cum ex se potius impediat; sed quia in re ardua impellit voluntatem ad curam & solicitudinem bene consultandi, ut docet Thomas qu. 44. art. 2. Tertiò timorem *sequitur tremor, pallor dentium strepitus;* ut ait Cicero libro 4. Tusculanarum quæst. Ratio est; quia propter contractionem spirituum & caloris, *exteriora frigida remanent;* quo fit, ut ex *debilitate virtutis continentis membra,* ob defectum caloris orta, accidat tremor; *maximè verò cordis & membrorum, quæ habent aliquam connexionem ad pectus, ubi est cor.* Unde timentes *maximè* (etiam) *tremunt in voce propter vicinitatem vocalis arteriæ ad cor; tremit etiam labium inferius, & tota inferior mandibula propter continuitatem ad cor. Unde & strepitus dentium sequitur; & eadem ratione brachia & manus tremunt. Vel etiam quia hujusmodi sunt magis mobilia; propter quod & genua tremunt timentibus, secundum illud* Isaiæ 35. *Confortate manus dissolutas, & genua trementia roborate.* Econtrario quia per timorem calore ab exterio-

erubescentia, verecundia, admiratio, (impropriè sic dicta) stupor, & agonia; quas declarat Thomas quæst. 41. a. 4.

XLII.

Discedunt à nobis primò, qui cum Barone censent, timorem aut nullatenus aut difficillimè explicari posse, cujus sunt sequentia: Aristoteles refert antiquorum definitionem, quod sit: *Exspectatio malorum*; sed malam, quia falsam: non enim timere est expectare, sed oppositum ejus: expectatio siquidem est Spes, quæ non versatur circa mala. Unde carpitur & meritò Virgilius, quod cecinerit

Tantum potuit sperare dolorem.

Ipse autem Arist. aggressus explicationem, definivit timorem esse ex imaginatione futuri mali corruptivi, aut dolorem inferentis perturbationem aut dolorem. Nec tamen videtur satisfecisse; quia perturbatio videtur ad intellectum pertinere, timor autem ad affectum: vel si de affectu loquatur, tum non explicat definitum, sed effectum ejus. Itaque existimo non solum difficile, sed supervacaneum esse cudere definitionem hujus, propter jam dicta, si tamen lector fortasse proterviat, ut aliquam necessariò audire velit, dicatur timor esse impulsus appetitus, quo ab imminenti malo avertitur. Explicabo ipsam breviter per partes, & tum resolvam alias difficultates. Dixi esse impulsum, quia hoc significat affectum pati ab extrinseco. Dixi esse aversionis, quia si sit conversionis, erit quasi Spes. Volui malum esse imminens, quia si sit procul, non generat timorem, quod probat quispiam cum Aristotele citato, eo quod omnes sciunt se morituros, verum quoniam non prope, idcirco non curant. Sed (veniâ illius) non videtur ratio sufficere probationi, nam quod mors non timeatur, est alia causa, scilicet inevitabilitas illius, quia vitari non potest, & ita non timorem, sed tristitiam causat, timor enim est permixtus Spei; at nulla est Spes evadendi mortem. Secundò, qui putant non esse simplicem passionem, sed affectum compositum ex Spe, quos tamen ipsi socii refutant, quia motus contrarii non possunt se componere, qualis scil. sint Spes & Timor. Tertiò, qui statuunt Objectum Metus esse bonum, quia timeamus DEUM, potestates superiores, cum tamen timor DEI in fidelibus non sit Passio Appetitus sensitivi, nec metuatur potestas superior quâ talis, sed qua armata gladio, & malum quoddam pœnale transgressoribus Legum infert. Ita Author Animæ Medelæ: Ut malum existens, non est *doloris* (prout suprà proba-

tum est,) ita nec *futurum*, *timoris* causa est; præsertim cùm quæ non sunt, innoxia sint, & quæ non existunt, haudquaquam damnum inferre queant: verùm *opiniones* nostræ sunt illæ *procella*, quibus mens agitatur. An credimus mala *futura*, ut perturbationis nostræ avida, sed imbecilliora, quàm quæ ipsam excitare possint, *opiniones* quasi mercede conductas præmittere, quæ animum ante ipsorum adventum perturbarent; quò nos, utpote jam præparati perturbatione *timoris*, ipsis adventantibus faciliùs & graviùs læderemur? Opiniones quidem sunt tantùm *idola*, *imagines* seu *simulachra* objectorum; sed DEUS bone! quot & quantas tragœdias excitant hæc *simulachra*? *Opiniones* de malo *futuro*, sunt עצבים idest, & *simulachra* & *terricula*.

Verùm ubi vehementi magis est commota metu mens;
Consentire animam totam per membra videmus:
Sudores itaque, & pallorem existere toto
Corpore, & infringi linguam, vocemque aboriri:
Caligare oculos, sonere auris, succidere artus.
Denique concidere ex animi terrore videmus
Sæpe homines. —— Lucr. 3.

Ex quibus, quanta sit mentis, quam *timor* occupavit, tumultuatio, seu perturbatio, constat. Denique Franciscus Suarez, qui Disp. 1. sect. 11. in fine scribit: Spem esse Motum, quo prosequimur Bonum, & ideo certitudinem Boni futuri, non solùm non impedire, sed firmare illam, Timorem verò esse fugam mali, & ideò si hæc fuga apprehendatur, ut impossibilis, obrui quasi timorem: quem castigat Rodericus ab Arriaga, scribens: Hæc doctrina mihi nullo modo placet; & inprimis D. Thomas (ut vidimus) passim docet, necessariam esse ad spem aliquam dubitationem de futuritione. Secundò, disparitas assignata non videtur esse ullo modo sufficiens: nam illæ voces firmat & obruitur, vel supponunt id, quod P. Suarez deberet probare, vel certè nihil dicunt. Nos enim dicimus, eam certitudinem tollere potiùs quàm firmare spem: sicut timor obruitur seu tollitur per certitudinem mali. Deinde sicut timor est fuga, ita spes est accessus; ergo sicut fuga impeditur, quando judicatur impossibilis; ita accessus impeditur, quando judicatur jam certò illud bonum meum. Adde, fugam illam, quæ in timore includitur, non esse nisi odium seu displicentiam in eo objecto: hæc autem displicentia haud dubiè habet locum etiam, quando est certitudo; imò tunc vide-

videtur esse major. Quòd si ideò dicatur, præter eam displicentiam debere esse voluntatem adhibendi media, quæ sunt in potestate operantis, ne veniat illud malum, hanc autem voluntatem non habere locum, quando impossibilis est fuga; eodem modo dicam, quando jam aliunde mihi constat, me obtenturum bonum illud, non esse locum pro adhibendis novis mediis, quibus rem illam obtineam: præterquam quòd jam ostendi, non esse necessarium, ut in spe includatur voluntas efficax boni, neque è contrario in timore includatur voluntas inefficax fugiendi; quia sæpè, ut ostendimus, sperantur bona, quæ non sunt in potestate sperantis, & è contrario timentur mala, quæ etiam non sunt in potestate ejusdem; tunc autem nec timor, nec spes possunt includere voluntatem simpliciter efficacem, quia de re, quæ non est in mea potestate, non possum ego habere voluntatem efficacem simpliciter. Dixi suprà simpliciter efficacem, quia efficacem, quantum est ex mea potestate, haud dubiè possum habere; in hoc autem sensu etiam de re, quam jam non possum fugere, possum habere voluntatem, quantum est ex mea voluntate, efficacem eam vitandi; ergo etiam ex eo capite posset esse timor, nisi ad hunc requireretur ea incertitudo, sicut ad spem. Constet ergo, eandem esse de utroque actu rationem quoad punctum probabilitatis, tam in vitando malo, quàm in amittendo bono; licet fortè ad timorem requiratur minor probabilitas de evasione, ad spem verò sufficiat probabilitas etiam major de acquirendo; licet hoc ipsum meritò in dubium revocari posset: & denique, ut uno verbo concludam, dico, & in timore spem, & in spe timorem includi, modò supra explicato.

XLIII.

Quartus Affectus Appetitus irascibilis est Audacia, quæ talis Passio appetitus irascentis, qua adversus malum imminens difficile, quod tamen propulsari potest, se armat, vel Motus appetitus sensitivi, quo fertur in Bonum, ita ut Malum imminens, & pericula negligat. Differt à spe, quod hæc versetur circa finem immediatè, ut quidam observant, audacia verò circa Executionem Mediorum difficilium, in quibus est periculum. Objectum ejus materiale est Malum vel periculum imminens, formale est illud, prout obtinet rationem Medii, quod obtinendæ rei speratæ est accommodatum, sub qua formalitate induit conditionem Boni. Supponit enim & consequitur audacia spem, juxta Aristotelem 3. Ethic. c. 8. Ex hoc enim, quod aliquis sperat superare terribile immi-

nens, ex hoc audacter insequitur ipsum: sicut è contrario ad timorem insequitur desperatio: ideo enim aliquis desperat, quia timet difficultatem, quæ est circa bonum sperandum. Sicut tamen ex timore non semper sequitur desperatio, sed quando fuerit intensus; ita ex spe non semper sequitur audacia, sed quando fuerit vehemens. Ita Thomas q.45. a. 2. in corpore & ad 2. Proinde quæcunque apta sunt *causare spem, vel concludere timorem*, *etiam causa sunt audaciæ*, juxta Aristotelem 2. Rhetoric. cap. 5. Speciatim verò ex parte dispositionis ipsius corporis, *causatur audacia, per provocationem spei, & exclusionem timoris, ex his, quæ faciunt caliditatem circa cor.* Quare Aristoteles lib. 3. de part. animal. cap. 4. docet: *Eos, qui habent parvum cor secundum quantitatem, esse audaciores*; è contrario animalia *habentia magnum cor, esse timida*; quia *calor naturalis non tantum potest calefacere magnum cor, sicut parvum: sicut ignis non tantum potest calefacere magnam domum, sicut parvam.* Adeoque causas habet, quas Spes: referunt tamen inter illas quidam, abundantiam caloris in corde, quidam plures recensent ex Philosopho lib. 2. Rhetor. cap. 5. & volunt, illos esse maximè audaces, primò, qui rectè se habent erga divina, quia certò sibi pollicentur DEI auxilium, per quod superare possint difficultates. Secundò dicunt, illos, qui acceperunt injuriam, esse maximè audaces, quia communis persuasio, DEUM iis opitulari, qui affecti sunt injuriâ. Tertiò illos, qui sæpè subierunt pericula, & evaserunt. Dupliciter enim audaces fieri solent homines; aut quòd experti non sint, aut quod auxilium habeant. Quartò, si terribile illud periculum non sit à potentioribus, sed à paribus, aut minoribus, & quibus meliores se esse putant. Quintò, si plura & majora sibi putant inesse, quibus cùm excedant, timendi sunt, ea sunt pecuniæ, magnitudo, vires. Sextò, si neminem injuriis affecerunt, aut non multos, aut non ejusmodi, quos metuerent. Nam ex ea parte, qua cum desiderio communicat, ejusdem rationis causas habet, nam quidquid desiderium auget, quantum in se est, auget audaciam, & similiter auget æstimationem boni; propter quod subeundum est periculum: quia vero audacia versatur in malo, quidquid minuit æstimationem mali, vel periculi, audaciam confert, & tribuit potestatem, aut robur ad superandum illud malum: & hoc modo divitiæ, vel amicorum auxilia augent audaciam. Unde Aristoteles 2. Ethicor. cap. 5. dixit audaciores esse, qui melius se habent ad divina, quia paratiorem DEI

prote-

protectionem sibi pollicentur, & eos, qui passi sunt injusta eadem ratione audaciores esse, quia sperant DEI favorem affuturum, præter hæc experientia auget audaciam, quamvis nonnunquam minuat, nam inexperti temere aggrediuntur pericula, experti prudentius, & constantius. Effectus etiam sunt ejusdem rationis cum supradictis de desiderio, & spe, commotio cordis, & delectatio, &c. quia in hac passione confortatur appetitus ad vincendum malum, calor etiam, & spiritus revocantur ad cor, & tunc solent exteriores partes fugere: hinc etiam sanguineus humor, & cholericus, spirituumque abundantia conferunt audaciam. Et Aristoteles Problemate 4. sect. 27. dicit, habentes magnum pulmonem esse audaciores, quia spiritibus, & sanguine abundant, & ex eadem radice provenire (inquit) homines vino deditos esse audaces.

XLIV.

Difficultatem movent hic primò illi, qui audaciam deducunt ex desperatione, & illud Curtii ingeminant: Desperatio magnum ad honestè moriendum incitamentum. Secundò illi, qui audaciam negant esse contrarium Metui, quia illi opponatur Spes. Denique tertiò, qui volunt in Christo fuisse sanguineum sudorem ab audacia, de quo Lucæ 22. v. 44. *Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Et à causa deducunt naturali, consensu Theologorum Pontificiorum, quos allegat Theophilus Raynaudus, Philosoph. Moral. dist. 3. q. 4. artic. 2. num. 383. Inprimis verò de sudore Christi sanguineo prolixè ex professo Franciscus Collius, Doctor Mediolanensis, de sanguine Christi lib. 3. disput. 3. 4. 5. 6. 7. 8. ubi disputationis 5. cap. 3. rationib. 5. demonstrat *sudorem hunc naturalem fuisse*: & contrarias rationes cap. 4. solvere conatur. Quomodo autem illud, quod audaces sint alacriores in principio, quam in fine, sit accipiendum, multis explicat Rodericus ab Arriaga sect. 3. p. 352. & primò concludit: Quandocunque in ipsis periculis homini proponitur difficilior victoria, quàm antea crediderat, per se loquendo, semper redditur minus promptus, quàm fuerat in initio; & hoc solùm puto D. Thomam intendisse. Ratio est manifesta; nam tunc spes evadendi minuitur: diximus autem audaciam foveri spe; in hoc enim contradistinximus supra audaces à desperatis, quòd hi pericula aggrediuntur, quia non curant mortem vel vitam; illi verò eadem aggrediuntur, quia sperant se victores evasuros, non aggressuri alioquin: ergo ea omnia, quæ spem vel omnino, vel ex parte tollunt, tollunt etiam auda-

audaciam proportionaliter; ergo ea experientia, quæ in periculis facit apparere difficiliorem victoriam, facit, ut audax sit minus promptus; hoc autem sæpè contingere, nemo dubitabit. Secundò concludit: Quando è contrario in ipsis periculis homo experitur se victorem evadere, augetur communiter audacia & promptitudo; & quidem sæpè etiam id verum est, licet pericula appareant majora quàm antea: & hæc est ratio, cur in exemplis paulò ante allatis multi ipsâ consuetudine reddantur audaciores, & minus timidi, quia scilicet experiuntur se feliciter evasisse. Dixi sæpè, *licet appareant pericula majora*; nam sæpè contingit, ut licet majus appareat periculum, homo tamen experiatur in se etiam tunc majores vires ad illud vincendum, & ex hoc capite magis sperat victoriam; ergo est promptior.

XLV.

Quintus Affectus Appetitus est Ira, quæ est Passio Appetitus irascentis circa Malum jam præsens, in quantum cum aliqua difficultate illius est repellendum. Differt ab Odio, Inimicitia & simplici desiderio; Ab odio hujus, primò quòd ira licèt occasionem sumat ab ipso damno illato, velitque alteri damnum, sicuti odium inimicitiæ; peculiari tamen quodam modo velit illud malum sub formalitate compensationis & vindictæ; non autem odium inimicitiæ, cujus aliquam veluti particulam esse iram, docet Philosophus lib. 5. Polit. cap. 10. Quia odium est generalius, quàm ira; imò si durat ira, degenerat in odium. Præterea, inquit idem Philosophus, odium magis ratione utitur quàm ira; nam ira cum dolore fit, ideò non facilè ratione utitur; odium verò lentius est, cùm sit sine dolore. Deinde ira semper aliquid respicit singulare, non autem odium; nam omnes & furem oderunt, & calumniatorem. Odium versatur circa malum, ira respicit bonum: odium est sine dolore, ira prævium dolorem supponit, & ex eo nascitur; ob eum enim reponere vult vindictam, & quasi dolorem dolore compensare. Ideo etiam ipsa dulcissima est, & ut notat Philosophus, defluente melle dulcior in virorum pectoribus glíscit. Ex amaro igitur oritur suavitas, quia gratum est consequi, quod exoptas; idcircò etiam immoramur in cogitatione ulciscendi; quæ imaginatio, inquit, voluptatem similem ei facit, quæ in somnis accidit. A desiderio differt, quia desiderium non supponit necessariò dolorem; ita tamen supponit: unde non quicunque vindictam expetit, irascitur, sed quicunq; irascitur ob dolorem; nam etiam ira desiderium

quod-

quoddam est. Objectum illius materiale est malum illatum, formale verò ratio boni, quo ira percitus delectatur. Quicunque enim irascitur, quærit vindicari de aliquo: & sic motus iræ tendit in duo, scilicet in ipsam vindictam, quam appetit & sperat, sicut quoddam bonum, unde & de ipsa delectatur; tendit etiam in illum de quo quærit vindictam, sicut in contrarium & nocivum; quod pertinet ad rationem mali. *Quo fit, ut cum ira respiciat unum objectum*, secundum rationem boni, scilicet vindictam, quam appetit, & aliud secundum rationem mali, scilicet hominem nocivum, de quo vult vindicari, *idcirco passio ira* quodammodo composita ex contrariis passionibus. Causa Iræ ex parte objecti semper est aliquid *factum contra ipsum qui irascitur*, ut ait S. Thomas quæst. 47. a. 1. Intelligendum verò, sive malum id re ipsa sit perfectum, sive attentatum: sæpe enim, & homines & bruta irascuntur, suæ defensionis causa, etiam cum malum reipsa nondum illatum, sed solum intentatum est: nisi quis ipsam intentationem mali malum aliquod esse dixerit. Id verò quod *contra aliquem factum* iram potest conciliare, reducitur ad *parvi pensionem*, juxta Aristotelem 2. Rhetoric. cap. 2. qui ait: *Iram esse appetitum cum tristitia punitionis, propter apparentem parvi pensionem, non convenienter factam.* Qui etiam 2. Rhetoric. cap. 2. tres species parvipensionis commemorat, scilicet *despectum*, *epiriasmum*, id est, impedimentum voluntatis implendæ, & *contumeliationem*. *Et ad hæc tria*, inquit S. Thomas q. 47. art. 2. *Omnia motiva iræ reducuntur*, speciatim illa, quæ etiam refert Aristoteles 2. Rhetoric. cap. 2. nimirum *oblivio, exultatio in infortuniis, denuntiatio malorum, impedimentum consequendæ propriæ voluntatis.* Et denique *quodcunque nocumentum nobis inferatur* (sive intentetur) *in quantum excellentiæ derogat, videtur ad parvipensionem pertinere; siquidem ex omnibus bonis nostris aliquam excellentiam quærimus*, inquit S. Thomas ibidem. Ob quam etiam causam, secundum Aristotelem 2. Rhet. c. 3. homines non irascuntur, *si putaverint, se ab iis, qui læserunt, esse juste passos.* Item si putemus, aliquos vel *per ignorantiam, vel ex passione nobis intulisse injuriam, vel non irascimur contra eos, vel minus irascimur*, ut ex eodem Aristotele 2. Rhet. c. 3. notavit S. Thomas cit. a. 2. Intelligenda vero est hæc parvipensionis causa proprie de hominibus; bruta enim nec honoris rationem, nec excellentiam, nisi materialiter cognoscunt: quod tamen ad ejusmodi passionum rationem

satis

atis est, ut notat Gregorius de Valentia, quæst. 1. p. 2. Secunda causa iræ, ex parte irascentis, est tum ejus excellentia; juxta Aristotelem 2. Rhetoric. cap. 9. sic enim id quod patitur, majorem rationem habet injuriæ & contemptus; tum infirmitas aut egestas, aut alia quævis adversitas, juxta eundem, 2. Rhetoric. cap. 2. quia tunc magis sentitur nocumentum illatum; & quo plura adversantia concurrunt, eo facilius animum ad impatientiam ac indignationem pertrahunt. Tertia causa iræ, ex parte ejus cui irascimur, est vilitas personæ, quæ nos offendit, juxta Aristotelem 2. Rhetoric. cap. 2. quia hæc, ut auget rationem injuriæ & contemptus, ita etiam auget iram; *& ideo nobiles irascuntur, si despiciantur à rusticis, vel sapientes ab insipientibus, vel domini à servis*, ut ait S. Thomas qu. 47. a. 4. qui ibidem ad 3. addit, etiam *despectionem, quæ est ab amicis*, cum *videatur esse magis indigna*, facere ad augmentum iræ, sive despiciant *nocendo, sive non juvando*, juxta illud Psalm. 56. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.* Effectus est fervor sive Ebullitio sanguinis circa Cor, atque ad extimas partes diffusio, Rubor, pallor, ille quidem, si adsit Spes cum Desiderio referendæ injuriæ, hic verò si adsit Tristitia cum Metu, ne qui offendit elabatur, inconditi motus, verba fumantia & minæ, morbi, verbera, cædes. Alii ita: Effectus iræ primus, delectatio; nempe cum vindicta in opus reipsa deducitur, aut deducta est, juxta illud Aristotelis 2. Rhetoric. 2. *Ira multo dulcior melle distillante, in pectoribus virorum crescit.* Recreat quidem etiam Spes ipsius vindictæ, & cogitatio; sed hæc delectatio *non est perfecta, quæ tollat tristitiam* (ex illato modo) *& per consequens iram*, ut ait S. Thomas qu. 48. a. 1. Secundus effectus iræ est *fervor ejus, qui circa cor est, sanguinis; ex evaporatione fellis ortus*, ut ait Damascenus libro 2. fidei capit. 26. Unde etiam alia perturbati animi indicia oriuntur, de quibus Gregorius 5. Moral. cap. 31. ait: *Ira sua stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam cognoscuntur noti: ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur, ignorat.* Alia tamen est ratio furoris seu caloris, qui iram, alia ejus, qui amorem consequitur. Nam *furor amoris*, inquit S. Thomas qu. 48. a. 2. *est cum quadam dulcedine & lenitate: est enim in bonum amatum; & ideo assimilatur calori aëris & sanguinis: propter quod etiam sanguinei sunt magis amativi; & dicitur, quod cogit amare jecur, in quo fit quædam generatio sanguinis. Fer-*

vor

vor autem iræ est cum amaritudine ad consumendum, quia tendit ad punitionem contrarij; unde assimilatur calori ignis & cholera. Et propter hoc Damascenus lib. 2. fidei, cap. 16. ait iram procedere *ex vaporatione fellis, & felleam nominari.* Tertius effectus iræ est, quod inter cæteras passiones maximè *impedit* aut perturbat *usum rationis*, juxta illud Psalmi 30. *Conturbatus est in ira oculus meus.* Et Gregorium 5. Moral. cap. 31. Id quod fit ob vehementem perturbationem corporis, quæ etiam ad organa & vires sensitivas intellectui deservientes extenditur. Quare etiam iracundus ab Aristotele 7. Ethic. cap. 6. *Manifestus* seu apertus dicitur, non quia ipsi manifestum sit, quid facere oportet; sed quia manifestè operatur, non quærens aliquam occultationem; quod partim contingit, propter impedimentum rationis, quæ non potest discernere, quid sit occultandum, & quid manifestandum, nec etiam excogitare occultandi vias; partim verò est ex ampliatione cordis, quæ pertinet ad magnanimitatem, quam facit ira. Unde & de magnanimo Philosophus dicit in 4. Ethic. cap. 3. quod est manifestus osor, & amator, & manifestè dicit & operatur. Concupiscentia autem dicitur esse latens & insidiosa; quia ut plurimum delectabilia, quæ concupiscuntur, habent turpitudinem quandam & mollitiem, in quibus homo vult latere. In his autem, quæ sunt virilitatis & excellentiæ, cujusmodi sunt vindictæ, quærit homo manifestus esse. Ita Thomas quæst. 48. art. 3. Quartus effectus iræ est, quod nonnunquam taciturnitatem inducit; sive hoc fiat judicio quodam rationis, impetum iræ cohibentis, ne foras erumpat juxta Gregorium 5. Moral. cap. 31. sive hoc accidat, ob vehementem perturbationem corporis & organorum, ita ut etiam lingua ab usu loquendi impediatur. Alioqnin iram per se clamosam esse, satis constat. Alii ita recensentur, & dicut, effectus iræ plurimos esse ac perniciosissimos. Primus est furor quidam cordis cum quadam amaritudine, unde à pluribus etiam ira definitur sanguinis effervescentia circa cor. Secundus est incompositus totius corporis status. *Ira sua stimulis*, inquit Gregorius, *incensum palpitat cor, corpus fremit, lingua se præpedit, facies ignescit, asperantur oculi*, &c. Arnobius lib. 1. *Quid ergo sequitur necessariò, nisi ut ex illius luminibus scintilla emicent, flamma æstuent, anhelum pectus spiritum jaciat, ex ore & ex verbis ardentibus labiorum siccitas inalbescat.* Tertius est delectatio ex vindictæ spe, & obscuratio rationis. Qui irascuntur, inhiant in vindictam. *Per viscera ipsa quære supplicio viam,*

R *si vi-*

si vivis, anime. Iram exsuscitant eorum comparationes, qui vel minori, vel pari de causa irati sunt. Injuriam acceptam extollant; vix ipsa tantum, vix adhuc creditur malum. Ab ira se nunquam discessuros profitentur, nunquam concitatus cessabit in pœnas furor, crescetque semper: queruntur quòd tardiores sint in ulciscenda injuria. In seipsos irascuntur ob amissam ulciscendi occasionem. Ebullitionem sanguinis circa cor sentiunt, seque vellicari ad ultionem: manca eorum oratio est ad declarationem iræ. Eos, quibus irascuntur, despiciunt. *Ejectum littore, egentem excepi, & regni demens in parte locavi.* Partes corporis omnes incitant ad sumendam vindictam, furoris arguunt mediocritatem, videntur in amentiam versi, hortantur se ad majora. Indicant facilia omnia esse ad vindictam. Profitentur se moliri magna. Iram extollunt, à persona læsa & lædente. Illatam injuriam narrant & exaggerant. Lætantur tanquam ultionem viderent. Eorum omnia causa est, quia bilis cum accendatur insurgente motu iræ, accendit etiam spiritus, unde statim turbatur ratio, quia spiritus esse debent temperati & tranquilli, ut sint idonei mentis functionibus. Excitantur etiam vapores ab eadem bile effervescente, qui caput opplent & offuscant. Denique idem humor biliosus calefactus passionem etiam iræ auget per sympathiam, indeque totum immutat corpus, quia est valde calidus; unde cum spiritibus & sanguine simul foras sese prodit in oculis & vultu, veluti una in hostem ruiturus. Dividiturque in moderatam & immoderatam. Speciesque habet secundum Damascenum lib. 2. cap. 16. *fel, maniam & furorem*; quæ distinctio desumitur ex iis, quæ ad augmentum iræ faciunt. Id enim ex triplici capite spectari potest. Primò ex *facilitate ipsius motus; & talis ira vocatur fel, quia cito accenditur.* Secundò ex parte *tristitiæ causantis iram, quæ diu in memoria manet; & hæc pertinet ad maniam, quæ à manendo dicitur.* Tertiò ex parte ejus, *quod iratus appetit, scilicet vindicta; & hæc pertinet ad furorem, qui nunquam quiescit donec puniat.* Unde Philosophus 4. Ethic. cap. 5. quosdam irascentium vocat *acutos*, quia cito irascuntur; quosdam *amaros*, quia diu retinent iram; quosdam *difficiles*, qui nunquam quiescunt, nisi puniant.

XLVII.

Nondum autem satis liquidum videtur, primò, an Ira sit Affectus mixtus ex tristitia & cupiditate ulciscendi, ut voluit Philippus Melanchton, cujus sententiam probare annisus fuit Rodericus ab Arriaga, ita scribens:

Pro

Probabilius videtur iram componi intrinsecè ex Dolore & Desiderio vindictæ, sive illi duo sint actus realiter distincti, sive unus æqualiter æquivalens duobus; ita ut præter dolorem & affectum, qui sit ira. Fundamentum hujus doctrinæ est, quia, positis illis duobus affectibus, aut uno duobus illis æquivalente, sufficientissimè intelligitur conceptus iræ prout distinctæ à cæteris aliis affectibus: salvantur item omnia, quæ nos in nobis experimur in affectu iræ. Deinde non est explicabile, in quo possit tertius ille alius actus consistere; ergò non est quærendus. Consequentia est bona. Antecedens patet quoad secundam partem, quia omnis affectus voluntatis est per modum fugæ aut accessus, vel per modum recessus, ergo & ira debet esse talis, nec est alius modus, quo possit voluntas in objectum tendere; si autem ad unum ex his duobus debet reduci, certè vel debet esse dolor, vel gaudium, vel amor, vel desiderium; è contrario in recessu vel debet esse odium, vel displicentia, vel tristitia, vel fuga per desiderium, ne eveniat: neque video qui aliter explicari possint affectus voluntatis; nam & timorem & spem & desperationem ex præcedentibus componi, adjunctâ probabilitate futuritionis boni aut mali, suprà probatum est fusè à nobis; ergo ira debet esse vel unus ex illis affectibus, vel certè componi ex illis, unus solus esse non potest, quia respicit bonum & malum, ut statim dicemus, ergo debet esse duplex, vel formaliter, vel saltem æquivalenter Quid verò per illos duos sufficienter declaretur diversitas iræ ab aliis, & simul ea, quam in nobis experimur; quod ad primam partem antecedentis suprà positi spectat; faciliùs adhuc suadetur; quia licet illi duo actus seorsim sumpti pertineant ad alios affectus seu passiones, ea tamen combinatio duorum simul nullum alium affectum constituit quàm iram. Deinde, per displicentiam & dolorem rectè explicatur, quid sit ea indignatio, quam in nobis experimur; per desiderium autem seu volitionem vindictæ ultimò completur ira; & ex hoc capite oriuntur actus illi externi puniendi impatientiæ, &c. quos videmus in iratis. Quanquam enim connexio aliqua admittatur, non tamen mistio & compositio, qua stante expungendus esset hic Affectus ex numero passionum, nec cæteris contradistinctus. Secundò nondum satis sese expediverunt, qui cum Bartholomæo Keckermanno iram deducunt unicè ex fervore sanguinis circa cor. Ipse enim geminum in irâ cordis motum supponit: *unum contractionis*, quo à molestiâ se abjungere cupit: & quasi intra se

confugit, ut in tristitia: *alterum dilatationis*, quo compressum cor se in lætitiam quandam & vindictæ cupiditatem effundit. Utque in priori motu calor & spiritus, sub initia tristitiæ, ad interiora confugiunt cordi opem laturi: Unde inter initia iræ plerunque se pallor in vultu prodit: Ita in posteriori quasi è cordis thalamo se effundunt, & ad extimam cutem secum sanguinem rapiunt. Unde irati in progressu impensè rubent, & quasi ardentes habent oculos, propter fervidorum spirituum in illis partibus confluxum. *Rationem* hanc adducit *Scaliger*, Exer. 313. Quia injuriæ illatæ labem non nisi inimicorum sanguine putamus elui posse, idcirco spiritus exeunt, quasi suppetias instrumentis laturi. Producunt enim se musculi ad ictum inferendum, in fortibus, ut in *Achille*, in imbellibus & *Ciceroni* similibus ad linguæ arma. In his igitur contrariis & subitaneis spirituum & sanguinis motibus à partibus exterioribus ad interiores, & ab interioribus ad exteriores, vehementer incalescere sanguinem, probabile est. Unde ex hoc reciproco motu cum in toto corpore, tum præcipuè in corde effervescit & ebullit, versusque principium suum, epar, regurgitat, & fellis vesiculam sollicitat: hinc assumtâ calidâ bile tenuior leviorque factus ad cerebrum enititur, sensusque & rationis officinam turbat. Hinc veluti furore concitantur irati, natumque hinc tritum illud, *ira furor brevis est*: Quam in sententiam Cicero: *Quid est, quo non progrediatur eodem ira, quò furor? Itaque iratos propriè dicimus exisse de potestate, id est, de consilio, de ratione, de mente.* Tertiò, illud quoque adhuc controversiæ obnoxium, an scil. ira magis sit naturalis homini, quàm concupiscentia. Respondet D. Thomas art. 5. distinguendo: Si enim, inquit, loquamur de causis ex parte objecti, magis naturalis est concupiscentia; quia cibi & res venereæ, quæ per concupiscentiam appetuntur, sunt magis connaturales homini quam vindicta: si item consideretur homo in quantum animal, sic etiam magis connaturalem esse concupiscentiam, quia magis ex naturâ suâ homo propendet in conservationem vitæ; si verò consideretur homo ut est rationalis, magis est ei connaturalis ira, quia hæc petit rationem, concupiscentia vero non: pro quo citat Philosophum lib. 4. Ethic. cap. 2. ubi ait, humanius esse punire, quod pertinet ad iram, quàm mansuetum esse: unusquisque enim insurgit naturaliter contra nociva & contraria: si denique consideretur complexio propria hominis, ait naturaliorem esse iram, quia in homine prædominatur complexio cholerica,

ferica, ex quâ ira provenit. Rem hanc credit Lucroniensis Theologus, posse universaliter decidi uno verbo, si dicamus, concupiscentiam simpliciter & absolutè esse magis connaturalem quàm iram: quod probare intendit, & quidem ex eodem D. Thomâ, quia (ut suprà vidimus) hæc quæst.art.1. ad 3. & art.3. ad 3. docet, iram habere semper causas pertinentes ad concupiscentiam. Quæ doctrina in se est verissima; non enim homo unquam irascitur, nisi quia illud, quod amat, ei aufertur, aut quod odit, ei infligitur: quæ enim penitus nec amo, nec odio habeo, non curo, sive ponantur sive non, ut ex se constat; inde argumentor, ergo nunquam excitatur actus iræ, nisi simul sit actus concupiscentiæ, vel præcesserit; ergo non potest esse magis naturalis ira, sed potiùs minùs, quia concupiscentia semper debet esse priùs saltem ratione, sæpè autem hæc est sine irâ, ergo. Quod dicit D. Thomas, ideo iram esse magis connaturalem homini quâ rationalis est, quia ira petit judicium rationis, concupiscentia verò illud non petit; hoc, inquam, habet difficultatem, juxta paulò ante dicta; nam ostendimus, iram ex conceptu suo tam benè reperiri in brutis carentibus ratione, quàm in illis reperiatur concupiscentia. Præterea, si non recurratur ad rationem à nobis datam, vix videtur posse defendi, quod dicit de causis concupiscentiæ & iræ ex parte objecti, scilicet, ideò iram esse minùs naturalem, quia magis sunt connaturalia objecta concupiscentiæ, v. g. cibi & venerea, quàm objecta iræ: hæc, inquam, ratio vix habet locum; nam illa eadem objecta, si auferantur violenter, sunt causæ iræ; ergo ex parte objecti non potest una passio magis esse connaturalis alterâ, cùm unum idemque objectum sit causa utriusque: & idem dico de alterâ consideratione hominis quatenus est animal; quo sensu, quia magis propendet in conservationem vitæ, dicit D. Thomas, ei esse connaturaliorem concupiscentiam: facilè enim eo modo, quo paulò antè urgeo, eadem conservatio vitæ est motivum iræ contra illos, qui ei vitæ nocere volunt; semper ergo in omnibus his recurrendum est ad rationem à nobis datam, quòd scilicet semper debeat aliquis amor, qui ad concupiscentiam pertinet, præcedere affectum iræ, unde infertur, universaliter esse magis connaturalem affectum concupiscentiæ quàm iræ; nam *propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Per hoc tamen non nego, si de diversis objectis loquamur, aliquos homines esse magis propensos ad motus iræ, quàm ad concupiscentiam aliorum objectorum; v. g. multos

esse, qui venerea & cibos vix appetunt, tamen si in honore vel in aliis rebus tangantur, vehementer proni sunt ad iram; comparando ergo affectum illum concupiscentiæ ad ea diversa bona, illis hominibus minùs est connaturalis quàm ira: at in illo eodem affectu iræ est affectus alius concupiscentiæ, qui necessariò debet esse tam naturalis minimùm quam ipsa ira; ille autem est amor erga proprium honorem, aut erga rem illam, quam non patitur quis ullo modo tangi vel violari; unde semper conclusio à nobis suprà posita, quòd absolutè concupiscentia sit connaturalior, verissima est.

XLVII.

Quanquam verò non diffiteamur, nos aliquid hic desiderare, & melius forsan posse dispesci, ordinari & disponi hos affectus largiamur, noluimus tamen aliquid innovare, sed receptam sententiam explicare, & ab Erroribus quorundam liberare: illud, antequam ad alia progrediendum, hic monemus, passiones has ita tribui appetitui sensitivo, ut consimiles Motus in facultate etiam superiori admittamus. Nam primò ipsi Philosophi distinguunt vocabulum affectus, ut dicant quosdam mentales, quique etiam in anima separata locum habent, quosdam sensitivos, qui nobis cum Brutis communes, de quibus hactenus egimus, & rationales, qui & corporis & animi commotionem dicunt. Alii verò solicitè distinguunt inter Affectus propriè & ἀναλόγως sic dictos. Quidam denique ita hanc materiam pertractant, ut pateat eos abstrahere quasi communem conceptum, vel loqui de passionibus, ut tantum locum habent in homine. Secundo negari nequit etiam in animabus Beatorum esse amorem, odium, spem, &c. in Angelis, imò ipso DEO, qui tamen passionum nomine, & quidem Appetitus sensitivi venire nequeunt. Tertiò Scriptura his nominibus utitur ita, ut quandoque non tantum Motus à Spiritu S. productos illis designet, qui non competunt, nisi illis, in quibus ipse operatur, sed & voluntatis sive superioris facultatis concitationes: ita Amor tribuitur spiritualis Sponso & Sponsæ mysticæ: *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te. Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum*, Cant. 1. v. 3. & 4 ita impurus amor spiritualis Idololatris, Esaiæ 57. v. 8. *Iuxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus, dilexisti stratum eorum manu aperta.* Et Jeremiæ 2. v. 25. *Dixisti, desperavi, nequaquam faciam, adamavi quippe alienos, & post eos ambulabo*.

labo. Adde illud 1. Pet. 1. v. 8. *Iesum Christum cùm non videritis, diligitis, in quem quoque non videntes creditis, credentes autem exultatis lætitia inenarrabili & glorificata.* Sic odium quoddam transcendit appetitum sensitivum, & describitur; *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi*, Psal. 139. v. 21, 22. *Hi odient fornicariam, & desolatam facient illam & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt*, Apoc. 17. v. 16. Desiderium tribuitur Angelis; *In revelata desiderant Angeli prospicere*, 1. Pet. 1. v. 12. Prophetis & Regibus: *Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ vos auditis, & non audierunt*, Lucæ 1. v. 24. Piis & fidelibus; *Sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite*, 1. Pet. 2. v. 2. atque de impiis dicitur, quod desiderent Lucos; *Erubescetis super hortis, quos elegeratis*, Esaiæ 1. v. 29. Abominatio requiritur falsitatis à veri DEI cultoribus: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum*, Psal. 119. v. 163. Idolorum: *Abominaris idola*, Rom. 2. v. 22. & reprehenditur in primoribus Israëlis: *Audite hoc Principes domûs Iacob, & Iudices domûs Israël, qui abominamini judicium, & omnia recta pervertitis*, Michæ 3. v. 9. Delectatio & Gaudium piis competit, qui in DEO lætantur: *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, & pars mea DEVS in æternum*, Psalm. 73. v. 25. in lege DEI; *Condelector Legi DEI secundum interiorem hominem*, Roman. 7. v. 22. in lapidibus Sionis: *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, & terræ ejus miserabuntur*, Psalm. 102. v. 15. quemadmodum de impiis dicitur quod delectentur Mendacio: *Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti: ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant*, Psalm. 62. v. 5. & in sceleribus suis: *Hæc omnia (mala) elegerunt & in abominationibus suis anima eorum delectata est*, Esaiæ 66. v. 3. Dolor annunciatur de Josepho & Maria: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce, pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, Lucæ 2. v. 48. de Paulo: *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo*, Rom. 9. v. 2. *DEVS misertus est mihi, ne tristitiam super tristitiam haberem. Festinantius ergò misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, & ego sine tristitia sim*, Philip. 2. v. 27. 28. ipsi Christo: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cùm gustâsset, noluit bibere*, Matth. 27. v. 34. Spes tum humana

mana tum divina designatur: (*Abraham*) *contrà spem in spem credidit*, Rom. 4. v. 18. adde: *Debet in spe arare, qui arat, & qui triturat, in spe fructus percipiendi*, 1. Cor. 9. v. 10. & eadem Epistola prima: *Charitas omnia sperat*, cap. 13. v. 7. Desperationis, quæ superabat appetitum sensitivum, Scriptura meminit de Saule: *Dixitque Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, & percute me, ne forte veniant incircumcisi isti, & interficiant me illudentes mihi. Et noluit armiger ejus, fuerat enim nimio terrore perterritus, arripuit ita Saul gladium suum, & irruit super eum*, 1. Sam. 31. v. 5. de Achitophele: *Achitophel videns quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque & abiit in domum suam, & in civitatem suam: & dispositâ domo suâ, suspendio interiit*, 2. Sam. 17. v. 23. de Juda: *Projectis argenteis in templo, recessit, & abiens, laqueo se suspendit*, Matthæi 27. v. 5. Timor quoque superiorem facultatem corripere dicitur: *Adam ait: vocem tuam audivi in paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me*, Gen. 3. v. 10. *Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè*, Matth. 17. v. 6. & : *Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè*, cap. 27. v. 54. adde: *Vt timeas Dominum DEVM tuum, & v. 13. Dominum DEVM tuum timebis*, Deut. 6. v. 2. & 13. nec non Deut. 13. v. 11. *Vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam ultra faciat hujus rei simile*. Audaciam sibi tribuit Paulus in negotio Spiritus: *Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens*, Rom. 15. v. 51. fidelibus: *Vt plures è fratribus in Domino, confidentes in vinculis meis, abundantiùs auderent sine timore verbum DEI loqui*, Philip. 1. v. 14. Ira denique superioris ordinis fuit in Phinea: *Quod cùm vidisset Phineas filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israelitam in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scil. & mulierem in locis genitalibus*, Numer 25. v. 78. *Idcircò furore DEI plenus sum, laboravi sustinens: effunde super parvulum foris, & super consilium juvenum simul: vir enim cum muliere capietur, senex cum pleno dierum*, Jeremiæ 6. v. 11. nec non in ipso Christo: *Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum*. Deut. 13. v. 11. quid, quod non tantum affectus sensitivæ partis sint corrupti & contaminati in homine post lapsum, sed & ipsi & superiores facultates & illarum motus, non tantum satellites in ordi-

ordinem sint redigendi, sed & ipsi Principes Animæ nostræ directione indigent, ne exerrent, fræno spiritus, ut coërceantur, & voluntas nostra, quæ tanquam Regina præsidet, vel sibi relicta in Malum feratur, vel superioris Gratia in Boni propensionem flectatur.

XLVIII.

Disputant hic Doctores primò de Admiratione, & sunt, qui referunt illam ad Metum, describuntque, quod sit Timor magni Mali, cujus non possit facilè reperiri Exitus, vel dicunt esse passionem voluntatis, cum tamen Admirationi nihil sit commune cum Timore, non versetur circa Malum, sed verum, sit actus aliquis intellectus, non voluntatis, de novitate alicujus rei, cujus rationem & causam non comprehendimus. Secundò de Delectationum materialium & spiritualium prærogativa, in quo argumento pro spiritualium eminentia pugnat Thomas, cujus tamen arma retunduntur à Roderico ab Arriaga scribente: Thomas respondet, spirituales delectationes esse majores, quod probat primò, quia magis æstimamus nos esse cognoscitivos rationaliter quàm materialiter; unde si quis deberet vel visum vel intellectum amittere, mallet visum perdere quàm intellectum. Hæc tamen ratio non tam probat de ipsis delectationibus, quàm de objecto illarum: etenim etiam de ipsis sensibus materialibus potest esse delectatiò spiritualis & materialis: & adhuc ibi restat tota difficultas, quæ scilicet ex illis sit major. Secundò modo dicit etiam spirituales esse majores, hoc est secundum se; quia & bonum spirituale est majus quàm corporale. Verùm hæc ratio pertinet ad præcedentem, & non videtur esse pro præsenti quæstione, ut dixi; nam etiam delectationes spirituales possunt esse de objecto materiali, licet non è contrario materiales de objecto spirituali. Tertiò, quia conjunctio spiritualis est major: etenim sensus solùm sistit circa exteriora accidentia; at intellectus penetrat usque ad rei essentiam: est item perfectior conjunctio, quia delectatio materialis est conjuncta cum motu sensibili, qui dicit imperfectionem: est etiam firmior ea conjunctio, quia bona materialia sunt corruptibilia, spiritualia verò sunt permanentia. Hæ tamen rationes videntur habere eandem difficultatem, quam prima; nam in eis semper reditur ad objectum; cùm (ut dixi) etiam de ipso objecto materiali, seu de solo ipso accidenti externo possit homo habere delectationem spiritualem per voluntatem; ergo inter illam & sensitivam non explicatur sufficienter differentia per objectum, cùm sit idem

utriusque. Quarta ratio est, quia rationales reperiuntur in meliori subjecto, scilicet in animâ rationali, materiales verò in corpore. Hæc ratio, si intra eundem hominem fiat comparatio, etiam est difficilis; quia (ut suppono ex libris de animâ) omnes etiam sensationes recipiuntur in animâ rationali immediatè, & ex eâ solâ parte percipiuntur ab homine. Huic quæstioni respondendum est, duas comparationes posse fieri inter has duas delectationes; Primam in perfectione physicâ, utra scilicet sit absolutè nobilior: & in hoc sensu probabile est, omnem spiritualem actum esse nobiliorem in homine omni actu materiali; ideoque etiam delectationes spirituales meliores esse in esse entis materialis, sive habeant idem objectum, sive non; & sive materialis sit de nobiliori objecto, v. g. de objecto visus, & spiritualis sit de ignobiliori, v. g. de sapore; qui est objectum tactus seu gustus. Dico *id esse probabile*; nam licet omnino certum sit, conceptum rei materialis ex genere suo esse minus perfectum quàm conceptum spiritualis, non tamen propterea evidenter sequitur, omnia materialia esse minus perfecta omnibus spiritualibus, ut sæpe dixi. Et sanè ego non dubito, quin visio materialis albedinis sit entitas simpliciter perfectior, quàm spiritualis ubicatio volitionis spiritualis. Sicut ergo hic compensatur ille excessus spiritualitatis, posset etiam fortè compensari inter duas delectationes, unam materialem, alteram spiritualem; ut licet hæc ex conceptu spiritualitatis haberet majorem perfectionem alterâ, quia tamen haberet nobilius objectum, aut ex alio capite esset simpliciter perfectior, vel saltem non imperfectior; non est ergo adeò certum omnem spiritualem esse nobiliorem. Nihilominus meritò dixi id esse probabile & probabilius, quia inter eas delectationes non possumus de facto invenire aliud caput, unde fiat compensatio, quàm ex objecti aliquâ majori nobilitate; quæ tamen non est in præsenti sufficiens; nam omne objectum delectationis materialis est materiale & accidentale; inter duo autem accidentia materialia, quæ respicerentur, unum à spirituali, aliud à materiali delectatione, non potest esse tanta diversitas, ut inde possit delectatio materialis ob nobilius objectum major esse in genere entis quàm spiritualis; licet in aliis rebus possit ea compensatio fieri, ubi sint plura capita, ratione quorum res materialis possit æquare spiritualem. Et hæc de primâ comparatione earum delectationum quoad perfectionem simpliciter. Secunda ergo comparatio fit intra rationem ipsam delectationis, quæ

sit fortior, seu quæ magis recreet subjectum. Et in hoc sensu dicendum est, aliquando spirituales esse majores, aliquando è contrario minores: etenim si comparamus delectationem, quæ ex DEO viso in beatis provenit, haud dubie ea quodammodo infinities est major quàm ulla materialis esse possit, nisi fortè ipsa etiam materialis esset de eodem DEO viso; quia dixi alibi, non esse adeò certum, nullam potentiam materialem divinitus possibilem esse capacem visionis DEI. Sed quidquid de possibili sit, quoad præsentes res est clara ob rationem datam. Aliquas verò è contrario materiales esse majores aliquibus spiritualibus, videtur certum: si enim comparem gaudium spirituale, quod quis habet de re parvi momenti, quod scilicet invenerit unum cruciferum, cum delectatione materiali, quam habet quis de re venereâ aut de delicatissimo aut sapidissimo cibo, aut de haustu gratissimo post ingentem sitim; quis negabit, majorem esse in genere voluptatis hanc materialem illâ spirituali; Aliquas item esse æquales etiam est probabile; quia contingere poterit, ut objectum illud materiale non causset adeo magnam delectationem materialem, neque è contrario spiritualis sit adeò exigua, ideoque æqualis cum eâ materiali. Tertiò, de Spe num scil. incertitudo Boni sperati futuri necessaria sit pro Actu spei, quod communiter aliàs affirmatur à Pontificiis Scriptoribus, prolixè autem conatur repellere Conink Disp. 19. Dub. 7. Tum ex eo, quia secundum Thomam part. 379. artic. 4. Christus habuerit spem de Beatitudine corporis sui, quam tamen sciverit certò futuram, tum quia etiam certa Bona possint esse ardua absentia & futura, ut proinde nihil ipsis desit ad terminandam veram spem, tum ex eo, quia animæ purgatorii veram habeant spem Beatitudinis, quam tamen certo sciant se acquisituras, nec dissentit à Coninkio Franciscus Suarez, Tomo 2. in 3. part. q. 15. art. 7. in Commentario, & Vasquez 1. p. Disput. 43. cap. 5.

CAPUT V.

De REMEDIIS AFFECTUUM.

THESIS I.

Remedia compescendis Affectibus apta generalia & specialia, à quibusdam indicantur. Illa quidem Meditationem pulchritudinis & dignitatis illius eminentis, quam homo affectuum Repressione parare possit; cum quicunque secundum Synesium rationis expertes animæ partes cicuratas & tractabiles reddens rationi obsequentes efficiat, & ad cujus principatus sapiens moderamen multitudinem componat, hic verè divinus, sive Rex, sive privatus homo sit. Secundò considerationem perfectæ & regiæ libertatis, quâ gaudeat homo passionibus domitis & subjugatis, quod Epictetus apud Arrianum lib. 2. c. 1. indicet ita pronunciando: Nullus aut timidus, aut mœrore affectus, aut alio perturbatus modo pro libero est habendus, qui ergo liberatus est à mœstitia, metu, perturbatione, eum eâdem viâ ex servitute in libertatem vindicari etiam certum est. Tertiò attentionem ad maximam & purissimam voluptatem, quæ Affectuum Moderationem comitetur, de qua Seneca lib. 7. de Benef. c. 2. Ista est voluptas & homine & viro digna, non implere corpus nec saginare, nec cupiditates irritare, quarum tristissima est quies. Quartò momentum utilitatis, quæ ad illos derivetur, qui affectibus imperant, cum improbitatis fontes secundùm Tyrium Maximum sermone 17. primaque Mali hujus causa ex Illuvie quasi & exundatione existat, quotiescunque ille affectuum fervor animum accendit, quoties pullulantem quasi & efflorentem rationis vim confundit, non aliter quam hyberni torrentes solent. Quintò cautionem circa initia passionum, quæ reprimenda secundum vulgatum illud. Principiis obsta serò Medicina paratur. Sextò Aversionem Imprudentiæ admittentium passiones, cum protestatione de iis posthmodum excludendis, unde Epictetus apud Arrianum lib. 4. cap. 12. Quando dixeris in crastinum adhibebo diligentiam: id abs te dici scito, quod nimirum velis hodie imprudens, importunus, abjectus esse. Septimò Examen sui ipsius quotidianum circa repressas vel impeditas passiones, quod maximè suadet Epictetus apud Arrianum: Si iracundus, inquit, esse noles, habi-

habitum illum ne foveris. Nihil ei adjicio, quod succrescat, initio conquiesco & innumerato habe dies illos, quibus iratus non fueris. Olim quotidie commovebar ira, postea altero duntaxat die, deinde tertio quoque die. Quod si tunc intra dies triginta iratum te non senseris, DEO sacra facito. Habitus enim à primis diebus languescit: posterius verò omnis dissolvitur & evanescit. Nec hodie nec heri passus sum me aliquo mœrore affici, nec pōstea per tres, aut quatuor Menses. Sed animum adverte, si visa oblata tibi fuerint, quibus provocari possis, utrum decenter te geras. Octavò sensuum Remotionem & Intellectus, ut objectis irritantibus. Cum enim secundum Hieronymum per quinque sensus, quasi per quasdam fenestras, vitiorum ad animum introitus sit, non potest ante Metropolis & Arx Mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus. Horum perturbationibus anima prægravatur & capitur aspectu, auditu, odoratu, sapore, tactu. Et hæc interna dicuntur esse remedia. Externa generalia sunt Numinis imploratio ad occursum passionis & phantasmatis, quod rectam rationem in discrimen adducere posset. DEI ubique præsentis & omnia intuentis recordatio, exemplorum illustrium attenta inspecti Convictus illorum, qui moderati sunt animi, Usus pharmacorum, concentus Musicus. Verum ut quod res est dicamus, primò omnia illa remedia ita sunt comparata, ut illis nimium tribuatur & fingere fingantur hominem, qui sit instar maris pacati & tranquilli, stoicis principiis affinia habent, superbiam & fastum produnt, qualia inprimis illa de perfecta & regia libertate, cum tamen ipsi regeniti illa non gaudeant, conquerente de hoc malo ipso Apostolo Paulo: *Scimus enim quod lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato, quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*, Rom. 7. v. 14. 17. & seq. Secundò à gentilibus maximam partem sunt tradita, & subministrata pro gentilibus, qui si meditatione unius & alterius motivi represserunt quocunque modo passionem, in aliam inciderunt, illa ipsa repressione & vanæ gloriæ stimulo titillati sibi, non DEO litarunt, ex illa quam sibi imaginabantur victoriâ reportata. Unde Jansenius libro primo de Gratia Salvat. cap. 18. Sed quæ illa tandem gratia, sub qua sunt, quaque possunt implere, & implent legem, & sine qua implere non possunt? Audi subjuncta: *Ad Iudaos dicta est Lex ministratio mortis, ad quos & in lapide scripta est, ad eorum duritiam figurandum, non ad*

vos, qui legem per charitatem implent. Plenitudo enim Legis est charitas. Et inferius: *Mortui sumus legi damnanti, liberati ab eo affectu, quem lex punit & damnat.* Sed per quid liberati? *Itaque idem praeceptum timentibus lex est amantibus*, id est, charitatem habentibus, *gratia.* Et paulò post: *Lex littera est eis, qui non eam implent per spiritum charitatis, quo pertinet Testamentum Novum.* Et rursum: *Ab ejus ergò damnatione liberantur, qui per Spiritum innovantur, ut jam non sint obligati litterae ad poenam, sed intellectui per justitiam copulati.* Sed quae est illa Spiritus innovatio? Audi sequentia: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat. Lex enim tantummodo lecta, & non intellecta, vel non impleta utique occidit. Tunc enim appellatur littera. Spiritus autem vivificat, quia plenitudo Legis est charitas, quae fusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* In istis omnibus locis, aliisque plurimis, quae proferri ex Augustino possent, semper hoc agit, ut intelligamus libertatem, qua quis à dominante concupiscentia liberatur, ut ei non consentiat, eique jam servienti dominetur: itemque animi fortitudinem, qua quis adversus concupiscentiam importunissime tumultuantem robustus fiat, ut eam & oppugnare possit, & vincere, nullam esse aliam, nisi charitatem, quae per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris. Illa quippe sola est, quae affectum tribuit spiritalem, quae liberat, quae innovat, quae robustum faciat animum, concupiscentiaeque dominantem: quâ si caret, non affectu spiritalis, sed carnalis est, non innovatus, sed vetustus, non robustus adversus cupiditatis impetum, sed infirmus, non liber ab ejus dominatione, sed servus, cui tanquam imperiosae dominae serviat necesse est: trahitur ab ea, capitur, possidetur tanquam venundatum concupiscentiae mancipium: cui non tantùm resistere non valet, sed quo surgere sibi videtur altius, eo gravius alliditur, & ex una in aliam semper ei serviendo praecipitatur, hoc est ut, Prosper vigilantissimè dicit:

——— *In vulnera vulnere surgit.*

Impossibile est enim ut extra DEUM pedem, hoc est, affectum figat, nisi in creaturam: quo affectu extra creaturam exire nullo pacto potest. Ille quippe affectus in creaturam fixus quo surgere conatur, & concupiscentiae compedes dissolvere, ut ejus dominatum fugiat, est alius subtilior ejusdem concupiscentiae dominantis motus. Affectum autem in justitiam praecepti figere, seu affectu benefaciendi benefacere, sicut

sicut necesse est, juxta S. Augustinum, ut sit voluntas libera & actus ejus bonus, est ipsissima dilectio tam celebrata charitatis, quemadmodum jam diversis locis diximus, & ex professo alibi prolixeque demonstravimus. Hæc ergo fundamentalis ratio est, extremaque radix, cur neque lex, neque doctrina, neque ulla illustratio, vel revelatio veritatis quantumcunque clara, neque ulla intellectus cogitatio, quantumcunque etiam fingatur congrua, sufficere possit ad liberationem voluntatis. Nam & terminum *a quo* liberationis tollere, & terminum *ad quem* ponere cujuslibet cognitionis atque cogitationis longissimè superat potestatem. Unde Augustinus dicit: *Inest sancta legis scientia, nec tamen sanatur vitiosa concupiscentia.* Et, charitas non ex hominibus, vel ex lege humanaque cogitatione, sed *ex DEO est.* Quamvis itaque hujusmodi supradicta vulnerum humanorum Epithemata vim aliquam habere possint, ut divertant animum ab illo singulari malo perpetrando, quod proponitur, quod & timor pœnæ non solùm futuræ, sed & præsentis frequenter facit, nihil tamen eorum idoneum est, ut concupiscentiæ universæ vires frangat, & ad verum bonum transferat diligendum: id est, nihil eorum sufficit, ut animum ab omnis omninò creaturæ dilectione divellat, & ad præcepti justitiam diligendam subvehat, cujus solius dilectione fit liber. Hoc enim & nihil aliud est juxta doctrinam Augustini celeberrimam & fundatissimam, quam inspirare veram illam evangelicam charitatem DEI, qua sola arbitrium voluntatis à concupiscentiæ dominatione liberatur: hoc est, fit liberum, & ad benè faciendum expeditum: *Charitas enim facit liberum ad ea, quæ bona facienda sunt.* Illud verò nulla omninò cognitio, vel revelatio, vel cogitatio qualiscunque efficere potest, sed sola illa interna & occulta gratia voluntatis, quæ ideò humanis cordibus tribuitur, *ut cordis duritia primitus auferatur.* Nam ista gratia non solùm instruit intellectum, ut facit quælibet revelatio atque cogitatio, sed *sanat voluntatem, qua justitia liberè diligatur.* Tertiò pleraque hæc non tam remedia, quæ ex alia officina petenda, quam adminicula, nec illorum consideratio & adhibitio procurat interioris hominis augmentum, quam honestati & disciplinæ externæ ancillatur, & si quædam faciunt ad bonum, etiam in verbo DEI præscripta nobis esse deprehenditur.

II. De

II.

De Musica, cujus Mentionem supra fecimus, aliquid monendum. Temperare illam affectus, in nobismetipsis experimur, & jucundis demulceri modulis homines, tristibus dejici, Experientia testatur, nec Scriptura abnuit: dixerant enim servi Saul: *Ecce Spiritus DEI malus exagitat te, jubeat Dominus noster (Rex) & servi tui, qui coram te sunt, quærent hominem, scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te, super te venerit, Spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leviùs feras, & benè sit tibi*, 1. Sam. 16. v. 15. 16. Ipse Saul dixit ad servos: *Providete ergo mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me*, v. 17. Denique concluditur vers. 23. *Igitur quandocunque Spiritus Domini (malus) arripiebat Saul, veniebat super Saulum, tum David tollebat citharam, & percutiebat (ludebat) manu sua, & refocillabatur Saul, & leviùs, (benè) habebat, recedebat ab eo spiritus malus.* Consimilia legimus 2. Reg. 3. vers. 15. ubi Elisa dicit: Nunc adducite mihi Psaltem: *Cumque caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini.* In quæ verba Caspar Sanctius ita commentatur: Cùm res Israëlitica premente siti foret angustior, accinxit se statim ad opus Helisæus, nihil cunctandum ratus, & quo à Domino responsum acciperet, & quod esset opus facto doceret, acciri jubet Psaltem, cujus se numeroso cantico ad accipiendum à Domino responsum præparet. Mira est harmonicæ pulsationis, & ad numeros Musicos temperatæ vocis, vis & potestas ad affectus omnes vel incitandos, vel remittendos. De quibus externi plurima. Vide Plutarchum in lib. qui de Musica inscribitur, Aristotelem lib. 8. Politicorum, & alios plurimos, quos videre est promptum. Illud notissimum, notata ab antiquis quædam sonorum genera, quæ variis serviunt animorum affectibus, Lydium, Dorium, Lesbium, Phrygium, qui mirificam in animos potestatem habent. Quidam acres, & bellicos ingenerant impetus, alii mitiores, & ad pietatem accommodatos magis. Alii immoderatiùs exultantes animos contrahunt, componuntque ad religionem, & modestiam. Alii contractos solvunt & exhilarant. Est ergo ad pietatem aliquod Musicæ genus opportunum, quale est illud, quod ad sacrum officium adhibet Ecclesia, quod, ut experientia ipsa norunt viri pii, animos quodammodo abstrahit à terrenis & rapit ad cœlestia. Sanè August. in Confession. mirè se affici dicebat cum Canticum audiret Ecclesiasticum; sic autem ille lib. 9. Confession. cap. 6.

cap. 6. *Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter, voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Neque alios numeros aut cantus audivit Helisæus, quam modò qui religioso cœtu in Ecclesia cantantur. Ut enim docet Theod. q. 11. Psaltes ille, qui suo cantu excitavit spiritum, & ad excipiendum divinum afflatum apte disposuit, Levita fuit, qui Psalmos cecinit Davidicos: *David*, inquit, *Levitas uti jussit citharis, & tibiis, & cymbalis, & aliis instrumentis. Vtebantur autem ipsi spirituali Davidis modulatione. Ex his unum jussit accersiri Propheta, illo autem psallente, quod erat agendum, significavit gratia Spiritus.* Ut autem Psalmus malum è Saule spiritum pellebat, aut sedabat, (nam suos tunc Psalmos cecinisse Davidem, verisimile est) sic etiam Psalmus bonum Spiritum advocare potuit. Qua de re vide Gregor. Hom. 1. in Ezech. ubi per psalmodiam dicit omnipotenti DEO ad hominum corda iter aperiri. Unde etiam cùm caneret Psaltes ad Musicos numeros, soporati sunt Helisæi sensus, & animus magis à corporeis impedimentis solutus, sicut in somno contingit, se ipsum ad cœlestium rerum contemplationem afflatumque divinum excitavit. Tunc autem nova rerum cognitione illustratus à DEO, & id quod quærebat assecutus. Ut itaque Musica vires habet in Affectus sub naturali suâ indole consideratos, ita Musica sacra, si fœta Deo, si Spiritus virtute fœcunda, si ex Scriptura imprægnata & verbo divino stipata, vim quoq; spiritualem exercet in animos. Nota sunt, quæ de Orphei & Amphionis Musica referuntur, saxa scil. movisse illum sono testudinis, quanto magis, quod sæpe in saxum obriguit Cor Musica diviniore expugnabitur. Seditione laborante Sparta, Terpandri ope animi fuerunt deliniti & seditio sedata, ut in Proverbium abierit, *μετὰ λέσβιον ᾠδὸν*, quanto magis tumultuantes passiones compescet Lyra Davidica, plectrum Regis Jessæi. Si Clinias Pythagoricus, Ira efferveſcente, arrepto Instrumento Musico, *παύομαι* ingeminavit, mitigari se sensit, quanto magis frænabit Excessus passionum & mitigabit lenis aura verbi divini, cum canitur & Psallitur Domino. Huc digitum intendit Apostolus scribens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu (Sancto,) loquentes vobismetipsis (in) psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino*, Eph. 5.

vers. 18. 19. & si Martianus Capella Musicam introduxit loquentem ita; perturbationibus animorum corporeisque morbis medicabile crebrius carmen insonui. Nam phreneticos Symphonia resonavi. Cur modulis sacris non potiora tribuamus, adde quæ habet Seneca lib. 3. de Ira c. 9. scribens: Asclepiades Medicus phreneticos, mente imminutâ & valetudine animi affectos nulla re magis quam Symphoniâ & vocum concentu ac modulis resipiscere & sanitati restitui censuit. Fertur quoque Ismenias Thebanus plures Bæotiorum ischiadicos & coxendicum dolore laborantes incentione tibiæ bonæ valetudini restituisse, tanta hominis naturæ cum harmonia consensio est. Optimè Basilius de legendis libris Gentilium: Oportet, inquit, nec oculos spectaculis, nec vanis præstigiatorum ostentationibus tradere, nec per aures animarum corruptricem melodiam haurire. Hoc enim musicæ genus servitutis, & ignobilitatis fructus parere, præterea libidinum stimulos acuere solet. Alia nobis musica longe melior existit, & ad meliora nos excitans sequenda; David sacrorum canticorum Poëta, cythara ex insania Saulem Regem liberavit. Dicitur & Pythagoras in ebrios olim incidens jussisse tibicinem convivio luxurioso præsidentem mutare harmoniam, ac dorium ipsis canere; atque hoc modo melodiæ illos ad sobrietatem reduxisse, qui ejectis de capite coronis, sane omnes erubuere. Hac de re non pauca Cassiodorus lib. 2. Variarum 40. Musica, inquit, tristitiam noxiam jucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam efficit blandam, excitat ignaviam, soporantemque languorem vigilantibus reddit saluberrimam quietem. Sanat mentis tædium bonis cogitationibus semper adversum.

III.

Non probamus autem primò sententiam illorum, qui Spiritum nequam, qui Saulem exagitavit, recte quidem exponunt de malo Spiritu, sive Dæmone, sed putant Saulem ab ipso fuisse obsessum atque energumenon, pro qua sententia adducuntur Gregorius, Isidorus, Rupertus, Eucherius, Lyra, Tostatus, Dionysius, Hugo, Serarius, Mariana, Vatablus, & Franciscus Vallesius. Secundò illorum, qui cum Cajetano exponunt de duplici passione immissâ à DEO, altera corporis, in motu Spiritus melancholici mali, id est nocivi; altera animi, quoniam ex motu Spiritus melancholici formabantur in internis sensibus apparitiones exterrentes Saulem. Tertiò, qui cum Martino Delrio, morbum substituunt,

stituunt, quibus alii quoque accedunt, & inprimis Episcopius, qui ita disputat, renitente Josepho, Chrysostomo, Ambrosio & Nazianzeno, qui de Spiritu Dæmone locum accipiunt: Per Spiritum scribens, malum hic metonymicè intelligendum esse morbum aliquem melancholicum, quo cerebrum & temperamentum Saulis, sive ex animi ægritudine, sive alia ex causa naturali, sive à Deo ipso usq; adeo vitiabatur, ut mentem ejus traheret in consensum, adeo ut ad sana & salutaria sibi ac regno suo consilia capienda, durante morbi istius paroxysmo, non esset idonea, textus non obscure indicat, quando dicit, *& terruit eum spiritus malus*. Terror enim iste morbi melancholici aut signum aut effectum est, quando ejus remedium à Musica quæsitum & acceptum fuisse testatur, vers. 16. & 23. Morbus ergo ille peccatum non fuit, nec mala peccandi aut scelus aliquod committendi voluntas. Nam tum non à Musica, sed à resipiscentia, remedium quæri & accipi debuisset ac potuisset. Sed nec morbus iste talis morbus erat, quem necessario sequebatur peccandi voluntas. Nam quæcunque ex morbo tali voluntas oritur, ea non potest esse voluntas peccandi, quia morbi talis vehementia voluntatem liberam esse non sinit. Ratio enim in consilium adhiberi non potest, quando mens atræ bilis fuligine turbata & obnubilata est. Attamen, dices, videmus morbum istum consecutam esse in Saule malam & perversam voluntatem contra Davidem. Resp. malam & perversam illam voluntatem in Saule idcirco tantum malam & perversam voluntatem fuisse, quia in Saule erat ac manebat, cessante morbi paroxysmo. Morbus enim iste habere solet, & habuit in Saule lucida quædam intervalla, quibus mens & ratio homini sua bene constat. In istis intervallis libera est hominis voluntas, & quod tum facit, libere facit. Istis ergo positis, & subinde redeuntibus, poterat ac debebat Saul implorare gratiam divinam, pro morbi istius sui remedio, & in eam, quæ ex morbo isto nata fuerat, voluntatem non consentire, atque ita à peccato proprie dicto sibi cavere: quod quia non fecit, idcirco recte dicitur, mala sua contra Davidem voluntate peccasse. Morbum autem hunc *Spiritum malum* appellari, non mirabitur, qui morbum illum, quo mulier illa incurva per octodecim annos afflicta fuerat, Luc. 13. v. 11. *Spiritum infirmitatis* appellari legit: & insaniam, *Spiritum vertiginis*, & mundanam sapientiam ac disciplinam, *Spiritum mundi*, 1. Corinth. 2. vers. 12. &c.

IV.

Commodius commendatur nobis, ut supra strictim monuimus primò Verbi Divini Lectio, Auditio, Meditatio frequens. Hoc enim non tantum docet, quomodo Affectus sint temperandi, Vetus homo exuendus, secundum illud Pauli: *Deponite vos, secundum pristinam conversationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm DEUM creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium: Loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite dare, neque detis locum diabolo. Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti. Omnis sermo malus, spurcus, ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus est, ad ædificationem opportunitatis, necessitatis, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum Sanctum DEI, in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & DEUS in Christo donavit vobis*, Eph. 4. vers. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. Sed etiam in ipsa lectione sub ipsa meditatione vim divinam exserit, exerrantia pathemata reprimit & coërcet, quod excedit temperat, quod deficit & languet, erigit & confirmat, non tantùm ostendit discrimen honestorum & turpium, sed & à turpitudine nos retrahit, & ad pietatem nos animat, flectit & intendit, reprimit illa licentiam, cujus causa omnes deteriores sumus agnoscente Comico. Unde etiam David: *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, & exquiram eam semper. Da mihi intellectum, & scrutabor Legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam*, Psal. 119. v. 33. 34. 35. 36. Si verbis Oratorum graviter dicentium inest vis persuadendi, flectendi animos, compescendi Motus, quanto magis verbo DEI Eloquio τȣ̃ λόγȣ, sermoni Spiritus S. de quo Esaias cap. 55. v. 10. 11. *Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen*

men serenti, & panem comedenti: Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Et Paulus: *Vivus est enim sermo DEI & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & Spiritûs, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis*, Ebræor. 4. v. 12.

V.

Secundò consideratio præsentiæ divinæ illius, qui omnia videt, omnia penetrat, omnia etiam recondita perscrutatur, cujus *oculis omnia sunt resupinata*, Ebræor. 4. v. 13. qui enim DEUM habet præ oculis, expendit illum præsentem, ille non facilè designat aliquod scelus ac peccatum, sed reveretur illum, qui est ipsa sanctitas, & dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus DEUS vester*, Levit. 19. v. 2.

VI.

Tertiò Passionis Dominicæ Contemplatio. Exhibuit quippe Salvator noster Speculum Patientiæ, cum extrema illi essent subeunda, nec potest non crucifigere carnem, qui spectat Christum crucifixum, deliciari, qui intuetur spinas coronæ, superbire, qui paludamentum vile, quo ipse amictus, considerat, niti suis viribus, qui arundinem in manu Christi oculis subjicit, unde Paulus: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo Iesu enim neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia & super Israël DEI*, Gal. 6. v. 14. 15. 16. Et Petrus: *in hoc vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur*, 1. Epistolâ c. 2. v. 21. 22. & iterum Paulus: *Ideoq; & nos tantam impositam habentes nubem testium, deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atq; in dextera sedis DEI sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversum peccatum repugnantes*, Ebræor. 12. v. 1. 2. 3. 4.

VII.

Quartò Spiritus inhabitantis Animadversio: Dispensat hic vires contra Insultus, & nos munit: quanquam enim nullæ ex nobis, ex ipso tamen in nos exundant, quanquam concupiscentia sit operosa in suis Motibus, ut tanquam Mare æstuans, in quo fluctus fluctum comitatur, Affectus excipiat affectum, & ex corde corrupto semper prodeant *cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ*, Matth. 15. v. 19. Spiritus tamen, qui inhabitat pios, Templum illos sibi legit & sanctificat, potentior undis superior est omnibus affectibus & tumultum compescit, ut etiam Paulus dicat: *Quicunq; enim Spiritu DEI aguntur, ii sunt filii DEI. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore: sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii DEI. Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi*, Rom. 8. v. 14. 15. 16. 17.

VIII.

Quintò Baptismi nostri reminiscentia & commemoratio. Est ille *testimonium bonæ conscientiæ erga DEUM*, 1. Petr. 3. in quo DEO porrigente dextram manum dedimus, Diabolo, Mundo & carni renunciavimus; quoties igitur affectus insurgunt carnis, si recordamur, quid promiserimus, cui fidem dederimus, subsidebunt turbulenti illi motus, quod Paulus egregie docet: *An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus*, Rom. 6. v. 3. 4. 5. Nec malè Rabanus: Baptizati utuntur albis vestibus; utpote quorum nativitatis faciem vetusti Erroris pannus fuscaverat, habitus securæ regenerationis Gloriæ præferat indumentum. Tegitur post sacram unctionem caput ejus mystico velamine, ut intelligant se diademate Regni & sacerdotali dignitate potiri, Adde Cœnæ sacræ usum, qui nos in bono confirmat.

IX.

Sextò, Fidei præsidium & illius scuti apprehensio, quo tela retunduntur, cui jungenda reliqua armatura, de qua Paulus: *Induite (vos ar-*

ma-

maturam DEI, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem: sed adversus Principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, hujus seculi, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, & omnibus perfectis stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes, in præparationem Evangelij pacis: In omnibus, super omnia autem (arma) sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum DEI, per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes, in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis, Eph. 6. v. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

X.

Septimò frequens & assidua Oratio. Nihil magis hominem reddere potest certum de Exauditione, quam quæ ex fide proficiscitur Oratio. Huc collimat Christus: *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? Si ergò vos, cùm sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quantò magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* Matth. 7. v. 7. 8. 9. 10. 11. hoc indicat Johannes: *Et in illo die me non rogabitis quicquam. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*, Johan. 16. v. 23. & 24. hoc medio usus fuit maximè Paulus: *Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me*, 2. Corinth. 12. v. 8. hæc si pura, si casta fuerit secundum Augustinum, cœlos penetrans vacua non redibit, cum sit oranti subsidium, DEO sacrificium, dæmonibus autem flagellum.

XI.

Præmiorum & pœnarum cumulus, quæ vel sequuntur illum, qui DEUM amat, vel comitantur eum, qui licentiosè peccat, de quo Paulus: *Fide, Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo DEI, quàm temporalis peccati jucunditatem habere majores divitias, æstimans thesauro Ægyptiorum, impro-*

perium

perium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem, Ebr. 11. v. 24. 25. 26. & de pœnis: *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia. Terribilis autem quædam expectatio judicij & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios*, Ebr. 10. v. 26. 27. Ipse DEUS ita: *Ego sum Dominus DEVS tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me*, Exod. 20. v. 5.

— — — — proclivior Vsus,
In pejora datur, suadetque licentia luxum
Illecebrisque effrena favet: tunc vivere castè
Asperius cum prompta Venus: tum durius Ira
Consulimus, cum pœna patet.

XII.

Nonò laboris indefessi studium, industria in viis officii divini tus commissi, citra Exerrationem ad aliena, vel otium, quod pulvinar Satanæ, quorsum respexit Salomon monens: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec rationes sapientiæ, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas*, Ecclesiast. 9. v. 10. otiosus, inquit Augustinus, Esau amisit Primatus Benedictionem, quia maluit cibum accipere, quàm quærere. Nec malè Lucanus lib. 1. variam semper dant Otia Mentem.

XIII.

Decimò, Status nostri Expensio: Sumus Christiani, & in Militia constituti, idem ergo nostrum esse symbolum, quod Helvii Pertinacis, Militemus. Contra Affectus depugnemus. Si in Gentilismo honestioris conditionis homines non plena dedere ventis vela, non permiserunt fræna Affectibus, quanto minus Christiani debent laxare Animum, quorum est se sanctiori disciplinæ conformare: sumus Arbores Justitiæ, repressa itaque injustitia, *repletos* nos exhibeamus *fructibus Iustitiæ*, Philip. 1. v. 11. sumus abluti, sanctificati, justificati, Officium igitur nostrum erit secundum Petri monitum illud: *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint, & superent,*

non

non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione, 2. Epist. c. 1. v. 5. 6. 7. 8. Spiritu regimur, vitanda ergo opera carnis, & studendum erit fructibus Spiritus, qui recensentur ab Apostolo scribente: *Charitas, gaudium, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*, Gal. 5. v. 22.

XIV.

Specialia Remedia, speciebus parantur, & quidem primò Amori, quem peccatum inficit Devitatio Desidiæ. Otia enim, si tollas, periere Cupidinis Arcus, cedit amor rebus, res age, tutus eris. Remotio cogitationum à re amata perverse, vel etiam cogitatio de fœditate peccati. Consideratio incommodorum ex amore turbulento. Temperantia in cibo & potu, nec non, quod maximè commendatur, Oratio seria ad DEUM pro Spiritu Castitatis & suspiria, quale illud Davidicum: *Cor mundum crea mihi DEUS, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctitatis tuæ ne capias à me. Redde mihi gaudium salutis tuæ, & spiritu voluntario confirma me*, ex Psalmo 51. v. 12. 13. 14. Odio, si sit perversum, medetur illa eximia virtus, qua levius fit Patientia quicquid corrigere est nefas. Aversio à malitia, quæ odio inest, & Expensio illorum incommodorum, quæ secum vehit. Quantumcunq; in persona aliqua, scribit Augustinus, seges odii plurima objiciatur, cavendum tamen est, ne odium illud, si rationis prætergrediatur lineam, fiat dolosus Arcus, qui in nos ipsos sagittam excitet. Nec inimici homines, qualescunque fuerint, odio sunt habendi; ne cum odit Malus, qui patitur malum, sint duo mali. Diligat bonus, & quem patitur malum, ut vel unus sit malus. Consideratio nostræ fragilitatis, quid enim absurdius, quam mortales immortales Affectus & odia fovere adversus proximum. Tertiò, Desiderium compescit primò prudens cautela, ut in initiis opprimatur, in semine, ut Hieronymus loquitur, elidatur. Cum secundum Senecam omnis Affectus primò sit imbecillis, deinde ipse se concitet, facilius excludatur, quàm ejiciatur. Secundò meditatio ex unâ parte, quod Natura paucis sit contenta, ex altera, quod multum varietatis habeant Desideria, quæ sine Ratione & Spiritu feruntur. Tertiò attentio ad Mortalitatem, quæ nos ubique comitatur, & tandem appetente termino omnia desideria præscindit, Honesti Dignitatem, inhonesti turpitudinem, sensibilium Bonorum vilitatem & transitoriam durationem, Cruciatus animi, qui sequuntur, maximè si consideremus

cupiditates tanquam abeuntes ac quasi fessas, quæ implent animum amaritudine, cum recedunt. Quartò Abominationem corrigimus respiciendo ad DEUM, cujus Dextera omnia mutare potest, ad nosmetipsos, quorum conditio est post lapsum Malis urgeri & exerceri, ad naturam Mali, quod potest cedere in commodum, cum *illis, qui DEUM diligunt, omnia cedant in Bonum*, Rom. 8. v. 29. Quintò Delectationem & Gaudium moderatur cogitatio de Gaudii temporalis indole, quod nullum illime, nec ulla sincera voluptas, sollicitumque aliquid lætis interveniat, misceatur plærunque mœroris poculum, inde Poëta: habet hoc omnis voluptas, stimulis agit furentes, apumque par volantum, ubi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci ferit icta corda morsu. Secundò cogitatio de fugacitate & brevitate omnis lætitiæ, quæ hanc vitam interdistinguit, & quod plerumque *extrema Gaudij luctus occupet*, Proverb. 14. v. 13. Tertiò Cogitatio de lætitiæ sinceritate, quæ pios expectat, ad quam omnis hæc, quam hîc persentiscimus Umbra, Bulla, nihilum. Dolor sive Tristitia sextò tollitur, cum depellimus primò à nobis opinionem Mali, ob quod tristamur. Secundò, si præmeditati excipiamus illud; cum tela prævisa minus noceant. Tertiò, si expendamus, quæ ex adversis bona oriantur. Malo, inquit Seneca Epistola 86. me fortuna in castris suis, quam in deliciis habeat. Ludovicus Vives lib. 2.3. de Anima ita disserit: Tollitur Tristitia vel malo sublato, vel redditur amisso Bono, aut rebus lætis majoribus affluentibus, quas plures æstimamus, quam illas, quarum absentia nolebamus. Diluitur etiam illis, quæ tepe faciunt atram bilem, ut libis calidis & fumentibus, vino potissimum, quo de est in sacris literis: Da vinum mœsto. Item oblectamentis quoque visus & auditus, ut cœlo aperto, Musica; item aversatione cogitationis, ut in negotiis & narratiunculis lepidis, recto quoque judicio, nempe reputatione, non esse Malum, nec tanti esse, ut nos affligamur. Theologica ex Scriptura possunt depromi. Meditatio status nostri, quod, qui Christiani, non possint esse à malo immunes, conformari debeant Christo, qui crucem patienter in se suscepit & tollit, signum exinde concipere disciplinæ paternæ: *Qui non accipit crucem suam*, inquit Christus: *& sequitur me, non est me dignus*, Matth. 10. v. 38. *Scimus*, dicit Paulus: *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, Rom. 8. v. 29. *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit, in disciplina perseverate. Tanquam filiis offert vobis se DEUS*,

Ebræor. 12. v. & seq. 6. Adde illud : *Quia acceptus eras DEO, necesse fuit ut probatio tentaret te*, Tob. 12. v. 13. Oratio seria & ardens ad DEUM: *Tristatur quis vestrum? oret*, Jac. 5. v. 3. Spes futuri Boni : *Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. Spes autem non confundit, quia charitas DEI effusa est in cordibus nostris, per Spiritum S. qui datus est nobis*, Rom. 5. v. 3. 4. 5. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt*, 2. Cor. 4. v. 17. 18. Septimò Spes incerta, quæ aliâs ut Plato dixit, vigilantium somnium figitur promissionibus, & si de aliquo Bono ex manu divina exspectando, Verbo DEI. Unde Paulus: *Gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur*, Rom. 5. v. 5. Impia & turpis, de qua Prov. 11. v. 7. *Mortuo homine impio nulla erit ultra spes, & expectatio solicitorum peribit*, tollitur emendatione vitæ per Spiritum, & depulsione illius ab Animo sperantis, juvenilis denique consiliis illorum regitur, qui pollent Experientia. Octavò, Desperatio avertitur Meditatione amplissimi Favoris & Assistentiæ divinæ. Attentione ad exempla illorum, qui in arduis constituti vicerunt, in profundum projecti emerserunt. Vocationis denique nostræ Sanctitate & Robore. Hinc Syracides 10. v. 31. 32. *Fili, in mansuetudine serva animam tuam, & da illi honorem secundùm meritum suum. Peccantem in animam suam quis justificavit? & quis honorificabit exhonorantem animam suam.* Nonò, Metum & Timorem frenat imminutio cupiditatum : qui enim nihil habet, quod cupiat, metuit quoque nihil. Desinis timere, inquit Seneca Epistola 5. si sperare desinis. Opinionis Mali, quod metuitur, Excussio : plura enim sæpè sunt, quæ nos terrent, quam quæ premunt, & sæpius opinione, quam re laboramus. Inutilitatis Consideratio, quæ in Metu malorum, quæ ante tempus sine fructu cruciant. Quæ ista dementia est, scribit Seneca Epistola 98. Malum suum antecedere, miserum esse ante tempus, cum illa, quæ velit imminentia expavisti, fortasse nunquam futura sint. Certè nondum venerunt. Maximum autem Remedium est Spes de Auxilio divino, de quo Paulus : *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit : Non te deseram neq; derelinquam. Ita ut confidentes dicamus : Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi*

homo, Ebr. 13 v. 5. Adde illud Davidis: *Diligam, te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus. DEUS meus, adjutor meus, & sperabo in eum. Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Quoniam quis præter Dominum? & quis DEUS præter DEUM nostrum? DEUS præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos, tanquam cervorum, & superexcelsa statuens me*, Psalm. 18. v. 2. 3. 4. 33. & seq. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Psalm. 27. v. 1. & seq. &: *Nonne DEO subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Nam & ipse DEUS meus, & salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius*, Psalm. 62. v. 2. 3. & seq. Decimò Audaciam temperat primò moderata de se & viribus suis Opinio, si scil. quis non nimium sibi ipsi confidat, secundò Sobrietas, quæ prudentiæ comes est, & tertio Depositio vilipendii, quod in animo sedem locare voluit, de imbecillitate adversarii. Nihil enim tuto in hoste despicitur, quem spreveris, valentiorem negligentiâ facies, attende ad illud Domini: *Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur? quomodo si elevetur virga contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui utique lignum est?* Esaiæ. 10. v. 15. Undecimo Ira tepescit, si spatium des animo, nec scintillam confestim in incendium promovere gestias, si removeas opinionem contemptus, sive injuriæ acceptæ, si modeste & demisse de te sentias & proprios attendas defectus & imbecillitates, nec multum inquiras, quid de te dicatur: multæ enim nos injuriæ transeunt judicio Senecæ, ex quibus plerasque non accipit, qui nescit. Male dicta spreta exolescunt, inquit Tacitus, si irascaris, agnita videntur. Præterea observandum quam multis Ira nocuerit. Alii nimio fervore rupere venas, & sanguinem supra vires elatus Clamor egessit, & Luminum suffudit aciem in oculos vehementius humor egestus, & in Morbos ægri recidere. Et vel maxime illud: *Ira viri justitiam DEI non operatur*, Jacobi 1. v. 20.

CAPUT

CAPUT VI.

De SIGNIS AFFECTUUM.

THESIS I.

De Signis Affectuum aliquid etiam monendum, quæ indicia sunt cadentia in sensum, ex quibus homo deducitur in cognitionem internorum, quæ exsurgunt, & mentem perturbare aut confundere solent, Distinguit illa Scipio Claramontius Cæsenas in communia & propria. Communia dicit, quæ pluribus affectibus conveniunt. Propria, quæ uni. Hæc autem quæ propria sunt, alia ipsi sunt simplicia, alia coacervata. Simplicia dicit, veluti truces oculos in ira. Videntur enim illi forsan soli iræ convenire. At coacervata erunt, quæ simul sumpta unico affectui conveniunt. Veluti in Ira congeries illa Senecæ: *Flagrant & micant oculi; multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine: labia quatiuntur: dentes comprimuntur: horrent & subjiciuntur capilli: spiritus coactus ac stridens: articulorum seipsos torquentium sonus; gemitus mugitusque: & parum explanatis vocibus sermo præruptus; & complosa sæpius manus: & pulsata humus pedibus: & totum concitum corpus, magnasque minas agens: fœda visu & horrenda facies depravantium se atque intumescentium.* Congeriem hanc signorum dicit signum coacervatum; singula signa cum convertuntur, dicit signa propria simplicia. Tria itaque signorum genera sejungit; signa communia; signa propria coacervata: signa propria simplicia.

II.

Et quidem dari istiusmodi signa, ipsa Scriptura insinuat, inprimis vero Salomon Rex sapientissimus ita scribens: *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pedes, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & in omni tempore jurgia seminat*, Proverb. cap. 6. v. 12. 13. 14. ubi quidem Vulgatus habet homo Apostata, Chaldæus Calumniator, Rab Levi mendax, alii vero cum Bernhardo intelligunt superbum & arrogantem, quidam cum Gregorio Authorem jurgiorum & discordiæ, alii denique Scortatorem, sed recte secundum textum originarium in quo habetur אדם בליעל איש און homo impius, cu-

jus deinde pravitatis indicia ponuntur. Cui symphona prodit Ecclesiasticus. *Annuens oculo, fabricat iniqua, & nemo eum abjiciet; in conspectu oculorum tuorum conculcabit os suum, & super sermones tuos admirabitur, Novissimè autem pervertet os suum, & in verbis tuis dabit scandalum*, cap. 27. v. 25. 26. Patres secundo attestantur. Ita enim Hieronymus Epistola ad Rusticum Grunnium reprehendens ob fastum: cum Mensa positâ, inquit, exposuisset librorum struem, adducto supercilio contractisque naribus, ac fronte rugatâ, duobus digitulis concrepabat, hoc signo per summam ostentationem ad audiendum Discipulos, provocans. Nec male Ambrosius lib. de Elia & jejunio, cap. 10. Vultus quidam, scribit, cogitationis arbiter, & tacitus Cordis Interpres. Index facies est plerunque Conscientiæ, & quidam tacitus sermo mentis, cum aut peccato compungimur, aut integritate lætamur. Conspirat Bernhardus, Tractat. de Gradibus Humilitatis, ubi hæc leguntur: Primus superbiæ gradus est curiositas. Hanc autem talibus indiciis deprehendes, si videris Monachum, de quo prius benè confidebas, ubicunque stat, ambulat, sedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare suspensas, è motibus exterioris hominis, interiorem immutatum agnoscas. Vir quippe perversus annuit oculo, terit pede, digito loquitur, & ex insolentis corporis motu recens animæ morbus deprehenditur, quam dum à sui circumspectione torpescit, incuriâ sui curiosam in alios facit. Tertiò ex profanis Marcus Tull. lib. 3. de Orat. Omnis, inquit, motus animi suum quendam à Naturâ habet Vultum, & sonum & gestum: animi imago Vultus est. Nam hæc una pars corporis est, quæ quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes possit efficere. Est speculum mentis facies, oculique revelant, qualis sit intus mens, animusque viri.

III.

Specialia signa Affectuum & quidem voluptatis, ponit Claræmontius primò oculos hilares, frontem exporrectam genas colore & habitu vividiori, os ridens; Nec abnuit Scriptura. Ita enim Syracides: cap. 13. v. 31. *Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona sive in mala*: adde illud: *Quare vultus tuus tristis est, cùm te ægrotum non videam?* Nehemiæ 2. v. 2. Conspirat etiam Ambrosius, qui scribit: Exterminat faciem suam, qui aliud corde gerit, aliud foris fronte prætendit. Non nos velut quodam peripetasmate operiamus, quod intus est, foris luceat, quod foris

foris est, intus operetur. Attestantur è profanis Cicero scribens: Vultus ac frons animi Janua est, quæ significat voluntatem abditam ac retrusam. Heu quam difficile est crimen non prodere vultu, secundum Ovidium, nec male Seneca in Hercule:

Licet ipsa neges
Vultus loquitur quodcunque tegis.

Ex pulsu etiam sumi possunt signa lætitiæ; nam suus lætitiæ pulsus tribuitur. Galenus tribuit pulsum magnum, rarum & tardum; at nullam in vehementia differentiam suscipientem lætitiæ non excedentis: nam si excesserit, tum exsolvitur virtus ad mortem usque interdum, ut pulsus idcircò exolvantur ipsi quoque, contrarii saltem fiant memoratis. Vidimus enim in lætitiâ cor primigenia alteratione calore augeri, eoq; blando & moderato. Vidimus quoque ex spirituum moderato effluxu ex corde calorem itidem intendi; motus siquidem à materia, moderatus tamen, ignem auget, ut in lætitia idcircò non immodica pulsus ob auctum calorem augeri debeat, ut dicit Galenus. Cum blandus tamen sit calor ejusmodi, minus fuliginum, illæque minus acres excitantur; unde minus quoque irritatur virtus ad eas expellendas. Ut frequentia pulsus à lætitia non augeatur; quod idem Galenus tradit. Eademque ratione non augetur vehementia. Cum enim virtus non irritetur, non etiam acrius insurgit ad percutiendum; unde vehementia, quæ in ea percussione consistit, non augetur. Prorsus ergo respondent Galeni doctrinæ hæc. Addit Claramontius Canones sequentes. Pulsus magnus, rarus, tardus, at non vehemens, lætitiæ est index. Patet ex dictis. Si manu cujuspiam pulsui admota sentiamus, ad cujuspiam personæ, aut rei commemorationem vel præsentiam, pulsum magnitudine augeri, at non celeritate, aut vehementia, intelligemus hominem ea re lætari. Ut scilicet tum innotescat affectus lætitiæ, unaque causa ejus. Multa tamen diligentia opus est in hac ex pulsibus indagine affectuum. Nam videndum est, ne contrectatio ipsa pulsus, pro qualitate personæ, quæ tangitur, & ejus quæ tangit, pro scilicet intercedente amore, vel odio, vel reverentia, vel contemptu, vel alio ejusmodi affectu erga contrectantem, varietur pulsus. Ita enim interdum affectus ex præsentia, vel commemoratione objecti, occultetur. Plato in secundo de Legibus asserit: Dum lætamur, non quiescere, non valere. Quod res ipsa indicat, cum eâ tamen exceptione, nisi voluptas ex solâ commenta-

tatio-

tatione nascatur. Tum enim immoti potius consistunt: sique profunda fuerit, quasi exstatici. Verum tamen non posse consistere, non est signum cum lætitiâ convertibile; nam & anxii quiescere nequeunt; sed susque deque feruntur. Trepidantis hominis, & coram judicibus constituti speciem describit Apulejus: *Tunc pedes incertis alterationibus commovere, modò hanc, modò illam partem scalpere capitis, & ore semiclauso balbutiens nescio quas affanias effutire.* Motus ergo & loci huc illuc variatio non est signum peculiare lætitiæ, sed commune etiam anxietatis. Verùm si motus sit gestiens, & cum exultatione, veluti cum saltatione & lusu, signum est lætitiæ. Sit itaque canon. Motus gestiens & cum exultatione, cum saltatione nempe & lusu, signum est lætitiæ. Dico, cum sponte sua fit. Nam aliqui interdum ex occasione saltant, qui variis, & acribus curis premuntur. Item qui saltant ex officio, ut olim Saliares, Fidicinæ, Chorauli, non rapiebantur concitabanturque à lætitia ad saltum, sed ex officio studioque quæstus. Cum ad signa lætitiæ ex vultu accedunt motiones corporis non consistentes in eodem loco, efficacius tum argumentum lætitiæ nascitur, & habetur. Patet ex dictis. Non convertitur tamen signum. Lætitiæ enim ex meditatione & commentatione interiore solum corpus potius à motu prohibet, quam quod in motum concitet. Quod superioribus cohærens est. Vox, quæ lætitiam significat, est præsertim risus, sicut fletus dolorem. At risus non unius est generis. Nam & irridere, & subridere dantur, quæ sunt risus quædam species. Aliæ præterea sunt risus species. Est enim cachinnus, id est risus solutus. Est risus sine cachinno. De quibus Cicero ait: *Ut si ridere concessum sit, vituperetur tamen cachinnatio.* At fortè exactior erit divisio, si dicamus, risum vel in solâ figura oris consistere, vel figuræ ejus sonum adjungere. Sonus autem vel reddit vocalem A, vel vocalem E, vel vocalem I, vel vocalem O, vel vocalem U, Apertior & solutior, qui A reddit. Huic proximus, qui sonat O. Depressior, qui E. At hoc depressior, qui sonat I. Qui vero U reddit, non ore sonat, sed naribus. In singulis tamen ejusmodi differentiis est sonus, & vehementior & lenior. Cum sonus est vehementior cachinnus est, & præsertim cum A & O resonat. Cum nullus sonus, vel cum lenis est sonus, à cachinno abest, & præsertim cum vocales summissiores E, I, V, resonat. Verum risus V eo magis abest à cachinno abest, quod ore non sonet, ut nihil hiet os. Cachinnus verò sine hiatu

hiatu aliquo esse nequit. Canones nunc subjiciamus. Risus vehementior, qui præsertim vocales A, O, resonet, concitatiorem ac solutiorem voluptatem significat. Risus lenior non æque concitatam, blandiorem tamen voluptatem indicat. Unde illud Lucretii:

Suaveridens Venus.

Hic autem risus est merum voluptatis signum. At risus superior & cachinnus potest præterea signum esse derisionis. Risus, qui sonat U, remissiorem voluptatem, vel magis tectam significat. Neque enim risus ex ore nisi figura prodit, non etiam sono. Non convertitur autem signum. Nam lætitia ex meditatione graphicaque rerum jucundarum descriptione, taciturna est, & absque risu utplurimum. Vox gravior facta lætitiam animi novam, vel obauctam significat. Ex doctrina Aristotelis Probl. 15. Vult enim ex remissione corporis, quæ in voluptate fit, gravitatem gigni vocis. Ut ea doctrina, nedum ad risum, qui ibi exprimitur, sed ad reliquam etiam vocem pertineat. Verum gravitas ipsa aucta vocis, non est per se signum lætitiæ. Nam aliis etiam ex causis vox gravescere potest. Sed si aliis lætitiæ signis accedat etiam gravitas vocis obaucta, argumentum lætitiæ intenditur. Sicut contra acumen tristitiæ. Unde Lydiæ acutæ & Mixolydiæ harmoniæ, quæ acutæ erant, mœstæ habebantur, mœstisque cantibus accommodabantur, ac querulis. Plato in 3. de Republ. *Quænam igitur querulæ harmoniæ sunt, dic mihi. Tu enim Musicus es. Lydia mixta, Lydiaque acuta, cæteraque hujusmodi.* Hæc Plato. At idem voluptuarias ac molles harmonias remissas ac relaxas asserit, adeoque graviores, nam ex remissione gravitas. Audiamus Platonem: *Quæcunque χαλάραι vocant?* Vocem autem χαλάραι Ficinus tribus vocibus exprimit, scilicet remissæ, relaxæ ac resolutæ. Homerus & ipse acumen mœstis vocibus tribuit. Nam flentibus Ulysi & Telemacho, acumen tribuit, ut paulò prius vidimus.

Flebant autem stridulè abundantius, quam aves
Aquilæ, vel vultures, &c.

IV.

Dolorem manifestant indicia contraria: Pro risu ergo erit fletus: pro voce graviore erit vox acutior; pro motu erit quies corporis immoti. Ut scita sit commentatio, quâ Niobe extremo victa dolore in saxum mutata traditur, ut in dolore immotus habitus corporis significetur, &c.

Diriguitque malis; nullos movet aura capillos;
In vultu color est sine sanguine: lumina mæstis
Stant immota genis: nihil est in imagine vivum?
Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat, & venæ desistunt posse moveri,
Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus,
Nec pes ire potest.

Excipitur tamen, si cum dolore misceatur trepidatio aût anxietas; tum enim est in agitatione & corporis motu animal. Pulsus est, teste Galeno, parvus, languidus, tardus, & rarus. Oculi item tristes, contracta frons, demissæ genæ, os gemebundum vel compressum saltem. Suspiria accedunt reliquis doloris signis. Quæ, quo profundiora fuerint, quoque difficiliora, eo majorem significant dolorem; majorem enim indicant cordis angustiam & compressionem, ob immodicum scilicet in ipsum confluxum caloris spirituumque. Ipsa Scriptura hoc probat, Salomone dicente, Proverb. 17. v. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit: Spiritus tristis exsiccat ossa.* Adstipulatur Chrysostomus Homilia 10. in Epistol. ad Philip. Mœrores & sollicitudines, cum præter modum animam distrahunt, suo robore illam privant. Nec male Comicus: Nihil sic perinde animam ut cura exedit.

V.

Signa Amoris ponuntur primò rem aliquam instantibus ac procacibus, oculis inspicere præsentem, ejus rei cupiditatem indicat, sive res Venerea, sive cupediosa, sive pecuniaria fuerit. Exemplum penes Plutarchum in vita Pyrrhi Oplaci Ferentani; qui diu intentissimis oculis cum inspexisset Pyrrhum, ipsum quoque hasta invasit; ut invasurum ex eo ipso defixo obtutu conjecerat, Regique prædixerat Leonatus. Non convertitur tamen canon: ut quicunque cupit, procacibus oculis inspiciat, atque instantibus. Pudor sæpe retinet, præsertim puellas. Nam, ut dicit Ovidius de fœmina:

Vir malè dissimulat; tectius illa cupit.

Et modesti demum homines cohibent se, nec cupiditates suas apertè indicant. Si præter oculorum instantiam etiam rubor in ore accendatur, argumentum intenditur cupiditatis inspectæ rei. Ex dictis patet. Si instan-

ſtantibus oculis, vel perſona, vel inſtrumentum Veneri aptum aſpiciatur, ruborque præterea accendatur in ore, & labellum ſpumet, ut dicit Juvenalis, eſt præſentiſſimum libidinis ſignum. Quod ſi oculi, tum inſtantes, tum natantes ſint, confirmatur multo magis ſignum incenſæ Venereæ cupiditatis. Augetur adhuc, ſi viciſſitudo linguæ inter labra accedat. Si oculi lubrici & natantes ſint, rubor in ore, diſcurſus vagus & varius, labrum ſpumans, in abſentiâ etiam objecti Venerei, cupiditatem tamen Veneream ſignificat; præſertim ſi agitatio illa linguæ inter labella acceſſerit. De quâ ſupra non ſemel. Ad ciborum præſentiam vel commemorationem ſalivam deglutire, argumentum cupiditatis illiusmodi ciborum. Admotâ pulſui manu, ſi ſentiatur ad præſentiam vel commemorationem cujuspiam rei pulſus acutus magnitudine, altitudine, vehementia, celeritate, crebritate, & non appareant iracundiæ ſigna, intelligitur hominem incenſum eſſe cupiditate rei oblatæ vel memoratæ. Ad amorem erga perſonam tranſeamus, qui duplex. Alter amor finis cui, adeoque amicitiæ veræ; Alter potius à quo, ſeu cauſæ effectricis utilitatis, aut voluptatis noſtræ. Amor, ex quo amatores dicimur, Italiceque *inamorati*, eſt hujus poſtremi generis; de eoque nunc dicamus. Nam ideo amant homines amicas, quod voluptatem ex eis Veneream cupiant & exſpectent. Ferventis itaque ejusmodi amoris, ac furioſi ferme, ſigna adducamus. Diſtinguere tamen primùm oportet amorem, ut habitum ſignificat, utque ſignificat præſentem actum; Nam amator dicitur, non qui nunc ſolum amat, ſed qui radicato amore amavit, & amabit etiam poſt præſentem actum. Rem quoque antea diſtinximus: in præſenti verò negocio confunditur uterque amor, imò verius pro amore habitu ſumitur. Ejusmodi enim amorem in Antiocho Eraſiſtratus, in muliercula Galenus detexerunt. Ita ſumpti Amoris ſigna adducamus, ſunt autem effectus amoris, tum in animum, tum in corpus. Quicunque ex illis obſervationi noſtræ patent, ſigna evadunt amoris. In corpore ergo (dum amor jam ad ſummum evaſerat) erat macies, in omnibusque ejus membris, præterquam in oculis; qui quidem profundi ſunt, attamen magni, & turgidi, quoniam fit multa in ejusmodi affectu evaporatio ad caput propter ſuſpiria ſequentia, ut Avicenna docet. Pallor quoque conſequitur amorem, noctes inſomnes, inappetentia cibi, ſuſpiria, gemitus frequentes. Ovidius, cujus etiam ſupra attulimus carmina:

Fugerat ore color, maciesque adduxerat artus,
Sumebant minimos ora coacta cibos:
Nec somni faciles, & nox erat annua nobis.

Et hoc ipsum quoque docet Jobus, qui propterea: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*, cap. 31. v. 1. quod & Syracides confirmat: *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius*, cap. 9. v. 5. unde Nazianzenus: Virgo sis oculis, sis ore atque auribus ipsis. Nec malè Beda, oculi petulantes cordis luxuriosi sunt proditores. Notarunt id quoque profani, unde apud Apulejum Fotis, discede, ait, misselle, à foculo discede: nam si te vel modice meus igniculus afflaverit, ureris intime. Audi Poëtam ita canentem:

Sepibus in nostris parvam te roscida mala,
Dux ego vester eram, vidi cum Matre legentem:
Alter ab undecimo jam tunc me cœperat annus,
Iam fragiles poteram à terrâ contingere Ramos:
Vt vidi, ut perij, ut me malus abstulit Error.

Adeoque fixum illud Propertii:

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Claramontius cum aliis signa amoris erga personam facit scribens: Si quem cogitabundum observemus, ac in ea cogitatione licet defixum, attamen non mœstum aspiciamus, verùm cùm excitatur, in suspiria erumpat, multò magis si erumpat in lachrymas & fletus, argumentum id reputemus ac signum amoris æstuosi ac confirmati. Multò evidentius signum est, si inter cogitandum aliquis lætitiæ radius effulgeat. Ratio pendet ex dictis. Nam dum amator amatam defixe cogitat, voluptatem ex ea recipit, at intimam & reconditam, ut non erumpat facilè. At tamen eousque potest permovere animam, ut aliquid ejus ex ore vel ex oculis subluceat. At cum expergiscitur ex cogitatione amator, tum falsam agnoscens; quam sibi prius repræsentaverat amatæ præsentiam, in suspiria & lachrymas procedit, instar somniantium divitias ac felicitatem, qui experrecti vacuos se ab omni bono inveniunt & ingemiscunt. Paulus Ægineta amantibus tribuit oculos concavos, qui non illachrymant, sed tanquam voluptate pleni apparent, *lib. 3, c. 17.* Difficile est distinguere habitum vultus cogitabundi, læti interiore & obducta lætitia,

atque

atque cogitabundi, mœsti interiore mœstitia. Uterque enim vultus est obductus. Attamen distingui potest. Ille enim vultus serenitatem aliquam, licet abditam, præ se fert, interdumque aliquos ceu radios lætitiæ aperit, (hoc tamen non semper) hic autem tetricam contractionem continet, & depressiorem obductionem. Quoad usum autem, ab observatione frequenti solum potest acquiri prudentia agnoscendarum ejusmodi differentiarum. Si misceri in quopiam intelligamus suspiria & lætitiam, credendum est ipsum amore cujuspiam teneri & affici. Asserit hoc Marsilius Ficinus in *Conviv. Platon. c. 6. Orat. 2.* Verba sunt: *Amore illaqueati vicissim suspirant, & gaudent.* Pendet verò ex dictis. Nam amor melle & felle fœcundior est. Cum amor jam desperatione abundat, adeoque mœstitia, non amplius gaudio fovetur, nisi ecstastica consideratione, ac commentatione amati objecti. Non est vicissitudo post suspiria gaudii. Talis fuit Rotolandi penes Areostum habitus post agnitum Angelicæ ac Medori amorem. Non ergo signum convertitur. Scilicet non omnis, qui amat, vicissim suspirat & gaudet. Sed num omnis, qui vicissim suspirat & gaudet, est amator? Et non videtur; nam quicunque inter spem ac metum degit, versatur pariter inter lætitiam & mœstitiam; unde vicissim lætari, & suspirare potest. Dicendum est ergo, non esse veram in universum propositionem: qui vicissim suspirat & gaudet, est amator; ut sit signum hoc commune, non τεκμήριον. Eget idcirco aliis adminiculis ad certiorem conjecturam. Frequens mentio alicujus personæ, quî cum nullum sit negocium, ex quo nascatur occasio frequentis commemorationis, probabile est signum amoris. Dico probabile. Nam etiam odium potest esse causa commemorationis frequentis personæ exosæ ad ultionis spem, vel perditionis ejus. Sæpe etiam ob timorem. Quocirca Nero, postquam descivit Vindex, sæpe illud inculcabat: *si per Vindicem licebit.* Augetur & roboratur signum, si odium nullum subesse, aut iram, aut timorem, conjiciatur. At confirmatur adhuc magis, si suspiria vicissim & lætitia commisceantur. Tum enim certum evadit timoris signum, etiamsi tectè mentionem faciat. Nam interdum, quos pudet memorare personam, memorant exercitia ejus, ut hominis ita sibi obversetur, clam aliis, simulachrum. Ita penes Euripidem in Hippolyto, Phœdra venatum & equestrem exercitationem loquebatur, ut sibi referret Hyppolytum.

Mitte me in montem: abeo ad sylvam,
Et ad pinus, ubi fericida
Canes lustrant,
Variis cervis appropinquantes:
Per Deos cupio canes infremere. Et;
Præses Sancta ô Diana Limna,
Et Gymnasiorum pulsatorum ab aquis,
Vtinam essem in sua area,
Equos venetos domans.

Vel in mentione odium simuletur. Quippiam tale est penes Ovidium dum Cypassim ancillam Corinnæ re ipsa amat, at dicto spernit & abhorret.

Dij melius, quàm sic mihi sit peccasse libido;
Sordida contempta sortis amica juvet.
Quis Veneris famulæ connubia libet inire,
Tergaque complecti verbere secta velit?

Inordinatus vitæ habitus, ut modò scilicet sit lætus, modò absque apparente causa mœstus, modò immotus, modò inquies, modò audax, modò pudibundus, erga scilicet peculiarem personam, modò impudens erga alios, amoris incensionem significat. Patet ex dictis. At signum evidentius redditur, si homo suapte natura non inconstans in ejusmodi inconstantiam transeat atque inordinationem. Penes Euripidem in eodem loco Phœdra non eundem corporis situm retinebat nec habitum: & modò detegere sibi caput, modò operire famulabus jubebat. Si admotâ manu pulsui, cujuspiam sentiamus pulsum sub adventum alicujus personæ vehementer alterari, ac inordinatò, idque non semel observemus, idemque accidat ad ejusdem personæ factam commemorationem; credendum est, hominem, cujus pulsus alteratur, amore teneri personæ, quæ accedit vel cujus mentio incidit. Erasistratus hoc modo amorem Antiochi deprehendisse dicitur, & Galenus asserit se deprehendisse amorem mulierculæ quam invisebat, cujus historia infra in praxi reponetur. At interdum amor non tegitur, sed palam aperitur, vel aspectu cupido & instante, vel vocis confessione ac protestatione. Tum itaque solùm, aut dispiciendum, num subsit fictio, aut gradus amoris inquirendus. Quorum primum ex superioribus regulis deprehenditur, secundum ex signis nunc traditis, pro intensione eorum

atque

atque aggregatione. Amor amicitiæ, licet ipse quoque affectus sit (in partem enim sentientem refunditur) attamen, cum præsertim in appetitu rationis voluntateque resideat, ideo indago ejusmodi amoris, ut in parte sentiente non æque eminentis, potius ad morum indaginem redigi debet, ex ejusque procedere principiis, quam vel ad indaginem affectuum, exque principiis hujus. Id autem præcipuum in amore amicitiæ videtur, ut eum nemo dissimulet. Unde contra simulationem potius, quàm contra dissimulationem præmunire inquisitionem & indaginem oportet. Procedendum nempe est ex consideratione actionum, quæ amicitiæ veræ conveniunt. Eæ si absint, intelligemus, amorem amicitiæ non adesse. Si adsint autem, dispiciendum est, num omnis absit fictio ac simulatio. Ea enim nisi suberit, verum amicitiæ amorem inesse, credi jure merito poterit. Ad excludendum verum amicitiæ amorem satis erit, si causa turpis amorem conglutinaverit. Non enim turpi fundamento, adeoque instabili, potest solida amicitiæ honestas superstrui. Quâ ratione adductus Aristoteles solam amicitiam honestam permanere pronunciavit, eo quod virtus, cui innititur, stabilis est.

VI.

Odium sua quoque habet indicia, de quibus Claramontius: Aversio aspectus signum est odii. Ita penes Euripidem Hecuba non sustinebat aspicere Polymnestorem; excusabat verò, falsò scilicet, ne id ipse odio tribueret.

Neque queam intueri te rectis oculis,
Sed hoc ipsum ne malevolentiam existimes tui.

Et Virgilius de Didone in inferno Æneam perosa:

Illa solo affixos oculos aversa tenebat.

Non est signum convertibile tamen; nam & pudor, & timor urgentes ab aspiciendo avertunt. Verùm si pudorem & timorem non inesse conjiciamus, qui affectus evidentiores sunt, tum ex eo signo odium arguere licebit. Aspectus retractus signum est odii, saltem offensionis; cum nempe necesse est aspicere, neque licet avertere oculos. Eo aspectu patibulum jam præsens respiciunt damnati, non instante scilicet & procaci, sed (uti voco ipse) retracto. Non tamen convertitur signum, cum & timor, ac pudor, ac reverentia aspectum ejusmodi possint efficere; ut antea diximus. Si ergo argumenta habeamus excludendi ejusmo-

modi alios effectus, odium potest ex eo aspectu inferri. Aspectus torvus signum est odii. Virgilius de Didone adversus Æneam:

Talibus Æneas ardentem & torva tuentem.

Torvus aspectus signum est vel odii, vel iræ. At in ira aspectus torvitas cum majore corporis commotione, & alteratione conjungitur, quam in odio. Ut utrius affectus sit signum, non difficile sit dignoscere. Maledicta, detractionesque, præterea etiam dicta minacia odium indicant, vel iram. Si ex impetu nempe, iram; si sedatè, odium significant. Sed suadere etiam cuipiam sermone, ut alium perimat vel lædat, est odii signum.

Erat Numani in Teucros odij signum cùm illis maledicebat,

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.

Minacia Pandari dicta odium in Turnum præ se ferebant;

Castra inimica vides, nulla hinc exire potestas.

Cùm Sejanus ea in Agrippinam, & Neronem, ac Drusum ferebat, quibus demum exarsit in eorum cædes Tiberius, erat id penitissimi odii signum. Significant verò odium, cum sedatè dicuntur: iram, cum ex animi impetu. Facta contra dignitatem, aut utilitatem, aut salutem cujuspiam, odium in illum significant, aut iram. Si subitò nempe, & ex impetu, iram monstrant; si sedatè & meditato, odium. Oportet tamen fictionem præcavere. Nam interdum aliqui simulant odium & inimicitiam in quempiam, ut alium, qui illum verè oderit sibi obnoxium reddant. Latiaris dum amorem in Germanici domum, odium in Sejanum simularet, Tit. Sabinum pervertit. Dum Syrus, alia licet de causa, odium vel iram simulans in Ctesiphonem, decepit Demeam.

— — Non puduisse verberare hominem senem,

Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis.

Conspirat Scriptura, quæ introducit fratres Josephi: *Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere. Et mutuò loquebantur: Ecce somniator venit. Venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, aliquam, dicemusque, fera pessima devoravit eum*, Gen. 37. v. 18. 19. 20. Et versu 4. *Videntes autem fratres ejus, quòd à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.* nec non Esavum dicentem: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*, Gen. 27. v. 41. Patres, quorum princeps Episcopus Mediolanensis, describit leviter excedentes & ser-

vantes insidias, in corde inclusas, atque addit multum interest, inter turbatum oculum, & extinctum: festuca turbat, trabs extinguit. Denique etiam profani, qui fugam posuerunt signum odii, & de Melanione prodiderunt, quod odio mulierum in solitudinem migrarit, atque per avia montium cane comite feras sectatus fuerit, neque unquam Domum redierit.

VII.

Signa iræ hæc ponuntur à Claramontio: primò quidem secundum Galenum dicit, iræ pulsum esse altum, magnum, vehementem, celerem, crebrum. Quæ congruant illis etiam, quæ aliâs de ira scripserit, lib. de Ira, c. 19. ubi etiam viderit rubescere corpus, spirationem vehementem reddi, tremere labium inferius, & quibusdam totum corpus. At nonnullos esse, qui pallent. Sermonem quoque parum explanatis vocibus præruptum; interdum etiam silentium sequi intelligi Alios prætereà iræ effectus, nec non & causam ipsorum ex eodem loco peti posse; cum præsertim potiora nunc signa attulerit. Conspirat Salomon, qui ita: *Fatuus statim indicat iram*, Proverb. 12. vers. 16. & Syracides cap. 28. v. 11. scribit: *Vir iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit animos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* Patres Ecclesiæ; ita enim Augustinus: Ira est, cum inest opinio turbulenti appetitus inferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Idcirco plerunque non hominibus tantum, sed calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus atque frangimus: & aleatores tesseris, & pictores penicillo, & cuicunque instrumento, quilibet ex quo difficultatem se pati arbitratur: ac etiam assiduitate irascendi fel crescere Medici affirmant, incremento autem fellis rursus & facile & prope nullis causis existentibus irascimur. Graphicè itidem Poëta Persius:

Nunc face supposita fervescit sanguis & ira
Scintillant oculi; dicisque facisque quod ipse
Non sani est hominis, non sanus juret Orestes.

Et Flumineus Naso:

Ora tument Ira nigrescunt sanguine venæ,
Lumina gorgoneo sævius ungue micant.

VIII.

Timoris indicia ponuntur varia & signa. Hujus perturbationis effectus in corpus referunt, qui præsertim signa ejusdem evadunt. Effectus etiam in animam sentientem signa esse possunt timoris, etsi multò minus conspicua quàm qui in corpus cadunt. Sunt itaque effectus, etiam signa. Tremor labii inferioris, & reliqui corporis.

— — Gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor.

Præcipuum autem est signum timoris, cùm *genua labant*, ut dicit Virgilius. Nam tremor inferioris labii, & reliqui corporis est signum commune etiam iræ; & dentium crepitus signum timoris manifestarium est. Sunt item signa: Corporis refrigeratio, & rigor pallorque interdumque arrectæ comæ. Quæ Poëtæ quoque agnoverunt:

— — — — Diriguere metu.
— — Concrevit frigore sanguis.
Illi membra novus solvit formidine sanguis,
Arrectaque horrore coma.

Galenus, ut vidimus, omnia conjungit. *Sub eo & calor abit, & perfrigerantur, & rigent, tremuntque ac pulsu sunt parvo.* Tremor vocis, interdum verò & suppressio signum timoris est. De tremore vocis alibi. De suppressione est illud Virgilii:

Arrectaque horrore coma, & vox faucibus hæsit.

Sunt autem in voce ob timorem tres gradus alterationis: 1. Tremor. 2. Oratio non sese explicans. 3. Oratio suppressa. Secundus gradus est, quem describit Apulejus in scelesto servo, quem Medicus in concione veneficii attentati accusabat. *Trepidans enim is ad indicia vehementia, ore semiclauso, balbutiens nescio quas affanias* (Apulejus dicit) *effutiebat.* At oratio suppressa est postremus gradus timoris. Cum perfrigeratione enim vehementi vocalis virtus concidit, seu cum principium vocem efficiens perfrigeratum emarcuit, vocem tum nullam potest reddere. Pulsus parvus & depressus immò minimus, & maximè imbecillus, ut ex Galeno proximè diximus, & nunc quoque. Ratio verò patet ex

jactis

jactis principiis; cùm cordis calor fermè exsolvatur, corque ipsum flaccescat & concidat. Palpitatio cordis magna (non morbosa scilicet) timoris est signum præsentissimum. Scitum illud Plauti de Tyndaro cum ob indicium Aristophontis jam fallacia ejus detecta fermè esset:

Quin quiesce decretum cor meum, & suspende te.
Tu sussultas, ego miser vix asto præ formidine.

Diximus lib. de timore cap. 10. de hoc cordis motu, ejusque causam attulimus. Timor interdum & excrementa ejicit, ut antea diximus, causamque ex Aristotele attulimus, lib. de Timore cap. 32. In magno timore stupet vultus, stupentque oculi. Nempe, retractus est aspectus & defixus. Virgilius de Androgeo, cum sensit se in medios Trojanos delapsum.

Obstupuit retroque pedem cum voce repressit.

Vulgo nos dicimus quempiam habere oculos exterritos; cum scilicet stupentis instar eos defixos alicubi tenet, ac retractos. Nec absimilia tradit Scriptura, ita enim Eliphas Jobi cap. 4. v. 13. 14. *Pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. Et cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Nihil enim est timor quam proditio cogitationis auxiliorum: *Cùm sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis. Semper enim præsumit sæva perturbata conscientia*, Sap. 17. v. 11. nec malè Ambrosius lib. 2. de Cain & Abel, cap. 9. evidens generalisque ratio, ait, quod trepident timidi, quia omni improbo mala adsunt, & affutura sunt, quæ adsunt Tristitiam operantur, quæ futura formidines adde Virgilium, qui ita:

Tum verò ancipiti mentem formidine pressus:
— — — — Obstupui,
Steteruntque comæ & vox faucibus hæsit.

IX.

Pudoris signa sunt erubescere ore, oculorum demissio. Virgilius de Didone:

Tum breviter Dido, vultum demissa, profatur.

Vocem orationemque perturbari ac impediri. Ita plerunque adeuntes Principes ac Potestates summas vox destituit: saltem oratio illis deficit,

ficit, antea præmeditata. Multa sunt exempla eorum, qui hanc ob causam defecerunt in dicendo. Consimilia prodit Scriptura, quæ confusionem adscribit peccato: *Pro anima tua ne confundaris dicere verum: est enim confusio adducens peccatum, & est confusio, adducens gloriam & gratiam*, Syrach. 4. v. 24. 25. & Gregorius lib. c. 1. Ezechiel. homilia 10. erubescere malum Sapientiæ est, bonum verò erubescere fatuitatis, adde Silium Italicum lib. 1. de Bello punico canentem:

Tum pudor accendit mentem, nec conscia fallit virtus pressa loco.

X.

Spei vestigia recensentur Constantia aspectus, & vocis, & orationis, caloris quoque, erga bonum operosum ac difficile; item adversus malum imminens, signum est spei; quam, cum adversus malum imminens est, audaciam peculiari nomine dicimus. At cum spei adversus bonum desiderium jungitur, tum fervor & acumen cupiditatis signorumque ejus supervenit, atque adjungitur constantiæ signorum spei. Quam constantiam & idcircò alterat, in suasque partes aliquo modo trahit. Nempe signa cupiditatis adsunt, sed explicatiora & lætiora. Ut spes voluptatem affert, in lætitiaque animum continet. Cum verò audaciæ desiderium pugnæ adjungitur atque invasionis motus, etiam signa iræ illi plus minusve annectuntur, quæ ex *lib. de Spe supra cap. 9. in solutione 2. dubitationis* patent. Sunt verò signa iræ & cupiditatis pugnæ tum lætiora & alacriora: nam spes semper voluptatem adhibet.

XI.

Antequam hinc abeamus, notamus tantum audax & superbum Cartesii pronunciatum, artic. 50. asserentis: Nullam tam imbecillem esse animam, quæ non possit cum bene dirigitur acquirere potestatem absolutam in suas passiones, addit: Prodest verò hîc scire, quod ut jam supra dictum fuit, etsi unusquisque motus glandulæ videatur connexus esse per naturam singulis ex nostris cogitationibus ab initio nostræ vitæ, aliis tamen per habitum jungi possint: ut experientia ostendit in verbis, quæ excitant motus in glande, quæ secundùm institutionem naturæ nihil animæ repræsentant præter suum sonum cum voce proferuntur, aut figuram suarum literarum cum scribuntur, & quæ tamen per habitum, qui fuit acquisitus cogitando de eo, quod significant

cant, postquam auditus fuerit eorum sonus, aut eorum literæ inspectæ, solent efficere, ut concipiatur hæc significatio potius quam figura literarum aut sonus syllabarum. Prodest etiam scire, quod etsi motus tam glandis quam spirituum & cerebri, qui repræsentant animæ certa quædam objecta, sint naturaliter juncti cum iis, qui excitant in illa quasdam Passiones, possint tamen per habitum inde separari, & jungi aliis valdè differentibus; Imò quod hic habitus possit acquiri per unicam actionem, nec longum usum postulet. Sic cum reperitur ex inopinato res quædam valdè sordida in cibo, qui magno cum appetitu comedebatur, inopinatus ille casus ita potest mutare dispositionem cerebri, ut postea nequeat videri talis cibus nisi cum horrore, cùm antea comederetur cum delectatione. Quin idem in bestiis potest observari: Nam etsi ratione careant & forte omni cogitatione, omnes tamen motus spirituum & glandis, qui excitant in nobis Passiones, in illis quoque sunt, & inserviunt conservandis & confirmandis, non ut in nobis Affectibus, sed motibus nervorum & musculorum, qui eos comitari solent. Sic cum canis videt perdicem, naturaliter fertur ut in eam incurrat; & cum audit sclopetum displodi, ille strepitus naturaliter eum ad fugam incitat; attamen ordinario ita instituuntur canes venatici, ut visâ perdice subsistant, & ad displosionis strepitum quem postea audiunt, ad eam currant. Hæc autem scire refert, ut quisque contendat regere suos Affectus: Nam cum haud ita magnâ industriâ mutari possint motus cerebri in animalibus ratione destitutis, evidens est id melius in hominibus posse fieri, & eos ipsos, qui imbecilliores animas habent posse acquirere imperium absolutissimum in omnes suas Passiones, si sat industriæ adhiberetur ad eos instituendos & dirigendos.

CAPUT VII.

De

ACTIBUS MORALIBUS.

THESIS I.

HActenus de Affectibus: nunc progredimur ad actus illos in quibus Honestas Christiana refulgere debet, qui, si sint externi bonorum operum nomine plerunque veniunt, & exercentur à natura rationali, discernunturque tanquam motus humani ab actibus hominis, cum actus hominis illi dicantur, qui à facultatibus animæ vegetativæ & sensitivæ prodeunt & homini cum Brutis sunt communes, humani verò, qui ab homine qua tali proficiscuntur, quem DEUS instruxit & ex Ornamento harum Facultatum cæteris animantibus eminere voluit, neque de illis tantum hic est quæstio, sed prout habent rationem Honestatis Christianæ, quæ vera demum Honestas, sanctæ, quæ conformis est voluntati divinæ sanctissimæ, secundum illud: *Sancti estotes quia ego sanctus sum Dominus DEUS vester*, Levit. 19. v. 2.

II.

Principium autem vel Causa primaria horum actuum est, DEUS in Essentia unus & personis Trinus Pater Filius & Spiritus Sanctus. Pater quidem, quia ipse *plantat bonam plantam*, Matth. 15. v. 13. Filius, quia vult ut ipsum tanquam Lucem Mundi, in sequamur: *Dicit Iesus, ego sum lux mundi, qui me sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Joh. 8. v. 12. Spiritus Sanctus, quia ipse ducit excitat & agit: *Quicuncunque enim Spiritu DEI aguntur, ij sunt filij DEI*, Rom. 8. v. 14. & quidem primo volendo, mandando, approbando: *Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas DEI*, Eph. 5. v. 17. *Hæc est enim voluntas DEI sanctificatio vestra*, 1. Thess. 4. v. 3. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam, DEO placentem, rationabile obsequium vestrum.* Rom. 12. v. 1. Secundò physice & realiter causando. *DEI enim factura sumus, creati in Christo IESU ad Bona opera, quæ præparavit DEUS, ut ambulemus in illis*, Eph. 2. v. 10. Tertiò exemplariter prælucendo, ipse enim sanctus est & nos ad illius Exemplar parati esse debemus; *Sancti estote,*

estote, quia ego sanctus sum, Dominus DEUS vester, Levit. 19. v. 2. reliquit Christus nobis ὑπογραμμὸν secundum illud Petri: *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non facit, nec inventus est dolus in ore ejus*, 1. Epistola 2. v. 21. 22. prælucet misericordia: *Estote ergò vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*, Math. 5. v. 48. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*, & Luc. 6. v. 36. nec malè Nyssenus χριστιανισμός ἐστι τῆς θείας φύσεως μίμησις. Christianismus est divinæ naturæ imitatio. Et quidem non ut extrinsecus se habens circa hominem, per motus gratiæ prævenientis præparantis & excitantis, qui occupantur circa hominem convertendum, sed ut inhabitans, de quo: *Vos estis templum DEI vivi, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo*, 2. Cor. 6. v. 16. *neq; enim fructum ferre possunt, nisi illi, qui palmites in Vite Christo*, Johan. 15. v. 5. neque agere possunt, nisi membra viva connexa capiti: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* 1. Cor. 6. v. 15. & Eph. 4. vers. 15. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*, neque in Ecclesiæ commodum laborare, nisi Spiritu imbuti & instructi: *Unicuique autem datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem*, 1. Cor. 12. v. 7. & ut operans etiam auxiliorum actualis gratiæ concursu, quæ transeunter se habent, quibus pii & sancti, ad pia & sancta, quæ interiori homini conformia excitantur, stimulantur, adjuvantur: DEUS enim dat velle & perficere, teste Paulo Philip. 2. v. 13.

III.

Male verò primò Pontificii disputant, an solus DEUS sit causa principalis gratiæ sanctificantis, ex qua bonæ actiones prodeunt excludendendo ab influxu & causalitate illius Humanam Naturam, videatur Thomas quæst. 112. artic. 1. in Corpore & ad 2. Mitius sentientibus tamen Medina & Crabrera, quanquam etiam non absque errore, & adhibita forma loquendi, quæ Typo saniorum verborum non satis consona. Secundò an illa Gratia educatur ex potentia animæ, sive naturæ Intellectualis, quod volunt Zumellus, Curiel, Montesinus, Gregorius Martinez, Valentia, Conink, Granadus, Tannerus, Oviedo, Gomedus, Marquezius & alii, utut renitantur Vega, Fonseca & Faber, qui defendunt illam immediate à DEO produci per creationem, circa quod tamen punctum etiam dividiæ, dum quidam statuunt illam increari cum

Con-

Conrado, alii non ipsam creari, sed hominem secundum ipsam creari, quæ phrasis quoque occurrit, apud Thomam qu. art. 2. ad 3. alii denique eam non quidem creari, sed in ejus productione aliquid de creatione misceri, ut loquitur Cajetanus parte 3. quæst. 62. art. 1. & prima 2dæ. q. 112. art. 1. Tertiò an illius gratiæ causa finalis sit vita æterna, ut definit, Concilium Tridentinum sessione 6. c. 7. quod Franciscus Suarez, vocat certissimam veritatem, quia grátia naturâ suâ sit fons aquæ salientis in vitam æternam, Joh 4. addens: Hunc finem esse maximè proprium & connaturalem, & quasi intrinsecum gratiæ, cum sicut rationalis naturæ finis intrinsecus sit naturalis, beatitudo ejus, ita intrinsecus finis gratiæ sit vita æterna, quæ in clara DEI visione consistit; quanquam hic more solito ab ipsis confundatur gratia justificationis cum illa, quæ principium est distinctum operationum sanctarum.

IV.

Operari autem solet DEUS hîc mediate per Verbum scil. Scriptum & Sacramenta. Verbum scriptum enim hic concurrere passim docetur, cum sit *semen illud, quod qui in corde bono retinent, virtute illius fructum afferant in patientiâ*, Lucæ 8. v. 11. & 15. agit illud partim præscribendo, quid agendum, quid omittendum: *Finem loquendi pariter omnes audiamus: DEUM time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo*, Ecclesiastis 12. v. 13. *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, utique facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum DEO tuo*, Michæ 6. v. 8. *Voluntariè (enim) genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, ut simus primitiæ aliqua creaturarum ejus. Itaque fratres mei dilectißimi, sit omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ita enim viri justitiam DEI non operatur. Propter quod abjicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. Estote autem factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos: quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus est, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat, se religiosum esse inter vos,*

vos, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Religio munda & immaculata apud DEUM & patrem hæc est: visitare pupillos & viduas, in tribulatione eorum: & immaculatum se custodire ab hoc seculo, Jacobi 1. v. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. partim physicè instruendo: fructificat enim illud in cordibus: *Verbum veritatis Evangelij pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat & crescit, sicut in vobis, ex eâ die, quâ audistis & cognovistis gratiam DEI, in veritate*, Coloss. 1. v. 6. efficaciam suam exserit: *Gratias agimus DEO sine intermißione, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus DEI, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut verè est) verbum DEI, qui operatur in vobis, qui credidistis*, 1. Thess. 2. v. 13. est *semen illud, quod si in aliquo manet, causa est, ut non peccet*, 1. Johan. 3. v. 9. partim exemplis incitando, movendo: *Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*, Rom. 15. v. 4. adde, quæ habet Syracides cap. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. & quæ leguntur 1. Macc. 2. v. 49. *Et appropinquaverunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis suis: Nunc confortata est superbia, & castigatio, & tempus eversionis, & ira indignationis. Nunc ergo, ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, & mementote operum patrum nostrorum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. Abraham nónne in tentatione inventus est fidelis, & reputatum est ei ad justitiam? Ioseph in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum: & factus est Dominus Ægypti. Phinées, pater noster, zelando zelum DEI, accepit testamentum sacerdotij æterni. Iesus dum implevit verbum, factus est dux in Israel. Caleb dum testificatur in Ecclesia, accepit hæreditatem. David in sua misericordia consecutus est sedem regni in secula. Elias dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum. Ananias, & Azarias, & Misaël, credentes, liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. Et ita cogitate per generationem & generationem quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur*, & quidem directe Verbum Legis agenda proponit atque ostendit: *Et ecce unus accedens ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam.* Et cap. 22. 37. *ait illi Iesus: Diliges Dominum DEUM ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in totâ mente tuâ*, Matth. 19. v. 16. & cap. 22. v. 37. Evangelium verò vires confert & una

suppeditat modum inferendi ad sectandam pietatem, morumque Honestatem, ut patet ex Philip. 1. v. 27. *Tantùm dignè Evangelio Christi conversamini, ut sive cùm venero, & videro vos, sive absens, audiam de vobis, quia statis in uno spiritu, unanimes, collaborantes fidei Evangelij.* Tit. 2. v. 11. 12. *Apparuit enim gratia DEI, Salvatoris nostri, omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & justè, & piè vivamus in hoc seculo.* 1. Petr. 2. v. 1. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes rationabile, sine dolo, lac concupiscite.*

V.

Detrahunt Verbo scripto primò Pontificii tum necessitatem impugnando cum Nicolao Cusano, qui in Epistola ad Boëmos Scripturas dixit tantùm de Benè esse Regiminis Ecclesiæ, nequaquam autem de Essentia ejus existere posse, tum officium normativum elevando, & ad Ecclesiam, sive ut habet ipsorum Resolutio ad caput illius Pontificem recurrendo, qui cum sit homo peccati, non nisi mala præscribere potest & imperare, tum efficaciam illius tollendo, cum Capreolo, qui non veritus est scribere: prædicationem exteriorem requiri ad determinationem credendorum, & ad proponendum intellectui suum materiale Objectum, non autem ad causandum assensum. Secundò Calviniani, qui cum Massonio part. 2. Anat. cap. 19. approbant Marci Beumleri effatum, quod DEUS virtutem suam non verbis externis aut voci orali Concionatoris, infuderit & communicarit, verum quia omne, quod verbum annunciat, manifestat, promittit, & significat, virtute & operatione Spiritus S. unâ in cordibus electorum præstetur, impleatur & communicetur; & M. Casparis Boleri scribentis, quod si vis salvandi verbo DEI inesset, sicut herbæ vis sanandi, tum omnes salvarentur, qui illud audiunt; nec non Gualteri dicentis: Non in externa verbi prædicatione salus nostra fundata est, sed in fide, quâ Christum apprehendimus. Adde, quæ de morali operandi modo prodit Marcus Fridericus Wendelinus. Tertiò Suenckfeldiani, Weigeliani, Libertini, quorum proles Guakeri moderni, qui volunt, DEUM sine ullo verbo externo solo Spiritus S. instinctu, velle dicere & docere, quæ credenda sint & facienda, unumquemque statuunt debere sese suo spiritui ducendum permittere, & verbum externum Rudimentariis in Christianismo relinquendum.

VI. Sa-

VI.

Sacramenta ad pietatem conficere haud obscurum, si revelationi attendamus. De Baptismo ita perorat Gentium Apostolus: *An nescitis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, Rom. 6. vers. 3. & 4. & in Epistola ad Titum 3. vers. 5. *Cum autem apparuit benignitas & humanitas salvatoris nostri DEI, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs S. quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Salvatorem nostrum.* Disertè illum appellat lavacrum non tantum regenerationis, sed & renovationis nec male Basilius lib. de Spiritu S. c. 15. scribens: Cum duo fines in baptismo propositi sint; abolere scilicet corpus peccati, ut non ampliùs morti fructum ferat; & vivere Spiritu, fructumque habere in sanctificatione: aqua quidem mortis imaginem exhibet, velut in sepulchro corpus recipiens; spiritus autem vivificans vim immittit, à morte peccati ad vitam ab initio animas nostras renovans. Hoc igitur est ex supernis natum esse, ex aqua & spiritu: nimirum dum mortificatio nostra perficitur in aqua, & vitam nostram operatur spiritus. De Eucharistia loquitur Paulus: *Quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, & non DEI; nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum*, 1. Cor. 10. v. 20. 21. *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, 1. Cor. 11. v. 27. 28. *Etenim in uno spiritu in unum nos omnes baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno Spiritu potati sumus*, 1. Cor. 12. v. 13. prohibet itaque sacra Communio omnem communionem cum Diabolo & illius operibus, cibus est & potus, qui confert vires spirituales, & dignè sumptus exserit, ex passionis dominicæ consideratione incentiva pietatis ministrat, deniq; Unionem illam mysticam membrorum Ecclesiæ stabilit & firmat. Nec malè Cyrillus lib. 4. Non quidem negamus, rectâ nos fide charitateque sincerâ Christo spiritualiter conjungi; sed nullam nobis conjunctionis ratio-

tionem secundum carnem, cum illo esse, id profecto pernegamus, & à divinis scripturis alienum id esse dicimus. Non ignota nobis mysticæ benedictionis virtus, quæ corporaliter quoque facit, communicatione carnis ejus, Christum in nobis habitare. Unde Salvator: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Unde considerandum est, non habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam participatione naturali. Nam quemadmodum, si quis igne liquefactam ceram, alii ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utroque factum videatur; sic communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso.

VII.

Impudenter itaque quamplures ex Scholasticis primò statuunt, quod DEUS tantum operetur ad præsentiam Sacramentorum, ut hæc nihil ad productionem gratiæ, regenerationis, renovationis, vel operum efficiant, sed tantum concomitanter aut præcedant instar Bullæ, qua præbenda alicui acquiritur, aut plumbei signi à Rege instituti, quos etiam sequuntur Calviniani. Secundò Calviniani, qui Baptismum volunt tantum servire Spiritui significando, Eucharistiam non exhibere, quod nutriat & vires conferat, sed corpus Christi tantum abesse à nobis clamitant, quantum cœlum à terra. Videantur Beza, Apellius, Sadeel, Massonius, Gutberlethus, Ursinus, Pierius, Eilshemius, Scarpius, Polanus, Steinius, Alstedius & alii quamplures. Tertiò Suenkofeldiani & illius furfuris homines, qui, ut Beatus Proavus in Centuriâ Ecclesiastica 16. p. 115. refert, dixerunt Baptismum externum, nihil facere ad hominis regenerationem, ideoque non esse ad salutem hominis necessarium, usum illius esse adiaphorum, in Cœna corpus Domini & sanguinem illius non exhiberi cum pane & vino.

VIII.

Principium minus principale & causa secundaria actuum honestorum est Homo regenitus justificatus & renovatus, cum facultatibus suis Intellectu voluntate & Appetitu. Quanquam enim hæc omnia sint Objectum & Materia, in quantum scil. corrupta, veteri de homine participant,

pant, & mortificanda, tamen insimul in quantum gaudent Spiritu, participant de novo homine & DEO causaliter concurrunt, atque non tantum producunt interne motus, qui aliqua gaudent sanctitate, sed & ad extra opera & actus, in quibus refulget pietas, sanctitas, atque Christiana Honestas. Docet hoc ipse Christus asserendo bonam arborem ferre fructus bonos: Math. 7. vers. 18. hominem bonum de Thesauro cordis sui depromere bonum: Lucæ 6. v. 45. *Palmitem manentem intra vitem cælestem ferre fructus multos*, Johan. 15. v. 5. & ut Principium quod bonarum actionum est homo regenitus, ita Principium, Quo illarum Facultates ipsius, & quidem Intellectus, unde Christus: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint*, Luc. 11. v. 34. 35. Voluntas; unde regenito tribuitur velle Bonum: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago*, Rom. 7. v. 18. 19. Appetitus, qui affectibus sanctis concitatus timet: *Ioseph nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce, Dominus meus omnibus mihi tradetis, ignorat, quid habeat in domo sua. Nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es; quomodo ergò possum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum?* Gen. 39. v. 8. 9. Audet. *Respondet Elias: Zelo zelatus sum pro Domino DEO exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israël*, 1. Reg. 19. v. 10. Concupiscit: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te DEUS. Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem DEI?* Ps. 42. v. 2. & 3. Nec excludendum corpus, cujus membra instrumenta virtutum & operationum honestarum, quo quidem respicit Paulus, Rom. 6. v. 19. *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra, servire justitiæ in sanctificationem.* Et cap. 12. v. 1. *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, DEO placentem, rationabile obsequium, rationalem cultum vestrum.*

IX.

Cæterum ut intellectus cæteris facultatibus præest, ita quoque divinitus illuminatus in homine regenito aliis præfulget, & ut oculus dirigit viatorem, Consiliarius Regem, Orator auditorem, sic intellectus hominis illuminati officium Oculi, Consiliarii, & Oratoris administrat; proponit illa, quæ ex verbo excipit de voluntate DEI, & ile & it spiritu instructus voluntatem, cui cæteræ potentiæ famulantur. Huc respexit Augustinus lib. 1. de libero arbit. cap. 8. scribens: Illud est, quod volo dicere, hoc quicquid est, quo pecoribus homo proponitur, sive mens, sive spiritus, sive utrumque rectius appellatur, (nam utrumque in libris divinis invenimus,) si dominetur, atque imperet cæteris, quibuscunque homo constat, tunc esse hominem ordinatissimum.

X.

Non satis commodè verò primò Thomistæ quidam Cajetanus, Dominicus à Soto, Gregorius de Valentia Intellectui transcribunt Imperium, & illud dicunt esse actum illius formaliter. Secundò, qui contra Vasquezium, disputant, quod necessarium sit ponere imperium in ordine ad proprios actus, cui hæc sententia non fuit visa probabilis, qui proinde ita: Mihi difficile semper visum est, primum talem actum in nobis esse necessarium, aut ut voluntas eligat, aut ut facultates exequentes nutu voluntatis operentur, aut denique ut ipsa voluntas, aut alia facultas aliquo modo eliciat aliquam actionem suam; cujus sententiæ est Adrianus quodlibet. 4. artic. 1. litera A. circa finem. Deinde difficile adhuc mihi visum est, talem actum in nobis posse habere aliquem effectum, etiamsi eo intellectus uti velit. Prior pars de necessitate talis actus sic ostenditur: primum, quia actus imperii, si est in intellectu, non videtur necessarius, ut cæteras potentias moveat quoad exercitium, etiam eodem S. Thoma teste quæst. 9. artic. 1. est voluntas: intellectus autem solum est primum movens quoad specificationem, hoc est, quoad propositionem objecti, & directionem, neque necessarium est imperium, ut primum principium movens quoad specificationem, quia, ut inferius dicemus, per judicium consultationis, quod præcedit electionem, sufficienter diriguntur operationes quoad specificationem. Quod verò nonnulli dicunt, in imperio esse derivatum aliquam virtutem à voluntate, qua possit movere quoadj exercitium alias potentias, commentitium plane est: Nam, ut ostendimus Disput. 34. ex voluntate nihil

hil derivatur in reliquas potentias, aut actiones earum, nec ipsa voluntas concurrit, ut effectrix cum aliis potentiis ad earum operationes. Quare, si esset ex impeio in nobis moveri reliquas potentias, ita esset accipiendum, ut voluntas sola esset primum movens quoad exercitium, intellectus autem imperio suo tantum dirigeret insinuando propositum voluntatis. Præterea, etiamsi concedamus in imperio virtutem motricem quoad exercitium comparatione aliarum potentiarum, nihilominus non videtur talis actus necessarius, ut reliquæ facultates operentur, etiam libere ex impetu voluntatis. Nam sicut in brutis posito affectu alicujus operis, statim absque ulla insinuatione per modum imperiii potentia motrix secundum locum operatur, cur etiam statim, postquam elegit voluntas, absque ulla alia insinuatione imperii, non poterit imperari? Neque obstat, si dicas, voluntate nostra reliquas potentias libere, appetitione autem in brutis reliquas facultates necessario moveri, & ideo in homines requiri imperium, in brutis vero non item: hoc, inquam, nihil obstat, quoniam posita semel in nobis libera intentione, & electione, operatio alterius facultatis, quæ ipsam electionem confestim sequeretur, esset eodem modo voluntaria ratione voluntatis liberæ, à qua sine imperio procederet non minus, quam si per imperium fieret. Tertiò, qui statuunt ad nullum actum voluntatis sufficere primam apprehensionem, sed requiri judicium Intellectus practicè practicum, prout videre est apud Medinam, Valentiam, Suarezium, quibus se opponunt Scotus, Capreolus, Oviedo & Arriaga.

XI.

Voluntas autem dicitur regnare & imperare, & cæteras movere potentias, intellectum scil. quoad Exercitium, Motus Appetitus sensiitivi, qui rationem non prævertunt, de quo Gabriel. Vasquez. in primar. secundæ Tom. 1. disp. 49. cap. 2. Mihi semper placuit sententia S. Thomæ in hoc art. quæ affirmat, imperium esse actum intellectus, supposita motione voluntatis. Hanc vero opinionem S. Thomæ docuerunt etiam Cajetanus, Conradus & recentiores Thomistæ in hoc art. idem etiam Cajetanus infra q. 58. a. 4. & q. 60. a. 1. Antoninus 1. p. tit. 4. cap. 10. Dominicus Sot. lib. 1. de justitia q. 1. a. 1. Corduba lib. 2. q. 10. cum quibus etiam faciunt Ricard. in 4. d. 15. art. 4. q. 1. & Gab. in canone Missæ lect. 61. litera H. & sequentibus, qui cum

S. Thoma

S. Thoma 2. 2. q. 93. a. 1. & Cajetano ibidem affirmant, orationem communiter usurpari pro actione elicita ab intellectu ex aliqua motione voluntatis; eadem autem omnino videtur ratio imperii, & orationis. Ut enim inferius dicemus, hoc solo differunt oratio, & imperium, quod oratio est inferioris, & indigentis directa ad superiorum, & potentem, imperium autem contra est superioris directum ad inferiorem. Id, quod de imperio diximus, de lege etiam, quæ est imperium quoddam, sentit Dominicus Sot. & nos dicemus infra disput. 150. cap. 3. Hæc tamen sententia non eodem modo ab omnibus confirmatur, & explicatur. Nunc autem solum nobis confirmanda est de imperio in universum, hoc est, tam de imperio, quod est unius hominis ad alium, quam de imperio, quod à quibusdam ponitur inter actus ejusdem hominis ad seipsum. Primum itaque probari solet prædicta sententia ex Aristot. 6. Ethic. cap. 10. ubi sic ait: *Non est autem idem sagacitas, & prudentia, prudentia namque praceptiva est, finis enim ipsius est quidnam sit agendum, aut non agendum pracipere: sagacitas autem vis judicandi duntaxat*: Prudentia autem est habitus, & virtus intellectus, ergo imperium, quod est actus prudentiæ, est elicitum ab intellectu. Verum, quam parum confirmari possit hæc sententia hoc Arist. testimonio, videbimus cap. 5. Deinde alii eandem sententiam probant ex illo Prov. 8. ubi de sapientia dicitur: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt: per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Ubi tribuitur imperium sapientiæ, quæ est virtus intellectus: hinc tamen parum probari potest prædicta sententia. Nam quamvis lex, & imperium formaliter essent actiones elicitæ à voluntate, nihilominus recte dicerentur Reges, & Principes per sapientiam juste, & recte imperare, sicut etiam per sapientiam dicuntur servare justitiam, & recte operari, eo quod sapientia, & prudentia est virtus intellectus, quæ viam demonstrat moralibus virtutibus, quæ sunt in voluntate: posset igitur hac ratione rectum imperium tribui sapientiæ. Postremo alii ita suadent prædictam opinionem, si imperium esset actus solius voluntatis, hoc ipso quod alicui inferiori nota esset voluntas sui superioris absque ulla alia insinuatione ex parte intellectus, deberet ei parere: hoc autem falsum est, ergo in sola voluntatis actione non consistit lex, & imperium. Quam rationem fusius persequemur infra disp. illa 150. cap. 3. ut probemus legem esse actionem intellectus, non voluntatis. Omissis igitur

aliis

aliis rationibus, & fundamentis, quæ ibidem adducemus, ad probandum, legem esse actum rationis ex motione voluntatis, hac unica, qua usus est S. Thom. in hoc art. nostram sententiam de imperio in universum confirmemus. Imperare est substantialiter insinuare voluntatem superioris inferiori, hoc est, proponere inferiori aliquid faciendum ex voluntate superioris, quod vulgo dici solet intimare: atqui insinuare, proponere pertinet substantialiter ad intellectum, supponit autem voluntatem, cui proponit, & insinuat, ergo imperium substantialiter est actio intellectus, & supponit. In hac quidem ratione nulli dubium esse potest, quin insinuare, & proponere pertineat ad intellectum: est enim locutio, & enuntiatio quædam, quæ est opus intellectus, & rationis, & hoc assumitur in minori propositione. Porro autem imperare idem esse, quod insinuare, & proponere voluntatem superioris, quod assumitur in majori propositione, non probat S. Thom. facili tamen ratione confirmari potest, quia imperium semper dirigitur ad aliquem capacem rationis, qui possit percipere, quod imperatur, & jubetur: ergo debet esse actus intellectus, & non potest esse actus solius voluntatis: nam si esset solius voluntatis, sequeretur affectum superioris, quo efficaciter movet ad opus, quod fieri vult, esse imperium: si enim deberet esse aliquis affectus, maxime esset affectus efficax, ac proinde, cum Angelus voluntate sua efficaciter movet lapidem, diceretur obedire, quod videtur absonum: quia obedire proprie solum convenit creaturæ rationali audienti, & percipienti imperium superioris. Respondebit aliquis, ideo lapidem proprie non obedire, nec Angelum proprie lapidi imperare, quia lapis omnino passive se habet, imperium autem debet respicere aliquem, qui non tantum patiatur, sed exequatur, & operetur id, quod jubetur. Cæterum licet hæc solutio admittatur, adhuc prædictam rationem alio exemplo confirmare possumus, quia saltem sequeretur voluntatem DEI, qua movet irrationales, & inanimatas creaturas ad suas operationes, proprie esse imperium, & ipsas proprie DEO obedire, quod tamen est falsum, quia obedire, quod relate dicitur ad imperium, est solius creaturæ rationalis, intelligentis, & percipientis id, quod jubetur: nam obedire est quasi superioris vocem, & imperium audire: ergo imperare etiam est substantialiter actus intellectus. Porro autem id sequi in creaturis irrationabilibus operantibus, patet, quia hæ non tantum patiuntur, sed revera operantur etiam,

quando moventur. Eadem ratione probatur orationem esse actum intellectus, ut docet S. Thomas 2. 2. qu. 83. art. 1. qui quidem actus est inferioris ad superiorem, nullus enim inferior censetur orare superiorem, ut faciat aliquid, etiamsi illud ipse inferior summopere desideret, quousque superiori hanc suam voluntatem denunciet & explicet. Id quod usque adeo verum est, ut etiamsi superior satis perspectam habeat voluntatem inferioris, & quodammodo dicatur illum audire, cum concedit ei id, quod desiderat, juxta illud Psal. 9. *Desiderium pauperum exaudivit DEVS*, &c. inferior tamen non dicatur orare, quousque interius, aut exterius loquatur, & exprimat affectum suum: loqui autem est actus rationalis facultatis, sive locutionem internam comprehendas, sive etiam externam, hæc enim à ratione ducit originem, & interpres ejus est. Modus autem, quo voluntas movet, Imperiumque exercet probabilior ille visus est Doctoribus, quod scil. fiat per suum actum imperantem illos applicando, & determinando, novo imperio ad operandum, cui obedire teneantur, ex vi sympathiæ potentiarum, ex eo, quod radicentur in eadem animâ, ex qua radicatione & sympathiæ oriatur, & æternæ potentiæ imperio voluntatis, tanquam potentiæ superioris & inclinationis universalis totius suppositi debitam præstent obedientiam, quod probant Bannes, Salas, Lorca, Granadus, Montesinus, Gregorius Martinez, Caspar Hurtado, & Oviedo.

XII.

Improbabiliter itaque primò disputant illi ex Pontificiis de genere influxus, qui cum Scoto asserunt in 2. Dist. 42. quæst. unicâ, non solum quasdam potentias speciatim moveri à voluntate, eo quod ab ipsa per motum localem applicentur ad operandum, de quo non est difficultas; sed etiam insuper omnes facultates eo saltem moveri à voluntate, quod, dum voluntati placent earum operationes, ipsæ potentiæ in iis firmentur & perficiantur, adeoque perfectius & intensius operentur. Quod non solum asserit de operationibus intellectus, sed etiam de sensibus, imo & potentiis vegetativis. An autem præterea voluntas aliqua peculiari efficientia, concurrat ad aliquas operationes quarundam potentiarum, dubitat. Sed hæc sententia communiter, ac merito rejicitur. Tum quia frivolum est existimare, potentiam videndi, v. g. eo ipso præcise perfectius & intensius operari, quod voluntas eandem vult operari, ejusve operationes approbat. Tum quia voluntas

tas movet potentias sibi subjectas, non solum ad operandum intensius, sed etiam ad simpliciter operandum; idque etiam nonnunquam secluso motu locali, ut videre est in applicatione seu motione intellectus, vel phantasiæ, ad hoc vel illud cogitandum. Id autem qua ratione fiat, non explicat ea sententia. Secundo Thomistæ recentiores, in quibus Medina hic cit. quæst. 9. art. 1. docent, potentias voluntati subditas esse, intellectum, sensum, appetitum, & potentiam locomotivam: quam quidem ita effective moveri à voluntate docent, ut hæc quoque sit causa efficiens motus localis; ipsa vero potentia locomotiva tantum sit potentia passiva: alias vero potentias supradictas moveri à voluntate asserunt, quatenus sunt causa applicationis earundem ad operandum. Sed nec ista sententia probatur. Tum quia sine ratione, & contra ipsummet Thomam opusc. 43. cap. 5. negat, potentiam locomotivam esse effectivam sui motus; quod simul etiam est contra communem & receptam philosophiam. Tum quia non explicat, nec facile explicare potest, quænam sit illa applicatio à voluntate producta, loquendo de applicatione, quæ sit actus distinctus, tum ab ipso actu elicito voluntatis, tum ab actu imperato. Imo cum in quibusdam potentiis, ut in intellectu, nulla cernatur actio prævia, qua ad operandum applicentur, saltem distincta ab actu elicito voluntatis, impossibile est, quin causa efficiens applicationis, sit etiam causa efficiens ipsius operationis. Tertiò alii quidam præterea recentiores apud Vasquium disp. 34. cap. 3. qui docent, eatenus à voluntate moveri cæteras potentias, quatenus voluntas physicè, cum singulis potentiis sibi subjectis, operatur ac producit easdem operationes. Sed nec istud placet. Quia frustra, & contra receptam philosophiam, potentiis animæ denegatur vis in suo genere sufficiens & proportionata, ad suas operationes connaturales efficiendas.

XIII.

Actus voluntatis verò numerantur à Doctoribus sex, si de elicitis sit sermo, nempe velle, intendere, frui, eligere, consentire, uti, ad quos reliquos voluntatis actus adducunt, nempe amorem, delectationem, spem, desiderium, gaudium. Hæ autem voluntatis operationes quædam circa finem, quædam vero circa ea, quæ sunt ad finem, exponuntur. Quia objectum voluntatis est bonum, bonum autem

est duplex, absolutum & respectivum: illud propter se expetitur, & Finis vocitatur: hoc expetitur propter aliud, & dicitur medium ad finem, v. g. sanitas est bonum absolutum quod propter se expetitur: medicamentum verò amarum, bonum est in ordine ad sanitatem, & propter illam expetitur. Azor. *tom. 1. l. 1. c. 19.* Becan. *de act. hum. c. 3. n. 1.* Actus voluntatis, qui sunt circa finem, tres recensent, amare, intendere, frui: Quia bonum absolutum potest tripliciter considerari, absolutè, ut absens, ut præsens; si absolutè, nascitur amor: si ut absens, nascitur intentio: si ut præsens, fruitio exoritur. Becanus *de act. hum. c. 3. n. 6.* Equidem amor est prima voluntatis inclinatio in bonum propositum tanquam ex se expetibile, abstrahens à præsentia & absentia, v. gr. considerans quis sanitatem, ille afficitur propter intrinsecam convenientiam, quam habet cum natura animalis, ibi sistendo. Vocatur hic actus etiam voluntas; quia est primus motus voluntatis in finem, qui nullum alium præsupponit: sicut cognitio primorum principiorum vocatur intellectus, qui est simplex motus intellectus, non præsupponens aliam intellectionem, ex cujus vi exoriatur. Dicunt, ibi sistendo, quia si amor ad expetenda media, quibus queat comparari finis, progrediatur: alius jam erit motus voluntatis. Valen. *to. 2. disp. 3. quæst. 2. punct. 1.* Tanner. *to. 2. disp. 2. quæst. 3. num. 20.* Intentio autem est volitio finis, quatenus per media comparabilis. Duæ enim sunt in fine rationes, prima quod sit bonum quoddam per se amabile, & sic in illud tendit voluntas tanquam in suum objectum; secunda quod sit bonum quoddam per media comparabile: & sic est objectum intentionis, ut ex nomine intelligitur; quia intendere, nihil aliud est, quam in aliquid tendere. Unde hic actus tantùm versatur circa bonum absens, sub seque desiderium, ac spem comprehendit. Valent. *tom. 2. disp. 2. quæst. 7. punct. 1.* Azor. *tom. 1. l. 1. cap. 13.* Fruitio denique est actus voluntatis in bono adepto quiescentis. Quia frui est fructum capere, fructus autem est id, quod ultimum expleta cum delectatione percipitur: ergo fructus operis seu possessio boni desiderati est fruitio, seu delectatio voluntatis. Unde fruitio proprie circa finem ultimum versatur: quia eo non adepto, voluntas manet inquieta, donec ejus vacuitas penitus expleatur. Nihilominus secundum Scripturæ phrasim, & communem loquendi usum, aptè dicimur fine intermedio frui, voluptate scilicet, vitæ hujus usura, &c. Tanner. *Tom. 2. disput. 2. q. 3. n. 26.* Enim verò tres sunt actus

actus voluntatis circa id, quod est ad finem, *eligere, consentire, uti.* Quia bonum utile, seu respectivum potest à voluntate approbari, & præ aliis eligi, mandarique executioni. Si approbetur, & acceptetur tanquam conveniens ad finem obtinendum, erit *consensus*: Si ab aliis mediis separetur, erit *electio*: Si tradatur executioni, erit *usus*. Becan. *de act. hum. c. 3 q. 1. n. 6.* Planè *consensus* est actus voluntatis liberè acceptantis bonum à ratione propositum, sive propter se expetatur, sive propter aliud. Propriè autem consensus usurpatur à S. Thoma 1. 2. q. 15. a. 1. pro actu voluntatis acceptantis certa media, quæ post perfectam deliberationem judicata sunt convenire ad aliquem finem obtinendum. Valent. *tom. 2. disput. 3. q. 10. punct. 1.* Becan. *de act. hum. c. 3. quæst. 1.* *Electio* autem est efficax volitio medii particularis inter multa ad aliquem finem obtinendum. Dicitur *volitio*, quia est actus voluntatis deliberationem insequens intellectus. Dicitur autem *medij*, quia electio non versatur circa finem, sed circa id, quod est ad finem. Dicitur *particularis*, quia ad media in communi se etiam extendit intentio: sed electio propius accedit ad executionem, quæ in singularibus consistit. Dicitur *inter multa*, quia eligere nihil aliud est, quam unum ex multis separare, illud reliquis præferendo. Dicitur demum *ad obtinendum finem*, quia electio, & deliberatio versatur circa ea, quæ in nostra potestate. Azor. *Tom. 1. l. 1. cap. 25.* Tanner. *tom. 2. disput. 2. q. 3. dub. 3. n. 32. 33.* *Usus* denique est voluntatis actus applicantis potentias executrices ad operationem. Unde *uti* nihil aliud est, quam rem aliquam ad suam operationem, vel finem applicare. v. g. utimur oculis, dum videmus: pecunia utimur, dum expendimus. Hujusmodi usum duplicem exponunt, *activum*, qui est actus ille elicitus voluntatis, & absolutè nomine usus intelligitur: *passivum*, qui est ipsamet executio potentiarum voluntati ministrantium. Valent. *tom. 2. disput. 3. quæst. 11. punct. 1.* Tanner. *tom. 2. disp. 2. quæst. 3. num. 37.* Planè inter *uti*, ac *frui* id discrimen cum D. August. *l. 10. de Trin. cap. 11.* urgent, quod frui sit, in bono desiderato & obtento cum delectatione suaviter, ac jucunde acquiescere, ita ut bonum illud sit finis simpliciter ultimus: ac proinde solo DEO nobis perfruendum. *Uti* vero sit actus, quo voluntas aliquid boni adhibet ad aliud consequendum, ac propterea rebus creatis nobis utendum. Unde pateat usum non esse de fine, ut finis est, sed tantum de medio. Quia uti est applicare rem ad operatio-

rationem, atque adeò rem alio referre. Azor. *Tom. 2. l. 1. c. 27. quæst. 2.*

XIV.

Non tamen difficultate caret Numerus, quanquam tollere illum moliantur. Prima enim ratio, ut ipsi Doctores Pontificii observant, difficultatis est; quia in ea divisione seu enumeratione actuum voluntatis, nulla ratio habita est eorum actuum, qui in fuga consistunt; & tamen nullum est dubium, quin illis ipsis actibus prosecutionis, à Thoma commemoratis, similes actus à voluntate eliciti respondeant, qui in fuga circa malum oppositum versantur, Sicut enim circa bonum, triplex actus prosecutionis distinguitur, nempe voluntas simplex, intentio seu desiderium efficax, & fruitio seu delectatio; ita etiam circa malum oppositum totidem actus admittendi sunt, nimirum odium seu displicentia simplex, fuga seu abominatio efficax, & tristitia. Quare etiam Cajetanus hic in Commentario seu dubiis ad quæstionem 46. 47. & 48. docet, ad octonarium numerum reduci omnes actus voluntatis, scilicet ad velle, nolle, frui, intendere, eligere, consentire, uti, & tristari; ex quibus septem priores expresse etiam refert Thomas in hac materia, ultimum autem, scilicet tristari, insinuavit, nominando fruitionem, cui tristitia opponitur; siquidem oppositorum eadem est disciplina. Eandem Cajetani doctrinam approbant Medina Tract. de Pass. in fine, nempe post quæstionem 48. & Gregorius de Valentia disput. 3. q. 11. punct. 3. Secunda difficultas est; quia hæc divisio actuum voluntatis non respondet apte divisioni passionum appetitus sensitivi, idque dupliciter; tum quia actus appetitus irascibilis in ea divisione actuum voluntatis penitus videntur omissi, nimirum spes, desperatio, timor, audacia, & ira; cum tamen omnibus actibus appetitus sensitivi respondeant similes in voluntate, ut colligitur ex S. Thoma quæst. 22. art. 3. Tum quia in senario illo numero actuum voluntatis, recensentur aliqui, qui in passionum numero non comprehenduntur, ut consensus, usus, &c. Tertia difficultas est; quia in eadem divisione actuum voluntatis non comprehenduntur actus ejusdem voluntatis conditionati: & tamen negari non potest, dari ejusmodi quosdam actus conditionatos voluntatis, etiam elicitos, tam in fuga, quam in prosecutione positos, quos explicare solemus per verbum *vellem* aut *nollem*. Quarta difficultas est; quia recensiti sex actus eli-

eliciti voluntatis aut specie distinguuntur, aut solum numero. Non specie; quia sæpe habent idem & objectum, & ad eandem specie virtutem seu vitium pertinent. Neque videntur omnes numero distingui, tunc enim necesse foret, eos omnes inter se in eodem subjecto realiter distingui quod de quibusdam non videtur posse dici, ac speciatim de intentione ac electione; siquidem unusquisque horum actuum simul circa finem & media versatur, cum & intendamus finem per media, eligamus media ad finem, seu propter finem; qua de causa reipsa etiam nonnulli docent, eundem actum voluntatis simul versari circa finem & media. Idem dici potest de voluntate seu amore simplici & desiderio efficaci ipsius finis, quando reipsa etiam Cajetanus in fine tractatus de pass. in voluntate amorem simplicem à desiderio non videtur distinguere. Accedit, quod distinctio numerica actuum in præsenti ad eorum divisionem non sufficit: alioqui enim longe plures actus voluntatis numerandi forent. Accedit præterea quinto, quod nec actus intellectus, qui recensitis actibus voluntatis à S. Thoma & Aristotele adjunguntur, sufficienter enumerari videantur. Cum enim singuli actus voluntatis prærequirant prævium actum intellectus objectum proponentem, sane videntur non duo tantum actus intellectus, consilium scilicet & imperium, fuisse enumerandi, sed totidem plane, quod actus voluntatis numerati fuerunt. Diluere tamen has difficultates tentant, & ostendere, quomodo ratio & totius divisionis actuum voluntatis sibi constet. Notandum itaq; secundum illos est primò, actus voluntatis ab actibus seu passionibus appetitus sensitivi, duobus modis differre; primò quod illi hominis seu intelligentis creaturæ proprii sunt, hi verò brutis etiam animalibus communes sunt, secundò, quod illi sunt actus spirituales & incorporei, sicut & ipsa voluntas, à qua eliciuntur, spiritualis & incorporea est, adeoque ut philosophi loquuntur, potentia inorganica; passiones vero appetitus, sunt actus corporei & materiales, sicut & appetitus ipse potentia corporalis, materialis, & organica, actusque corporis est. Ex hoc discrimine sequitur, aliam esse rationem divisionis actuum voluntatis elicitorum, adeoque hominis seu intelligentis creaturæ propriorum, aliam passionum appetitus sensitivi, quas homo cum brutis communes habet. Nam quia proprium est hominis agere propter finem, omnesque adeo actiones humanæ voluntatis, finem aliquo modo respiciunt, sive ut proprium objectum, sive ut terminum,

num, ad cujus consecutionem ordinantur; siquidem omnes actus voluntatis aut sunt circa finem, aut propter finem, idcirco divisio actuum humanorum ab Aristotele & Thoma merito desumpta est à varia habitudine ad finem. In quo quidem genere, initio hæc universalis differentia occurrit, quod aliqui actus voluntatis eliciti immediatè ac directe versantur circa finem, velut proprium objectum, alii cum directe & immediate solum versentur circa media, respiciunt finem, non ut proprium & immediatum objectum, sed potius velut terminum. Atque ob hanc causam Thomas initio quæstionis octavæ, distinxit actus voluntatis, *quibus voluntas movetur in finem*, ab illis actibus, *quibus voluntas movetur in ea, quæ sunt ad finem.* Rursum verò cum finis in voluntatis prosecutionem cadere possit sub triplici ratione, nimirum ut est præsens, ut absens, seu ut ita dicam, acquisibilis, & ut abstrahens ab utroque, idcirco circa finem tres constituuntur actus voluntatis, non plures nec pauciores, nimirum fruitio seu delectatio, intentio seu desiderium efficax, & simplex voluntas seu amor; qui tribus illis considerationibus finis ordine respondent. Eandemque ob causam S. Thomas loc. cit. ait: *Actus autem voluntatis in finem, videntur esse tres, scilicet velle, frui, & intendere.* Nec obstat, quod finis etiam considerari potest, ut præteritus; quia ut sic non potest movere voluntatem ad peculiarem actum prosecutionis. Bona enim præterita, sub ea formali ratione, non cadunt sub appetitum, sed solum ut vel præsentia aliquo modo sunt, saltem secundum imaginationem, vel ut abstrahunt à ratione præteriti; qua ratione etiam amamus defunctos. Et ratio est; quia esse præteritum, respectu objecti boni & convenientis, non habet rationem boni, sed potius rationem mali: unde dolemus bona præteriisse, non gaudemus, nec volumus. Alia ratio est boni absentis, si spectetur non qua formaliter & præcise absens est, sed qua possibile est, seu acquisibile, ut dictum; sub ea enim ratione plane habet rationem boni & appetibilis; qua ratione etiam intentio ad bonum absens terminatur, ut dictum. At vero quod attinet ad actus voluntatis, qui versantur circa media, cum hoc omnibus commune sit, ut supponant finem nondum possessum seu acquisitum, sed potius futurum seu possibilem; siquidem mediis, aut appetitioni mediorum non est locus, ubi finis jam reipsa præsens & possessus est; fieri prorsus non potest, ut eorundem divisio desumatur ex varia consideratione finis, secundum rationem præsentis,

sentis, aut futuri, vel ab utroque abstrahentem. Quare necessario desumenda est, ex varia habitudine ad media, ordinata ad finem, velut terminum, quæ pro objecto habent. Hæc vero media tripliciter spectari possunt; primo secundum communem rationem, qua inter se omnia conveniunt, quatenus videlicet generatim sunt accommodata & utilia ad finem consequendum; secundo quoad specialem rationem singulorum, quatenus secundum efficacem animi destinationem & inclinationem, ad executionem ordinatam, unum alteri, seu certa quædam aliis omnibus præferenda & anteponenda sunt; tertio, quatenus jam re ipsa motione voluntatis, per applicationem potentiarum executivarum, executioni mandari debent, & quasi incipiunt. Atque secundum hanc triplicem considerationem mediorum constituendi sunt itidem tres actus voluntatis eliciti, nec plures, nec pauciores; nimirum consensus, electio & usus. Consensus enim est complacentia simplex de omnibus mediis, quatenus utilia sunt ad finem consequendum; electio ex propositis mediis unum alteri, secundum efficacem animi designationem seu inclinationem, præfert; usus reipsa incumbit in executionem electi medii, movendo potentias executivas ad actualem eorum executionem. Ob quam causam Thomas initio quæstionis 13. dixit actus voluntatis, *qui sunt in comparatione ad ea, quæ sunt ad finem, esse tres, eligere, consentire, & uti.* Atque hæc est formalis & adæquata ratio divisionis omnium actuum voluntatis. Longa autem diversa ratio est divisionis actuum seu passionum appetitus sensitivi, quæ homini cum brutis sunt communes. Quia enim ex una parte bruta non agunt proprie propter finem, uti nec appetitus sensitivus, si secundum se præcise spectetur; ex alia vero parte passiones appetitus sunt actus corporei, qui proinde realiter afficiunt & immutant corpus, idcirco earum divisio desumi nec potuit, nec debuit ex varia habitudine ad finem, sed potius ex quadam diversitate objectorum, secundum quam varia immutatione corpus afficiunt. Quo in genere cum diversimode affici soleat corpus, quando objectum, circa quod versantur, est arduum seu difficile, vel non arduum; idcirco pro hac varietate objecti, licet alioqui solum materialiter se habente ad rationem moris, seu virtutis ac vitii, distinguuntur generatim duo genera passionum, nimirum earum, quæ versentur in appetitu concupiscibili, & aliarum, quæ sunt in appetitu irascibili, sive interim duo isti appetitus inter se realiter dif-

ferant, sive non. Notandum secundo, in recensendis actibus elicitis à voluntate, non fuisse à Thoma, uti nec ab Aristotele, habitam rationem actuum voluntatis, qui in fugiendo seu aversando consistunt, sed solummodo actuum prosecutionis; idque non immerito, propter duas causas. Prima est, quia propositum illis fuit, eos solum actus voluntatis enumerare, qui per se ordinantur aut conducunt ad finem consequendum, quales soli actus persecutionis, non fugæ; hi enim per accidens solum conducunt ad finem consequendum, quatenus removent seu aversantur mala & obstacula opposita fini, non per se, & proprio ac positivo influxu. Secunda causa est, quia actus fugæ, cum in suo genere, & servata proportione, assimilentur actibus prosecutionis, non habebant opus spe enumeratione & declaratione, sed satis poterant ex oppositis actibus prosecutionis intelligi; quia oppositorum eadem est disciplina, ut ex Cajetano constat. In quo rursum diversa est ratio passionum appetitus sensitivi. In his enim, cum pro diversa ratione prosecutionis aut fugæ, circa objectum conveniens, aut disconveniens, diversimode contingat affici & immutari corpus, necessario etiam pro diversitate ejusdem rationis duplicis, prosecutionis scilicet aut fugæ, distinguendæ erant passiones. Secus se res habet respectu voluntatis seu actuum ejusdem, in quibus immutatio illa corporalis non attenditur, ut dictum. His positis, ad primam difficultatem, ejusque confirmationem, ex Cajetano, patet responsio ex iis, quæ diximus notatione secunda. Nam inter illos octo actus voluntatis à Cajetano recensitos, exclusis duobus illis, qui in fuga consistunt, remanent sex actus eliciti voluntatis, quas ex S. Thoma & Aristotele retulimus. Cur autem ex actibus fugæ, Cajetanus duos solum numeraverit, nimirum nolle & tristari, omisso illo, qui proprie respondet desiderio, ipse viderit. Quod si hoc ideo fecit, quia supposuit non dari actus voluntatis distinctos, quorum unus sit fugæ simplicis, simplici voluntati respondens, uti in quarta difficultate ex eodem relatum, manifeste deceptus est, ut inferius dicetur. Rectius omisit actus fugæ respondentes consensui & usui; quia his actibus non respondent actus similes circa malum versantes; sed potius ad fugiendum malum, iidem illi actus conducunt, quatenus iis mediantibus voluntas fertur in media & executionem mediorum, quibus malum devitetur. Ad negationem vero actuum, v. g. ad hoc, ut manus aliave membra corporis non extendantur, vel adhibeantur ad operandum malum, per se ac

pro-

proprie non datur actus, qui sit usus, aut usui respondeat; uti nec ad non consentiendum malis mediis datur actus positivus consensui respondens. Ad secundam difficultatem, conceditur quidem, differre distinctionem actuum voluntatis à distinctione passionum: id vero optima & necessaria ratione fieri, nimirum quia ratio & principium distinguendi non est utrobique idem, ut dictum est notatione prima. Eandemque ob causam, non est in voluntate distinguendum appetitus irascibilis & concupiscibilis, adeoque nec admittenda divisio actuum voluntatis, secundum duplicem ejusmodi appetitum; ut docet etiam Thomas 1. parte quæstion 82. articulo 5. quia hæc distinctio desumitur ex quadam diversitate objectorum, cum respectu ad diversam immutationem corporis, quæ in passionibus utriusque appetitus accidit; in voluntate autem ejusque actibus locum non habet, ut ibidem dictum. Præterquam quod in naturis rerum hoc frequens, & consuetum est, ut quæ in rebus seu principiis inferioribus solent esse dispersa, in superioribus sint unita, ut videre est in intellectu comparato cum sensu; & in sensu interno, comparato cum sensibus externis: esto interim, assignari etiam in ipsa voluntate possint actus singulis passionibus appetitus sensitivi respondentes. Quod si quis abstrahendo, tum à varia consideratione finis & mediorum, per quam actus voluntatis distingui diximus; tum à varia immutatione corporis, ex qua passiones appetitus distinguuntur, distinguere velit utriusque generis actus, solum pro diversa ratione quasi materiali ipsius objecti, secundum rationem vel præsentiæ, vel absentiæ ejusdem objecti, aut abstrahentem ab utroque, is quidem omnes actus tum voluntatis, tum appetitus, hoc senario numero facile comprehendere poterit, nempe simplici amoris, desiderii efficacis, & delectationis circa bonum; item simplicis odii, efficacis fugæ, & tristitiæ circa malum. Nam sub istis comprehenduntur omnes actus voluntatis & appetitus; intentio quidem & electio sub desiderio efficaci, fruitio sub delectatione, consensus sub simplici voluntate seu amore, denique usus rursum sub desiderio efficaci; siquidem is nihil aliud est, quam actus desiderii, pro objecto habens mox faciendam executionem mediorum. Eodem modo timor nihil aliud est, quam efficax fuga mali impendentis, audacia desiderium aggrediendi pericula, ita desiderium vindictæ seu propriæ defensionis; desperatio denique fuga opposita desiderio, circa bonum difficile, aut impossibile. Cætera

per se patent. Ad tertiam difficultatem concedo, in ea distinctione actuum voluntatis, prætermissos fuisse actus conditionatos ejusdem, non quod tales actus nulli dentur, ut nonnulli existimasse videntur, contra communem, quam tradunt, Thomas quæstion. 13. articulo 5. ad 1. Cajetanus, Conradus, Medina ibidem, Scotus in 1. distinctione 47. quæstione un. & in 2. distinctione 6. quæst. 1. Gabriel quæst. un. art. 3. dub. 2. Major. quæst. un. Angestus in Moral. cap. 3. dub. 3. Fonseca 9. Metaph. cap. 2. quæst. 5. sect. 5. Gregorius de Valentia hic quæstion. 8. punct. 2. sed tum quia ex sua ratione sunt actus admodum imperfecti; tum quia eorum ratio satis ex divisione actuum absolutorum voluntatis intelligi poterat: non quod tot actus positivi & reales, simulque conditionati, distingui possint, quot sunt actus absoluti ejusdem voluntatis; sed quia omnes actus conditionati, ad solam voluntatem simplicem pertinent, neque adeo re ipsa alium, quam simplicis voluntatis actum in ipsa voluntatis potentia constituunt. Ratio est: tum quia actus conditionati omnes sunt inefficaces: Ergo solum ad voluntatem vel fugam simplicem pertinent. Tum quia licet ab actu voluntatis, sub conditione futuro, quem pro objecto habent, aliquando nomen accipiant, re ipsa tamen actus illos, quos pro objecto habent, puta intentionis, electionis, fruitionis, &c. in voluntate præsentes non constituunt, sed solam simplicem voluntatem & affectum erga eosdem: sicut nec ille, qui dicit, vellem pingere aut ædificare, hoc pingit, aut ædificat, sed solam simplicem voluntatem ædificandi habet. Ex quibus etiam colligi potest, quinam actus universim nomine velleitatis, seu voluntatis conditionatæ comprehendantur. De qua re non eodem modo loquuntur. Et omissa sententia Ariminensis in 1. dist. 45. quæst. un: qui dubitat, utrum velleitas sit actus rationis, an vero voluntatis; utpote futuri, si conditio impleretur; seu quod idem est, ut solummodo significet judicium de ejusmodi futuritione: ita ut quo sensu v. g. dicere solemus, si fuissem natus inter Ethnicos, aut si ad religionem non essem vocatus, non minus peccarem, quam Gentiles, aut seculares, &c. eodem sensu etiam accipiatur, vocula *Vellem*, hoc est futurum esset, ut vellem peccare, &c. Sed hic tamen modus loquendi non est proprius & usitatus; dicimus enim tunc potius, hoc essem facturus; sed non proprie, vellem hoc facere. Secundo ita usurpari potest, ut præterquam quod futuritionem actus voluntatis posita conditione futuri, sive judicium de eadem futuritione

ne ſignificat, etiam ſignificat complacentiam & affectum ſimplicem erga eundem actum poſita conditione futurum, tanquam objectum ſcilicet ipſius velleitatis, ſeu conditionatæ voluntatis. Quo modo dicere ſolemus, ſi eſſem Pontifex, aut Imperator, vellem hoc, vel illud, pro juſtitia, aut pietate ſtatuere. Hoc enim loquendi modo non tantum ſignificamus futuritionem ipſam ejusmodi conſtitutionis ſive legis, impleta conditione, ſed etiam affectum ſimplicem erga eandem. Idem fieri poteſt, circa objectum ex ſe indifferens, aut malum. Ut ſi quis dicat, ſi non eſſem voto caſtitatis obligatus, vellem ducere uxorem, aut ſi non eſſet peccatum, vellem furari. Tertio ſignificari etiam poteſt nomine velleitatis, præſens affectus ſimplex erga ipſum objectum voluntatis, ſub conditione futuræ, quo ſenſu v. g. homo flagitioſus, in carcere aut triremi vinctus, dicere ſolet, ſi eſſem liber, vellem indulgere ventri, &c. Quæ tria ſignificata ipſius velleitatis licet ſæpenumero ſoleant eſſe conjuncta, & quidem ſecundum raro inveniatur ſine tertio, abſolute tamen prius poteſt conſiſtere ſine poſteriori; non tamen poſterius ſine priori, ut ſatis colligi poteſt ex allatis exemplis. Et vero eſt, quoad rationem culpæ, magnum ſæpe diſcrimen, inter triplicem illum velleitatis modum, etiam reſpectu ejusdem objecti. Si quis enim primo tantum, aut ſecundo ſenſu dicat, vellem furari ſi non eſſet malum, aut peccatum, is quidem eo ipſo non peccat; ſi autem juxta ſenſum tertii modi velleitatis loquatur, is eo ipſo peccat, quia habet voluntatem ſimplicem erga furtum, adeoque peccatum, quæ ſi deliberata ſit, utique peccatum eſt, ut ſuo loco de peccatis dicetur. Quo autem modo vel ſenſu vocabulum illud *Vellem*, in quovis particulari caſu accipiatur, id unusquisque de ſeipſo quidem, ex proprio affectu æſtimabit; de aliis vero judicium fieri poterit, ex circumſtantiis perſonarum, item ſubjectæ materiæ, & conditionis, modique vel occaſionis loquendi. Atque juxta hanc doctrinam accipio, quod docet Gregorius de Valentia hic quæſtione 8. punct. 2. nimirum hoc verbo *Vellem* tres actus ſignificari; primo præſens judicium de ipſa futuritione rei, ſi conditio impleretur; ſecundo ipſam futuritionem actus volendi, ſi conditio ſubeſſet; tertio præſentem approbationem ſeu voluntatem ſimplicem, circa hanc ipſam volitionem ſub conditione futuram. Si enim proprie uſurpetur vocula *Vellem*, ſemper includit affectum ſimplicem ſaltem erga ipſam volitionem ſub conditione futuram: licet abſolute primum & ſecun-

dum significatum velleitatis à Valentia allatum (quæ nos superius simul conjunximus) stare possit sine tertio, sicut & tertium à Valentia assignatum, sine affectu aut voluntate simplici erga ipsum objectum futuræ sub conditione, quod velleitatis significatum nos superius tertio loco commemoravimus. Ad modum etiam explicatum intelligendum est, quod dicit Cajetanus infra quæstione 62. articulo 5. ad 2. per actum velleitatis deliberare aliquem, sic electurum & facturum, si sibi ita conveniet. Hoc enim ita accipiendum est, quod non solum hoc judicium seu deliberatio animi per velleitatem significetur, sic enim velleitas esset solum actus rationis, non voluntatis, quod est contra communem & certam doctrinam, superius explicatam, sed quod hoc sane judicium de futuritione voluntatis, si conditio impleretur, includi soleat in omni velleitatis actu, tametsi proprie loquendo, semper etiam simul simplicem actum voluntatis includat sive erga volitionem futuram, sive etiam erga objectum ejusdem volitionis. Ita etiam intelligo, quod dicit Angestus citato cap. 3. moral. dub. 3. *Velle conditionale dupliciter posse accipi, uno modo objective, ita ut in totali ejus objecto implicetur conditio, cujusmodi est totius conditionalis volitio.* Alio modo, ut reipsa nunc, *gratia alicujus conditionis* (puta ob impossibilitatem) *insit actus* (simplex voluntatis;) *sine qua conditione haberetur efficax & absolutus. Cognito enim*, inquit, *operis impedimento, dicitur volitio operis inefficax, loco cujus sine tali impedimento elicita fuisset alia efficax.* Prior enim modus hic velleitatis ab Angesto assignatus, videtur comprehendere solummodo primum, vel ut summum simul etiam secundum significatum velleitatis à nobis explicatum; secundus vero Angesti etiam tertium à nobis commemoratum. Atque hæc de velleitate, seu conditionata voluntate, cujus deinde sæpius facienda mentio est, non importune hoc loco dicta sunto. Ad quartam difficultatem respondetur, sex illos actus voluntatis elicitos non differre solo numero, uti recte probatum est. Neque tamen etiam per se differre videntur specie essentiali, ex formali objecto desumpta, adeoque nec in ratione virtutis aut vitii: quia simplex complacentia seu voluntas, intentio, fruitio, consensus, electio, & usus, circa idem objectum certæ alicujus virtutis, aut vitii, sunt ejusdem speciei, ut ex communi suo loco dicetur. Differunt tamen inter se specie accidentali, ex conditione quasi materiali ipsius objecti desumpta, puta finis, vel medii, præsentis, vel absentis, &c. ut superius de-

declaravimus. Qua in re etiam Gregorius de Valentia disputatione 3. quæstione 11. punct. 3. ex Cajetano quæstione 48. notavit, actus voluntatis differre à passionibus; quod hæ omnes inter se specie distinguantur; illi non item: excepta delectatione seu fruitione, & tristitia. Quia quæ in inferioribus sunt divisa, unita sunt in superioribus; atque ita differentiæ objectorum, quæ distinguunt specie actus appetitus sensitivi, non sufficiunt ad distinguendos specie actus voluntatis. Sed hæc ratio simul probat, nihil excipiendum de delectatione & tristitia voluntatis. Deinde etiam passiones inter se specie essentiali non differre, nisi in ratione entis, dicetur quæstione sequente, dubio 2. Interim vero negandum non est, plerosque ex recensitis actibus plerumque inter se etiam numero & realiter distingui, ut plane ponit Thomas, cum eos absolute tanquam actus diversos recenset, ut ex ejus verbis superius relatis patet: idemque est communis sensus Doctorum in hac materia; ut proinde plane falsum sit, quod non nemo asseruit, in unicum numero actum humanum voluntatis persæpe quinque actuum specie differentium rationes concurrere, nempe simplicem voluntatem, intentionem, consensum, electionem, usum; idque docere Thomam hic à quæstione 8. usque ad 16. Quia saltem simplex voluntas cum reipsa sit actus inefficax, nulla ratione potest idem realiter actus esse cum voluntate efficaci uti est intentio, electio, &c. ut ex communi recte docet Adrianus quodlibeto 10. & supponit Thomas quæstione 8. articulo 1. & 2. Medina & Conradus ibidem, Gregorius de Valentia & Fonseca locis cit. & alii communiter, quando simplicem voluntatem tanquam actum distinctum ab intentione & electione constituunt, eumque etiam circa impossibile versari docent, ut dictum quæstione 1. quicquid Cajetanus in contrarium objectus dixerit; qui nec sibi in ea re constat, nec Thomæ consonat. Eodem modo intentionem & electionem, saltem ordinariè esse actus realiter distinctos omnes communiter supponunt: imo inter Doctores controversia est, an unquam ullus actus voluntatis simul esse possit circa finem & media, ut dubio 4. dicetur. Ad quintam difficultatem respondetur, Thomam & Aristotelem, in recensendis actibus intellectus, qui una cum actibus voluntatis in prosecutione finis interveniunt, eorum tantum habuisse rationem, qui cum & proprium nomen, ac specialem usum, cæteris actibus minime communem, in eo genere sibi vendicent, propria & speciali etiam declaratione indigebant, quales solummodo

modo sunt actus consilii & imperii. Cæteri vero tum ex communi ratione actuum intellectus, tum ex actibus voluntatis, quibus præeunt, satis intelliguntur.

XV.

Liberè autem operatur voluntas post regenerationem, justificationem & renovationem, *quos enim Filius liberat, illi verè liberi*, Joh. 8. v. 36. ita tamen, ut illa libertas non sit consummata, sed inchoata tantum, cum difficultate carnis conjuncta, de qua Paulus: *Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne meâ, bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago*, Rom. 7. v. 18. 19. tum libertate illa, quæ dicitur specificationis, tum illa, quæ est contradictionis, unde ipse DEUS: *Testes invoco hodiè cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergò vitam, ut & tu vivas, & semen tuum: & diligas Dominum DEUM, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas*, Deut. 30. v. 19. 20. *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo servare*, 1. Cor. 7. v. 37.

XVI.

Frustra hic disputant Pontificii primò, qui cum Durando Libertatem Intellectui transcribunt, quia Theologi liberum arbitrium definiant, quod sit facultas rationis & voluntatis. Secundò qui cum Thoma & sequacibus voluntatem quidem admittunt esse formaliter liberam primo & per se, intellectum verò radicaliter. Tertiò qui propugnant libertatem esse extrinsecam actibus elicitis voluntatis, ut quidem constat ex Molina, Vasquezio, Arriaga & aliis.

XVII.

Malè itidem statuunt Thomistæ voluntarium reperiri in omni naturâ cognoscitiva. Illudq; probare satagunt, authoritate Aristotelis 3. Ethicorum c. 1. ubi dicit, quod *pueri & bruta animalia communicant voluntario*. Et ex Augustino l. 5. de Civitate Dei, cap. 9. Gregorio Nyssen. l. 5. Philosophiæ c. 4. Damasceno l. 2. de fide c. 24. & tandem Thoma hic a. 2. ubi hoc probet ex professo hac ratione: *Ad rationem voluntarij requiritur, quod principium actus sit intra cum aliqua cognitione finis*; ita quod *imperfectam cognitionem finis sequitur voluntarium* (intellige proprie, & non

& non tantum metaphoricè dictum) *secundum rationem imperfectam; prout scilicet apprehendens finem non deliberat, sed subito movetur in ipsum: Imperfecta autem cognitio finis, quæ in sola finis apprehensione consistit, sine hoc quod cognoscatur ratio finis, & proportio actus ad finem,* reperitur in omni natura cognoscitiva, etiam in brutis animalibus per sensum & æstimationem naturalem: unde voluntarium proprie dictum reperitur imperfecte, sive secundum rationem imperfectam in omni natura cognoscitiva. Secundò illi, qui volunt divisionem voluntarii in necessarium & liberum, esse generis in species: Ita Lorca, Vasquez, qui putant, liberum, & necessarium esse differentias essentiales actuum elicitorum voluntatis, quibus alii sese opponunt statuendo, illam esse divisionem subjecti in accidentia: Ita Alvarez, Montesinus, Valentia, Discal. Salmant. Philippus à Sanctifs. Trinit. Oviedo, & alii, quorum Ratio est: quia differentiæ essentiales constituunt species essentialiter diversas. Sed liberum, & necessarium non constituunt actus voluntarios essentialiter, aut specificè diversos, ut patet in amore libero charitatis viæ, & in amore necessario charitatis patriæ, qui sunt ejusdem speciei, juxta communem sententiam. Ergò secundùm illos liberum, & necessarium non sunt differentiæ essentiales, sed accidentales actuum etiam elicitorum voluntatis. Ergo actus voluntarius dividitur in liberum, & necessarium tanquam subjectum in sua accidentia. Tertiò Mestertius, qui contra Seldenum disputat, & cum objecisset D. Seldenus *de jure nat. & gent. l. 1. c. 4.* Quod non possit esse propriè dictum, jus ubi non est libertas: at licet in brutis aliqua absoluta & simplex concipi possit: quæ naturalis facultas est ejus, quod cuique facere lubet. *§. & libert. Inst. de jure person. l. 5. D. de statu hominum,* & cui proprium sic vivere, ut velis, *Cicero de Officiis 1.* non tamen est libertas restricta & cum hoc temperamento, quod in definitione, (quæ est *d. l. 5. D. de statu hominum. & §. & libertas. Instit de jure personarum,*) sequitur: *nisi si quid vi aut jure prohibetur*, quod omnino necesse erat. Respondet ea libertate, quæ *in d. l. 5. D. de statu hominum. & §. & libertas. Instit. de jure personarum,* definitur, bruta quoque gaudere. Probareque nititur ex mente Ulpiani *in l. manumissiones. 4. D. de Iustitia & jure.* & Justiniani *in princ. Instit. de Libertinis,* ubi libertatem ad jus naturale, prout à jure gentium & civili distinguitur, referunt. Denique falsum esse dicit, quod ad hunc locum *vis*, quatenus in-

juria in ea contineatur non spectet. Vis enim absolutè posita in malam partem, ac pro ea, quæ injuriam in se continet, accipitur. *arg. l. ut vim. 3. D. de Iustitia & jure. l. scientiam. 45. §. ult. D. ad leg. Aquil. l. extat. 13. D. quod metus causs. tot. tit. D. & instit. de vi bonor. rap. tot. tit. D. quod vi aut clam. Item de vi & vi armata. Cod. unde vi. §. recuperandæ. Inst. de interdictis. cum infinitis similibus.* Sensus ergo horum verborum secundùm illum: *Nisi si quid vi*, hic est, nisi si quid vi injustè illata prohibeatur, quominus fiat quod lubet: tunc enim libertas retinetur quamvis usus ejus impediatur: veluti si quis vinctus à latronibus vel piratis detineatur. At ubi quid vi justè illatâ prohibetur, libertas amittitur: veluti si quis ab hostibus capiatur. *§. 3. & 4. Instit. de jure personarum.* Hæc autem verba, *aut jure prohibetur*, nihil aliud volunt, quam posse quid jure prohiberi, quominus fiat quod lubet, & tamen illibata manere libertas: Hinc Tullius pro Cluentio: *Legum*, inquit, *idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.* Et Papinianus: *Quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt: nec facere nos posse credendum est. l. filius. 15. D. de condit. instit.* Obedientia enim, quæ juri debetur, non pugnat cum libertate, sed eam tuetur: Enimverò brutorum facultas vivendi, ut velint, solo jure naturali attemperatur; at hominum, non solum naturali, sed etiam gentium & civili: nam quod sibi jus gentes universæ vel civitates singulæ constituerunt, ad bruta animantia non pertinet, *arg. §. 1. & 2. Instit. de jure nat. gent. & civil. arg. l. ult. D. de Iurisdictione.* Quapropter pleniori ac magis integra libertate bruta gaudent, quam homines: Naturali enim facultate ejus quod ipsis facere lubet, bruta rarò abutuntur: quippe in ipsis est magna moderatio appetituum & actionum: magna innocentia, securitas, requies, & vitæ tranquillitas: circa res naturales & licitas, sine pudore, metu ac ceremonia versantur. At homines (proh pudor) magnâ illâ animi prærogativâ, &, qua cæteris animantibus præstant, vivacitate, subtilitate ac ingenii solertiâ abutuntur creberrime: hinc tanta in ipsis constantia, irresolutio, superstitio, anxia circa res futuras sollicitudo, ambitio, avaritia, invidia, curiositas, detrectatio, mendacium, mundus inordinatis appetitibus, offensionibus ac ægrimoniis repletus: Ita ut non solo jure naturali, sed etiam gentium & civili tanta quasi licentia refrænanda fuerit.

XVIII. In-

XVIII.

Intellectui opponitur ignorantia, quæ varii generis: Prima, per ordinem ad scientiam, qua privat: secunda, per ordinem ad objectum, quod ignoratur: tertia est ad voluntatem ut ad principium: quarta per ordinem ad peccatum, cujus est causa. Dividitur itaque primò in ignorantiam pravæ dispositionis positivam, estque error intellectus; & in ignorantiam negativam, ac privativam: negativa datur in pueris, & amentibus: privativa in iis, qui carent notitia, quam scire quis potest, & debet. Secunda divisio ex parte objecti dividitur in ignorantiam Juris, & facti: de qua Scotus in quarto dist. 6. q. 8. n. 1. & 2. dist. 13. q. 2. n. 10. & de hac divisione extat titulus in Jure civili ff. qua lex ignoratur, quando scilicet ignoratur, an aliquid præcipiatur à Jure, sive divino, sive naturali, sive positivo. Magis tamen ignoratur Jus divinum, quam naturale, & facilius Jus positivum, quàm divinum. Ignorantia facti est qua res præcepta ignoratur: ut si quis ignoret, in die aliquo esse præceptum jejunium, laborat ignorantia Juris: si vero ignoret ipsam diem jejunii, ignorantia facti laborat: utraque ignorantia subdividitur à Sanchezio lib. 1. decalogi cap. 16. num. 4. in invincibilem, & vincibilem ignorantiam. Tertia divisio ex habitudine ad voluntatem, fit in invincibilem, & vincibilem. Ignorantia invincibilis dividitur in antecedentem, & comitantem: ignorantia vincibilis, quæ etiam dicitur consequens, dividitur in ignorantiam ex electione, quæ dicitur crassa, sive supina: idem enim est, quidquid Suar. disp. 4. sect. 1. num. 10. & in ignorantiam ex negligentia. Hæc divisio secundum Doctores Pontificios est eadem cum illa, qua ignorantia dividitur in inculpabilem, & culpabilem; inculpabilis est invincibilis, culpabilis verò vincibilis. Quarta divisio per ordinem ad peccatum, versatur circa ea, quæ peccata sunt ex ignorantia. De his omnibus, & aliis divisionibus latè agunt Doctores, Castro lib. 2. de lege pœnali, Cordub. in quæst. lib. 2. quæst. 1. Valentia tom. 2. disput. 6. quæst. 6. Suar. tract. 2. in 1. 2. disput. 4. sect. 1. Salas, tom. 1. tract. 3. disp. 4. sect. 1. Sanches citatus, Azor. 1. p. lib. 1. cap. 11. quæst. 1. Aravio 1. 2. quæst. 76. art. 4. dub. 1. Sayro in clavi lib. 2. cap. 2. Zumel. 1. 2. quæst. 76. art. 3. disp. 2. Jacob. Gordon. in Theologia Morali, tom. 1. lib. 2. quæst. 8. Tanner. 1. 2. disp. 4. quæst. 9. Layman. lib. 1. tract. 2. cap. 4. Castro Palaus in opere morali, tom. 1. tract. 2. disp. 1.

XIX.

Voluntati verò repugnat involuntarium, & impeditur usus libertatis, tum per ignorantiam, tum per violentiam, tum per concupiscentiam, tum per metum, tum per peccatum, & dicitur Involuntarium primò negativè, secundo privativè, tertio positivè: primo modo dicit solummodo voluntarii negationem, & propterea hæc usurpatio impropriissima est, convenit enim inanimatis, & agentibus naturaliter operantibus, quæ voluntate non agunt. Privativè importat privationem voluntarii, atq; adeo connotat subjectum capax volendi: & hæc usurpatio etiam impropria est, siquidem ad illam non exigitur, rem fieri contra positivum impetum voluntatis, sed satis est, non esse ex consensu illius, cum tamen possit consentire: unde etiam ex circumstantiis colligeretur voluntatem in tali eventu consensuram. Proprie ergo involuntarium solùm contrariè accipiendum est, nimirum quando fit contra internum impetum voluntatis, & de hoc maximè sermo est. Ex Aristotele 3. Ethicorum c. 1. sumenda est definitio involuntarii: duo, autem ibi Philosophus requirit ad rationem formalem involuntarii. Primum est, quod sit à principio extrinseco: ita enim habet eo loco juxta interpretationem Argyropili, *at quorum principium est in ipso, ea agere, vel non agere, in ipso est suum, talia igitur sua sponte quisque agit*; id est, quæ sponte fiunt, & voluntarie procedunt à principio intrinseco quod in ipso operante est: quod verò involuntarie agitur, procedit à principio extrinseco, quod in ipso operante non est: secundum, quod requirit, est, ut involuntarium non sit ex inclinatione, sed contra inclinationem appetitus, causetque molestiam, & dolorem, ita toto illo capite. Ex quibus ea erit definitio involuntarii in communi: *Involuntarium est à principio extrinseco contra inclinationem appetitus, id est renitente appetitu*, vel quod in idem recidit, expressitque Philosophus loco citato: *Involuntarium est, quod quisquam invitus agit.* Divisiones verò occurrunt apud Doctores variæ: Prima est in involuntarium perfectum, & imperfectum: perfectum est, quod accidit contra voluntatem deliberatam, vel cum formali cognitione mali, quod evenit: imperfectum fit contra voluntatem indeliberatam, ut in motibus primo primis, brutis, & amentibus videre est. Secunda in involuntarium in se, & in alio: involuntarium in se est id, quod voluntas per propriam nolitionem detestatur, ut pœnæ damnatotum: Involuntarium in alio est id, quod voluntas detestatur in causa necessario connexa

cum

cum suo effectu: qui enim venenum fugit immediatè, in eo simul mortem, quæ est illius effectus, abhorret. Ubi notant, quando involuntarium in alio fieri postulat à diversis causis, non sufficere, quod quis nolit unam ex causis, ad hoc ut censeatur nolle effectum, licet ut actus sit voluntarius in alio, sufficiat velle unam ex causis, à quibus procedere potest effectus, dummodo prævideatur futurus: & ratio discriminis est, quia, ut effectus producatur, sufficit velle unam causam sufficientem ad existentiam effectus, ut verò non existat effectus, requiritur nolle omnes causas, quia licet nolit hanc causam, potest velle aliam, negatio quippe cum sit malignantis naturæ, omnem excludit virtutem, affirmatio verò stare potest cum qualibet virtute; ex quo à fortiori infertur, nullum esse involuntarium in causa per accidens, sive detur, sive non detur præceptum. Tertia est celebris divisio involuntarii in involuntarium simpliciter, & in secundum quid: involuntarium simpliciter est contra actum voluntatis efficacem, sive est contra actum, qui cum opposito actu efficaci cohærere non potest: exemplum sint pœnæ damnatorum, quæ involuntariæ sunt simpliciter damnatis, eo quod sunt contra actum voluntatis efficacem, per quem illis pœnis renituntur: involuntarium secundum quid est contra actum simplicem, & inefficacem, qui cum opposito actu efficaci stare potest: exemplum sit projectio mercium in mare, quæ involuntaria est secundum quid, eo quod est contra voluntatem inefficacem non projiciendi illas. Hæc divisio coincidit cum illa alia, qua dividitur involuntarium in involuntarium purum, & in mixtum: purum coincidit cum involuntario simpliciter, mixtum verò cum involuntario secundum quid. Subdividitur autem hæc divisio tam involuntarii simpliciter, quam secundum quid; nam involuntarium simpliciter dividitur in involuntarium per vim, & in involuntarium per ignorantiam; involuntarium vero secundum quid dividitur in involuntarium ex metu, & involuntarium ex concupiscentia: cujus divisionis membra quamplurimis difficultatibus involvuntur, de quibus consulantur Scholastici.

XX.

Impii vero sunt illi ex Pontificiis, qui primo statuunt, pro longo tempore dari posse præceptorum Decalogi invincibilem ignorantiam. Quia multi, v. gr. pueri invincibiliter ignorant pollutionis malitiam annis aliquot, quam postea crescente rationis discursu dignoscunt. Sic Cor-

du. l. 2. quæst. 4. Vasqu. 1. 2. disp. 122. c. 2. Sanch. l. 1. Decal. cap. n. 33. quibus subscribit Escobar & addit, Decalogi hæc præcepta aliquibus vestita circumstantiis apparenter excusantibus posse non jam longo tempore solùm, sed & per totius vitæ decursum invincibiliter ignorari. Nimirum licere furtum, ad eleemosynam erogandam: vel perjurium ad propriæ vel alienæ vitæ tuitionem. Videatur Vasqu. citat. Qui contrariam sententiam refert, & refellit, narrans se vidisse rusticum existimantem, pium esse, morti proximos in alteram versare partem; ut citius obirent, ne diu agnone laborarent: ac se judicasse rusticum illum invincibili ignorantia affectum. Secundò male quidam negant actus voluntatis non posse produci à solo Deo. Tertio non probantur, qui simpliciter asserunt concupiscentiam minuere voluntarium. Quarto, qui statuunt metum gravem excusare in Legis naturalis observantia. Quia legis transgressio, gravi metu instante, non fit absolutè malum admittere, sed deterius, ac gravius malum evitare. Sic Eustrat. super. 3. Ethic. c. 1. Gloss. in l. pecul. D. *si familia furtum fecisse dicatur*, dicens servum patrantem aliquod delictum, ne pereat, nisi domino pareat, non peccare. Concinunt Jason. §. si minus. n. 17. Inst. de actio. Cynus. in l. 1. C. unde vi. q. penult. Salicet. in eadem lege. Bartho. in l. si servus D. de noxa. lib. action. qui planè censent, excusari eum, quem dominus aut tyrannus metu mortis adigit ad alium occidendum injustè. Quinto qui docent, quod homo existens in peccato mortali, possit habere usum liberi arbitrii circa opera moralia, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad speciem boni. Priorem partem de exercitio concedi ab adversariis dicunt. Et meritò. Nam si peccator non posset pro suo arbitrio exercere aut omittere opera virtutum moralium, frustra darentur illi præcepta de iis exercendis: frustra essent monitiones, terrores, pœnæ, præmia. Posteriorem, de specie boni, probare satagunt, quia peccator potest facere quædam opera mortalia, quæ quidem non sunt meritoria vitæ æternæ, sed tamen moraliter bona seu rectæ rationi consentanea. Hoc secundum illos patet 1. ex dictis, quia mala opera non solent præcipi, sed bona; ac peccatori jure naturali ac divino præcipitur ut faciat opera justitiæ, temperantiæ, misericordiæ, ergo hujusmodi opera, quatenus præcipiuntur, bona sunt. Hoc autem præceptum potest impleri à peccatore, alioqui frustra illi daretur: Ergo peccator potest facere opera moraliter bona ac honesta 2. Quia opera virtutum moralium sunt bona ex objecto: Ergo si fiant pro-

propter bonum finem, non possunt esse mala: At possunt fieri à peccatore propter bonum finem, nempe propter honestatem, aut conformitatem cum recta ratione. Ex eo autem, quod fiant ab homine peccatore, non possunt fieri mala. Nam quando is, qui dat eleemosynam, facit hoc propter bonum finem, jam non facit ut peccator, sed ut homo utens recta ratione. Hoc ostendere volunt in exemplo. Nam si homo impudicus det pauperi eleemosynam, non facit hoc ex impudicitia, sed ex misericordia. Unde fit, ut opus illud per accidens tantum sit hominis impudici; per se autem misericordis. Quod ex eo patet, quia si opus illud inquinaretur ab impudicitia hominis impudici, jam eleemosyna hominis impudici esset peccatum contra pudicitiam; quod est absurdissimum. 3. Quia constat ex Scripturis, DEUM sæpè remuneratum esse opera infidelium & peccatorum; cum ergo DEUS sit justus, & non soleat remunerari mala, sed potius punire: necesse est, non omnia opera infidelium & peccatorum esse mala, sed quædam moraliter bona. Exodi 1. legimus, quod DEUS benefecerit obstetricibus Ægyptiis, eò quod clam conservassent infantes Hebræorum, quos Pharao Rex jusserat interfici. Et Augustinus in lib. contra mendacium cap. 25. disertè addit, DEUM benefecisse obstetricibus, non quod mentitæ essent, sed quod in populum DEI misericordes fuissent. Similiter Ezechiel. 29. legimus, quod dederit mercedem exercitui Nabuchodonosoris, eò quod fideliter suo Regi servisset in bello justo contra Tyrum. Et de Davide constat, quod hortatus fuerit Nabuchodonosorem ut faceret eleemosynas, qui DEI iram placaret. Quod si eleemosynæ hominis infidelis hoc efficere potuerunt, certè bona opera erant, non mala, quia hæc non placant iram DEI, sed magis accendunt. Eodem sensu dixit Augustinus lib. de Prædestinat. Sanctorum. cap. 7. & lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 8. eleemosynas Cornelii, antequam in Christum crederet fuisse DEO acceptas. Et lib. 5. de Civit. DEI. c. 15. DEUM dedisse Romanis tam amplum imperium, ut in hac vita remuneraretur bonas eorum virtutes. Denique sexto Doctores Pontificii deviant, qui asserunt, quod homo existens in peccato mortali, si habeat gratiam excitantem, possit habere usum liberi arbitrii circa opera supernaturalia fidei, spei charitatis, non modo quoad exercitium, sed etiam quoad speciem boni. Priorem partem, de exercitio patere dicunt ex Concilio Trid. Sess. 6. c. 5. & alibi probare nituntur. Posteriorem

rem, de specie boni, negari non posse, nisi dicamus DEUM authorem peccati. Nam si peccator, quando excitatur à DEO ad opera supernaturalia, non potest bene operari, sed tantum male, plane sequitur, illum à DEO ad male operandum excitari, quod impium est. Deinde, si actus fidei, spei, & charitatis boni non sint, præsertim quando fiunt ex gratia DEI, quomodo prosint ad justificationem impii? An actus, qui revera mali & inquinati sunt, ad salutem prodesse possint? Nemo sanum id dicturum.

XXI.

Cum autem actus, quos exercent regeniti, sint supernaturales & spirituales, ideoque Intellectus & Voluntas non simpliciter illos exerceant, sed prærequirunt Fidem, fixum enim illud Pauli, Rom. 14. v. 23. *Quicquid non est ex fide, peccatum est*, & illud: *Impossibile est sine fide placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia est & inquirentibus se remunerator sit*, Ebræor. 11. vers. 6. & Jacobus: *Scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habeat, ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes*, c. 1. v. 3. 4. *Nam in Iesu Christo neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur*, Gal. 5. v. 6.

XXII.

Quantum hic prævaricentur, Adversarii notum est, tum fidem per Assensum tantum definiendo, tum inter dispositiones ad justificationem referendo, tum ex numero principiorum actuum supernaturalium expungendo.

CAPUT

CAPUT VIII.

De

MORALITATE.

THESIS I.

CUm de actionum Christianarum & honestarum principiis egerimus; nunc ad affectionem, seu Modum illarum progredimur, qui dicitur Moralitas; potest enim actus humanus dupliciter spectari, vel in genere naturæ, cum scil. præcise, secundum naturam & Entitatem consideratur, vel in genere moris, in quantum scil. vel laudabilis, vel culpabilis, vel boni vel mali particeps, quæ moralitas deprehenditur, tum in actibus internis, tum externis, distinguiturque in Moralitatem objectivam & formalem, quarum illa est objecti primarii, quod est specificativum actus & circumstantiarum, hæc autem ipsius actus; & quanquam dubitari possit, num detur Moralitas quædam objectiva, videtur tamen satis illa pellucere, tum ex eo, quia objectum aliquod aliâs indifferens potest aliquam induere rationem prohibiti, & sub legem quasi revocari, adeoque moralitate affici, tum quia, si in potentiis & habitibus admittitur Moralitas, quia sunt causæ actuum, cur non in Objecto, quod prima causa & radix moralitatis est in humanis actibus, tum ex eo, quia actus in genere naturæ & actus in genere moris, formaliter imò genericè distinguuntur, unde & Objectum in esse naturæ, & in esse moris distinctum esse colligitur. Et hæc moralitas objectiva non solum est specifica, sed etiam datur generica, indifferens scil. ad Bonitatem & Malitiam, cum enim talis inveniatur in Actibus humanis, præter specificam, objecto non erit deneganda, atque in objectis intrinsecè malis aut bonis est intrinseca, in objectis verò ex sua specie indifferentibus, sive extrinsece bonis aut malis est extrinseca, dicitque ut sic habitudinem quandam Objecti ad Regulam Morum.

II.

Non admittenda itaque primò Opinio, quam tuetur Lorca 1. 2dæ, disp. 21. sect. 2. quod scil. nulla detur Moralitas objectiva, quanquam

moralitatis : ad eandem enim potentiam ad quam ſpectat producere entitatem actus, ſpectare dicunt producere modos terminativos ipſius, ſive etiam reſpectus, ſine quibus actus exiſtere non poteſt. De Effectibus quoque ita ratiocinantur : Effectus dicitur moralis non ſolum ex modo emanationis à cauſa libera, & ſubjicibili rectæ rationi, ſed etiam quia elicitur à voluntate per ordinem ad objectum ſubjicibile rectæ rationi : quapropter effectus moralis non ſolum eſt liber, ſed etiam ſubjectus rectæ rationi. Effectuum moralium duplex eſt genus : unum effectuum, qui ſimul ſunt phyſici ; alterum effectuum, qui ſolum ſunt pure morales. Ad primum genus ſpectant omnia entia phyſica, quæ procedunt à cauſa phyſica ; à morali tamen cauſa vel imperantur, vel fiunt : ut occiſio hominis in ſe eſt phyſica, & ab occidente phyſicè procedit, comparata tamen cum voluntate imperante, vel ſuadente, eſt effectus moralis. ſimiliter, præmium in entitate, poteſt eſſe aliquid phyſicum procedens à voluntate præmiante phyſice, reſpectu tamen meriti, eſt effectus moralis, cum meritum non influat in præmium phyſice, ſed tantum moveat præmiantem : idem de pœna ſentiendum eſt, & de ſimilibus. Unde in his effectibus duo conſiderantur, entitas phyſica, & ratio moralis : hæc eſt denominatio extrinſeca deſumpta ex modo operandi potentiæ, ſive conſulentis, ſive præmiantis, ſive ordinantis unam rem ad aliam, ſive excitantis cauſam phyſicam, &c. Secundum genus effectuum, qui ſunt pure morales, nullam in ſe habent entitatem phyſicam, licet enim ſupponant entitatem aliquam phyſicam in ſe, nec ſunt nec includunt aliquid phyſicum : ut obligatio orta ex voto, promiſſione, aut contractu : dominium in matrimonio ortum ex conſenſu conjugum : valor rerum, qui oritur ex lege taxante : meritum, demeritum, peccatum habituale, infinitus valor, opera Chriſti Domini, laudabilitas operis, & ſimilia, quæ tantum ſunt quid pure morale. Et ſi dicas ; non eſſe entia phyſica ; ergo rationis, vel fictitia. Reſpondent negando conſeq. ſunt enim entia moralia, ſive denominationes extrinſecè provenientes à formis realibus, id eſt, ab actibus moralibus, quæ licet phyſice non ſint præſentes, tamen moraliter ſecundum communem hominum æſtimationem præſentes eſſe cenſentur.

IV.

Scopum non contingunt illi primò, qui cenſent actum moralem & actum propriè & perfectè humanum, ſeu perfectè voluntarium dici

ad convertentiam, quia eo ipso quod humanus, capax sit rectitudinis & contrarii defectus. Secundò illi, qui putant actum moralem aliquid addere, supra actum humanum, actualem scil. libertatem. Tertiò illi qui volunt, ut actus aliquis voluntatis moralis sit, necesse esse, ut procedat ex perfecta Delectatione rationis, de quo videndus Franciscus Suarez. tract. 3. disp. 1. sectione primâ.

V.

Ordo autem ille, in quo consistit formaliter Moralitas, est Relatio quædam secundum dici. Moralitas enim essentialiter dicit respectum ad aliud, nec tamen primario, sed secundario; non itaque erit Relatio secundum esse, sed dici.

VI.

Frustra ergò disputant illi, qui rationem formalem moralitatis quærunt in ipsâ Entitate absoluta actus, vel modo aliquo absoluto superaddito actui. Secundò, qui Ordinem illum volunt esse tantum respectum, vel relationem rationis, quæ sententia fuit Melchioris Cani, & Gabrielis Vasquezii. Tertiò, qui formam moralitatis dicunt Denominationem extrinsecam, ut Sayrus in Clavi regia, lib. 2. cap. 4. numero 1.

VII.

De Regula autem, ad quam Moralitas dicit respectum, disputari potest. Si ponatur illam esse Judicium practicum proxime & immediate, nihilominus quærenda erit Regula illius etiam Judicii extrinseca, quam dicimus esse legem Divinam decem præceptis adstrictam, est enim illa perfectissima boni & mali sequestra, quicquid præscribitur in Lege Naturæ perfectius ab illa imperatur, neque ullam partem vitæ aut actionum relinquit, quam non circumscribat, adeo ut, *qui fecerit ea, vivat eis*, Levit. 18. v. 5. qui contra fecerit, maledictus audiat: *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit. Et dicet omnis populus, Amen*, Deut. 27. v. 27. & Gal. 3. v. 10. *Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*, & sicut Objectum personale hujus legis est omnis homo, quamvis in particulari non unicuique innotuerit, & gentes lege naturæ regantur, teste Paulo: *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi*

sibi

sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se cogitationum accusantium aut etiam defendentium, Rom. 2. v. 14. & 15. ita dictat, tum, quæ lex naturæ exigit in statu lapsus, tum, quæ sanctior voluntas in illa præmonstrat,

VIII.

Displicet autem primò sententia Vasquezii, qui Moralitatis terminum constituit ipsam naturam rationalem, atque scribit Tomo 1. in primam secundæ disp. 95. cap. 10. §. 46. Dico totum genus moris in relatione rationis positum esse, ac proinde bonitatem in relatione convenientiæ, malitiam vero in relatione inconvenientiæ, aut oppositionis cum natura rationali consistere, quæ cum sint species generis moris, debent etiam esse relationes rationis. Hanc sententiam tradidit Canus, quem superiore capite memoravi, quam ille duplici ratione probabat: prior est: Relatio mensurabilis ad mensuram est rationis, & extrinseca ex Aristotele 5. Metaphys. c. 15. malitia autem consistit in ratione mensurabilis, illa enim dicitur bona actio, quam recta ratio metitur, illa vero mala, quæ non cadit sub mensuram rectæ rationis: ergo illi respectus sunt rationis in ipso actu. Posterior ratio, actus aliquando est malus ex ordine ad finem non existentem, imo ad aliquid impossibile, atqui ad non existens, aut impossibile solum est relatio rationis, ergo bonitas, & malitia actus moralis est solum relatio rationis. Hæ tamen rationes mihi non probantur, non prior, quia, ut infra ostendemus disputatione 97. non omnia peccata ideo sunt mala, quia non cadunt sub mensuram rectæ rationis, aut legis, sed ideo aliqua sunt mala, quia ex se naturæ hominis disconveniunt, quatenus rationalis est: non posterior, quia pauca sunt ejusmodi peccata, ex ordine ad finem non existentem, aut impossibilem, ac proinde hac ratione non probatur de omnibus in universum. Mihi vero his rationibus prædicta sententia probatur. Primo in iis, quæ sunt mala, quia prohibita, oppositio cum natura rationali pendet ex libera voluntate ferentis legem, ea enim libere posita, idem actus fit peccatum, qui antea non erat, & desinit esse ea ablata; relatio autem, quæ pendet ex libera voluntate ferentis legem, non est realis, ergo nec malitia moralis, & ratio peccati, sicut relatio rationis, qua vox ad suum significatum refertur, non potest esse realis, quia ex libera impositione hominis pendet. Secundò in iis, quæ sunt peccata jure naturæ, non sem-

semper potest esse relatio realis, nam multæ circumstantiæ pendent ex libera alterius voluntate, ex quibus sequi non potest relatio realis oppositionis cum natura: furtum enim, ut sit peccatum, debet esse rei alienæ, quæ in alterius dominio est, esse autem in alterius Dominio, pendet ex libera hominum voluntate, debet etiam fieri contra voluntatem Domini: in adulterio similiter malum pendet ex eo, quod sit uxor conjuncta matrimonio ex mutuo consensu voluntatis, quare manere potest totum, quod reale est in illo actu, & affectu, sine malitia & cum illa, quia sola mutatione voluntatis alterius non mutatur id, quod reale est in actu, ergo absque mutatione reali potest ei inesse malitia, & abesse, ac proinde malitia, non erit relatio realis. Tertiò tandem in universum de omni genere peccati commissionis id probatur: nam malitia moralis sive in iis, quæ sunt juris positivi, sive in iis, quæ sunt juris naturalis, pendet ex attentione, & libertate operantis, in cujus operatione etiam interiori potest incipere malitia moralis ex sola consideratione rationis, quia sine illa antea operatio non erat libera; posset etiam amittere malitiam, si ratio non sufficienter consideraret, ut si in amente maneret, ex eo autem, quod ratio advertat, seu consideret, vel non, si affectus circa novum motivum non varietur, nihil reale in actu mutatur: ergo, cum sic mutatur malitia, non erit aliquid reale actui inhærens: potest autem voluntas perseverare in actu suo ex eodem motivo, variata solum consideratione, ergo potest manere secundum idem omnino reale. Ex quibus etiam constat bonitatem moralem in actu non esse aliquid inhærens reale, sed respectum extrinsecum, siquidem liberum, quod est totum fundamentum generis moralis, & ex sola considerarat ione rationis, & absentia illius adest, aut abest, non est aliquid reale actui inhærens. Notandum tamen est, frustra aliquos torqueri contendentes malitiam moralem debere esse alicubi intrinsece, ut inde possit actum moralem intrinsece denominare, putant enim omnem intrinsecam denominationem provenire à forma ejusdem nominis intrinsece in alio existente, sicut paries dicitur dexter à dexteritate in animali intrinsece inhærente: frustra tamen laborant, licet enim hoc aliquando contingat, non tamen semper necessarium est, quinimo contingere solet, ut denominatio proveniat à forma alibi existente oppositæ rationis, & nominis: nam creator dicitur à relatione creaturæ, quæ opposita est, & res visa dicitur à relatione videntis: dicitur etiam aliquis Dominus servi, & ta-

men

men nulli ibi est intrinsece relatio realis dominii; eodem modo dicitur etiam maritus, & uxor: hæ autem denominationes extrinsecæ desumuntur ex variis rebus etiam absolutis concurrentibus simul, ut dominus ex eo, quod aliquem sibi emit pecunia, aut cepit in bello: uxor ex eo, quod voluntate cum alio contraxit: sic ergo peccatum ex eo dicitur, quod fiat libere, aut existente lege superioris prohibentis, aut sine illa: quia ergo talis naturæ est factum cum libertate, naturæ rationali, ut rationalis est, dicitur inconveniens, ac proinde malum. Ex quo sequitur primum, verè dici peccatum reipsa esse, quia reipsa sunt omnia, ex quibus intellectus in actu ipso considerat relationem illam rationis, & id significat modus ille loquendi absolute, sicut dicimus uxorem, & maritum esse in reipsa, & DEUM etiam creatorem esse, & opera Christi fuisse infiniti valoris, & dignitatis apud DEUM, & infinite DEO placuisse, cum tamen infinitas dignitatis sit respectus rationis ex infinitate personæ Christi: eodem modo humanitas respectu rationis à divinitate proveniente dicitur in Christo sanctificata, & homines in peccato manere ex respectu ad actum præteritum non retractatum, ut disp. 139. cap. 5. dicemus; & tamen humanitas dicitur sancta reipsa, & homo in peccato esse reipsa, & ratione illius DEO inimicus, & odio habitus, sicut etiam humanitas, & opera illius ratione extrinseci respectus dicuntur DEO placere: dicitur enim aliquid DEO placere conjunctum cum tali & tali circumstantia, licet secundum se non ita placeat, & displicere similiter. Et in peccato omissionis, quod secundum omnem sententiam in privatione sola formaliter consistit, hoc eodem modo omnes philosophari debent: nam omissio Missæ non displiceret DEO secundum se, hoc est quatenus est sola negatio reipsa, sed quatenus est contra præceptum, & esse liberam ut supra ostendimus, est extrinseca tantum denominatio ex circumstantiis realibus desumpta. Hoc eodem modo dicere debemus peccatum, & gratiam opponi ex natura rei ratione realium circumstantiarum, ex quibus desumitur à nobis talis denominatio actus, ut dicatur malus, idque commune est in omnibus denominationibus extrinsecis, ut aliquid dicatur realiter tale sine alio additamento ex circumstantiis realibus extrinsecis, tametsi adhuc in eo modo loquendi sub illa denominatione denotetur semper respectus, & ordo ad intellectum utentem tali denominatione, qua significat conceptum suum, ut 1. p. disp. 120. cap. 6. notatum est. Deinde sequitur

id,

id, quoddiximus disp. 73. cap. 4. & 5. malitiam primo consistere in actu exteriori ex objecto, & circumstantiis, non quia in eo sit intrinsece, nam etiam in actu exteriori malitia est intrinseca denominatio, sed quia hæc denominatio mali ex objecto, & circumstantiis primo convenit actui exteriori, & deinde secundario derivatur in interiorem. Secundò Sententia Suarezii, qui rectam rationem substituit, *Disputat. 1. section. 2. §. VII. VIII. IX. X.* Opinio esse potest, hoc esse morale actus esse respectum quendam ad rectam rationem, id est, legem ut regulantem actum voluntatis: est enim actus voluntatis conformis, vel difformis rei, quæ conformitas, vel difformitas in relatione consistit: sicut similitudo & dissimilitudo. Unde sicut ab his relationibus potest abstrahi quidam conceptus communis relationis fundatæ in qualitate, ita ab hac relatione conformitatis, vel difformitatis potest abstrahi conceptus communis respondens ad rectam rationem, quæ potest appellari *regulabilitas*. Fundamentum esse potest, quia *esse morale* dividitur per bonum & malum morale, tanquam per differentias per se, ut colligitur ex D. Thoma *1. 2. quæst. 9. artic. 1.* sed bonitas, vel malitia moralis consistit formaliter in conformitate, vel difformitate ad rationem rectam: ergo communis ratio *esse moralis* debet consistere in ratione respectiva communi abstrahibili ab illis membris, quæ non potest esse alia nisi *esse regulabile* per rationem rectam. Hæc sententia est insufficiens ad rem explicandam, & est in rigore falsa; & primo quidem supponit bonitatem moralem consistere in conformitate illa respectiva, quod valde dubium est, & magna indiget explicatione. Deinde supponit, à bonitate & malitia formaliter sumptis posse abstrahi conceptum communem alicujus relationis, quod forte etiam falsum est, quia illa duo privative opponuntur, si de eis formaliter loquamur: inter privationem autem & habitum nulla est convenientia communis: unde actus moralis bonus & malus possunt quidem convenire quasi materialiter in communi ratione actus, vel positivæ habitudinis ad objectum per rationem propositum: tamen formaliter ratione malitiæ & bonitatis sunt primo diversi. Sed hæc omitto, quia pendent ex infra tractandis. Duobus igitur modis potest intelligi hoc *esse regulabile* per rectam rationem. Prima ut recta ratio habeat rationem veram præcepti, aut legis respectu voluntatis, quod non potest ratio habere ex se, quia non habet potestatem superioris respectu voluntatis;

tatis: neque idem homo habet proprie jurisdictionem in se ipsum, ut se possit proprie per legem obligare, & eo modo, quo se potest obligare, necesse est, ut oriatur id ex voluntate. Ratio ergo ut ratio, & ut regulans voluntatem non inducit propriam rationem legis, nisi quatenus participat, vel applicat præceptum alicujus superioris, scilicet DEI, vel alterius, qui participat potestatem ejus. Secundo modo potest intelligi hic respectus ad rectam rationem: non ut præcipientem proprie, sed ut proponentem & judicantem de ipsis objectis secundum eorum naturam, seclusa lege superioris, sicut judicat ratio, mentiri esse malum & disconveniens naturæ rationali ut sic, etiamsi à nullo superiori sit prohibitum. Si ergo loquamur in priori sensu, sic *esse regulabile* per rationem, vel legem, non potest esse ipsum *esse morale*: Primo, quia in DEO ipso potest intelligi actus, vel actio moralis, sicut in eo intelligitur libertas & honestas, quidquid enim DEUS operatur, bonum est, & ipsa operatio, ut est ab ipso, potest dici moraliter bona bonitate justitiæ, aut misericordiæ, aut veritatis, propter quod non tantum est dignus honore, sed etiam laude: DEUS autem est supra omnem legem: ergo absque respectu ad legem intelligitur esse, & bonum morale. Unde est reperiri in hoc aliquid singulare in DEO, quia cum operatur in libero, nullum esse reale liberum in ipso ponitur, sed tantum in actione ad extra, & ideo si quid est moralitatis in actibus DEI, magis est in actibus externis, quam in actu interno, quamvis in illo etiam considerari possit esse terminatum ad extra. Secundò etiam in homine intelligitur recte esse morale absque respectu ad legem, nam, ut dicebam, hæc conditionalis est vera, *si per possibile, vel impossibile, homo non haberet superiorem, vel ab eo non gubernaretur per legem, nihilominus per rationem judicando dare eleemosynam esse per se conveniens naturæ, homicidium autem esse disconveniens*, libere operando juxta hæc dictamina, operaretur moraliter, & bene, aut male: ergo moralitas operationis humanæ non est sumenda per se primo ex respectu ad legem. Tertiò etiam nunc posita lege non ideo actus est moralis, quia regulatur per legem, sed è contrario potius, quia homo est morale agens, & non habet voluntatem indefectibilem à bono, ideo indiget lege superioris inclinantis in bonum, & avertentis à malo: ergo *esse regulabile* per legem, supponit potius *esse morale*, quam illud constituat, & ideo nullus actus necessarius potest vere ac proprie per legem regulari, quia non est moralis,

sed naturalis, de naturalibus autem non dantur præcepta. Unde confirmatur, nam supposita in actu voluntatis habitudine intrinseca ad suum objectum, & sua principia, *esse regulabilem* per legem, nihil ei addit præter denominationem extrinsecam à potestate legislatoris: non potest autem *esse morale* poni in hac denominatione, tum quia illa est omnino ab extrinseco, esse autem morale debet esse aliquo modo ab extrinseco: tum etiam, quia quod actus sit regulabilis hoc modo, non provenit ex potestate hominis, sed DEI & superioris: esse autem morale debet esse in actibus humanis & hominis, ideo enim esse meremur, vel demeremur, laudamur, vel vituperamur. Quartò si in hoc respectu consisteret esse morale, tam primario conveniret actibus externis sicut externis voluntatis: consequens est contra communem sensum Philosophorum moralium, & Theologorum, quia mores hominum ut sic, per se primo pendent à voluntate. Sequela probatur, quia lex tam per se primo regulat actus externos, sicut internos, imo nonnunquam lex non prohibet, vel præcipit internum, nisi ob externum, ut patet de lege non furandi, vel dandi eleemosynam, quod est signum, hanc regulabilitatem, seu hunc respectum non esse proprium actus moralis ut talis est, sed per se extendi ad objectum moralium actuum. Tertiò quorundam recentiorum, qui dicunt formam moralitatis esse ordinem quendam ad voluntatem ut principium est morale, sive ut subordinatur Regulis rationis, quibus favet Richardus in 2. Dist. 41. art. 2. q. 4.

IX.

An autem ad moralitatem prærequiratur Libertas in agente, si liberum & moraliter non formaliter coincidant, à Doctoribus disputatur. Si de τῷ morali actionum illarum honestarum, quæ ab homine renato justificato & renovato prodeunt, sit sermo, facilis est Decisio: cum enim non operetur nec illas producat, nisi qui gaudet Spiritu, libertatem illæ utique præsupponunt, sin vero de moralitate ut sic, non una eademque est omnium sententia, nec dubitamus posse dari aliquid, quod certa ratione sit morale, nec tamen formaliter liberum.

X.

Quamvis Pontificii hîc quamplures requirant libertatem, utpote Azorius, Lessius, Sanchez, Herrera, Franciscus Felix, Granado & alii, non tamen simpliciter illis subscribimus. Secundò utut Montesinus,

nus, Gregorius Martinez, Philippus à S. Trinitate & alii statuant libertatem non se habere, ut primam conditionem, sed ut fundamentum proximum moralitatis, tamen etiam in hoc illis abnuimus. Tertio quamvis ad moralitatem quidam requirant & libertatem contrarietatis & contradictionis, non tamen hîc nostrum merentur calculum.

XI.

De libertate autem actuum ita philosophantur: nempe statuendum esse, actus humani libertatem in eo consistere, ut eliciatur, vel imperetur à libera voluntate, ut sic; seu quatenus libera est, & libere operatur, illa autem voluntas dicitur libera, & libere operari, quæ nullam in agendo neque coactionem, neque necessitatem patitur; sed positis omnibus ad agendum prærequisitis, libera semper manet, indifferens, sive quoad exercitium, sive quoad specificationem actus, seu ad agendum, vel non agendum; ad hoc vel illud agendum. Hæc assertio duas habet partes: in prima dicitur, actum illum liberum esse, qui elicitur, vel imperatur à libera voluntate: libertas enim proprie & primò ipsi voluntati competit, & ex illa in actum derivatur, quod per se patet. In secunda parte dicitur, libertatem voluntatis in eo consistere; quod voluntas nullam neque coactionem neque necessitatem patiatur: sed positis omnibus ad agendum prærequisitis, libera maneat, & indifferens ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum. Hanc propositionem, (quam de fide esse asserit Isam. Dis. 1. de libero arb. a. 2.) probant 1. ex Script. Deut. 30. *Testes invoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, &c. Elige ergo vitam*, 2. Reg. 24. *Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his.* Probant 2. ex S. Athanas. orat. ad Gentes, *Anima*, inquit, *cognoscens liberum sui arbitrium, videt se posse uti corporis partibus ad utraque, ad bona, & ad mala.* S. Cyrillo Alexand. lib. 4. in S. Joan. *Liberum est*, inquit, *& propria electionis in hominibus in utrumque deflectere, aut in dextram partem aut in sinistram; in virtutem dico, vel vitium.* S. Cypr. epist. 55. *Homo*, inquit, *libertati sua relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem.* Et S. Anselmo in priori parte libri de concordia lib. arbitr. cum præscientia DEI & prædestinatione, ubi expresse dicit. *DEUM velle hominis voluntatem nulla necessitate cogi, aut prohiberi ad volendum, vel non volendum.*

 Ibi-

Ibidem fusè explicat, & probat necessitatem antecedentem, qua voluntas ad unum quid determinatur, libero arbitrio adversari; docetque voluntatem indifferentem esse ad oppositorum alterum eligendum; quamvis, postquam unum reipsa delegit, necessitatem quandam ipsa sibi faciat, quam consequentem vocant Theologi, quæ ex ipsa effectus positione sequitur.

XII.

Motus & actus regenitorum non tantum gaudent moralitate, sed etiam supernaturalitate, producuntur enim à principio supernaturali, nempe Spiritu S. & voluntate renovata, teste Paulo: *Quicunque enim Spiritu DEI aguntur, hi sunt filij DEI*, Rom. 8. v. 14. & versantur circa supernaturalia, quæ viribus propriis & naturalibus non possumus attingere, cum eodem Paulo teste eodem capite, prudentia carnis sit inimicitia adversus DEUM, versiculo 7. & 8. Prior denominatio, si præcise consideretur, dicitur extrinseca quia actus, qui producitur à supernaturali in homine principio, non necessario & essentialiter ab eo dependet, cum DEUS possit supplere principii supernaturalis concursum. Posterior verò intrinseca, quia actus suam sumit speciem & essentiam ab objecto formali, si itaque objectum illud in Entitate suâ supernaturale, etiam actus in Entitate censetur esse supernaturalis.

XIII.

Insufficienter verò primò Lumel. 1. 2. quæstion. 110. art. 4. disp. 5. parte 2. distinguit supernaturale à naturali, quod supernaturalia DEUM ut trinum, naturalia vero ut unum respiciant, cum tamen etiam supernaturaliter, fide scil. DEUS ut unus attingatur. Secundò Johannes Vincentius, Relatione de Gratia Christi, q. 1. fol. 34. Curiel, Albelda, Herrera & Sossa supernaturalia describunt, quod sint ea, quæ participant divinam essentiam aut attributa, prout sunt in se; naturalia verò, quæ illa participant prout sunt in alio, quod late refutat Herice p. d. 48. n. 27. Tertiò Antonius Perez in Laurea Salmantina, certamine quarto scholastico, Entia supernaturalia dicit, quæ ordinem divinum spectant, naturalia, quæ extra ordinem illum constituta, quia non satis & sufficienter explicat discrimen inter naturale & supernaturale, nec formale declarat. Quartò Albertinus excellentiam Entis supernaturalis explicat per ordinem ad DEUM, ut actum purum, qua DEUS

ut

ut actus purus naturæ ordinem potentialitati immersum excedat. Quintò Fasolus, qui putat supernaturalitatem Entis creati esse ordinem essentialem in DEUM ut extremum, cui immediatè substantia creata conjungatur, sive hæc conjunctio per cognitionem immediatam, sive per immediatum amorem, sive per unionem hypostaticam contingat. Sextò Salas & Coninck, qui dicunt esse perfectionem tali ordini naturæ superadditam & indebitam. Septimò Herice, qui statuit perfectionem absolutam rerum supernaturalium, consistere in connexione aliqua immediata DEI ut est in se, sive illa Unio sit physica, sive intentionalis. Octavo, Hurtado definit supernaturalia esse, quæ pertinent ad ordinem videndi DEUM, naturalia, quæ ab ordine illo remota. Nono denique, qui cum Salmanticensibus remotioribus existimant, propriam donorum supernaturalium conceptam connexionem esse quidditativam cum gratia sanctificante, physicam intentionalem immediatam, aut mediatam, antecedentem aut consequentem.

XIV.

Distinguunt autem τὸ supernaturale in tale quoad rem, & tale quoad modum & observant Doctores, ad supernaturalitatem quoad modum requiri, ut acquisitio, seu productio rei non solum ejus creaturæ, cui res acquiritur, seu producitur, sed naturæ etiam universæ facultatem & exigentiam vincat. Tùm à priori: quia supernaturalia quoad modum cum excessum supra naturam postulant secundum modum perfectionis, quem postulant supernaturalia quoad substantiam secundum entitatem ipsorum. Sed supernaturalia quoad substantiam exigunt entitatem, quæ superet industriam, & exigentiam totius naturæ, Ergo dona supernaturalia quoad modum, requirunt modum, qui non solius subjecti, cui ei donantur, sed omnium naturarum industriam, & exigentiam vincat. Tum à posteriori: quia alias calor in aqua productus, cogitatio honesta sufficiens amicorum admonitione parta, salus Medicorum industria acquisita, & alia hujus generis bona essent supernaturalia quoad modum, quia subjecti cui inhærent industriam, & debitum excedunt. Igitur non subjecti solum, sed totius universim naturæ vires, & exigentiam transcendat, necesse est, modus productionis, qui ad supernaturalia quoad modum, est necessarius. Supernaturale verò secundum substantiam illud est ipsis, cujus Entitas excedit omnem continentiam & exigentiam naturæ.

CAPUT IX.

De

BONITATE ET MALITIA.

THESIS I.

DIviditur Moralitas in Bonitatem & Malitiam adæquatè, cum enim illud, quod respectum dicit ad Regulam, vel sit conforme illi, vel difforme, ideoque omne illud, quod morale, vel ad Bonum assurgit, vel ad malum declinat, & ut Bonitas vel Malitia in naturalibus & artificialibus consistit in adæquatione, vel inadæquatione cum Regula Naturæ aut Artis, ita in moralibus cum Regula Morum, nec abnuunt præcipui ex Doctoribus Lorca, Montesinus, Curiel, Salmanticenses & alii, & quidem ut receptior habet sententia, moralitas dividitur in Bonitatem & Malitiam tanquam Genus in species, vel conceptus latior in strictiores: cum enim conceptus moralitatis ut sic, præscindat à Bonitate & Malitia, & ab illis æqualiter participetur, & absque dependentia unius ab altero, non videtur negari posse, moralitatem Bonitatem & Malitiam sub se complecti tanquam species, quod etiam placet Cajetano, Medinæ, Zumello, Montesino, Curieli, Martinezio, Gometo & Salmanticensibus.

II.

Non probatur itaque illis primò Sententia Gabrielis Vasquezii, quem sequitur Granadus & Gregorius Martinez, qui negant moralitatem adæquatè dividi in Bonitatem & Malitiam, & proinde tertiam addunt speciem, nempe indifferentiam seu actum adiaphorum secundum speciem. Secundò Opinio, quam Valentia & Salas proponunt, quod scil. hæc divisio non sit essentialis, sed potius dividi actum humanum, seu liberum, in Bonum & Malum tanquam subjectum in accidentia, prout corpus dividitur in album & nigrum. Tertiò Definitio illorum, qui fatentur quidem divisionem illam esse essentialem, non tamen univocam, sed analogi in analogata, pro quâ referuntur Bonaventura, Alexander Scotus, Durandus, Gabriel, Ocham, Marsilius, Alumin, Salas, Lorca, Granadus, Meratius & alii.

III. Bo-

III.

Bonitas dividitur in objectivam & formalem; dari autem in Objectis aliquam Bonitatem, patet tum ex eo, quia Objectum Voluntatis est Bonum sub ratione Boni, adeoque bonitas movens voluntatem non provenit ab ipsa voluntate, sed supponitur in Objecto, alias Voluntas non supponeret, nec requireret Objecti Bonitatem, sed faceret, & sicut voluntas prærequirit Bonitatem in Objecto, ita & actus bonus, prout quoque judicium præsupponit veritatem in Objecto: præterea, si aliquid est intrinsece bonum, & ideo præcipitur, quia de se habet honestatem, utique in ipsis Objectis erit Bonitas vel honestas antecedenter ad omnem actum, & si actus speciem accipit ab Objecto, ex Objecti Bonitate derivabitur aliquid in ipsum actum, admittuntque tanquam hanc objectivam bonitatem plerique ex Doctoribus, Montesinus, Aravius, Salas, Arriaga, Franciscus de Lugo, Martinez de Ripalda, libro 3. de Ente supernaturali, disp. 62. tota sectione prima, quamvis nondum liquidum sit, & definitum, in quo consistat formaliter illa Bonitas objectiva, quibusdam statuentibus bonitatem objectivam consistere in conformitate, cum lege æterna DEI, quod placuit Medinæ, Curieli, Martinezio & Alvarezio, quibusdam docentibus illam consistere in convenientiâ cum rectâ ratione, quo inclinant Azorius, Aravius & Rainaudus, quibusdam concludentibus, consistere eam in conformitate, cum natura rationali quâ rationalis est, ut volunt Granadus, Ægidius de Conink, Laymannus, Arriaga & alii.

IV.

Illud est, quod hic improbatur, primò quidem in Lorca, quod objectis humanorum actuum ut objecta sunt, negat inesse aliquam bonitatem objectivam. Secundò, quod disputant contentiose Doctores, an bonitas aut malitia moralis objecti sit formalis, an virtualis tantum, pro prima sententia, pugnante Medina, Cajetano & Martinezio, pro secunda Coninkio, Granado, Montesino, cum facile hæc lis componi possit. Tertiò in Montesino, quod habitus virtutum & vitiorum statuit tantum esse causaliter bonos & malos.

V.

De Bonitate formali magis soliciti sumus: dari autem actionem humanam bonam operose non probandum, cum planum sit in

Scriptura, nobis commendari illas à Christo: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera*, Matth. 5. vers. 16. fructus Spiritus recenseri: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*, Gal. 5. v. 22. laudari Philippenses ex praxi pietatis: *De cætero fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quæ & didicistis & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite, & DEVS pacis erit vobiscum*, cap. 4. v. 8 9. 10.

VI.

Iniqui verò sunt Pontificii in veritatem & nostram professionem primò, dum de fide esse dicunt, non solum ab homine in Gratia existente, sed etiam in peccato, fieri posse aliquem actum bonum, ut definitum à Concilio Constantiensi, Sess. 15. & Tridentino Sess. sexta cap. 7. Secundò dum statuunt, hominem non adeò destitutum mansisse post lapsum Protoplastorum, ut non possit uti ratione discernente inter bonum & malum, qua uti possit, quia non semper dentur impedimenta, & si aliquando dentur, illa tamen per auxilium gratiæ tolli. Tertiò dum dicta Scripturæ de profunda corruptione post lapsum eludere tentant, reponendo Scripturam loqui per exaggerationem, vel comparationem ad DEUM, juxta illud, nemo bonus, nisi DEUS.

VII.

Illud quoque recte improbatur in Cajetano, quod doceat in actu interiori bonitatem esse causaliter, in exteriori autem formaliter, ut sanitas in animali est formaliter, in Medicina verò causaliter, pro quo notandum est, tribus modis considerari posse actum humanum. Primò, ut versatur circa objectum, quod non est actus humanus, sed materia circa quam, ut amor DEI. Secundò, ut versatur circa objectum, quod quidem est actus humanus, sed non causatur necessario ab actu interiori, ut simplex complacentia dandi eleemosynam. Tertiò, ut versatur circa objectum, quod quidem actus humanus est, & necessario conjungitur cum actuali causalitate, ita ut & hic actus externus fiat ex vi illius actus interioris: Quibus positis, fit conclusio: Nullo ex his modis actus interior desinit esse formaliter bonus, ac proinde opinio Cajetani ve-

veritatem non habet. Probatur 1. de primo modo, quo actus interior versatur circa objectum. Amor DEI bonus est: atqui non bonitate objecti; ergo propria; ergo formaliter. Minor probatur, quia bonitas DEI, qui est objectum, est infinita & creata. Probatur 2. de secundo modo, quo actus interior versatur circa objectum. Actus interior non causat illum actum exteriorem; ergo jam actus interior non dicetur bonus causaliter; ergo formaliter. Antecedens supponitur, consequentia patet, quia solum dicitur actus interior (juxta oppositam sententiam) bonus causaliter, qui causat bonitatem actus exterioris: Ultima etiam consequentia probatur, quia ille actus interior est bonus, non causaliter, ergo formaliter. Tertiò probatur de tertio modo, quo actus versatur circa objectum: primò, quia in actu interiori duplex datur habitudo ad actum exteriorem, una ut ad objectum, altera ut ad effectum: atqui per primam, actus interior est bonus formaliter; ergo per secundam non tollitur formalis bonitas, quam habet. Minor patet, quia *actus specificantur per ordinem ad objectum*, & per ordinem ad illud habent formaliter suum esse; ergo & bonitatem, de quo amplius sect. subsect. 7. à num. 109. Consequentia autem probatur, quia ex eo actus ille bonus est, quia causat actus interioris bonitatem, imo ideo causat illam bonitatem, quia bonus est (prius est enim esse, quàm causare,) sed actus interior habet suum esse per ordinem ad objectum, & ut sic prius est, quam causet actum exteriorem ergo in illo priori bonus est, & quia bonus causat, & per consequens actus exterior causatus, non potest tollere bonitatem formalem actus interioris, non enim causæ dum operantur, privant se virtute causandi, quin potius illam virtutem perficiunt, qua de causa tantum abest, quod actus interior amittat bonitatem formalem, quam habet, dum causat bonitatem actus exterioris, quod per illam causalitatem perficiatur bonitas formalis actus interioris.

VIII.

Consistit Bonitas formalis in Convenientia cum Lege divina morali, cui subordinant Dictamen quoddam practicum, quod proxime sese habeat: Cum enim lex æterna sit omninò extrinseca, & creaturæ intellectuales ab intrinseco per suos actus liberos se moveant in ultimum finem, necessaria est alia vicinior regula intrinseca, quæ sit participatio

legis æternæ, ejusque quædam impressio, ac intimatio, quâ proximè regulentur actus humani in ordine ad ultimum finem, continuò intùs suggerens, & enuncians, quid prosequendum, quidve fugiendum sit; & hæc proxima regula est dictamen rectæ rationis. Huic proximæ regulæ si actus liberi consonent, itidem consonant & legi æternæ, cujus virtute illa dirigit, & obligat; adeoque sunt moraliter boni. Si dissonent, etiam dissonabunt legi æternæ, eruntq; moraliter mali. Ergo est proxima moralitatis regula, quam semper sequi tenemur, quod Pontificii extendunt ad errorem invincibilem usq; in facto, aut in jure. Illud enim censetur esse moraliter bonum, quod convenit Regulæ Moralitatis. Præscripsit autem DEUS, præceptaque dedit quondam, quibus omne officium erga DEUM & proximum comprehenditur, quorum generica ratio in Lege quoque naturæ ostenditur, quæ debitum erga DEUM & socium quemvis exigit, nec quicquam mali moralis nomine venit, nisi quod non convenit legi morali, in quâ fundatæ quoque leges ceremoniales & forenses, quæ quondam populum Judaicum adstrinxerunt, nunc vero cessarunt & abrogatæ sunt, teste Paulo: *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indefinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere: Alioquin cessassent offerri, ideo, quod nullam haberent ultrà conscientiam peccati, cultores semel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata: ideo ingrediens mundum, dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: Holocautomata, & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce, venio: (in capite libri scriptum est de me:) ut faciam, DEUS voluntatem tuam. Superius dicens, quia hostias & oblationes, & holocautomata, & pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur: Tunc dixi: ecce, venio, ut faciam, DEUS, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat.* Ebræor. 10. v. 11 & seq.

IX.

Inter opiniones itaque deputamus primò illorum sententiam, qui cum Curiele & aliis quibusdam, Bonitatis formalis rationem dicunt, esse modum quendam absolutum, superadditum Entitati actus liberi, distinctum à omni respectu ad Regulam rationis, sive illa sit Lex, sive natura rationalis, sive recta ratio, sive objectum. Secundò illorum, qui

qui cum Vasquezio rationem formalem bonitatis formalis existimant consistere in Denominatione extrinseca, desumpta à Regula rationis. Tertiò illorum, qui dicunt formalem Bonitatis formalis rationem esse respectivam, ita tamen ut dividantur in hoc, num illa sit relatio rationis, ut vult Molina, an verò realis & prædicamentalis, ut disputat Herrera, an verò transcendentalis, quod placet Filliucio, Pesantio, Granado, & Roderico ab Ariaga.

X.

Disputari tamen permittimus, num Bonitas formalis non consistat in ordine transcendentali ad Objectum consonum regulæ suæ, cum actus moraliter bonus dicat ordinem ad objectum conforme suæ Regula, saltem prius ratione, quam ad aliquid aliud, de quo recentior quidam Hispanus, Academiæ Conimbricensis Professor, ita: Probatur hæc sententia, quia actus moraliter bonus dicit ordinem ad objectum conforme suæ regulæ, saltem prius ratione, quam ad aliquid aliud: sed ut dicit talem ordinem præcise, est moraliter & formaliter bonus: ergo in illo ordine consistit. Consequentia patet, quia effectus formalis non est prior sua causa formali. Major probatur, quia ex eo actus est conformis suæ regulæ, quia tendit in tale objectum, & illa tendentia est causa conformitatis inter actum, & regulam; sed causa est prior effectu; ergo prius actus dicit ordinem ad objectum, quam ad aliquid aliud. Major principalis argumenti probatur, quia ille actus, verbi gratia, amor DEI, in illo priori accipit à suo objecto aliquam speciem; sed hæc non est mali; ergo boni. Dices actum sumere speciem ab objecto in genere naturæ, non moris: sed contra, quia actus sumit speciem ab objecto: hoc autem est bonum, & morale; ergo & species. Minor probatur primò, quia objectum est consonum rationi; ergo bonum & morale. Secundò, quia objectum illud est causa conformitatis moralis in actu; sed effectus moralis postulat causam moralem; ergo objectum illud, ut tribuit speciem actui, est morale. Tertiò quia principium, ut causat actum, & tendit ad objectum, est morale, id est voluntas subjecta regulæ rationis; ergo actus, quem causat, moralis est.

XI.

Necessarium verò est ad bonitatem formalem, ut actus illi substractus referatur ad DEI Gloriam, ut vult Christus: *Sic luceat lux vestra*

coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, Matth. 5. v. 16. Quorsum digitum intendit Paulus Coloss. 3. v. 16. 17. scribens: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes & commonentes vosmetipsos in psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Domino. Omne quodcunq; facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes DEO & Patri, per ipsum.* Et ad 1. Corinthios 10. v. 31. *Si ergò manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Philip. 1. v. 11. *Hoc oro, ut sitis repleti fructu justitiæ, per Iesum Christum in laudem & gloriam DEI.* 1. Pet. 4. v. 11. *Si quis loquitur quasi sermones DEI loquatur. Si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat DEVS, ut in omnibus honorificetur DEVS per Iesum Christum, cui est gloria & imperium, in secula seculorum, Amen.* Secundò ut objectum sub ratione honesti formaliter & directe cognoscatur: *Est enim oculus lucerna corporis, tui est oculus tuus*, Matth. 6. v. 22. Tertiò ut non propter aliud voluntas velit objectum, quod vel vanam gloriam, vel lucrum, vel aliud quodcunque commodum temporale refert, de quo Paulus Philip. 3. vers. 17. 18. 19. *Imitatores mei estote fratres, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum DEVS venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena faciunt.*

XII.

Male verò Pontificii, qui cum Medina, Pesantio, Lorca & aliis non requirunt, primò intentionem formalem ad hoc, ut actus dicatur bonus, satisque cruda illa Bonaventuræ probant in 2. dist. 41. art. 1. quæst. 3. scribentis: nec DEUS requirit ab homine in tali statu distractionis & miseriæ, quod omnia, quæ facit, referat ad se, requirit tamen quando est locus, & tempus, & tunc, si homo non referat, omittendo peccat, nec secundò relationem virtualem in ultimum finem, ut disputat Scotus, nec tandem Relationem habitualem, ut docet Vega & cæteri, non attendentes ad illud Augustini, lib. 19. de Civit. DEI cap. 25. Virtutes scribentis, quas sibi Mens habere videtur, nisi ad DEUM retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potius, quam virtutes. Quanquam Doctores Pontificii in illa relatione ad ultimum finem implicent meriti rationem, quo qui-

quidem sensu verissimum, ad essentiam formalis bonitatis non requiri relationem, in ultimum finem. Secundò curiosè magis quam fructuosè disputant, an ad hoc, ut actus sit formaliter honestus, præter cognitionem illam honestatis, quæ datur, quando cognoscitur objectum honestum, requiratur amplius, quod Intellectus reflexè tendat in illud objectum, judicans illud esse honestum, ita ut actus ille Intellectus judicet, de honestate objecti formaliter, in illamque formaliter tendat per actum diversum ab illo, quo cognoscitur objectum honestum, de quo videndi Azorius, Salas & Raynaudus. Tertiò dividuntur etiam in hoc de honestate intenta propter se, quorum quidam cum Pesantio, Perezio & Lorca negant absolutè, ad hoc ut actus sit formaliter honestus, necessarium esse, quod voluntas velit objectum formaliter & directè propter ipsam honestatem, quidam absolutè affirmant, inter quos Aravius, Herrera, Martinez, quidam verò temperant & concedunt, quidem cum Ægidio de Coninck, actus extrinsece bonos egere ad sui honestatem formalem, quod honestas objecti propter se intendatur à voluntate, negant verò hoc esse necessarium ad actus intrinsece bonos.

XIII.

Bonitas autem actus desumitur primò ex objecto, quod insinuavit ipse Christus, exhibendo summam legis Matth. 22. v. 37. 38. 39. 40. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in totâ mente tua, hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis, universa lex pendet & Prophetæ.* Propheta Ezechiel describendo virum probum cap. 18. v. 5. 6. 7. 8. 9. *Vir si fuerit justus, & fecerit judicium & justitiam, in montibus non comederit, & oculos suos non levaverit ad idola domûs Israel, & uxorem proximi sui non violaverit, & ad mulierem menstruatam non accesserit, & hominem non contristaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit, ab iniquitate averterit manum suam, & judicium fecerit inter virum & virum, & in præceptis meis ambulaverit, & judicia mea custodierit, ut faciat veritatem, hic justus est.* Denique Augustinus, tract. 2. in Johannem graviter pronunciando: si terram diliges, terra es: si DEUM diligis, quid dicam? DEUS eris. Et probant hoc Doctores, quia bonum, & malum in rebus attenditur, quoad

plenitudinem essendi, vel defectum ejus, primum autem quod ad plenitudinem essendi pertinere videtur, est id quod dat rei speciem. At sicut res naturalis habet speciem ex sua forma, ita actio habet speciem ex objecto, tanquam motus ex termino. Quare sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma, quæ dat ei speciem, ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti. Et quemadmodum in rebus naturalibus primum malum est, si res genita non consequitur formam specificam, ita primum malum in actionibus moralibus est, quod ab objecto procedit. Ex quo discursu nonnulla quoq; colligunt, & quidem 1. Actus humanos sumere bonitatem, vel malitiam ab objecto, quod non debet ita intelligi, ut bonitas vel malitia per veram & realem efficientiam, actibus humanis communicetur ab objecto. Perspicuum enim est, objectum, cum sit res aliqua externa, in actus voluntatis eo modo non influere, sed ita ut prædicta sumantur ab objecto, tanquam à forma extrinseca, complente potentialitatem, quam actus dicit eo ipso quod est quædam via & tendentia ad ipsum. Colligunt 2. primam bonitatem, vel malitiam actus moralis sumi ab objecto; quod ita intelligunt, ut cum actui morali, ut moralis est, variæ bonitates, aut malitiæ competere possunt, ut ex dicendis perspicuum fiet, illa quæ sumitur ab objecto, sic omnium prima in eo genere, adeò ut aliæ hanc necessario præsupponant. Quemadmodum in iisdem actibus, secundum entitatem naturalem spectatis, est quidam ordo inter perfectiones iis competentes, & una præsupponitur ab alia. Scil. in eo genere: nam cum genus moris præsupponat naturalem, bonitas quoque moralis quæcunque sit, supponit bonitatem naturalem, & entitativam. Ex quo intelligunt, quæ hic docet Thomas, non repugnare iis quæ habet art. 4. cum ait; quadruplicem esse bonitatem in actione humana, quarum primam ait esse secundum genus, & sumi ab entitate, aliam secundum speciem, quam petit ab objecto convenienti; tertiam secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quædam. Quartam denique secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam. Colligunt 3. Bonitatem aut malitiam, quam actus sumit ab objecto, esse specificam quoad gradum speciei ultimum: quamvis enim ab objecto dicatur sumi bonitas, aut malitia ex genere, monet tamen Thomas, debere tunc sumi genus pro specie, sicut quando totam humanam speciem vocamus, genus humanum. Neque refert, quod bonitati aut malitiæ ex objecto super-

superveniat bonitas, aut malitia ex circumstantiis; quia cum actus sit constitutus in specie completa, per ordinem ad objectum, bonitas aut malitia superveniens ex circumstantiis, non eum contrahit, eo modo quo differentia contrahit genus, illud complendo in esse specifico, sed eo modo quo accidentia speciem jam constitutam determinant, & perficiunt.

XIV.

Secundò sumitur etiam ex circumstantiis, quarum recensent septem; quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando: Quemadmodum in rebus naturalibus non invenitur tota plenitudo perfectionis, quæ debetur eis, ex forma substantiali, quæ dat speciem, sed multum superadditur ex supervenientibus accidentibus, quorum si aliquod desit ad decentem habitudinem, consequitur malum. Ita plenitudo bonitatis actus non consistit tota in sua specie, sed aliquid additur ex his, quæ adveniunt tanquam accidentia quædam, quales sunt circumstantiæ debitæ. Unde si aliquid desit, quod requiratur ad debitas circumstantias, actio erit mala. Ut autem ista melius innotescant, circumstantiarum, observandum nomine hic intelligi quædam accidentia actuum moralium, quæ supponunt eos esse jam constitutos in sua specie, per ordinem ad objectum; quæq; proinde sunt extra eorum substantiam, illosq; veluti circumstant. Ita tamen, ut non modò actus morales comitentur, sed etiam eos quodammodo attingant, & afficiant, adeò ut ad eorum bonitatem, vel malitiam conducant. Præterea observandum, nullum esse actum moralem, qui non accipiat aliquid bonitatis, aut malitiæ à quibusdam circumstantiis; siquidem nulla est actio humana, in qua, præter rationem illius specificam, sumptam ab objecto, non possit observari aliquid accidentarium, spectans vel ad modum agendi, magis aut minùs intensè: vel ad quantitatem objecti, quod sit parvum, aut magnum, & sic de aliis. At dubium non est, quin hæc conducant ad bonitatem vel malitiam humanæ operationis, nam si operatio bona est ratione objecti, melior erit si fiat cum majori intensione, quam si fiat cum minori. Contra verò: actus malus ex objecto, eo pejor erit, quo intensior. Ut prædicta accidentia dent bonitatem, aut malitiam actui voluntatis, debent esse per illum volita, ergo jam se habent ut objectum voluntatis, non autem ut circumstantiæ supponentes objectum; adeoque repugnat quod circumstantiæ, ut sic, dent bonitatem, aut malitiam

actui voluntatis. Respondent istud non sequi, nam ut circumstantiæ dent bonitatem aut malitiam, satis est quòd secundariò, aut concomitanter sint volitæ, ac proinde quod sint objectum secundarium voluntatis. Sic autem distinguuntur ab objecto primario, circa quod voluntas directè fertur. Si ulterius pergatur: Continuatio est circumstantia actus moralis, at hæc saltem non tribuit illi bonitatem, aut malitiam; quia cum actui elicito respondeat in primo instanti moralitas determinata, & in qualibet temporis parte instantia sint infinita, si mera actus continuatio ad bonitatem, aut malitiam conduceret, sequeretur actum humanum, vel ex eo præcisè quod per brevissimum tempus continuaretur, bonitatem, aut malitiam infinitam habiturum. Respondent negando minorem, actus enim per se loquendo eo melior, aut pejor est, quo amplius protenditur. Et ad probationem dicunt, etsi bonitas, aut malitia respondeat per se actui in primo instanti, non tamen in instantibus continuativis partium temporis, quo actus durat, cum voluntas non velit actum continuare in illis instantibus, nisi per accidens, seu quatenus vult, ut duret per partes temporis, iis instantibus copulatas. Quare etsi instantia illa dicantur infinita, non inde sequitur, bonitatem aut malitiam actus fore infinitam. Quod si instes, argumentum posse instaurari, de ipsis partibus proportionalibus temporis, quia cum sint infinitæ, sequeretur moralitatem actus ipsis respondentem, esse quoque infinitam. Dicunt hinc ut summum colligi, quod sicut in tempore quo durat actus bonus, vel malus, non sunt actu partes infinitæ, sed potentia duntaxat; ita ei respondet unus quidam gradus bonitatis, aut malitiæ, qui est in potentia divisibilis in alias, & alias partes bonitatis, vel malitiæ in infinitum.

XV.

Tertiò ex fine: Et ratio est, quia in actu humano duplicem finem possumus considerare, unum proximum, qui & dicitur finis operationis, alium remotum, seu extrinsecum, qui etiam finis operantis appellant. Si agatur de priori fine, cum ille nihil aliud sit, quam ipsum objectum humanæ operationis; non magis dubitari potest actum humanum ab eo, quam à proprio objecto sumere speciem. Si verò quæstio sit de posteriori, certum etiam est bonitatem, vel malitiam actus humani ab eo pendere, cum inter circumstantias illius numerari soleat. Imò sit præcipua inter illas, cum aliæ se habeant tantum per modum accidentis, finis

finis verò sit etiam causa ac[illegible]i. Si quæratur 1. An actus habeat duplicem speciem bonitatis, [illegible] objectum est bonum & finis operantis bonus. Respondent Doctores cum distinctione: nam si homo non operatur, nisi propter finem intrinsecum ipsius operis, ut si castitatem servat, propter solum amorem ipsius castitatis, tunc actus habet tantum speciem & bonitatem temperantiæ, si autem operatur ex bono fine extrinseco, in quem operatio per se non ordinatur, ut dum quis vult castitatem colere, ex amore DEI, in eo casu actus bonus est in duplici specie bonitatis, nempe castitatis, & amoris DEI. Rationem affert Thomas, art. 7. quia, quando objectum non est per se ordinatum ad finem, differentia specifica, quæ est ex objecto, non est per se determinativa ejus, quod est ex fine, nec è converso. Unde una istarum specierum non est sub alia, sed tunc actus moralis est sub duabus speciebus quasi disparatis. Unde dicimus, quod ille, qui furatur, ut mœchetur, committit duas malitias in uno actu. Ex quo exemplo patet, doctrinam traditam esse veram, etiam in actibus malis, quando non modo objectum malum est, sed etiam refertur ulterius ab operante, in finem malum extrinsecum. Si quæratur 2. Quid sentiendum sit, quando objectum est bonum & finis malus, aut vice versa, objectum malum, & finis bonus? Respondent 1. in priori casu actum esse simpliciter malum, adeoque non constitui in duabus speciebus, bonitatis scilicet & malitiæ, sed duntaxat in specie malitiæ; ut quando aliquis erogat eleemosynam fœminæ egenti, eo fine ut facilius eam ad consentiendum peccato inducat. Ratio est, quia etsi objectum secundum se bonum sit, non tamen hic & nunc, cum non operetur sub ratione boni, sed quatenus præcisè ordinatur ad malum finem, qua ratione malum est. Dices, nonne potest homo operari ex habitu virtutis, verbi causa, dare eleemosynam ex misericordia, esto talem actum referat in finem vanæ gloriæ? In eo ergo casu actus ut à virtute procedens, erit bonus, ut autem relatus ad vanam gloriam, erit malus, sicque habebit simul speciem bonitatis, & malitiæ. Respondeo suppositionem illam esse impossibilem, cum enim virtus moralis non inclinet ad actum, nisi ut honestum, repugnat ab homine ut virtute prædito, elici actum relatum in finem malum, eò quod talis relatio intrinsece repugnat honestati actus. Instabis, confessionem fidei procedere posse à fide supernaturali, etsi fiat ob vanam gloriam, ut communiter docent Theologi 2. 2. quæst. 4. art. 5. Verum oppositum longè probabilius

bilius esse alii volunt. Et quamvis id daretur, posset dici, virtutes intellectuales, qualis est fides, non ferri per actum in bonum morale, sed in verum; adeoque etsi earum actus in malum finem ordinetur, non sequi duplicem speciem moralem, aliam bonitatis ex objecto, aliam malitiæ ex fine iis competere. Respondent 2. Quando objectum est malum, & finis operantis bonus, actum esse simpliciter malum; adeoque non habere speciem bonitatis, & malitiæ, sed malitiæ duntaxat, ut si quis furetur ex intentione dandi eleemosynam. Ratio est, quia etsi dare eleemosynam sit bonum secundum se, est tamen simpliciter malum dare eleemosynam ex bonis furto sublatis, cum hoc rectæ rationi repugnet. Quare actus quo quis vult furari, ut det eleemosynam, neque ex objecto, neque ex fine bonus esse potest, sed undequaque est malus. Dices actus bonus, sumit speciem boni ex bono fine, ut ostensum est. Quare ergo idem sentiendum non erit de actu malo? Respondent causam discriminis esse, quia bonum est velle obtinere finem bonum, per medium bonum: malum autem, cum velle assequi per medium malum, & lege prohibitum. Respondent 3. Actum ex objecto malum non sumere speciem malitiæ ex fine bono, sed tantum ex objecto, adeoque non habere nisi unam speciem malitiam. Ratio est, quia cum finis ex se bonus sit, quod autem in eo casu sit malus, id non habeat nisi ratione objecti, quatenus nempe per medium malum acquiritur; hinc fit, ut actus in eum tendens non aliam habeat malitiam, quam quæ oritur ex tendentia in objectum malum. Confirmatur, nam verbi causa, velle privata authoritate occidere proditorem, ut avertatur nocumentum Reipublicæ, non repugnat nisi præcepto non occidendi. Quare actus ille non habet nisi malitiam homicidii. Neque refert, quod velle occidere ex intentione furandi, sit in duplici specie malitiæ, nempe homicidii, & furti: non enim est par ratio, quia furari per se malum est, & prohibitum; at dare eleemosynam non est malum, & prohibitum, nisi quatenus hoc fit ex bonis alterius, invito Domino, erogatis.

XVI.

Quantum situm sit in circumstantiis, de quibus supra, & quod bonitatem aliquam concilient actibus, vel maculam adspergant, ex Scriptura doceri potest. Nam, e. g. vinum bibere actio est indifferens, sed primo evadit mala ex conditione personæ, si Reges sese ingurgitent, quibus prudentia regere populum commissum, secundum illud: *Noli regibus, ô Lamuel,*

muel, noli Regibus dare vinum: quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, neq; consiliariis siceram, Prov. 31. v. 4. Secundò ex conditione actus, si quæstio de τῷ, quid moveatur, scil. si nimium bibatur, ut constat 1. Tim. 3. v. 8. *Diaconos similiter pudicos, modestos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes.* Tertiò ex conditione loci, sive ubi, si scil. in Templo hoc fiat secundum illud: *Et super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare: & vinum damnatorum, mulctatorum, bibebant in Domo DEI sui*, Amos 2. vers. 8. Quartò ex conditione adminiculorum, si scil. illa sunt vitiosa vel illegitime adhibita, ut patet ex Dan. 5. vers. 1. & 2. *Balsasar Rex fecit grande convivium optimatibus suis mille: & unusquisque secundum suam bibebat ætatem, Ducibus: & contra Duces bibebat vinum. Præcepit ergo (Balsasar), jam temulentus, ut afferentur vasa aurea & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor, pater ejus, de templo, quod fuit in Ierusalem: ut biberent in eis Rex, & optimates ejus, uxoresque ejus, & concubinæ.* Quintò ex conditione causæ, si scil. bibatur inebriandi causa & inflammationis Amore, lætitiæ excessu, de quo Esaiæ 5. vers. 11. 12. *Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tybia, & vinum in conviviis vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.* Sextò ex conditione modi secundum illud: *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph*, Amosi 6. v. 6. Septimò ex conditione temporis, si scil. cum lugendum est bibitur, vel aliâs intempestive suscipitur, de quo videndus Ecclesiastes cap. 10. v. 16. 17. *Væ tibi terra, cujus Rex puer est, & cujus Principes mane comedunt. Beata terra, cujus Rex nobilis est, & cujus Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.*

XVII.

Operosè disputant Doctores hic primò an Bonitas ab Objecto desumpta, sit species infima & ultima in gradu essentiali, quod tamen nullam videtur habere difficultatem, quamvis sententiam contrariam, quod scil. bonitas ex objecto sit tantum generica, tribuant Scoto, Cajetanus, Medina, Valentia & alii. Secundò quomodo actus bonus specificetur ab objecto, quæ tamen quæstio magis est Philosophica, quam Theologica, de qua videndi Malderus, Montelinus, Hieronymus de

La Rua, Tomo 2. Contr. 6. p. 2. Dub. 2. Tertiò an ab uno objecto materiali, sub pluribus formalibus sumatur una species bonitatis, de quo consulantur Vasquez. 1. 2. quæst. 18. art. 7. Ægidius Lusitanus, Tomo 1. de Beat. lib. 2. quæst. 5. art. 5. num. 12. Granadus, Tract. 8. disp. 4. num. 3.

XVIII.

Disputant quidem hic primò Doctores, an circumstantiæ sint accidentia respectu actus humani in genere naturæ, non vero in genere moris: ita Durand. in 4. dist. 16. q. 3 Nav. in cap. considerat, de pœnitentia dist. 5. Secunda sententia docet nullo modo circumstantias esse accidentia respectu actus in genere naturæ, nam actus in genere naturæ nullas habet circumstantias. Ita Granad. controvers. tract. 10. disp. 3. num. 6. & 8. Tertia sententia affirmat circumstantias esse accidentia respectu actus exterioris, non verò interioris, id est, quod actus aliarum potentiarum à voluntate habent circumstantias, non actus voluntatis. Ita Ocham. in 3. quæst. 20. num. 4. & quodlibero. 3. quæst. 15. Gabriel in 3. dist. 23. quæst. 1. art. 1. Durand. in 2. dist. 38. quæst. 1. Martinus de Magistris, quæst. 2. de luxuria. Conrad. 1. 2. quæst. 19. art. 2. Cajet. 1. 2. quæst. 18. art. 4. & de circumstantia modi, id est, quomodo; idem docent Valentia 1. 2. quæst. 14. disp. 2. puncto 2. Becan. tract. 1. cap. 4. quæstion. 4. numer. 4. Quarta sententia docet circumstantias esse accidentia respectu actus secundùm speciem, non verò in individuo: Ita Valentia 1. 2. disput. 2. quæstion. 7. puncto primo, vers. sed ut recte, & 3. p. disput. 7. quæstion. 1. puncto 11. vers. in primis. Ultima sententia asserit circumstantias esse accidentia respectu actus humani, tam in genere naturæ, quam in genere moris, interioris, & exterioris, sive sumatur secundum speciem, sive in individuo. Ita communiter Doctores Secundò an omnes circumstantiæ augeant bonitatem actus, cujus negativa solet tribui Durando in secundam dist. 38. & Conrado quæst. 19. art. 2. affirmativa prævalente, quam probant à priori. Per causas, per quas res producitur, accipit augmentum: atqui bonitas producitur ex circumstantiis; ergo etiam per easdem augetur. Quia ut se habent accidentia in naturalibus, ita se habent in moralibus: atqui accidentia in naturalibus, quæ non conferunt aliquam perfectionem, vel imperfectionem subjecto naturali, non dicuntur accidentia respectu illius; ergo similiter accidentia

tia moralia, quæ non tribuunt perfectionem, id est, malitiam, non sunt accidentia, & circumstantiæ respectu actus moralis. Tertiò, quia diversi modi essendi in actu voluntatis, ut intentio, duratio, & similia, sunt veræ circumstantiæ augentes bonitatem actus. Probatur, quia hic actus, volo colere DEUM, bonus est, majori conatu melior, per diuturnum tempus optimus: similiter largitio eleemosynæ bona est, in magna quantitate melior, occultè optima. 4. Quia ex circumstantiis Physicis augetur bonitas, & malitia physica, mala enim diuturna magis timentur, bona verò desiderantur. 5. Quia ex circumstantiis augetur ratio meriti vel demeriti, pœnæ vel præmii; ergo etiam bonitas, vel malitia. Patet consequentia, quia non potest augeri proprietas, quin augeatur essentia: atqui meritum & demeritum, pœna vel præmium, sunt proprietates bonitatis & meriti; ergo si illæ augentur, etiam hæ. Ant. patet, quia plus punitur, qui diu perseverat in peccato, & plus præmiatur, qui diuturnius in bonitate persistit. Tandem probatur ex discursu, quem per omnes circumstantias ducunt, quis, aggravavit peccatum Judæ, eo quod esset unus ex supremo Apostolorum senatu. Innuit hoc Matthæus cap. 26. *Tunc abiit unus de duodecim*, ubi Chrysostom. homilia 8. Divus Leo homilia de passione Domini, notant à qualitate Judæ aggravatam esse ejus malitiam. Eadem circumstantiâ aucta est bonitas Samaritani, eo quod alienigena esset Lucæ 10. vers. 33. *Samaritanus autem quidam*; & eadem qualitas illius alienigenæ, qui solus reddidit gratiam apud Lucam cap. 17. vers. 18. *Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam DEO, nisi hic alienigena*, illius auxit bonitatem, de quo late Chrysostom. homilia 77. in Matthæum. Circumstantia, quid, multum aggravat malitiam & bonitatem, ideo juvare Sanctos, vel peregrinos auget bonitatem, ob primum enim laudatur Philemon à Paulo, & ob secundum pii laudantur à Joanne in sua secunda Canonica: Ideo etiam contumelia in Sanctos major est, quam in alios homines, de quo Greg. 15. Moralium cap. 19. & Chrysostom. homilia 47. in Genesin, ac proinde si circumstantia, quid, denotat qualitatem personæ, ut communiter volunt Doctores, auget bonitatem & malitiam actus, vel ut verius puto, hæc qualitas personæ pertinet ad circumstantiam, quis, & eodem modo auget bonitatem materiæ, verbi gratia, si detur eleemosyna in magna quantitate, vel maximum damnum inferatur, non dubium est augeri bonitatem, vel malitiam actus. Circumstantia,

ſtantia, ubi, etiam addit bonitatem. Laudatur Job, quod fuerit *juſtus in terra Hus*, Job. cap. 1. vers. 1. *Vir fuit in terra Hus*, bonus inter malos, verus DEI cultor inter gentiles! maximis extollitur laudibus fortitudo Bananiæ, qui ſecundo Regum cap. 33. *interfecit leonem in ciſterna*, de quo Chryſoſtom. homilia 21. ad populum: à Paulo ſecunda ad Theſſalonicenſes 2. vers. 4. notatur maximum ſcelus Antichriſti ex eo quod ſe collocet in templo, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur DEUS, aut quod colitur, ita ut in templo DEI ſedeat. Circumſtantia, quibus auxiliis, etiam addit bonitatem: hac de cauſa laudatur fortitudo Bananiæ ſecundo Regum cap. 23. quia virga interfecit Ægyptum, & fortitudo David primo Regum cap. 12. quia non aliis armis, quam ſaxo Gigantem interemit. Eadem circumſtantia aggravat malitiam, ex ea enim notatur malitia Judæorum ab Iſaia cap. 22. qui auxiliis humanis, non divinis civitatem ab hoſtibus obſeſſam defendere tentabant. Circumſtantia, cur, extra quæſtionem, auget bonitatem, vel malitiam; ut ſi quis det eleemoſynam ob amorem DEI; illa eleemoſyna plurimum ex motivo augetur: ſi quis furetur, ut committat adulterium, majus committit peccatum; quam ſi furetur, ut ſplendidius vivat; & quamquam circumſtantia, cur, tribuat novam ſpeciem actui, etiam auget bonitatem primæ ſpeciei deſumptæ ab objecto, de quo infra. Circumſtantia, quomodo, addit malitiam actui, vel bonitatem: Abrahami enim bonitas crevit ex modo, quo hoſpitibus occurrit. Geneſis 18. vers. 2. *Cucurrit in occurſum eorum ab oſtio tabernaculi*, & à Chriſto Domino apud Luc. cap. 7. laudibus elata eſt converſio Magdalenæ, quæ intenſiſſimè dilexit, quoniam dilexit multum: impiorumque malitia reprehenditur ex promptitudine ad malum, in illo Pſalm. 13. vers. 3. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Tandem circumſtantia, quando, multum auget malitiam actus; inde Herodis ſcelus, qui ſanctiſſimum Baptiſtam decollavit, majus notatur ex die, qui erat natalis ſui, ut bene Chryſoſtom. homilia 27. in Matthæum; Judæorum malitia, quæ magna fuit, major notatur ex tempore, ſcilicet Paſchatis, in quo Chriſtum Dominum crucifixerunt, ut eleganter Leo ſerm. 7. de paſſione explicans illud Joan. 13. vers. 1. *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus, quia venit hora ejus*, & ex eadem hora commendat Evangeliſta Chriſti charitatem, quæ inſtante mortis hora ad talia in ultima cœna peragenda compellit Chriſtum Dominum; Bonitas etiam auge-

augetur ex illa circumstantia, inde prudentes virgines, quia in tempore opportuno sumpserant oleum secum: inde sanctus latro laudabilior, quia in tempore, quo alii blasphemabant, ipse à laudibus DEI non cessavit. Alias probationes afferunt Carmelitani, quæ videri possunt tract. 11. disput. 4. dub. 2. §. 3. Tertiò frustra disputant, qui numerum illarum circumstantiarum vellicant, & addi volunt octavam, scil. quoties, qua denotatur numerus actuum peccaminosorum, qui semper in confessione sit aperiendus, secundum definitionem Concilii Tridentini sessione 14. Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant: sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam: aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum: aut demum non licere confiteri peccata venialia, anathema sit. Cum ipse Thomas reduxerit hanc circumstantiam, quomodo & alii ad circumstantiam quando.

XIX.

Disputant denique prolixe, primò an actus electus propter bonum finem habeat duplicem bonitatem, alteram ex objecto bono, & alteram ex fine bono, cujus negativam amplexus est Vasquez, Coninck, Meratius & Oviedo, affirmativam verò tutiorem judicant Cajetanus, Medina, Montesinus & alii. Secundò utrum finis bonus augeat bonitatem electionis, & ita definiunt: Ista electio in parte augetur ex bonitate, in parte minuitur, quando fit propter bonum finem Prima pars, quod scilicet augeatur, constat ex iis, quæ hac diximus, cum enim finis sit una ex circumstantiis, nimirum circumstantia cur, & omnes circumstantiæ augeant bonitatem, necessario finis intentio augebit bonitatem: aliter à numero circumstantiarum ejicietur. Faciunt etiam pro hac parte, quæ diximus habet namque electio, quando imperatur à fine, duplicem bonitatem; ex objecto unam, ex fine alteram: verbi gratia, qui elargitur eleemosynam propter charitatem, electio eleemosynæ, & misericordiæ & charitatis ha-

bet bonitatem, indeque oritur, quod quo finis melius fuerit, majorem communicabit electioni bonitatem; non enim datur major ratio, cur bonitas finis communicetur, non verò major bonitas illius. Secunda verò pars etiam videtur certa: quam probant Carmelitani disput. 5. dub. 4. §. 1. Minuitur enim bonitas electionis ex intentione boni finis, & magis minuitur ex intentione melioris finis, non quidem ratione objecti aut essentialis perfectionis, cum eodem modo se habeat bonitas electionis ex objecto desumpta, si fiat propter hunc, vel propter illum finem, sed ratione minoris voluntarii, namque minus voluntariè elicitur electio, si fiat propter aliquem finem, quam si illi nullus apponitur finis. Ratio; quia electio elicitur ex intentione finis, & eligitur propter finem: ergo illud quod voluntas magis intendit, & quod illi magis voluntarium est, est finis; ergo voluntas illi fini intenta remittit circa electionem voluntarium. Ex quo sequitur, si finis fuerit melior, magis minuendam esse electionis bonitatem, cum melior finis plus attendatur à voluntate; ratione enim hujus appretiationis voluntas plus rapitur in illum meliorem finem, quam in bonum finem: & per consequens, minus attendit electionem: multotiesque contingit tantam esse finis appretiationem, ut propter eam detur ignorantia invincibilis de malitia media, ut si eligatur furtum ad succurrendum parentibus: minuit ergo finis bonus electionis voluntarium, & ratione minoris voluntarii illius bonitatem moralem: est tamen adeo parvi momenti hæc diminutio, ut non possit comparari cum augmento bonitatis, quod provenit ex fine. Circa finem malum, eadem resolutio adhibenda videtur; nimirum quod electio mali objecti propter malum finem, partim augeatur, partim minuatur; ex eodem fundamento propter quod idem asserunt quidam circa bonum objectum propter bonum finem: augetur enim ex eo, quod electio propter malitiam objecti sortitur etiam finis malitiam, minuitur ratione voluntarii, eo quod magis afficitur circa finem mali voluntas. Tertiò, an electio mala possit oriri, ex intentione formaliter honesta, & oriri non posse quidam concludunt. Ita Vasqu. disp. 68. c. 1. n. 3. §. cæterum. Pesantius q. 19. art. 7. disp. 1. concl. 3. Becan: tract. 1. tom. 1. Summ. cap. 5. quæst. 3. num. 5. Peres lect. 1. Examinis. part. tert. cap. 18. Martinez. quæst. 19. art. 7. dub. 1. §. conclus. ergo. Belan. dub. 41. n. 132. non renuit Montesin. disp. 27. quæst. 6. num. 114. ubi ait intentionem honestam discontinuari vel mutari,

tari, quando eligitur medium malum, & num. 113. asserit finem tunc formaliter esse malum; quæ etiam est doctrina Suarii, disp. 8. sect. 1. n. 26. Videatur etiam Granad. tract. 10. disp. 6. sect. 4. n. 38. ubi ait, tunc intentionem bonam non esse causam per se electionis malæ. Probatur primo authoritate Augustini in Enchirid. cap. 15. & lib. 3. contra Julianum cap. 3. ubi ita: *Licet ex homine oriri possit bona, vel mala voluntas, tamen ex mala voluntate non potest oriri bonum opus, nec ex bona malum:* & Div. Bernard. lib. de dispensatione, & præcepto cap. 17. quo loco duo ait requiri, ut intentio sit bona: unum est charitas in intentione, id est, propositum virtutis; alterum est veritas in electione, id est, ut ex illa intentione nihil contra rationem eligatur.

XX.

Bonitas autem formalis non tantum est affectio actus, in quantum dicit physicam quandam Entitatem, sed etiam omissionis, quæ ad actus moraliter loquendo refertur. Non enim DEUS tantum in lege sua indicat quid faciendum, sed etiam quid omittendum: unde etiam præcepta Decalogi verbis prohibitivis maximam partem enunciantur, & hoc docuit David, qui utrinque requisivit, nempe τὸ *declinare à malo, & facere Bonum*, Psal. 34. v. 15. Adde illud Ecclesiastici cap. 31. v. 10. & 11. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia Sanctorum.* Ipsa, inquit Prosper, ratio docet eam creaturam bonam esse, quæ in potestate habet illicitam delectationem ita cohibere, ut non solum de actibus licitis, recteque factis verum etiam de ipsius parvæ delectationis coërcitione lætatur.

XXI.

Frustra autem disputatur primò, an omissio pura elicita ex cognitione Objecti, & ex Affectu virtutis sit moraliter honesta, in quo puncto affirmativam amplectuntur Didacus Ruiz de Montoya Disput. 37. de Provid. sect. 2. Martinez de Ripalda Tom. 1. de Ente supernat. Disput. 70. sect. 2. Oviedo de Anima controvers. 9. punct. 1. §. 3. negativam, & quidem rectius Palatius, Herrera, Vasquez, Medina, Montesinus & Curiel. Secundò malè disputatur utrum omissio pura, nec ex affectu, nec ex imperio virtutis elicita, sit moraliter honesta, quod quidam recentiores affirmant. Tertiò superbè nimis dum statuunt

quidam & propugnant omissionem, non quidem esse meritoriam præmii supernaturalis, ex defectu relationis in finem supernaturalem, esse tamen meritoriam præmii naturalis, ut vult Ruizius, Granadus, Angestu & alii, quidam verò esse meritoriam præmii etiam supernaturalis, quia habeat omnes conditiones requisitas ad meritum supernaturale, secundum illud Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata.*

XXII.

Quamvis secundum Augustinum Malum non sit in rebus ipsis, sed in Usu peccantium, tamen hoc tantum accipiendum de Malo absoluto, sive de rebus secundum se sumptis, non de Malo relative tali, vel rebus comparatis per ordinem ad actus voluntatis, adeoque non negat malitiam objectivam; sicut enim datur Bonitas objectiva, ita etiam Malitia præprimis si attendatur, dari quædam intrinsece bona, quæ nulla ratione possunt cohonestari, distincta ab illis, quæ tantum extrinsece ex prohibitione scil. Superioris dicuntur mala, & hæc ipsa consistit in difformitate objecti cum Regula. Malitia verò formalis dicit Difformitatem actus cum lege divina Morali, & judicio illo, quod debebat ex illa deduci.

XXIII.

Adversantur hic Veritati primò Nominales, quorum princeps Ochamus, qui objectivam Malitiam solicitant, & putant, omnem pravitatem pendere ex prohibitione extrinseca saltem divinâ, quam putant esse liberam, quia pendeat ex voluntate DEI, quæ libera est in omnibus effectibus ad extra, ex quibus est prohibitio seu præceptum. Secundò Libertini, qui nullum agnoscunt discrimen inter bonum & malum, atque omnia referebant ad opinionem, & si quis putaret se peccasse, peccasse censendus, si non existimaret se peccasse, ullum peccatum commisisse. Tertiò, qui dicunt, Regulam à qua abludit Malitia objectiva esse rectam rationem, sive naturam rationalem.

XXIV.

Positivum quid aliquatenus esse Malum, prolixè ostendit Petrus Molinæus in Disputat. scribens: Quemadmodum in naturalibus id, quod malum dicitur, ut dolor & morbus, non sunt meræ

pri-

privationes, sed qualitates & passiones inhærentes subjecto, ita in moralibus & in labe spirituali animæ, malum & peccatum est aliquid reale. Id verò liquidò conspicitur in vitiis pravisque habitibus, qualis est avaritia, crudelitas, hypocrisis, superbia, intemperantia, furacitas. Hæc enim vitia sunt habitus & qualitates, ac proinde non sunt privationes, nullus enim habitus est privatio. Cumque virtus sit qualitas & habitus, vitiumque sit contrarium virtuti, oportet vitium sit qualitas & habitus. Contraria enim sunt, quæ sub eodem genere plurimum distant. Ac profectò tota via errant, qui putant, virtutem opponi tantùm vitio, ut habitum privationi; Cum privatio virtutum, veluti liberalitatis aut justitiæ, possit esse sine vitiis oppositis, id est, sine avaritia & injustitia, ut videre est in morionibus & mente captis. Fidem sententiæ astruit, quod privationes non agunt nisi impropriè & per accidens, ut cùm cæcitas causa est cespitationis. At vitia & mali habitus producunt per se effectus vitiosos, suntque summæ efficaciæ. Neque enim scelera, quæ patrantur ascribenda sunt solis potentiis naturalibus, sed habitibus vitiosis, quæ insederunt istas potentias, easque ad malum applicant. His adde, quòd privationes meræ non recipiunt magis nec minus, proprium enim hoc est qualitatum posse intendi vel remitti. At vitia in uno eodemque homine crescunt aut minuuntur, intenduntur aut remittuntur, ut hominum alii aliis fiut nequiores, & magis ad scelus obfirmati. Tum privationis meræ nulla est forma, cùm privatio sit absentia formæ. At vitiorum aliqua est forma, per quam unumquodque vitium est id, quod est, & aptum ad agendum hoc modo. Ideoque potest definiri. Idipsum evincunt pœnæ, quæ peccatum consequuntur. Nam pœna, quam DEUS infligit peccatoribus, non est tantùm pœna damni, sed etiam est pœna sensus; nec tantùm est privatio voluptatis & ἀναισθησία, sed etiam dolor urens, ac passio actu inhærens. Ac profectò, qui peccatum volunt esse nihil, meramque privationem, ansam præbent profanis expostulandi cum DEO, quod puniat homines ob nihil, & ob defectum, non ob effectum. Et quod ob rem non existentem actu pœnas infligat reales & actuales. Ratio enim videtur postulare, ut privatio justitiæ sine habitu malo, nuda privatione felicitatis, non verò æternis cruciatibus puniatur. Quemadmodum ergo in naturalibus propensio gravium ad centrum non est tantùm privatio levitatis, aut propensionis ad superiora, sed naturalis potentia; sic nec proclivitas ad pec-

candum est tantùm privatio proclivitatis ad justè agendum, sed & animi labes & habitus effectivus malarum actionum. Adstipulatur Scriptura, subinde vocans peccata maculas & labes, quas DEUS abstergit & eluit, Psal. 51. v. 4. Zachar. 13. v. 1. Apocal. 1. v. 6. Nam privationes elui aut abstergi nemo sanus dixerit. Nempe, qui peccatum meram esse privationem censent, respexerunt ad solas actiones malas, non vero ad habitus vitiosos, in quibus primò & præcipuè est peccatum. Nam quidquid est in actione mali, fluit à malo habitu, & animi ad malum propensione. Quocirca DEI justitia postulat, ut homines magis ex habitibus quàm ex actionibus judicentur. Sæpenumero enim accidit, ut à deterioribus pauciores malæ actiones committantur, occasionis aut virium penuria, vel quia vis major, ut metus pœnæ, vel violentius aliquod vitium, actionem minoris vitii avertit. Ut cùm aliquem ab adulterio aut cæde meditata, avaritia aut ignavia & trepidatio absterret. Nihil efficiunt, qui dicunt omne ens esse expetibile. Malum verò non esse expetibile, ac proinde malum non esse ens, sed privationem entis. Omne enim ens non est expetibile, alioqui dolor esset expetibilis. Et teste Christo, Judæ optabilius fuisset non nasci, ac proinde non esse. Et in summis cruciatibus ἀναισθησία est expetenda, quæ tamen est mera privatio sensus. Tum plurima mala appetuntur sub ratione boni. Et dæmones toto feruntur appetitu ad peccatum, quod sciunt esse malum. Et malum plerumque appetitur ob bonum aliquod adjunctum, ut expetitur ustio, & sectio, & jactura mercium ad vitæ conservationem. Minus enim malum, per quod conamur pervenire ad majus bonum, boni speciem induit. Denique illud Axioma, omne ens esse expetendum, cujus sensus est, nullam esse speciem entis naturalis, nullumque gradum entitatis, qui non sit res per se bona, & potiùs expetenda, quam nihil esse, dogma est Metaphysicum, quod moralibus, & iis, quæ ad salutem animæ pertinent, aptari non potest. Omne quidem ens bonum est, qua naturale, at non necessarium est, bonum esse quicquid fit aut accidit præter naturam. Frustra sunt, qui censent malum non esse ens, quia omne ens factum est à DEO, & à DEO sustentatur. Malum verò non esse factum à DEO, nec à DEO sustentari, quia non est author mali. Scimus quidem, omne ens naturale à DEO creatum esse, & omnes substantias, & omnia propria & accidentia fluentia ex formis rerum, esse DEI opera, & à DEO sustentari. Sed plurima sunt accidentia non naturalia,

lia, quæ non sunt facta à DEO, ut formæ artificiales, ut picturæ, ut poëmata, cantilenæ: tum mali habitus, ut DEI odium, impietas, hypocrisis, denique omnes pravæ qualitates, quas humana voluntas usu contrahit, aut mala consuetudo affricat. Ejusmodi entia DEUS non efficit, sed tantum effecit subjecta, & facultates animæ, quibus isti habitus inhærent: deditque vires naturales, per quas homo se ad hæc aut illa applicat. Nec aliter DEUS vitia sustentat, quam sustentando subjecta & facultates naturales, quibus ista inhærent. Eodem planè modo quo DEUS sustentat figuram Cæsaris in lapide, dum sustentat substantiam lapidis, ejusque duritiem & consistentiam conservat. Quæ substantia lapidis ut non potest esse sine aliqua figura, ita nec voluntas hominis sine virtute vel vitio. Quæ virtus, ut est opus DEI & effectus Spiritus Sancti, sic ex adverso habitus virtuti contrarius est opus hominis, aut diaboli, non verò DEI.

XXV.

Nimis exiliter videntur attendere ad naturam mali, primò Ægidius Romanus, Ricardus, Altisiodorensis & alii, qui rationem formalem malitiæ putant consistere in privatione, de cujus formali tamen magnæ lites, ingentes dividiæ, Lombardo illam explicante per privationem Gratiæ, & pro pensionis ad bonum. Bonaventura per privationem Justitiæ, sive obligationis voluntatis, Marsilio per privationem actus boni debiti inesse voluntati, Molina per privationem rectitudinis debitæ inesse voluntati, Bargio per privationem rectitudinis debitæ inesse actui. Secundò excedere videntur, qui in solo positivo ponunt malitiam formalem, qui tamen in explicatione iterum dividuntur, quibusdam asserentibus illam esse denominationem extrinsecam desumptam à Lege, quibusdam esse relationem quandam prædicamentalem, quibusdam relationem rationis, sive dissonantiam cum recta ratione vel cum lege, vel cum natura rationali. Tertiò quamvis malum privativum quid dicat & positivum maximè, si de habitibus vitiosis & originali malo sit sermo, & de peccato commissionis, milium tamen terebrare videntur illi, qui cum Nazario supposita hâc sententia disputant, num malitia formalis æqualiter constituatur ex positivo & privativo tanquam genere & differentia, vel cum Ferrariensi, an constituatur ex privatione formaliter & in recto, atque ex entitate positiva, ut ex connotato & in obliquo ac materialiter.

XXVI.

Quemadmodum ex objecto, circumstantiis & fine æstimatur bonitas, ita malitia quoque ex objecto petitur, nec male Suarezius, ideò velle furari malum, est, quia furari objectivè malum est. Secundò ex circumstantiis, si scil. vel addantur positivæ circumstantiæ repugnantes, vel omittantur conditiones actui debitæ: bonum enim ex integra causa, malum ex quovis defectu. Tertiò ex fine, si enim intentio sit mala, etiam ipse actus vitiatur ex illa.

XXVII.

Disceptant hic primò Moralium Doctores, non tantum an specifica peccatorum distinctio accipienda sit à Legibus, non verò ab Objectis, quæ tamen non ita opposita sunt, ut conciliari nequeant, sed etiam an numerica peccatorum distinctio ab objectis desumatur, in quo affirmativam tenent Salas, Sayrus, Lessius, Malderus, Raynaudus & alii, non tantum ex eo, quia specifica distinctio, ex objectis desumitur, adeoque etiam secundum illos numerica, sed etiam quia ex opposito, qui uno actu totam occideret familiam, in qua Clericus aliquis foret, unum tantum committeret peccatum, cum tamen & homicidio & sacrilegio se contaminaret, negativam Bonacina, Magalla & Laymannus ex eo, quia qui gregem ovium furatus esset, tot peccata committeret, quot oves furatæ fuissent, qui domum incendit, tot peccata committeret, quot essent partes domus, qui Bibliothecam surriperet, tot committeret peccata, quot libros surriperet, quæ tamen conciliatione gaudent inter ipsos Doctores etiam Pontificios. Secundò de circumstantiis disquirunt, an scil. ut conferat novam speciem malitiæ necessarium sit, ut sit directe voluntaria in se, & ut indicat rationem motivi, de quo videatur Cajetanus ad 2dæ q. art. 6. & quæst. 72. art. 9. vel an requiratur saltem, ut circumstantia dans speciem actui, sit in se volita saltem, ut materiale objectum, vel an satis sit, si circumstantia sit indirectè voluntaria, & det malitiam specie distinctam, quæ sententia communis. Tertiò disputatur, *an illa differentia inter Bonitatem & Malitiam sit solida*, quam assignant quidam ita: quia finis bonus, si non sit remotus, & imperans, sed proximum motivum, dat primam, & essentialem bonitatem, & tunc actus nullam habet ex objecto, etiamsi alias bonum sit: at vero in actu malo, etiamsi finis sit proxima, & tota ratio volendi objectum aliquod de se turpe, non impedit, quominus actus præter malitiam ex fine, habeat propriam ma-

malitiam ex objecto, ut qui vult mentiri, ut proximum infamet, non solum habet malitiam injustitiæ ex fine, sed etiam mendacii ex objecto, & ratio est, quia ut objectum det malitiam, non est necesse, quod sit formaliter intentum, sed satis est, quod sit materialiter volitum. Atque ex hoc aliam deducunt differentiam, scilicet quòd actus ex objecto bonus non habeat bonitatem ex fine, nisi per denominationem ab alio actu; actus autem malus possit illam habere, & isto modo, & præterea immediatè per seipsum, & ita posse habere duas malitias suo modo intrinsecas, unam ex fine, & aliam ex objecto. Quærunt insuper, quæ illarum sit essentialis, seu, quæ magis intrinseca, quod etiam quæri potest de omni specie malitiæ sumpta ex circumstantia & objecto, & respondent, cum malitia ut sic, non sit de essentia actus, non esse necesse aliquam illarum esse simpliciter essentialem, sed unamquanque posse dici essentialem actui, ut constituto in tali specie, quomodo videtur loqui D. Thomas 1. 2. q. 18. art. 10. dicens, circumstantiam specificantem, sub hac ratione transire in rationem objecti, utramque vero posse dici accidere actui, ut constituto in alia specie, quod etiam potest sumi ex eadem 1. 2. q. 88. art. 5. & in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiuncula 3. & 4. Quia vero objectum est propinquius actui, & inseparabilius, ideo secundum illos malitia, quæ ex illo sumitur, censeri potest magis intrinseca, & quasi essentialis moraliter: quomodo in voluntate furandi propter mœchiam malitia furti est prima, & maximè intrinseca, quæ vero illarum major sit, non potest certa regula assignari, nam pro ratione materiæ & præceptorum, potest una excedere, interdum vero alia: considerato tamen modo operandi, illa malitia, quæ ex fine, est gravior, quia est magis directe intenta, quomodo exponi posset illud, quod ex Aristotel. communiter refertur, qui furatur propter mœchiam, magis est mœchus, quam fur. Solum potest objici hoc ejus testimonium, nam verba ejus non sunt, quæ communiter circumferuntur, sed hæc, qui lucrandi caussa facit adulterium, & accipit pecunias injustas, non intemperans esse videbitur. In quibus verbis videtur excludere omnem malitiam ex objecto, sed non possunt intelligi verba, ut sonant de malitia, sed de affectu positivo, & quasi directè operantis, nam hic totus tendit in finem, & ideo maxime, atque simpliciter ab illo operans denominatur, quia ab intentione finis cætera pendent, & species actus positiva ab illo desumitur, quomodo loquitur D. Thomas 1. 2. quæst. 18. art. 6. Quia

vero,

vero, ut sæpe dictum est, ad malitiam sufficit quodlibet voluntarium, hoc non impedit, quominus talis actus ex materiali objecto habeat propriam malitiam interdumque graviorem, quamvis minus intentam. Tertiò an unus idemque actus possit esse simul bonus ex objecto, & malus ex fine, aut è converso, e. g si quis det eleemosynam ex inani gloria, ubi actus videtur esse bonus, malitia autem esse in fine, vel si quis furatur, ut det eleemosynam, ubi electio furti mala ex objecto, bona verò videtur esse ex fine, in quo puncto affirmativam tenent Lorca, Granadus, Cordula Ripalda, rectè verò negativam præeligunt, Medina, Montesinus, Oviedo & alii, cum in casu proposito volitio eleemosynæ, non habeat bonitatem misericordiæ ex medio, sed tantum malitiam inanis gloriæ ex fine.

XXVIII.

Præter actus bonos & malos dari indifferentes disquisitioni subjicitur. Non autem hic de illa ἀδιαφορία sermo est, quæ Animi dicit indifferentiam, atque ferè convenit cum Scepticorum ἐποχῇ, quorsum respexit Clemens Alexandrinus lib. 3. stromat. cap. 6. scribens: Quoniam autem, qui introducunt indifferentiam, paucas quasdam Scripturas detorquentes titillanti suæ voluptati eas suffragari existimant; sed nec de illa, quæ est rerum, quo sensu divitiæ dicuntur indifferentes, ut etiam Chrysostomus observat homilia 29. in 1. Epist. ad Corinth. ita scribens: Propterea frequentes hæ interrogationes, quod quæ indifferentia sunt, pertinere sibi multi arbitrantur, non ut animo propriorum nullam faciant rationem; verum de illa, quæ est actuum humanorum. Constat autem talem esse admittendam, primò ex Scriptura, Christus enim dicit: *Nolite judicare & non judicabimini*, Matth. 7. v. 1. Paulus etiam ita decernit, Rom. 14. v. 3. *Qui manducat, non manducantem non spernat, &, qui non manducat manducantem non judicet*. Adde 1. Cor. 7. v. 36. *Si quis autem turpe se videri existimat super virgine sua, quod sit super adulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat, non peccat, si nubat*. Ex testimonio Patrum. Ita enim Augustinus lib. 2. de Sermone Domini in Monte cap. 28. Sunt quædam facta media, quæ possunt bono vel malo animo fieri, de quibus est temerarium judicare. Nec abnuit Hieronymus Epist. 89. scribens ad Augustinum: Bonum est continentia, malum est luxuria: inter hæc datur medium, ut ambulare, inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi stercora, capitis naribus pur-

ga-

gamenta projicere, sputi reumata jacere, hoc nec bonum nec malum est. Tertiò, ex ipsa attentione ad actus, quorum quidam ita comparati, ut abstrahant à bono & malo.

XXIX.

Dextrè tamen explicandum est, quomodo detur actus indifferens, cum illa adiaphoria possit considerari vel secundum speciem, vel vel secundum individuum, & quidem priori modo dari actus indifferentes patet ex eo, quia cum natura actus dependeat ex indole objecti circa quod versatur, si objectum datur indifferens secundum speciem, quod abstrahit ab honesto & inhonesto, & vel ad illud vel ad hoc determinari potest, etiam actus humani indifferentes admittendi erunt, prius autem constat, quia ambulare edere, bibere, & alii actus de se nullam dicunt objectivam vel honestatem vel turpitudinem. Adde illa, quæ in antecedenti thesi proposita.

XXX.

Non subsistit autem primo sententia quorundam, qui affirmarunt omnes actus esse indifferentes secundum speciem, quæ antiquorum, quos tacitè referunt Magister in 2. dist. 42. & Thomas dist. 40. q. 1. art. 5. quæst. 2. de Malo, art. 4. Secundò non probatur à Doctoribus sententia Joannis Duns, Scoti, qui in 2. dist. 7. q. unica negavit dari ullum actum indifferentem, & ut ille peccavit negando, ita Martinez de Ripalda affirmando disp. 69. de Ente supernat. cum Arriaga disp. 21. sect. 3. subs. 1. dari posse actus supernaturales indifferentes secundum speciem, quos vide. Tertiò Concilium Constantiense quidem Sessione 15. inter alias propositiones Joannis Hussi damnavit decimam sextam, quâ asseruit, nulla esse opera indifferentia, quem Errorem etiam impingit illi Salas & Aravius. Verum an verè tributus fuerit tanto Heroi & Martyri veritatis, merito dubitatur, tum quia si de operibus fuit locutus, utique nullum datur opus indifferens, cum omnia sint vel consona vel dissona Legi, procedant vel ex spiritu vel ex carne, & propterea redoleant suam originem, tum quia ipsi Pontificii agnoscunt nullum dari actum indifferentem, in individuo, adeoque propositionem ita laxe positam admittere suam restrictionem, tum quia ipse Petrus Corneus, Pontificius Doctor observavit non fuisse hunc Errorem Hussi, quem tamen agmine facto contra ipsum Doctores Pontificii ipsi impingere solent. Illud quoque inter illos, quibus

est otium, disputari solet, an detur aliquis actus, qui ex sua specie sit neq; bonus, neq; malus; neq; indifferens, ut vult Medina a. 8. conclusione ultima, Bannes secunda secundæ q. 40. a. 1. dub. 1. quod tamen rectius negant Montesinus, Salmanticenses & alii, quorsum vergunt illa Amesii: Actiones quædam ita sunt hominis, ut non sint propriè humanæ, illæ sunt, quæ procedunt ab imaginatione nuda, & non à ratione deliberatâ, ut fricare manus, aut barbam, scalpere caput, levare festucam, &c. dum aliud aliquid agitamus. Hujusmodi actiones non sunt moraliter bonæ aut malæ: quia non sunt in genere moris constitutæ, dum omni consilio destituuntur. Quamvis enim istis etiam possit quis peccare, ut si tempore precum vagari sineret imaginationem suam, & hujusmodi nugis indulgere, ipsæ tamen actiones per se neque malæ sunt neque bonæ. Subjiciuntur quidem istiusmodi motus imperio arbitrii humani: sed ita subjiciuntur, ut possint exerceri nullo rationis actu præeunte: neque ulterius illas ratione prævenire tenemur, quam ut officiis non obsint. Sicut in oculorum palpebris movendis, moderandi potestatem habet ratio & voluntas: sed non est operæ pretium observare quoties connivemus, si modo caveatur, ne præter decorum aut officium aliquid in istis admittatur.

XXXI.

In individuo utrum actus sit indifferens, disputatur quidem, sed expeditur facile per negationem primò ex Scriptura. Verba enim Christi sunt satis clara: *Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij*, Matth. 12. v. 36. Si itaque omnis actus otiosus est malus, ut verbum otiosum ex defectu ordinationis in finem, omnis actus ille, qui caret debito fine, malus erit, & proinde non indifferens; unde etiam Hieronymus, si de verbis otiosis redditur ratio, quanto magis de operibus, quæ majoris momenti sunt. Secundò ex testimonio Patrum: unus sit nobis instar omnium S. Augustinus, qui libro de peccatorum, meritis & remiss. cap. 18. ita definit: Quanquam voluntas mirum sit, si possit in quodam medio consistere, ut nec bona nec mala sit? Aut enim justum diligimus, & bona est, & si magis diligimus, magis bona; Si minus, minus bona: aut si omnino non diligimus, nec bona est. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem, Adde Hieronymum Tomo 2. Epist. 89.

ad

ad Augustinum. Tertiò ex ratione. Nam tenentur homines ex præcepto, finem honestum apponere suis actionibus; ergo actiones, quæ illo carent, malæ erunt. Antecedens probatur primo, quia sicut agentia naturalia suis inclinationibus determinantur ad proprios actus, ita etiam agentia libera determinantur ad proprios actus liberos ex obligatione præcepti; sed agentia naturalia acceperunt à DEO inclinationem tendendi in finem convenientem suis naturis; ergo etiam agentia libera habent præceptum, ut tendant in finem sibi convenientem; ergo in finem rationi consentaneum, qui est illius proprius. Major probatur, quia non minus convenit Authori naturæ, dare determinationem naturalem agenti naturali, quam dare determinationem moralem agenti libero; ergo sicut impressit agentibus naturalibus inclinationes in omnes actus suos ad finem proprium, ita etiam impressit hanc obligationem agenti libero. Secundo quia artifex, eo ipso quo artifex est, non potest in genere artis operari indifferenter sine vitio, ergo similiter nec agens morale, in genere morali sine vitio operabitur indifferenter. Adde Circumstantias tertio, de quibus in superioribus.

XXXII.

Obluctantur assertioni nostræ primò omnes illi, qui cum Bonaventura, Halensi, Scoto & Almaino dicunt, dari actum indifferentem in individuo, qui inter recentiores quidem sunt Gabriel Vasquez, Oviedo & Arriaga, qui prolixè affirmativam defendit, & dictum Christi vellicat, scribens: Ad Christi testimonium respondeo primò cum Patre Vasquez. cap. ult. verbum otiosum usurpari pro verbo nocivo, detractivo, mendoso aut calumnioso, ideò nihil inde inferri contra indifferentem. Occurrit huic expositioni Pater Suarez: nam esto, Chrysostomus id ita explicuerit; reliqui tamen Patres distinguunt verbum otiosum ab omni alio, quod habet specialem malitiam injustitiæ, falsitatis, &c. & in genere peccatorum, quæ in verbis consistunt, minimam habet malitiam: Hieronymus enim, Basilius, Bernardus & Gregorius præcisè illud explicant per hoc, quòd careat utilitate rationabili, causa, &c. & textus ipse id videtur exigere: nam si Christus per verbum otiosum intellexisset nocivum aut malum in qualibet materia, non rectè inde à fortiori intulisset, verba blasphemiæ graviùs punienda. Respondeo tamen in primis, etiamsi duo vel tres alii Patres ita explicuerint eum locum, non continuò sequi, eam esse illius explicationem, & non posse nos acquie-

scere explicatione Chrysostomi. Bernardus item, qui in contrarium citatur, non aliud docet, quàm non esse parvipendendum tempus, quod insumitur verbis otiosis: quod longè potiori titulo dicitur, si per verba otiosa intelligantur verba calumniosa, nociva, mendacia, &c. quod verò Suarius dicit, magis esse è mente Christi, eo loco significare verbum otiosum, mihi videtur valcè dubium, & crediderim contrarium esse longè probabilius. Et sanè Maldonatus, inter præcipuos Evangeliorum interpretes meritò annumerandus, cùm retulisset ea testimonia Patrum, quæ Suarez postea citavit, addidit tamen, sibi videri longè magis ad contextum accedere alteram Chrysostomi & Theophylacti explicationem, quod ego meo judicio confirmo efficaciter. Nam immediatè ante ea verba hæc dixerat Christus: *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro bonum profert*, &c. Et tunc: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines*, &c. Et subjungit: *Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Certè ex toto hoc contextu duo apparent intenta à Christo: unum, quod ex verbis homo dignoscitur, sitne bonus, an malus; alterum, quod verba etiam punientur in die judicii: ad neutrum autem ex his duobus intentis est commoda ea explicatio de verbis purè inutilibus; non quidem ad primum intentum: ut enim dignoscatur, quid homo moliatur, sitne bonus, an malus, an fraudes, an lites, an odia, &c. foveat in pectore, penitus nihil facit, quod unum vel alterum verbum inutile proferat: neque de sanctitate, neque de malo quidquam tale verbum indicat. Neque item ad secundum intentum necessaria est ea explicatio; nam Christus, ut ex causali immediatè additâ constat, solùm vult verba esse punienda; non autem intendit ibi denotare, quæ sint mala, quæ bona, sed nullum malum sine pœna abiturum; ergo nomine otiosi non tam significatur inutile quàm omne verbum malum: utrum autem inutile sit malum, nec ne, non est decidendum ex hoc loco; hoc enim ibi planè erat extra intentum Christi in parabola arboris facientis bonos fructus; quàm immediatè ante præmiserat. Constet ergo, eam explicationem esse valde probabilem & sufficientem pro eo loco. Secundò respondeo cum eodem Vasquez, verbum illud, quod nullam habet utilitatem, non solùm honestam, sed nec naturalem seu physicam, esse malum, otiosum & peccatum, & de eo intelligi sententiam Christi Domini;

mini; inde tamen nonsequi, dari non posse verbum aliquod indifferens non otiosum, nec bonum, nec malum: nam sicut levare festucam, pulicem è facie tollere, aut pellere culicem, sunt actiones indifferentes; ita eodem modo, si quis moneat alium ut pulicem tollat, vel ut deambulet ad pellendum frigus, non poterit ullâ ratione ab ullo prudenti tale verbum dici otiosum. Et sane in hoc puncto non persuadebit mihi, vix credo ulli alii, Suarez, Christum Dominum in eo sermone, ad probandum, tum malum interiorem animum ex verbis colligi, sicut ex fructibus colligitur arbor bona, tum hominem justificandum vel damnandum ex verbis, ad hoc, inquam, intentum accepisse illud verbum, quo ego alteri dico; ambulemus parum, ut frigus pellamus; vel, Lava faciem quam habes maculatam: nec unum producet Patrem, qui talia verba doceat otiosa; & tamen nec sunt bona, nec mala moraliter; ergo non bene sequitur, eo quod de verbo otioso reddituri simus rationem, non dari verbum aut actionem indifferentem in individuo. Objiciet tamen quis sat difficulter contra hanc solutionem, quia nullum potest esse verbum otiosum, quod non habeat aliquam physicam utilitatem; ergo si ob hanc non dicuntur otiosa ea, quæ in solutione attulimus, nulla plane erunt pure otiosa, & ex eo capite mala. Confirmo: Voluntas nihil amat nisi sub ratione boni; ergo vel in eâ locutione apprehendet rationem boni moralis, & jam erit honestum verbum; vel apprehendit rationem boni physici, & tunc non erit otiosum, sicut diximus, frigoris expulsionem, deambulationem, &c. non esse actiones otiosas & malas. Forte aliquis ex Vasquez responderet, verba esse instrumenta, quibus humanus convictus conservari debet, his autem uti non licere sine fructu aliquo spirituali vel nostro, vel alieno. Hæc tamen solutio non videtur sufficiens, quia si ex eo, quod verba sint ad humanum convictum ordinata, debemus spiritualem finem apponere, nostrum vel alienum; ergo, quando alteri dico, ut mecum ambulet ad pellendum frigus, peccabo venialiter, quia utor verbis ordinatis ad convictum humanum; & eis bonum finem spiritualem nec meum nec alienum appono. Contra secundò, quia si (ut dixi paulo ante) non est ulla obligatio apponendi finem spiritualem actionibus, ergo neque erit apponendus ipsis verbis: possum enim in verbis invenire bonitatem physicam, quæ sufficiat ut actio liberetur à ratione peccati, dummodo non habeat finem in se malum, non minus quam ipsis in actionibus. Respondendum ergo aliter ei objectioni, & admittendum,

dum, posse esse aliqua verba etiam quæ inserviant ad humanum con-ctum, non tamen habeant spiritualem finem, nec tamen ideò sint otiosa, quod evidenter ostensum est ex replicâ contra secundam solutionem. In quo puncto non acquiesco Vasquezio; quo posito dico, illa tantum esse verba otiosa, quæ non ordinantur ad commodum, nec quidem physicum hominis, sed, ut sæpe contingit, dicuntur tantum animo loquendi, nullâ aliâ in eis attentâ bonitate quàm loquendi: ejusmodi autem esse otiosa ex terminis constat; esse item mala, colligo ex eo testimonio, quo Suarez & adversarii utuntur, ad probandum, omne verbum otiosum malum esse. Ego enim in hac solutione solum ostendo, (quod puto me clare præstare) duo genera verborum inter se diversa; unum ob garrulitatem sine utilitate physicâ; & hoc vocatur communiter ab omnibus otiosum; & de hoc intelligo locum Christi Domini: alterum ordinatum ad commodum naturæ, ut dum dico famulo, accendas ignem ut calefaciam me; quod verbum à nemine dicitur otiosum; & tamen non est honestum moraliter. Quod si rationem jam velimus dare, cur verba otiosa sint mala, ea erit, quia homo, qui rationalis est tenetur operari ob aliquem finem bonum saltem physicè, si non moraliter: atqui ea verba otiosa nullum habent ejusmodi finem, ut ostensum est, cum nec sint honesta, nec utilia naturæ, sed solum ex animo loquendi proveniunt, ergo. Dices primò: unde constat, quod homo teneatur talem finem adhibere? Respondent, id ex ipsis terminis constare; operationes enim sunt in perfectionem subjecti; ergo humanæ debent esse in bonum aliquod hominis, sive quatenus spiritualis, sive quatenus corporalis est; ergo si id non habeant, eo ipso erunt vitiosæ, & contrà naturam: id quod verum est, sive verba sint sive alia opera. In quo etiam dissentio à Patre Vasquez, qui solum in verbis eam otiositatem admittere videtur; ex immediatè enim datâ solutione constat, etiam aliis actionibus talem defectum posse convenire; unde etiam paulo post probabo, aliquas actiones externas non esse indifferentes, quæ ab aliis multis ut indifferentes admittuntur, nec videtur admittendum illud Amici: Circumstantia una aut altera actionis alicujus humanæ potest esse indifferens, ut si studiosus unus cum alio sermonem conferat, indifferens est sæpenumero, utrum vernaculo utatur sermone, an Latino: sed sermo ipse, cum omnibus suis circumstantiis, vel bonus est, vel malus. Ratio est, quia determinatio actionis non pendet ab una circumstantia seorsim, sed ab omnibus conjunctim. Tertiò omnes illi, qui eousque progrediuntur, ut etiam habitus indifferentes cum Palatio Curiele & Granado admittant.

CAPUT

CAPUT X.
De
CONSCIENTIA.
THESIS I.

Actus hominis renati dirigit Conscientia notitiis practicis instructa, & solet Intellectus hominis, quatenus ad praxin se componit, aliàs illo nomine insigniri, quanquam si velimus accuratè loqui, potius dicendum sit, conscientiam subjectari in Intellectu, ibique sedem suam posuisse, ut præsit negotiis humanis, & è throno suo imperet, gubernet atque jus dicat. Quam dari probat Scriptura V. & N. Testamenti: Illa quidem, dum nomine cordis illam exprimit: *In simplicitate cordis mei, & munditiis manuum mearum feci hoc*, Gen. 20. v. 5. *Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit*, Proverb. 4. v. 23. *Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne fortè audias servum maledicentem tibi. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis*, Ecclesiast. 7. v. 23. Et c. 10. v. 20. *In cogitatione tua, regi ne detrahas; & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti.* Quem modum loquendi quoque secuti Scriptores N. Test. inprimis Johannes 1. Epist. cap. 3. v. 21. *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos.* Quo quidem sensu accipiunt locum Proverb. 18. vers. 14. *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam, spiritum verò ad irascendum facilem, quis poterit sustinere.* Nec Paulus videtur refugisse illam notionem, sed probasse potius, cum dixit: *Quis novit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo*, 1. Corinth. 2. v. 11. Libri signati *in judicio aperiendi*, Dan. 7. v. 10. Ubi respondet Phrasis N. T. quam adhibet Johannes Apoc. 20. v. 12. *Et libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera eorum.* Hæc verò dum meminit cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. Ita enim Paulus Roman. 2. v. 14. 15. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum,*

rum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. Chirographi, ex quo Balduinus pro Conscientia colligit. Coloss. 2. v. 14 *quod adversus nos erat chirographum decretis, quod erat contrarium nobis.* συνειδήσεως, 1. Pet. 2. v. 19. *Hæc est enim gratia, si propter DEI conscientiam sustinet quis tristitias patiens injustè.* De cujus loci varia expositione consule ex Pontificiis Lorinum, ex Calvinianis Bezam & Heinsium. Secundò Patrum testimonium: Sufficiat nobis in præsentiarum Augustinus scribens: Quid obest illi, si de illa Tabula eum humana vult debere ignorantia: Secundum de libro viventium nunquàm propria deleat conscientia. Nam etsi bonum, quod de nobis dicitur in mente non invenitur, magnam debet in nobis tristitiam generare, & è contra si malum, quod de nobis dicitur, in nobis non invenitur, in magnam non debemus lætitiam prosilire. Cui facem prætulit Ambrosius, inquiens: Sunt tibi necessaria conscientia & fama, conscientia propter DEUM, fama propter proximum. Succenturiamus Dorotheum Archimandritam, qui hæc habet: Cum formavit DEUS hominem, immisit illi nescio quid divinum, mentem scil. quandam illustrem ac fervidam: quæ ipsum instrueret bonum à malo secernere, eaque conscientia vocatur, quæ naturalis Lex est. Adde ex profanis Ciceronem, Senecam, Horatium, Ovidium, Plautum, Juvenalem, Statium, qui lib. 3. Thebaid. Invigilant animo scelerisque patrati supplicium exercent curæ, tunc plurima versat pessimus in dubiis timor. Tertiò exemplorum series. Sisto tibi ex multis Adamum fugientem: *Et cum audissent vocem Domini DEI deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini DEI in medio ligni paradisi, qui ait: vocem tuam audivi in paradiso & timui, eò quod nudus essem, & abscondi me,* Gen. 3. v. 8. & 10. fratres Josephi, paventes: *Locuti sunt ad invicem: meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcircò super nos venit ista tribulatio,* Gen. 42. v. 21. *Iacobo mortuo, timentes fratres Iosephi, & mutuo colloquentes: ne fortè memor sit injuriæ, quam passus est, & reddat nobis omne malum, quod fecimus,* cap. 50. v. 15. Saulem desperantem: *ait Saul: coarctor nimis, siquidem Philistiim pugnant adversum me, & DEUS recessit à me, & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia, vocavi ergò te, ut ostenderes mihi, quid faciam,* 1. Sam. 28. v. 3. 15.

v. 3. 15. Dixitque Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, & percute me, ne forte veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus, fuerat enim nimio terrore perterritus. Arripuit ita Saul gladium suum, & irruit super eum. cap. 31. v. 4.

II.

Summum itaque attingunt facile impietatis apicem primò illi, qui conscientiam tam profunde insitam excutere & eradicare omnibus modis laborant, in quo genere peccati Itali infames sunt, quorum vox est teste Luthero ad Gen. 43. usitata, oportet conscientiam occidere, & dicere, quod sit nihil. Secundò, qui indirectè conscientiam suffodiunt, docentes non esse peccatum contra conscientiam, religionis causa, imminente periculo, veritatem dissimulare, de quo ita Justus Natolius in libro de fide hominis, qui in mundo rectè vivere velit, scribens: Sane judico, ait, posse quempiam, si renunciare suæ nolit religioni, nihilominus cum adversariis conversari, & quidem familiariter, eorum templa intrare, concionibus interesse, iisdemque uti ceremoniis, & ita se simulare, ac si ab eorum staret partibus. Nam ceremoniarum usus non facit alienationem in fide, cum ipsæ ceremoniæ mutationem quidem externam religioni inducere, fidem tamen mutare nequeant. Deinde scandalum hoc modo excitari potest, à quo serio nos dehortatur Salvator. Et tandem periculum, in quod facilè quis possit incurrere, si istis ceremoniis se accommodare nolit, sed illas contemnere, & vel irridere, hoc pacto effugere potest. Multis siquidem in locis mos hic viget, ut si ignotos quosdam videant, in illorum fidem accuratè inquirant, & examini subjiciant. Illud ne contingat alicui, licebit ipsi externis saltem gestibus imitari alios: corde tamen adhuc poterit ista omnia repudiare. Quod si verò aliquis rigidè examinetur, v. g. in Hispania publicæ Inquisitioni subjiciatur? dico, posse aliquem illæsa conscientia veritatem dissimulare, apud adversarios confiteri, in solennibus Missis comparere; quia melius est officioso quodam mendacio vitam servare, quàm veritatem profitendo mori. Nec desunt nobis exempla: Rahab, quæ dicitur meretrix, cum fuerit cauponaria, mentiendo servata est: & obstetrices Ægyptiorum à DEO beneficiis sunt affectæ, quod Pharaonis jussui non obtemperaverint, eumque mendaciis comitis deceperint: ut vel exinde unicuique obviam esse possit, judice quoque Marco Marullo, licere in religionis causa veritatem celare. Tertiò, Pseudo-

sis hominibus, sed etiam in eodem homine pro diverso tempore. 2. Differt *à Synteresi.* Quia hæc in genere dictat bonum prosequendum, malum fugiendum, neque ullam admittit ignorantiam, errorem, dubium, &c. 3. Differt *à Scientia morali*: quod hæc universales; conscientia autem particulares conclusiones practicas inferat. 4. Differt aliqualiter à *Prudentia.* Quia hæc tanquam virtus moralis absolutè accipitur pro habitu, & semper est de veris & bonis practicis, conscientia autem, præterquam, quod possit etiam esse de falsis practicis, ac moraliter mala seu culpabilis, ut videbitur: absolutè semper à Doctoribus Pontificiis accipitur pro actu, & non pro habitu acquisito. Conscientia enim debet esse immediata regula actûs humani. Denique quamvis prædicta maximè differant à conscientia, omnia tamen ad conscientiam formandam necessariò concurrere, secundum illos. Unde nec mirum videri debet, & Patres & Doctores tam varie appellare conscientiam. Certè D. Hieronymus in caput 1. Ezechielis conscientiam etiam vocat *synteresin, legem corporalem, scintillam rationis, quæ in Cain quoque peccatore non extinguitur*, &c. Accipiunt enim conscientiam non præcisè & formaliter, quatenus est immediata actionis humanæ Regula, sed altiùs, vel causaliter pro præcipuis concurrentibus ad formandam conscientiam in homine.

IV.

Verum paulo profundius rimanda natura conscientiæ, & observandum primò, Conscientiam esse vel habitualem, vel actualem. Ut enim scientia nunc notat habitum nunc actum, ita & conscientia, quæ ita dicitur vel respectu habito ad DEUM, quasi dicas conjuncta cum DEO cordium scrutatore scientia, vel ad res scitas, quæ plures, quia conscientia scientiam scientiæ conjungit universalem scil. particularium, vel respectu habito ad facta & omissa, quia conscientia novit unà cum illis, quæ Regula legis urget, quid factum vel omissum, quid recte, quid male perpetratum. Habitualis, ut docet ipsa nominis expositio, secundum mediam rationem jam à nobis allatam includit Synteresin, quam supra descripsimus prudentiam, quæ applicare Intellectus principia & conclusiones universales ad actiones in particulari, atque dirigere solet illas ad debitum suum finem. Et tandem facultatem judicandi, quæ vel antecedens vel consequens, ut patebit ex seq. Actualis consimiliter tres actus

actus involvit principiorum scil. practicorum Notitiam, applicationem illorum ad agenda vel acta, & judicium definiens, atque decisivam promens. Secundò observandum Conscientiam, aliquando à Doctoribus, accipi pro ultima conclusione tantum syllogismi practici, quo sensu ultimum dicitur judicium, vel pro notitia principii ex quo aliquid infertur, vel pro toto discursu practico constante legitimo aliquo syllogismo. Unde variant sententiæ de indole conscientiæ, & prout respectus habetur ad hanc vel illam significationem, diversimode pronunciatur. Tertiò observandum Conscientiam dividi in antecedentem & consequentem, velut alii malunt loqui, in illam, quæ præteritorum, præsentium & futurorum actuum, de quâ Divisione Doctores ita: Priori modo loquimur communiter de conscientia cum dicimus conscientiam examinare, & habere, vel non habere conscientiam peccati, juxta illud: *Hæc est gloria nostra, testimonium conscientia nostra*: sic enim proprie dicitur conscientia mundari, seu liberari à peccato, quomodo ajebat Paulus, *Nihil enim mihi conscius sum*: non certò, quia nihil se commisisse existimaret, sed quia credebat se liberum & mundatum à culpa: quocirca licet conscientia hoc modo consistat in memoria præteritæ actionis, & judicio illius, tamen maximè proprie dici videtur, quando actus præteritus, vel moralis status ex eo relictus adhuc durare moraliter censetur, non enim dicitur homo proprie habere conscientiam peccati, solum quia judicat se peccasse, sed quia inde adhuc timet, & judicat se esse in peccato, atque hoc modo dici potest conscientiam respicere aliquo modo præsentem hominis statum. Secundò vero modo dicitur esse conscientia proprie de præsentanea actione, ut quando homo operatur actus judicando actionem suam, & hoc modo dicitur propriissime homo agere contra conscientiam, vel obedire conscientiæ, & sic etiam proprie conscientia mordet, vel reprehendit; fere eadem ratione. Tertiò respicere potest conscientia futuram actionem, ut quando homo judicat de his, quæ postea est acturus, & secundum hunc respectum dicitur proprie conscientia obligare: unde secundum aliam considerationem omnis conscientia aut est præteriti, aut futuri saltem secundum naturæ ordinem, quia dictamen conscientiæ, aut antecedit actionem saltem natura, & sic respicit illam, ut futuram, aut supponit actionem, si non respicit illam, ut effectum, sed saltem, ut objectum judicatum, & sic respicit, ut jam factam, & ut sic licet.

licet reprehendat, accuset, vel mordeat; non tamen obligat, vel dirigit propriè, nisi quatenus ex præcepto oriri potest obligatio ad aliquid agendum. Unde hæc conscientia præteritorum minus est practica, quia non propriè movet ad opus; altera vero est propriè practica & regula agendorum, de qua hic est sermo, quæ ulterius subdividi potest in conscientiam consiliorum, vel præceptorum, aut prohibitorum, & aliis similibus modis, qui consummantur in solo materiali objecto, possunt facilè multiplicari. Quod postremum tamen non simpliciter placet. Conscientiam antecedentem dari autem evincit locus Pauli Roman. 13. vers. 5. ubi ita pronunciat: *Quapropter oportet esse subditos non solum propter iram*, *sive ex metu pœnæ*, quod servile, *sed etiam propter conscientiam*, quæ dictat scil. hoc principium generale Ordini ad imperandum divinitus constituto esse parendum. Et cap. 14. v. 23. graviter concludit: *Quicquid ex fide non est, peccatum est*, ubi illi sermo est de conscientia hominis regeniti, credentis & ex illâ ad agendum obligati. Et Tit. 1. v. 15. ibi iterum: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum; sed inquinatæ sunt eorum Mens & Conscientia?* In quæ verba Augustinus tract. in Psal. 103. Cur infidelibus nihil est mundum? si nihil illis mundum, nec DEUS. Nisi putatis forte mundum videri DEUM illi, qui quotidie blasphemat eum. Et lib. 30. contra Faustum c. 1. Infidelis sive comedat, sive abstineat, non sanctè vel justè comedit vel abstinet, quia prava opinione utrumq; facit. Secundò Patrum testimonium. Basilius enim illam sistit, ut naturale Judicatorium, Chrysostomus vocat illam incorruptum judicem. Nilus Lucernam, quâ utendum in omnibus actionibus, Damascenus lib. 2. de fide cap. 12. Legem intellectus nostri. Tertiò, Ratio quoque docet dari talem conscientiam antecedaneam, quia admittit synteresin, & ad illam dictamen practicum judicans aliquid agendum, ut bonum honestum, vel fugiendum, ut malum inhonestum, ad illam discursum, cujus majorem subministrat synteresis, e.g. Synteresis ponit hanc majorem: Malum est fugiendum, subsumit ratio, Adulterium est malum, de motivo naturali vel supernaturali nondum disputamus, scientia moralis conludit, ergo adulterium est fugiendum, particulariter verò conscientia, prudentiæ actus sive concludens, scientia mihi hîc cum hâc non licet rem habere. Et annon deprehenditur circa bonum agendum in præsenti inclinatio, approbatio, confortatio, circa malum re-

prehensio, recalcitratio, ob obmurmuratio, annon circa bonum futurum consilium, excitatio, circa malum retractio.

V.

Frustra primò disputant primo Doctores Pontificii, ad quem habitum reducatur judicium seu dictamen practicum conscientiæ, quibusdam cum Vasquezio, illud referri non posse ad ullam specialem habitum, sed pro materiarum diversitate ad diversos spectare habitus censentibus. Alii verò cum Corneio & Joanne à Thoma ad prudentiam acquisitam vel infusam reducentibus. Secundò non sufficienter naturam conscientiæ expendunt Corduba, Covarruvias & Suarez, qui volunt, conscientiam esse actuale & practicum Judicium intellectus discernentis de rebus agendis inter bonum & malum, turpe & honestum præceptum vel prohibitum. Quibus accedit Amesius c. 1. §. 1. thesi 5. Judicium appello scribit: conscientiam, primò ut ad intellectum eam pertinere ostendam, non ad voluntatem. Nomen ipsum hoc ostendit: & inde idem probatur, quia omnes actiones illæ, quæ conscientiæ hominis in Scripturis tribuuntur, pertinent propriè ad vim & facultatem aliquam rationis. Est tamen inclinatio quædam voluntatis, qua apta nata est, & imperare judicium intellectui, & idem etiam sequi: quæ inclinatio à quibusdam Conscientia vocatur, ab aliis pars conscientiæ, sed minus rectè addit. Quidam sunt inter Scholasticos, qui conscientiam volunt esse habitum, Scot. Bon. Dur. Quod quamvis concedi possit, de aliqua parte vel principio conscientiæ: simpliciter tamen de illo toto, quod conscientiæ nomine proprie designatur, non potest concedi. Habitus enim qua talis, officium unicum est, inclinare ad prompte agendum: sed conscientia alias habet operationes, quas immediatè exercet. Nec satis accurate Perkinsus, qui per facultatem seu naturalem potentiam describit: Rationem etiam subjungit suæ sententiæ: quia nempe actus accusandi, consolandi, & perterrefaciendi, non possint conscientiæ adscribi, si ipsa esset: sed plane secundum ipsum Amesium invalidam: quoniam effecta istiusmodi tribuuntur in Scripturis ipsis cogitationibus, de quibus non potest dubitari quin sint actus Rom. 2. vers. 15. *Cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam defendentibus.* Ratio est, quia res motu factæ, non tantum sunt effecta moventis, sed etiam ipsius motus. Præterea D. P. eodem loco &

co & ordine conscientiam ponit cum intelligentia, opinione, scientia, fide ac prudentia: sed nemo hæc ita definiret, ut habeantur pro distinctis animæ facultatibus. Tertiò, nondum subscribimus illis, qui negant conscientiam antecedentem, sed tantum admittunt conscientiam consequentem, quanquam enim facile largiamur usurpari frequentius scientiæ de illa, quæ nostros actus subsequitur, non tamen propterea Nomen Conneganda conscientia antecedens.

VI.

Causa Conscientiæ efficiens est DEUS, qui illam indidit homini, & ablata etiam Imagine divinâ, ad quam primus conditus, adhuc illam conservat, superstitem esse vult, præsidere, & ita sibi subjicere hominem in actionibus suis: *Scriptum enim est opus Legis in Cordibus hominum,* etiam extra pomœria Ecclesiæ constitutorum, scil. præceptum, à quo, nisi Deo, scriptum quo, nisi à digito Dei, Rom. 2. v. 15. & quidem, si attendamus Martino Bressero Boxtellano, pendet conscientia à Deo non tantum tanquam à causa efficiente, quia ipse conscientiam atq; animam conscientia præditam condidit, quod nulla creatura potuit, sed & tanquam à causa exemplari, quia lumen conscientiæ homini indidit, quasi quandam particulam & radium, imo initur DEO illa, ejusque providentiæ cognitæ vel creditæ tanquam fundamento illam ejusque pondus ac vim sustentanti & confirmanti. Subjectum vero illius est omnis homo, ut denuo constat ex Rom. 2. v. 15. quanquam autem Angelis non negemus conscientiam, bonis scil. ex qua operantur & in qua etiam lætantur, malis vero ex Reflexione ad DEUM iratum, defectionem profundam, pœnas, quas consummate sustinebunt post diem pantocriticum, nunc infernum suum, ubi ubi sunt, circumferentibus, secundum illud: *Ecce clamaverunt dicentes: Quid nobis & tibi, Iesu fili DEI? venisti huc ante tempus torquere nos?* Matth. 8. v. 29. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus?* 1. Cor. 6. v. 3. *Tu credis, quoniam unus est DEVS. Bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt*, Jacob. 2. v. 19. non tamen circa illam occupatur Theologia Moralis, & ut Subjectum quod, homo, ita quo hominis Intellectus practicus: Conscientia enim dicit scientiam, & præterea pertinet ad Intellectum, cui omnis notitia transcribenda. Objectum verò à quibusdam moraliter operabile constituitur, quanquam Dorotheus ad materiale plus respiciendo, constituerit illius objectum DEUM, proximum & res ipsas scribens: Rationem habe-

habemus conscientiæ, ad DEUM, ad proximum, & ad res. Ad DEUM, ne quis scilicet ejus præcepta contemnat, etiam in iis, in quibus eum mortalium nemo videt, nemo reperit, nemo judicat. Custodiat ipse conscientiam DEO in abscondito: ut e. gr. neglexit orationem, ascendit prava cogitatio in cor ejus, nec sobrius fuit, nec repressit se ipsum, sed oblectationi obsecutus est. Vidit proximum quippiam vel agentem vel dicentem, statimque illum cum suspicione judicavit, & ut concludam breviter, ad omnia diligentia opus est, quæ sunt à nobis in abditis perpetrata, quæque nullus hominum, nisi DEUS & conscientia nostra, conspexit. Hæc nimirum est ad DEUM conscientia. Erga proximum autem conscientia habetur, si nemo quippiam omnino faciat, quod intelligat, quamvis minimam molestiam & afflictionem proximo afferre. Non re, non verbo, non animo, non signo, non aspectu. Sunt enim signa quædam, ut sæpe dixi, quibus proximum lædamus, sunt aspectus, quibus eundem affligamus, & molestia non parva afficiamus. Et ut breviter dicam, quibuscunque senserit homo molestiam sese proximo afferre, ab iis omnibus jubet abstinere conscientia. Quod si contra faciat, commaculatur, & rea est, non ignara ea à se studiose agi, ut noceat, ut affligat. Et hoc est, quod dicimus, erga proximum conscientiam, est, re nulla abuti omnino, ut scilicet non sinat fœdari rem; projicis, sed cum viderit quippiam projectum, non negligat, etiamsi sit vile, sed corripiat potius, & in locum suum statim reponat.

VII.

Inepte Origenes ergo primò, si vera illius sententia, ut passim tribuitur, conscientiam statuit, esse quandam substantiam separatam extra nos existentem, & nobis per modum Angeli custodis assistentem, libro 2. in Epistol. ad Roman. nec secundò satis solidè Henricus, quodlibet 1. quæst. 18. & ex parte Durandus in 2. dist. 39. quæst. 18. conscientiam dixerunt esse inclinationem quandam elicitam à voluntate ad operandum secundum rectam rationem. Tertiò non addimus Calculum Roberto Sandersono, Professori Regis Oxoniensi Theologo, qui recte quidem *Infidelitatem* asserit etiam *impuram reddere conscientiam*, Tit. 1. v. 15. quam *purificet & emundet fides*, Actor. 15. v. 9. sed incommode addit, fortassis haud incommode dici posse, fidem etiam ipsam evangelicam inter operabilia moralia censendam esse: quia ita Servator

tor noster Christus disertissimis verbis : *Hoc est opus DEI, ut credatis in filium*, Joh. 6. v. 29. & Johannes Apostolus similiter ; *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filij sui Iesu Christi, & diligamus sicut ipse mandavit nobis*, 1. Johan. 3. v. 23. quanquam enim homo obligetur in Conscientia, secundum ipsum ad agenda, quæ sunt sui officii quatenus homo est, & ad credenda mysteria illi in verbo DEI revelata, quatenus homo Christianus, non tamen fides evangelica, qua talis inter operabilia moralia est referenda, nec dicta allegata illud evincunt, non enim si fides est opus DEI erit opus morale, aut si mandatum est, ut credamus in nomine filii, fides in opus transibit morale sub illa notione, qua apprehendit suum objectum justificum. Unde ipse Cregutus etiam in Biurium thes. 27. 28. Ex hac fidei definitione inprimis observandum est unum, quod in hac tota dissertatione erit valdè operæ pretium, & ubi Pontificii graviter & simul frequenter impingunt ac hallucinantur ; videlicet fidem non hîc sumi absolutè & ethicè, sed potius relativè & Theologicè, non quatenus est habitus intellectualis seu opus hominis fidelis, sed quatenus est instrumentum apprehendens & sibi applicans meritum Christi ; idcirco non consideratur fides justificans ut est fructus sanctificationis, sicut alia bona opera, nam sic non posset nos justificare non magis quàm alia opera, sed ut consideratur in justificatione, quatenus sumitur σχετικῶς, & est instrumentum nostræ justificationis, absque quo nulla esset justificatio. Et hoc pacto tantum abest ut fides sit opus, ut potius operibus ἀντιδιῃρημένως opponatur ; hinc fit ut in Scriptura homo dicatur justificari διὰ τῆς πίστεως per fidem, Rom. 3. vers. 22. non διὰ τὴν πίστιν propter fidem. Imò si propriè loqui velimus, fides haud ritè opus vocabitur, quod patet exemplo sensus, quod enim est sensus in corpore, illud est fides in anima ; ut igitur cum fulgurat, visus potius patitur quàm agit : Ita cum Sp. S. fide mentem illustrat, hic animæ motus passionem magis quàm actionem redolet. Nam utrobique potentior est ratio agentis, quàm actio aut qualitas hominis recipientis, qui non videtur reagere, inprimis cum agens & patiens sint naturæ remotissimæ, & patiens longè sub sphæra agentis & sub illius activitate subsidit, ut patet in naturalibus quoque scilicet corporum cœlestium & sublunarium, item spirituum & corporum, inter quæ non datur reactio & repassio, sicut etiam in sympathiis & antipathiis. Tamen quædam fidei meritò tribuitur efficien-

ria, ut patet ex ipſa Pauli definitione Heb. 11. v. 1. quia non eſt inane ſpectrum, & mens ac voluntas illius ſedes, non ſunt potentiæ inanes non ſolum phyſicè, ſed etiam ethicè & Theologicè. Hæc non modo diſtinctio fidei & operum, ſed etiam oppoſitio ita eſt certa, ut etiam ipſi Pontificii vel imprudentes diſtinctionem admittere coacti fuerint; cum nos partim fide, partim operibus juſtificari aſſeverent. Nam cum fides Johan. 6. v. 29. vocatur opus DEI, τῦτό ἐςι τὸ ἔργον τῦ Θεῦ ἵνα πιςεύσητε εἰς ὃν, ἀπέςειλεν ἐκεῖνος. Id fit per alluſionem ut Paulus fidem vocat Legem, Rom. 3. v. 27. per quam legem? operum? non: ſed per legem fidei. Ubi de induſtria dixit *μιμητικῶς* legem fidei pro fide, quod adverſarii gratiæ perpetuò in ore haberent legis nomen. Ita & fides vocatur opus DEI, loco prælaudato, quia illud DEUS ab hominibus flagitat; nequaquam enim illic fides conſideratur ut habitus effectum, id eſt ipſum credere. Vehementer igitur hallucinantur illi juſtitiarii, qui ex hoc loco eliciunt fidem eſſe opus, & nos per opera juſtificari.

VIII.

Regula Conſcientiæ eſt Lex divina, voluntas DEI in verbo revelata. Si enim ſolus DEUS habet merum & directum Imperium in conſcientias: ſi omnes homines ex naturali illa dependentia, ex qua ſunt creaturæ rationales, illi ſunt ſubjecti, utique illius voluntas revelata erit illis norma agendorum, ut Principis voluntas ſubditis, Domini Mandatum ſervis, & ſi peccat, qui contra voluntatem agit revelatam, utique illa erit Norma. Et Regula conſcientiæ, & quæ ex illa prodeunt, cum *peccatum* nihil aliud ſit, quam *aberratio à Regula ſive ἀνομία*, 1. Joh. 3. v. 4. Et hoc voluit Jacobus, dicendo: *Unus eſt Legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere*. Et quidem, ſi Lex divina ita accipiatur, ut legem Naturæ includit, quæ libere ſunt poteſtatis divinæ, & diſpoſitionis circa cultus ſpeciem in genere ſub primæ Tabulæ præceptis proponit, potentiam illorum, qui in Eminentia conſtituti ſunt, & *κύριον* habent in Republica, vel alio modo præſunt, ſtabilit, atque in genere docet ſuperioribus eſſe parendum, Leges illorum & Mandata, ſi non ſint adverſa DEO, eſſe reverenter excipienda, ut quidem Explicatio quarti præcepti docet, ſub qua Latitudine ſupra quoque accepimus, non veremur aſſerere Legem divinam revelatam eſſe Regulam adæquatam conſcientiæ, ſi verò preſ-

ſi-

sus accipiatur, melioris distinctionis causa dicimus Regulam Conscientiæ esse partim legem Divinam revelatam, partim legem Naturæ inscriptam, partim legem etiam humanam, Lex quidem divina secundum illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus (supereminentibus) subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo quæ autem sunt potestates à Deo ordinatæ sunt. Itaq; qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem, acquirunt. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. DEI enim minister est, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. DEI enim minister est, vindex in iram, ei, qui male agit. Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis. Ministri enim DEI sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus honorem debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem*, Roman. 13. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

IX.

Ambigue loquitur primò Robertus Sanderson, dum ita stylum informat: Est Scriptura quoad supernaturaliter credenda sola & adæquata fidei Regula: estque eadem, quoad agenda etiam, quatenus sunt Spiritualia & ad finem supernaturalem ordinata, sola & adæquata Morum Regula; atque ita ex consequenti, agendorum Regula principalis, & ut ita dicam Architectonica. Sed cum ad Conscientiam spectat circa res agendas inquirere, non eâ duntaxat ratione quâ sunt Spirituales, an fiant ex charitate, & in finem supernaturalem dirigantur, sed eâ etiam qua Morales sunt, sintne bonæ vel malæ, licitæ vel illicitæ, liberæ vel necessariæ: ut de his rebus ritè judicetur, non ex sola Scriptura, sed & aliunde etiam petenda sunt opportuna adjumenta. Si enim per finem supernaturalem intelligit vitam æternam, ut quidem plærique Calviniani in hac materia, non potest admitti, actiones finem supernaturalem respicere, cum solius fidei sit consequi Beatitudinem quam actiones serenatæ Conscientiæ tantum ornant & subsequuntur. Secundò non commode in quarta propositione, ubi asserit propriam & adæquatam Conscientiæ Regulam esse DEI voluntatem qualitercunque hominibus revelatam, distinguit inter voluntatem signi & Beneplaciti, procul dubio in sensu Calvinistico, & addit: Prior illa pro-

pria & adæquata Conscientiæ Regula DEI voluntas est, qualitercunque hominibus revelata. Hanc alii Legem DEI, alii Legem æternam dicunt; vocabulis pro suo cujusque arbitrio, sed eodem sensu. Hujus conclusionis singulæ particulæ expendendæ sunt. Dico primò, Voluntas DEI. Cujus Voluntatis notissima est illa distinctio, (quam tamen à Scriptoribus aliquoties animadverti aut non recte explicari, aut non ritè applicari,) in Voluntatem Beneplaciti, & Voluntatem Signi. Prior illa, quam Beneplaciti vocant, ea est, quâ DEUS ab æterno apud se constituit quid ipse velit facere: Altera quam signi appellant, ea est, quâ nobis legem præstituit, significando quid velit à nobis fieri. Quarum illa proprie & univocè Voluntas DEI est; hæc improprie & ἀναλόγως sic dicta. Voluntas illa Beneplaciti est ipsi quidem DEO (si de tantâ Majestate κατ' ἄνθρωπον loqui fas sit,) quodammodo agendi Lex; semper enim ille facit quod ipsi complacitum est: sed non est DEO nobis in Legem data, ut sit Conscientiæ nostræ regula, saltem quod ad res agendas attinet. Pertinet illa quidem aliquo modo ad Conscientiam respectu perpessionum: à posteriori scilicet, & hoc sensu, quod obligamur in conscientiâ, quodcunque contigerit, id omne æquo animo ferre, postquam nobis ex eventu constiterit, id DEUM voluisse; quia hoc dictat recta ratio, non debere nobis divinæ providentiæ ordinem displicere, qui nil velle potest, nisi quod est rectissimum. Reliquum est ergo, ut sit Conscientiæ nostræ regula Voluntas illa, quæ signi dicitur. Cum enim DEUS præcipiendo & prohibendo, quid à nobis fieri velit & non fieri, significaverit: nostri est officii ipsius Voluntati voluntates nostras simpliciter conformare. Multa apud Scholasticos disputantur inutili subtilitate, an & quatenus teneatur voluntas creaturæ rationalis conformare se voluntati creatoris, in re volitâ? quum possit, quod instituto nostro & ad vitæ usum sit satis, res tota aperte & breviter uno verbo confici; nimirum, teneri nos semper id velle, quod DEUS vult nos velle. Ut cum præcepisset Abrahamo DEUS, ut filium Isaacum ipsi offerret in holocaustum, etsi DEUS voluntate beneplaciti (uti mox ex eventu patuit) vel tum, cum ei hoc faciendum præcepit, id fieri noluerit: tenebatur tamen Abrahamus id ipsum velle, quia DEUS præcipiendo significaverat, se velle ut Abrahamus id vellet. Quanquam enim possit tolerari hæc distinctio, si scil. non disparatæ voluntates, vel contradictoriæ sub illa comparentur, sed signum refe-

fatur ad rem signatam, & ambæ ita comparantur, ut quod voluntas signi in verbo prodit, interius DEUS conceperit, voluntas Beneplaciti elegerit & præfixerit, nunquam tamen in sensu Calvinianorum, qui DEUM hypocritam fingit, admitti potest. Tertiò, malè & contra Scripturam statuendo gentes, quibus Evangelium non est prædicatum, nec obligari credere Evangelio, aut ad fidem in Christum, quia nemo teneatur ad impossibile. : Impossibile est autem ei, cui Evangelium non fuerit prædicatum, nec qui de Christo quicquam inaudiverit, credere Evangelio & Christo, cùm lumen rationis non possit eò pertingere; juxta illud Apostoli, Rom. 10. vers. 15. *Quomodo credent ei, de quo non audierint? Quomodo audient absque præcone?* Nec idem Apostolus æquum esse censet, ut per Legem judicentur alii, quàm qui *in Lege peccaverunt*, Rom. 2. vers. 12. Imò verò nec illud per se sufficit ad inducendam obligationem in Conscientiâ, Voluntatem DEI esse alicui revelatam, nisi insuper ei revelata sit ut Voluntas DEI quoad ipsum. Adeo ut siquis ex Gentibus ἀλλόφυλος incidisset forte in libros Mosis, atque ex eorum lectione percepisset mandata Hebræo populo inibi data; non mox obligatus esset ad ea præstanda, licet essent ei revelata, quia ad ipsum non pertinebant, sed erant illi populo peculiaria; & scitum est legem non obligare omnes quibus cognita est, sed omnes & solos quibus data est. Bis falsus, primum in eo, quod nec omnibus gentibus prædicatum fuerit Evangelium contra effatum Pauli: *Sed dico, nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, Rom. 10. v. 18. Et: *Verbum Evangelij pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est*, Coloss. 1. v. 6. Secundò in eo, quod nemo teneatur ad impossibile, quod Effatum si obtineat, manus erunt porrigendæ Pelagianis, Pontificiis & Synergistis.

X.

Ulterius progreditur Robertus Sanderson, & Regulam proximam & immediatam Lumen Mentis, ut primariam & supremam Verbum DEI scriptum, propriam & adæquatam voluntatem DEI, qualitercunque revelatam, & scribit: Sciendum est, triplex esse Lumen Mentis, prout DEUS creaturæ rationali voluntatem suam tribus modis patefecit; Lumen scil. innatum, lumen illatum, & lumen acquisitum; sive lux naturæ, Scripturæ, Doctrinæ. Primum illud lumen, quod innatum

natum dixi, è lege Naturæ oritur. Indidit enim DEUS in prima mundi creatione, ut creaturis brutis & inanimatis instinctum naturalem, quo inclinantur ad ea facienda, quæ sunt congrua naturæ suæ, & ejus conservativa, quæ est ipsis instar Legis, propterea que & Davidi Lex dicitur, Psal. 148. v. 6. *Dedit illis Legem quam non transgrediantur.* Ita & homini legem quandam Naturalem, naturæ suæ ut rationalis creaturæ suæ ut rationalis creatura est proportionatam, hoc est sublimiorem multò, & nobiliorem, &, si fas dicere diviniorem, quàm quæ aliis inferioris hujus orbis creaturis, data est; quæ ipsum ad ea agenda impellat, quæ sunt naturæ suæ congrua, quatenus homo est, animal nempe ratione præditum; hoc est, ut verba dicam, ad vivendum secundum rationem. Est autem hæc Lex naturalis impressio quædam, & quasi ἔκτυπον Legis illius archetypæ & æternæ, quæ in mente divina; estque pars illius divinæ imaginis ad quam dicitur homo primùm conditus & efformatus, Genes. 1. per quam certo cognoscentes aliqua esse ex DEI creatoris voluntate rationali naturæ nostræ congruentia, alia autem secus; statuimus illa bona esse, & à nobis fieri oportere, ista mala, & propterea non oportere. Ex hac lege ortum lumen, in gravi illa naturæ humanæ ruinâ, quæ lapsum Adæ insecuta est, admodum obscuratum est: unde crassæ illæ erroris & ignorantiæ tenebræ, in quibus dum hic vivimus, omnes ejus posteri assiduè versamur. Ita tamen sapientissimè providente Deo, ut ex communi naufragio illæsæ reliquiæ aliquantò evaserint, quàm aliæ pleræq; facultates. Nempe voluit DEUS quasdam propositiones & principia practica, quas κοινὰς ἐννοίας & προλήψεις φυσικὰς vocant Philosophi, ἐγκεκρυμμένον ἡμῖν ζώπυρον scitè Basilius, quasi conservatam ex tanto incendio inter medios cineres & favillas ignis divini Scintillulam, in nobis remanere; ut haberet in intimis pectoribus nostris voluntatis suæ præcones. Sunt hæ κοιναὶ ἔννοιαι, Lex illa DEI, quam Apostolus Rom. 2. *Scriptam*, ait, *in cordibus hominum*; prorsus ut Leges Civitatum aut Principis tabulis æneis inscribi solitæ sunt. Habent enim rationem Legis sive regulæ nobis à DEO impositæ; sicut Voluntas Legislatoris publico instrumento significata & populo proposita, Legis nomine censetur. Constat autem hæc Lex Naturalis ex variis principiis practicis; quæ tamen ad unam primam & universalem Legem, quæ reliquas complectatur, revocantur, videlicet hanc bipertitam; Bonum esse faciendum, malum fugiendum: Sicut omnia

præcepta decalogi ad unam legem universalem, eamque bipertitam, reducuntur illam, scil. quæ est de Dilectione DEI & Proximi. Huic universali legi in Synteresi conservatæ, subjiciuntur aliæ; seu leges particulares, ex eâ derivatæ, ut conclusiones ex præmissis: quarum aliæ sunt de primo (ut loquuntur) naturæ dictamine, & principali illi legi proximè conjunctæ; aliæ quæ remotius ei appendent, nec nisi secundariò, & virtute illarum propinquiorum. Quæ sunt de primo naturæ dictamine, simul ac menti nostræ & cogitationibus offeruntur, fidem nostram statim imperant, coguntque nos eis assentiri, propter summam earum evidentiam. Neque enim fas est alicui de ipsarum veritate dubitare, neque possibile est quenquam, cui satis perspecta sit ipsarum vocum significatio, circa eas errare. Audito DEUM esse colendum, injuriam nemini faciendam; acquiescit statim animus, & sine ambage præbet assensum. At in posterioribus illis, propter discrepantiam, quæ potest oriri ex circumstantiis, & dubitare sæpissime contingit, & errare, & quo remotiùs à primis illis principiis receditur, eo procliviùs est in errorem labi. Prima enim & Universalia tantò certiora sunt posterioribus & particularibus, quanto sunt minùs circumstantionata. Nam ἐν τοῖς εἰδικωτέροις πλάνη, ut dici solet; & descendendo contigit errare. Ejus generis præcepta sunt, honorandos esse parentes, liberos alendos, conservandam proximi vitam, depositum reddendum. Quæ utut communiter & ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ observanda sunt, non tamen simpliciter & absolutè, si res & locus (quod fieri potest) aliud postulent. Nam & parentum jussa præ DEI amore spernenda sunt, & justa potest esse causa abdicandi liberos, & vitam proximo adimendi; nec est gladius furioso restituendus. Affinis huic distinctioni est illa Ciceronis, à Stoicis accepta, officiorum distributio. Aliud enim est ipsis Rectum & Perfectum Officium, quod Græci κατόρθωμα; aliud Medium & Commune, quod καθῆκον vocant. Quare ut Conscientia de rebus propositis, quantum ad hanc Regulæ suæ partem attinet, quæ sit DEI voluntas, rectiùs & certiùs judicare possit; opportunum erit ea ad universalissima, quam fieri potest præcepta, & ad prima illa & αὐτόπιστα axiomata revocare atque exigere. Sed de hac Naturæ Lege, quia ad alia properandum est, quum non liceat plura dicere; accipite quæso illa Ciceronis, quæ ex amissis ejus de Rep. Libris affert Lactantius VI. Instit. 8. Est quidem verò Lex recta ratio, naturæ congruens, diffusa in

omnes,

omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat. Huic legi nec obrogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec verò aut per Senatum aut per populum solvi hac lege possumus. Nec est quærendus explanator, aut interpres ejus alius: Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis; alia nunc, alia posthac: sed & omnes gentes, & omni tempore, una lex & sempiterna & immortalis continebit. Unusque erit communis quasi Magister & Imperator omnium DEUS ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur; atque hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, quæ putantur effugerit. Insignis sane locus, & qui hujus Innati luminis naturam & vim luculentissimè explicat, adeò ut nihil opus sit plura in hanc rem adjicere. Secundum lumen, quod menti Illatum diximus, ei ab extra advenit, oriturque à revelatione divinâ: nempe ab illâ luce, quam DEUS nobis subministravit in Sacrâ Scripturâ, in quâ voluntatem suam humano generi uberius adhuc patefecit; nequid ei deesset adminiculi, quod ad mores regendos & beatitatem consequendam esset necessarium; quum ad ista non sufficeret lumen internum naturale, ut jam ante ostendimus. Differt autem hoc Lumen à Naturali, non origine solum, sed & perfectione: Primò, quia voluntatem DEI manifestat in his, ad quæ non potest lumen naturale pertingere. Secundò, quia actus morales à naturali lumine dictatos ad finem sublimiorem ordinat. Tertiò, quia cùm lex mentibus insculpta à DEO tanquam authore Naturæ instituta sit, lex ista in verbo revelata est ab eo instituta tanquam authore Gratiæ & Salutis. Ergo ubi aut deficit, aut debile est Naturæ Lumen, (deficit autem in his, quæ sunt extra orbem suum, cujusmodi sunt mysteria fidei; debile verò est in his, quæ ab universalissimis præceptis sunt aliquantò remotiora:) ad *Lumen Verbi* recurrendum est, *sicut ad lucernam in loco caliginoso fulgentem*, 2. Pet. I, 19. *Ad legem & ad Testimonium: si non loquantur secundum hoc verbum, non est eis Lux*, Isai. 8. v. 20. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen gressibus meis*, Psalm. 119. 105. De hujus legis perfectione & utilitate si sermonem instituerem, nullus esset dicendi finis. Videte sodes in hanc rem Davidis Psalmum decimum nonum, ubi multa paucis & contractiùs; ac Psalmum etiam centesimum decimum nonum, ubi eadem pluribus & diffusiùs exposita reperietis. Porrò hujus legis duæ

partes

partes sunt: Lex propriè dicta, & Evangelium. Legem verò & Evangelium non hic intelligo in eo sensu, quo plerumque à Theologis sumuntur, pro binis DEI initis cum humano genere fœderibus; operum scil. & Gratiæ: Sed populariùs, pro Scripturæ Libris Veteris & Novi instrumenti. Patres, ad nostrum saltem institutum non incommodè, Legem Veterem & Novam dixerunt. Utramque Legem, & Veterem illam Mosis in universum, & novam Christi quantum ad illam partem, quâ Moralia continet, ut inutilem prorsus, & Christiani hominis curâ studiove (postquam adultæ in Christo ætatis fuerit, & unctione Spiritus perfusus) indignam exagitant; nec nisi fidei Legem & Spiritus dictamen admittunt, nostri seculi Antinomi, Anabaptistæ, Enthusiastæ, & reliqua id genus prodigiosa nomina. Quos non est nunc refutandi locus, alia agentibus: neque est id profectò multùm necessarium; quum in istiusmodi errorum monstra ita gladium jam olim strinxerit Jacobus Apostolus, ut videri possit spiritu quodam prophetico eorum refutationem datâ operâ suscepisse. Legis Veteris, quæ & Mosaica dici solet, notissima est illa distributio, quâ in tres partes distinguitur; Moralem scil. Ceremoniarum, & Judiciorum: De quibus singulis multa à multis variè disputantur. Quibus prætermissis, quid de earum obligatione mihi sentiendum videtur, salvo tamen suo cuique judicio, breviter proponam. Dico igitur primò, nullam omninò latam à Mose Legem obligare Christianorum conscientiam, directè formaliter & per se; quatenus scil. est à Mose lata aut tradita. Ratio est, quia omnis Lex Mosaica, quà talis, fuit positiva: & Lex positiva non nisi eos obligat quibus posita est. Cum ergo Lex à Mose tradita, ubi tantum genti Hebræorum posita sit, ut vel ex ipso statim exordio, audi Israel, & toto insequentis sermonis charactere, facile quisquis animum adverterit intelliget; non poterit ad eos, qui extra illius gentis censum sunt, ita pertinere, ut eo nomine quod sit à Mose tradita, eos obliget. Quod siqua pars illius Legis nunc obliget Christianos, (ut certè obligant præcepta Decalogi) ex accidente id fit, & ratione materiæ: non quia sic Moses præceperit, sed quia id, quod ab eo sic præceptum est, aut est Legi Naturæ consentaneum, aut à Christo est in Lege Novâ confirmatum. Dico secundò, Legem Mosis ceremonialem obligasse quidem Judæos in conscientiâ ante prædicatum ipsis Evangelium Jesu Christi: non item alios, nisi qui proselyti fierent Cultus & Religionis Judaicæ: qui cùm

essent duorum generum, Proselyti scil. Portæ & Proselyti Justitiæ Judæis dicti, obligabantur ad præcepta ritualia observanda; pauciora quædam illi prioris generis, hi, pariter ac ipsi Judæi, universa. A Christi autem morte & resurrectione, ex quo tempore cœpit Judæis solis primum, dein post paulò & Gentibus, prædicari Evangelium, usque ad eversionem Templi Hierosolymitani & Politicæ Judaicæ, fuisse hanc legem (ut post Augustinum loqui amant) mortuam, sed non mortiferam: hoc est, amisisse quidem vim obligandi; non tamen fuisse ritus à Mose traditos prorsus illicitos, sed liberæ observationis; ita ut fas esset homini cuivis, prout res postularet, habitâ interim prudentiæ & charitatis justâ ratione, ipsis pro arbitrio vel uti vel non uti. Quam fuisse B. Pauli mentem, ex ipsius constanti tùm doctrinâ tum praxi manifestius est, quam ut probari debeat. Post eversionem Templi denique à plerisque dici solere, non mortuam solùm esse hanc legis Mosaicæ partem, sed & mortiferam. Quod subvereor ne ingeniosiùs dictum deprehendatur quam solidiùs; nisi dextrè explicetur & cum adhibitâ distinctione. Non enim sunt omnia Ceremonialia pari loco habenda: sed illa quæ sunt Ordinis, & decentiæ, ab illis quæ futurum Christum figurabant, prudenter separanda. Ceremonias illas figurativas, quæ à DEO institutæ sunt, ut essent typi Christi redemptoris in carne venturi, cujusmodi fuere Circumcisio, Sacrificia, & alia nonnulla similia, certum est ex quo Christus omnia illis ceremoniis typicè figurata reipsâ adimpleverit, & omnia ritè esse adimpleta universo orbi per Evangelii sui præcones sufficienter annunciaverit, nullum jam ultra usum habere posse, proinde non solum ut emortuas & putidas è medio tollendas esse, sed ut pestiferas & exitiosas ab omni verè Christiano summopere fugiendas. Illud præsertim studiosissime cavendum, ut ne cum aliquâ necessitatis opinione observentur: juxta illud, Gal. 5. v. 2. *Ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christum vobis nihil profuturum esse.* At illæ Ceremoniæ, quæ ad externum tantum decorem & cultus divini solennitatem quandam pertinebant, etsi præstaret fortasse non usurpari, ubi saltem subesse potest justus scandali metus; non sunt tamen simpliciter damnandæ, ut illicitæ, hoc solo nomine, quod pædagogiæ Mosaicæ pars essent. Dico tertiò, utut nonnulli distinguant inter Leges Mosis Politicas eas, quæ erant Juris communis, quarum etiam notas quasdam assignant & κριτήρια, & eas, quæ erant Juris particularis; non esse neces-

necessarium ista sic distingui: imò rotundè affirmare posse, ex iis Legibus Mosis, quæ Politicæ aut Judiciales dicuntur, nullam omninò obligare Christianos Magistratus in utramvis partem: quin ut ipsis liceat, pro arbitratu suo, & prout incolumitati & utilitati Reipublicæ videbitur expedire, eandem apud subditos suos sancire, vel non sancire. Dico quartò, Legem Moralem, à Mose traditam, hoc est præcepta Decalogi, obligare omnes Christianos pariter ac Judæos, ad eam observandam. Et hoc quidem omnes, quod sciam, Protestantes uno ore confitentur: quo majorem nobis injuriam facit Bellarminus, qui nos fingit in eo ponere Christianam libertatem, ut nulli legi subjecti simus in conscientiâ, Moses autem cum suo decalogo nihil ad nos pertineat. Viderit quomodo se calumnia liberet; suosque (si nos in hac culpa) eodem crimine. Agitatur enim hæc controversia inter suos Scholasticos, teneanturne Christiani præceptis Decalogi, quatenus sunt declarativa Legis Naturæ tantùm, an etiam quatenus sunt Mosi à DEO, DEIque jussu à Mose populo DEI tradita, & in sacros Codices relata? aliis utrumque affirmantibus, aliis è duobus alterum negantibus? Est & in nostris Ecclesiis eandem reperire hac de re sententiarum, (si tamen sententiarum, & non verborum potius) diversitatem. Cæterum cum & illi inter se, & nos cum illis in eo, quod rei caput est, hactenus consentiamus; habere moralem legem eam, quæ à Mose tradita est, & in præceptis Decalogi continetur, vim obligandi nostras Christianorum conscientias: fortasse non est operæ precium, unde illam obligandi vim obtineat, multum litigare. Consultiùs tamen mihi loqui videntur, qui dicunt, Legem illam Mosis non obligare Christianos formaliter, & quâ talis, hoc est quatenus à Mose tradita est; sed tantùm ratione Materiæ, quatenus declarativa est legis Naturalis: & proinde vim suam obligandi omnem non ab authoritate Mosis eam sive ferentis sive tradentis derivare, sed ab ipso Naturalis legis dictamine, quam DEUS mentibus nostris & insevit in prima creatione, & ut voluntatis suæ monitorem in iisdem etiam post lapsum voluit permanere. Hæc de Lege vetere & Mosaica. Lex Nova sive Christi, hoc est, Evangelium tria ista continet: Mysteria fidei credenda, sub quo capite complector, & promissiones DEI gratuitas; Judicia Sacra Ceremonialia & Ecclesiastica: & præcepta demum Moralia. De quibus dico, & primùm de omnibus universim, Evangelium non obligare nisi vocatos, id est, eos solos, quibus annunciatum est. Quia ubi Lex non est, nec transgressio esse potest: moraliter autem,

tem, præsertim in supernaturalibus idem est non esse, & non apparere, sive non ita sufficienter proponi, ut possit iis innotescere. Disertè Servator Ipse, Johan. 15. v. 22. *Si non venissem, & locutus essem eis, peccatum non haberent*: i. e. non rei essent spreti Evangelii. Obligare tamen omnes, quibus prædicatum est, ad obedientiam tùm fidei, tùm vitæ, ita ut teneantur omnes, quibus Evangelium annunciatum est, & in Christum credere ut Redemptorem, & ipsi ut Legislatori parere: quod utrumque ni fecerint, in neglecti officii supplicium, pœnas æternas luent. Dico secundò, obligari Ecclesiam Christianam ad Instituta Sacra, (hoc est ad verbi prædicationem, Ministrorum Evangelii ordinationem, & Clavium tùm scientiæ, tùm potestatis, exercitium) in iis omnibus, quæ ad ipsorum essentiam pertinent, juxta institutionem Christi & Apostolorum: ita ut non liceat ei, multò verò minùs particulari alicui cœtui aut personæ, inde quicquam sponte vel imminuere vel immutare. Cæterùm externas Sacrorum Institutorum circumstantias ita esse liberas, ut possit Ecclesia quævis particularis, pro ratione locorum prout ex usu fuerit populi DEI, & ut ædificationi videbitur expedire, ita de eis statuere. Dico tertiò, Novi Testamenti Moralia Præcepta, eadem esse quoad substantiam cum Moralibus Veteris Testamenti: & utraque ad Legem Naturalem, quæ in decem Præceptis Decalogi continetur, esse revocanda; sicut omnia entia realia revocantur ad decem Prædicamenta. Esse tamen præcepta Christi in lege nova, ut Sancti Ecclesiæ Patres ubique testantur, præceptis Mosis in Veteri Lege, quoad aliqua multò præstantiora; non eo solum respectu, quod plenius, clariùs & explicatiùs proponuntur; sed quatenus etiam altiùs assurgunt, & ad eminentiorem perfectionis gradum Christianos provocant: idque efficacissimis utrinque θελκτηρίοις, proposito scilicet eis ex unâ parte Exemplo Christi præterito, ex alterâ amplissimo regni cœlestis futuro præmio. Ut in duobus illis magnis vitæ Christianæ officiis vel maximè patet, de diligendis inimicis, & tollendâ cruce, in lege novâ imperatis. Neque enim sunt illa, sicut aliqui somniarunt, eo duntaxat loco habenda, ac si Consilia tantum essent vitæ perfectioris; quæ sint omnibus proposita quidem sub conditione præmii amplioris, neminem tantum obligent sub peccato, nisi siqui se voto ad ea observanda obstrinxerint. Quinimo verè Præcepta sunt, eaque propriè dicta, & universaliter obligatoria: ad quorum observationem, sub gravi peccati culpâ (abnegati scil. Christi,) & æternæ damnationis (ni resipi-

piscant) pœnâ obligantur, quotcunque Christi fidem nomenque profitentur. Et hæc de secundo mentis lumine dicta sunto. Tertium restat, quod Lumen Acquisitum diximus. Quod sanè nihil aliud est, quàm ἀπτπλεσμα quoddam & incrementum illius luminis (sive Naturæ, sive Revelationis) quod ante menti inerat, quoad aliquem charitatis gradum: Cum scil. Voluntas DEI, cujus cognitio mentibus nostris hactenus illuxit, (sive internè impressa in lege naturæ, sive externè in verbo revelata,) aut propriâ meditatione, aut alienâ institutione, clariùs adhuc nobis innotescit. Cum media præcipua sunt; Discursus Rationis, & Authoritas, (hoc est judicium & praxis Ecclesiæ) de quibus nec patitur tempus, ut multa dicam; nec ut multa dicantur, res ipsa postulat. E Lege Naturæ deducuntur per discursum Rationis ad usum Conscientiæ, multæ particulares de rebus agendis Propositiones; velut Conclusiones ex suis Principiis. Quâ in re, nisi à prima ab ultimam ritè procedatur, proclive est errare; ut ante dictum est. Quare diligenter videndum, ut in singulis partibus discursus legitimus fiat processus, utque posteriora quæque à prioribus aptè pendeant, & ex eis necessario consequantur; ne Conscientia in errorem prolapsa voluntati aliud alitérve, quam oportuit, dictet. Periculum itidem est, ne in applicandâ Sacrâ Scripturâ ad usum Conscientiæ similiter erretur; nisi & rationis justa ratio habeatur, & Authoritati sua constet authoritas. Pontificii, dum in illam partem omnia studia sua conferunt, ut nequid Ecclesiæ suæ authoritati decedat, parum deferunt Rationi; Sociniani ex adverso, dum rejectâ omni authoritate fidem solâ ratione metiuntur, id tandem agunt, ut cum Ratione insaniant. Unus utrisque error: sed variis illudit partibus. Vitabitur uterque scopulus non aliter commodiùs, quam si cum ratione authoritas, cum authoritate ratio, scitè & prudenter conjungantur. Hactenus ille. Sed in eo hallucinatur primò, quod putat legem naturalem esse partem illius divinæ Imaginis, ad quam dicitur homo primum conditus & efformatus, Gen. 1. *Illa enim consistens in Iustitia & sanctitate veritatis*, Eph. 4. v. 24. totaliter est amissa, nec reliquiæ illius animæ supersunt in homine lapso, alia verò est ratio, si Imago Dei accipiatur laxe & in sensu ecclesiastico, quo modo & respectu Theologi ad reliquias illam legem retulerunt. Secundo quod statuit legem Mosis non obligare Christianos formaliter & præcepta nova admittit in Lege nova. Tertiò denique quod ad Lumen acquisitum addit authoritatis præcipuum Usum.

XI.

Dividitur communiter Conscientia in rectam, erroneam, probabilem, dubiam & scrupulosam, & hoc ex eo, quia quinque potissimum modis contingat Intellectum ex principiis communibus judicare, vel se habere circa actionem in particulari. Aut enim concludit ex principiis veris & certis, & erit conscientia recta, aut ex principiis falsis, creditis tamen pro veris & certis, & erit conscientia erronea, aut ex probabilibus seu vero similibus tantum & erit conscientia probabilis, aut Intellectus nihil concludens, suspensus manet, circa honestatum actionis, & erit conscientia dubia, aut denique Intellectus inani motivo titubans malum solum suspicatur & timet, & est conscientia scrupulosa.

XII.

Verum num hæc divisio sit adæquata & satis concinna, merito dubitari potest. Nam primò ipse Caramuel in plura segmenta propendet, & tale Schema exhibet in Theologia intentionali, lib. 3. Ita disserens: Bonæ Conscientiæ mala opponitur, & quia ipsa suos habet bonitatis gradus, oportebit considerare oppositos gradus malitiæ.

CONSCIENTIÆ GRADVS (non enim sunt species) ad hanc possunt Categoriam reduci.				CENSURA. Si hæreat.	Si asserat.	Si neget.
CONSCIENTIA. *Quando scilicet pars affirmativa proponitur.*	DUBIA	negativè: Timida. Positivè: scrupulosa.		*Secura & Prudens.*	Temeraria. Et improbabilis.	*Prudens, & sibi consulens.*
	PROBABILIS	minùs.	*Æquè tuta.*	Prudens.	*Minùs probabilis.*	Magis probabilis.
		æquè.	*Æquè tuta.*	Prudens.	*Æquè probabilis.*	Æquè probabilis.
		magis.	*Æquè tuta.*	Prudens.	*Magis probabilis.*	Minùs probabilis.
	CERTA	moraliter: Ferè evidens.		*Imprudens.*	Indubitata moral.	*Temeraria: Improbabilis.*
		physicè: Evidens.		*Imprudens.*	Indubitata real.	*Temeraria: Improbabilis.*
		De Fide: Religiosa.		*Periculosa.*	De Fide.	*Hæretica.*

Sed & dari solent dictamina confusa, & ex præcedentibus mixta.

Dixi

Dixi Dubiā-negativè nullam conſcientiam opponi, hæc enim hæſitabunda eſt, & in nullam contradictionis terminum inclinans: videtur abſtractorum naturam ſapere; Animal enim ut ſic, nec opponitur rationali nec irrationali, & dubium negativum nec errori nec ſcientiæ: ſi conſcientia dubia ſubjecto accidentis contrariorum comparetur, ſtabit ſimilitudo, nam ſicut ligno accreſcit calor aut frigus, ſic & dubio ſcientia aut error: & tamen, ſicut nec calori nec frigori lignum opponitur, ſic nec ſcientiæ nec errori dubium. Lignum accedente alterutra qualitate nil poſitivum, ſed ſolam privationem perdit, accedente ſcientiâ aut errore nil poſitivum intellectus dubius, ſed ſolam certitudinis aut erroris privationem amittit. Timidæ audax oppoſita, & utraque in morbo conſiſtit. Melancholia triſtitiaque ſæpè timorem, nonnunquam audaciam, imò temeritatem, & contemptum aut deſperationem pro materiæ quantitate parturiunt. Scrupuloſæ audax & temeraria etiam opponitur. Sanè ſcrupuloſa cauta, ab opere abſtinet, quòd vel levi conjectura apparet illicitum: Audax autem, aut temeraria, quia ſemper arrogans & præceps eſt, cùm vel leviſſima ratione excuſari ſe judicat, illicitas actiones committit. Probabili opponitur improbabilis, & magna differentia à Non probabili, Audaci, & Temeraria diſtinguitur; nam Non probabilis eſt illa, quæ probabili ratione caret, vel quòd nullam habeat, vel nullam robuſtam. Si nullam omninò, conſcientia taliter Non probabilis, à dubia negativè non differt; aut ſaltem ab audaci, ſi aliqualis accidat præſumtio aut deſperatio ex melancholia aut mœrore ſuborta: ſi habeat rationes aliquas, ſed nullam gravem, temeraria eſt. Cùm autem aliud ſit te non videre, rationes eſſe probabiles, aliud & omninò diverſum, te videre non eſſe probabiles: temerariam dicam, conſcientiam illam, quæ operatur ubi ſaltem probabilitatem non videt; improbabilem, quæ etiam, ubi videt non eſſe probabilitatem. Erronea contra evidentem militat; ubi enim altera contradictionis pars eſt evidens, altera ſine errore defendi non poteſt. Hæretica contra aſſertum fidei: nam circa objectum, de quo nihil revelatum, hæreſis verſari non poteſt. Secundò datur etiam conſcientia mollis, & cauteriata, quæ occalluit. Secundum Scripturam, 1. Tim. 4. v. 2. Tertiò dubia & ſcrupuloſa conſcientia non videntur mereri nomen & eſſentiam conſcientiæ, tum quia omne Judicium videtur dividi poſſe in verum, probabile, & erroneum, tum quia ſi conſcientia dicit judicium,

judicium, qui dubitat & nescit utri contradictionis parti accedere debeat, non judicat, sed judicium suspendit, tum quia alii etiam Doctores videntur illis derogare, nec admittere tanquam species sub genere conscientiæ contentas.

XIII.

Conscientia recta illa dicitur, quæ conformis est Regulæ, seu quæ id faciendum aut omittendum dictat, quod cum legibus divinis vel naturæ, vel etiam humanis verè convenit aut disconvenit; adeoque Basis rectæ conscientiæ primariæ & immediata est lex divina & naturalis, secundaria & mediata lex humana, & sicut antecedens circa facienda & omittenda occupatur, ita consequens circa facta vel omissa, quæ Bonitatem vel Malitiam aliquam involvunt. Modus autem dictandi est, vel per modum Imperii, vel suasionis, ille quidem obtinet in illis, quæ absolutè sunt facienda vel omittenda, hic verò in illis, quæ sub ratione melioris offeruntur, utrobique autem homini nil nisi Obsequii gloria relicta. Nec male Bernhardus in libro de interiore Bono, c. 20, quanquam alio paulo sensu: Recta conscientia est, cui suum peccatum displicet, & alieno non consentit, nec propter hanc peccatorem dimittit, nec ejus peccatum dissimulat, & cum corripit, non insultat. Tranquilla est, quia omnibus dulcis est & nulli gravis, utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad Benevolentiam, & quibus potest ad Beneficentiam.

XIV.

Non autem probanda videtur nobis primò Sententia quorundam Doctorum in Papatu Conscientiæ rectæ triplicem gradum secundum triplicis generis principia, ex quibus procedere debet, assignantium, ita, ut Conscientia recta primi gradus ac naturalis sit dicenda, quæ formatur ex principiis legis naturalis, v. gr. mihi non esse furandum, quia quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris; secundi gradus sit, quæ formatur ex principiis legis divinæ positivæ per Scripturam, vel traditionem infallibilem propositis intellectui, quæ quidem sicut contingat ignorari vel variis opinionibus involvi, unde tot hæreses & opiniones etiam in rebus fidei & morum, ideo conscientia inde deducta varia & etiam erronea invincibilis esse possit; tertii gradus sit, quæ formetur ex legibus positivis humanis. Nam primus gradus potius tribuendus esset illi Conscientiæ, quæ ex principiis legis divinæ formatur, agnoscente nostro Bal-

duino,

duino, qui ita censet: Lex naturalis obligat conscientiam, sed non tam propriè ut verbum DEI, quia licet cum verbo congruat, imbecillis tamen, languida & imperfecta est post lapsum. Præterea supponit hæc sententia, quæ verbi divini sunt, esse tantum legis divinæ positivæ, supposita procul dubio falsa illa hypothesi, quod Decalogus & lex naturæ coincidant, denique traditiones subdole adjunguntur, quæ scil. secundum Concilii Tridentini Decretum pari pietatis affectu cum Scriptura exosculandæ, quas perfectioni Verbi derogare abundanter nostri Theologi ostenderunt. Secundò sententia Bellarmini, quem cæteri quoque sequuntur, qui lib. 4. de Romano Pontifice accenset legibus positivis conscientiam, regulantibus leges ecclesiasticas à Papa & Episcopis sancitas. Tertiò sententia quorundam Pontificiorum, inter quos recensetur Oviedo, tract. 5. controvers. prima punct. 3. num. 22. qui desumunt veritatem vel falsitatem practicam conscientiæ à conformitate vel difformitate cum appetitu recto, ita ut tunc actus conscientiæ dicatur practicè verus, quando actus voluntatis ab illa regulatus est rectus & honestus.

XV.

Judicium autem seu Dictamen Intellectus potest esse verum sive rectum, vel falsum dupliciter, secundum Doctores, speculativè & practicè. Speculativè verum illud dicitur, quod est conforme, falsum verò, quod est difforme objecto suo, adeoque ita dictat vel enunciat agendum sicut revera se res habet, aut aliter quam res se habet. Judicium verum practice est, quod conforme rectæ rationi formatum scil. ex motivo rationabili ac prudenti secundum conditionem personæ operantis, practicè autem falsum est, quod difforme rectæ rationi, practicæ formatum sine sufficienti & rationabili motivo, secundum conditionem operantis. Applicatio autem principii ad conclusionem practicam, primò potest aliquando esse vera & speculativè, & practicè, & tunc emerget conscientia simpliciter vera & recta. Talis fuit conscientia Jacob petentis ingredi ad sponsam suam Rachelem Gen. 29. veluti ratiocinantis. Honestum & justum est ingredi ad sponsam & uxorem suam propriam. Principium verissimum. Sed Rachel hæc est uxor mea propria, desponsata septennali servitio jam absoluto. Applicatio etiam verissima, & speculativè, quia conformis suo objecto; & practicè, quia conformis rectæ rationi, fundata scilicet rationabili & liquidô motivô con-

tractûs legitimi facti. Ergò rectissimâ conscientiâ infert Jacob: Honestum & justum est ingredi ad hanc, dicens: Da mihi Rachel uxorem meam, pro quâ servivi tibi. Secundò Applicatio illa potest esse speculativè quidem falsa, practicè tamen vera, & tunc similis sequetur conscientia, dicta erronea invincibilis. Talis fuit conscientia ejusdem Jacob ibid. ingredientis ad Liam loco Rachelis suppositam à socero Laban, ac ita fortè ratiocinantis. Justum est ingredi ad suam. Principium verum. Atqui hæc est mea uxor: applicatio hæc, seu minor etsi speculativè falsa, quia difformis suo objecto, practicè tamen vera fuit, quia ex sufficienti & rationabili motivo sic judicavit, & secundum rectam rationem nec debuit, nec potuit judicare aliter. Non enim debebat, nec licitè poterat, sine causa de proximo suo, præsertim consanguineo & socero Labano judicare, vel suspicari malam fidem & fraudem in re tam gravi. Ergò, licet speculativè falsa & erroneâ, practicè tamen omninò verâ conclusione & conscientiâ intulit Jacob: Licet mihi ingredi ad hanc. Et dicitur hæc conscientia erronea, invincibilis & inculpabilis: quia error ille speculativus, eo ipso, quia ex rationabili motivo processit, ut recta ratione aliter judicari non possit vel debeat, censetur morali studio non posse vinci vel deponi, nec consequenter culpabilis. Tertiò denique applicatio illa potest esse etiam practicè falsa, & nascetur conscientia erronea vincibilis, qualis potuisset esse conscientia Jacob ingredientis ad Liam, si à viro gravi & fide digno de fraude præmonitus, aut ipse fraudulentiam soceri sæpius expertus fuisset, & tamen sine alia adhibita diligentia inquirendæ veritatis ad Liam intrasset: Esto enim verum principium: Justum est ingredi ad suam, at applicatio: Hæc est mea: falsa fuisset, non tantum speculativè, quia difformis suo objecto, sed etiam practicè, quia difformis rectæ rationi practicæ: quia sine sufficienti rationabili motivo ita judicasset, si habitâ probabili suspicione fraudis, aliam diligentiam cognoscendi veritatem non adhibuisset: consequenter conscientiâ speculativè & practicè falsâ & erroneâ ad Liam intrasset & peccasset. Et dicitur talis conscientia vincibilis & culpabilis: Quia eo ipso, quo absque sufficienti motivo sine debita diligentia inquirendi veritatem, erratur, censetur error morali studio vinci ac deponi potuisse, adeoque culpâ non vacare in re quam scire debemus: Ut si die jejunii dubitans de præcepto, absque alia inquisitione tibi persuadeas non esse jejunium, licere vesci carnibus, &c. Conscientia erronea

ronea vincibilis & culpabilis esset, nec excusaret à transgressionis peccato: ut exponunt Doctores Pontificii.

XVI.

Divisi verò sunt primò fratres circa judicium Conscientiæ; quale scil. requiratur ad Bonitatem vel malitiam actus humani. Quidam enim cum Cajetano & Navarro ad bonitatem moralem requirunt judicium practicè certum excludens omnem formidinem partis oppositæ, quidam verò, qui laxiores, sufficere putant judicium probabile practicè dictans aliquid licere, tametsi cum formidine partis oppositæ, quod maxime placet Salasio, tract. 8. seq. 4. Loreæ disp. 34. Vasquezio disp 61. cap. 5. Montesino disp. 29. quæst. 5. & Thomæ Sanchetio lib. 1. summæ cap. 9. num. 18. Secundò divisi sunt in eo, an contra conscientiam agere sit peccatum speciale, quod affirmat in 4. quæst. 4. & Angestus in moralibus cap. 7. Dub. 3. communiter vero negant, cum Medina, Corduba, Valentia, Granado, Azorio, idque ex eo, quia si agere contra Conscientiam esset speciale peccatum, secuturum, quod quoties quis peccat peccato furti, e. gr. toties duplex peccatum committeret. At hoc non est absurdum, & gemellum argumentum illi, quod contra votum Baptismi urgent Pontificii, quod scil. si promissio in Baptismo votum esset proprie dictum, omnia Christianorum peccata essent duplicia, quia contra legem & contra votum, quod tam absurdum nostris non est, ut ambabus manibus amplectantur sententiam illam, de duplici peccato, prælucente non tantum Origene homilia 12. in Jerem. sed & Nazianzeno Oratione 40. cujus sunt sequentia. Nam cum ad mutua hominum pacta firmanda DEUS medius adhiberi soleat, quantum quæso periculum est, ne fœdera cum ipso contracta perfregisse reperiamur, ac præter alia peccata ipsius quoque mendacii, apud veritatis Tribunal rei peragamur: quid annon satis clarum illud Christi Lucæ 12. vers. 47. *Servus, qui scit voluntatem Domini sui & non facit eam plagis vapulabit multis*: unde autem nisi ex multiplicato peccato. Tertiò, divisi sunt circa obligationis in conscientia Dispensabilitatem, quibusdam cum Andrea à Castro novo & Corduba, illam admittentibus malè, quibusdam verò & quidem rectius, negantibus.

XVII.

Erronea Conscientia illa dicitur, quæ difformis est Regulæ sive Legi, vel cujus Judicium à jure divino aut humano discedit, & quæ

dictat faciendum vel omittendum, quod faciendum vel omittendum non est, de qua disquiritur, num obliget, ita ut peccet, qui contra illam agit? ubi confestim distinguendum inter ignorantiam & errorem vincibilem, qui scil. ab homine debitam adhibente Industriam & operam evitabilis, utpote, qui ignorat, quæ scire poterat ac debebat, & invincibilem, qui nulla opera humana caveri aut declinari potest, & utraque vel juris vel facti esse dicitur, nec non vel de re per se bona aut mala vel etiam de aliqua ind fferenti, si error est vincibilis, atque de re bona aut mala per se tali peccat sanè tam qui secundum, quam, qui contra conscientiam errantem agit, prius in errorem consentiendo, & id ad quod tenetur deponere, non deponendo, non diligentiam debitam adhibendo. Posterius animo suo vim inferendo, utut enim talis actio in se spectata legi non repugnèt, interim quia mens hominis hîc quoque venit consideranda, eo ipso, quo contra illam agit, peccare censendus erit, & hoc docet Paulus: *Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est*, Rom. 14. v. 14. si vero error invincibilis sit, ut de re indifferenti, censent Doctores peccare, qui contra conscientiam errantem agit, non verò, qui secundum eam, qui enim contra conscientiam errantem agit ex eo malè agit, quia actio ejusmodi conjuncta est cum peccandi & leges transgrediendi voluntate. Non autem peccat, qui secundum illam agit, quia sequitur normam agendorum, utut conscientia ignorantia vel errore nulla humana diligentia superabili laboret.

XVIII.

Nimis vero laxè hîc sunt Pontificii Doctores, qui primò cum Francisco Bardi, Jesuita in Collegio Panormitano Professore statuunt, Conscientiam etiam erroneam invincibilem actum sibi ea conformem honestum, seu moraliter bonum efficere, imo ut alii addunt, meritorium. Atque hanc communem esse sententiam tradunt & confirmare satagunt. Ratio ipsis est, quia actus humanus sumit suam specificationem adeoque honestatem, seu bonitatem & malitiam moralem ab objecto, non secundum se, prout est à parte rei, sed ut proposito seu repræsentato ab intellectu per dictamen rectæ rationis, si non speculativè, saltem practicè verum: cùm enim voluntas potentia cœca, non possit tendere in objectum nisi ut propositum ab in-

tel.

tellectu: intellectus autem noster pro hoc statu difficulter cognoscat singularia, præsertim practica, ob eorum diversissimas circumstantias, nec ratio, nec bonitas divina permittit voluntatem in honestè operando dependere ab objectis prout sunt in se; sed prout rationabiliter proponuntur ab intellectu: atqui etiam conscientia erronea invincibilis practicè verè proponit aliquid esse bonum honestum, v.g. *mentiendum officiosè pro servanda vita proximi: furandum ditiori ut des egenti*, &c. ergò voluntas in sua operatione sequens conscientiam etiam erroneam invincibilem efficit actum honestum seu bonum moraliter, illius nimirum virtutis, cujus esse rationabiliter putatur: adeoque tunc mentiri vel furari erit verus actus moralis misericordiæ vel charitatis, & tunc etiam meritorius: sicut econtra, non sequens vel contra faciens efficit actum peccaminosum, contra illam virtutem. Secundò frustra quidam distinguunt inter ligare & obligare cum Durando, Gregorio, Angelo, Almaino, statuentes conscientiam erroneam non obligare, sed ligare, quia nulla possit esse obligatio ad faciendum id, quod in se sit illicitum de quâ Judicium. In hac Opinione judicant alii non hærendum, quia solâ voce dissentire possit ab aliis: in uno enim sensu verè dicit, non obligare conscientiam; nam absolutè loquendo non teneor illam sequi, sed potiùs debeo eam deponere, in eodem tamen sensu debuisset dicere Durandus, nec eam ligare; quia si possum me ab ea expedire, non sum propriè illâ ligatus. Quod si, quatenus non possum contra eam, seu eâ durante, facere contrarium ei, quod dictat, dicenda sit ligare, ut etiam videtur innuere Thomas in 2. dist. 39. art. ult. in corp. dum ait, obligationem conscientiæ nihil esse aliud, quàm vinculum quo adstringimur, ut non possimus sine peccato aliud operari: si, inquam, in hoc sensu explicetur illa vox *Ligare*, sine dubio verum dicit; quoad latinitatem verò deficit, quia sicut illud vocatur ligamen secundùm quid, ita etiam secundùm quid debuisset dici obligare. Tertiò, Gabriel Vasquez reprehenditur ab Arriaga, quod disput. 60. num. 4. ut explicet, quo pacto conscientia erronea obliget, doceat in Mente illius, quæ eam habet duo esse diversa judicia: quando v. g. putat se teneri ad mentiendum propter tutandam vitam innocentis: Unum, dicit, necessarium est mentiri; alterum, peccatum est non mentiri. Primum judicium (ait Vasquez) non obligat, si verò secundum. Cui subjicit sententiæ suam crisim his Verbis: Ego tamen nulam agnosco inter ea

duo judicia differentiam; nam primum, quod dicit, necessarium est mentiri, non id dicit per modum imperii; benè enim alibi ipse Vasquez talia imperia rejicit: nec item dicit physicè, necessarium est mentiri, agnoscit enim homo se esse liberum physicè ad non mentiendum; ergò solum potest dicere illud judicium, moraliter necessarium est mentiri, hoc est, ne peccem necessarium est mentiri: hoc autem dicit formalissimè secundùm illud judicium, & nihil amplius; ergo non duo, sed unum sunt; ideoque non minùs unum quàm alterum obligat. Nec video, quomodo ibi Vasquez differentiam invenerit; fortè fuit error calami, vel typographi, & loco necessarium debeat scribi licitum; & sic rectè apparet & diversitas judiciorum, & quo pacto primum non obliget; nam dicere, licitum est mentiri, non inducit obligationem: non enim omnia, quæ sunt licita, sunt eo ipso obligatoria. Vel certè alius fuit error, ut loco necessarium dici debuisset, malum est mentiri; per secundum verò judicium etiam dicatur, malum est non mentiri. Et hic sensus videtur ibi fuisse magis intentus à Vasquez, ut explicet, quomodo talis homo per conscientiam erroneam utrumque judicat esse peccatum. Primum autem judicium non obligat ad mentiendum, potiùs retrahit seu obligat ad non mentiendum.

XIX.

De Conscientia erronea vincibili statuunt Doctores, illam non obligare positivè ad sui sequelam, sed negativè tantùm ad non agendum contrarium, quamdiu durat. Non obligat positivè ad sui sequelam. Ratio est. Quia nulla potest esse obligatio ad malum formaliter: sed actus factus ex conscientia erronea vincibili, culpabiliter dictante bonum, quod revera malum est, & ipse formaliter malus est, & indirectè saltem voluntarius in sua causa, scilicet errore vincibili: Eo ipso enim quo, cum potuisses & debuisses vincere errorem inquirendo veritatem, culpabiliter neglexisti, sicut indirectè saltem voluisti ipsum errorem, ac voluntariè malum pro bono habuisti: ita operando censeris indirectè saltem voluisse ipsum malum voluntariè ignoratum: Ergo conscientia erronea vincibilis non potest obligare positivè ad sui sequelam, quin potius actum sequentem formaliter malum efficit. Obligat negativè ad non faciendum contrarium quam diu durat. Ratio est. Quia nunquam licet agere, id quod actu proponitur esse malum: sed conscientia erronea etiam vincibilis, falsò licet, dictans aliquid esse agendum

dum ut bonum debitum, v. g. pejerandum ad liberandum hominem; hoc ipso dictat ejus oppositum, utpote, nolle pejerare ad liberandum hominem, esse malum contra misericordiam vel charitatem: ergo conscientia erronea vincibilis quamdiu durat & dictat, obligare negativè ad non faciendum oppositum: idque pro ratione dictaminis.

XX.

Oritur autem conscientia erronea secundum Doctores, ex duplici genere causæ, quorum aliud formale aliud effectivum: formale autem appellant modum quemdam, sub quo generatur, illumque declarat Thomas quæst. 17. de verit. artic. 1. & Antoninus in summa part. 1. titul. 3. cap. 10. §. 3 & ajunt esse duplicem, quia conscientia, cum sit quædam applicatio scientiæ ad aliquem specialem actum, ipsa applicatio poterit esse deficiens, vel quia id, quod applicatur sit falsum; vel quamvis verum sit, malè tamen applicatur: quemadmodum in rebus speculativis conclusio deficiens esse potest, vel quia ex falsis præmissis infertur, vel quia veræ præmissæ non rectè disponuntur secundum formam syllogisticam; exemplis omnia explicant: primò autem modo conscientia error accidit ex applicatione falsi, & quoniam, ut ex dictis est manifestum, conscientia synteresis notitia utitur, quæ errare nequit, cum sit circa principia per se nota, idcirco in majori propositione notitiam hanc continente non contingit error, in minori vero juxta primum hunc modum assumpta invenitur falsum, atque adeò conscientia erit falsa, quia conclusio, in qua ipsa conscientia sita est, talis erit. V. G. si intellectus hoc principio practico, & per se noto utatur, quod synteresis subministrat: Omne, quod à DEO prohibetur, est malum; & ratio superior subministret minorem ex falsa sacrarum literarum intelligentia: Omne juramentum à DEO prohibetur, dum Jacobi 5 dicitur; *Nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque quodcunque aliud Juramentum*, *&c.* Ex his præmissis falsum concludat: Ergo omne juramentum est malum; conscientia ista in conclusione erit erronea per assumptionem minoris, quam subministrat ratio superior, vel si dicas: Nullus contractus habens æqualitatem justitiæ est prohibitus, iste contractus inter me & Titium habet æqualitatem justitiæ; ergo non est prohibitus. Si autem per assumptionem eveniat, ut ille contractus sit usurarius, conscientia concludens erit errans per assumptionem minoris subministratæ à ratione inferiori, major erit vera, & manifesta.

XXI. Se-

XXI.

Serenat autem Conscientiam Ignorantia, vel Errore involutam Verbum Domini, quod Lucerna pedibus nostris, Psalm. 119. neque melius agere potest, quam si ad illam deponat ignorans vel errans illam, de quo tamen contendunt. Ut videre est apud Tamburinum lib. 1. §. 119. 11. 12. scribentem: Non peccaret quis ex Conscientia erronea, si errorem relinqueret, seu à se illum removeret. Docet ergo Cajetanus, p. 2. q. 19. a. 5. posse hujusmodi errorem removeri sine ulla nova superveniente ratione, sed solum per exclusionem judicii erronei. Errat, v. gr. quis putando hodie esse diem festivum; judicet non esse, & sic laboret. Vasquez p. 2. d. 67. c. 1. num. 5. vero docet debere adesse rationem, quæ vincat illum errorem, non quamcumque, sed efficaciorem illâ, per quam conceptus est error. Putavit quis v. g. hunc diem feriæ esse diem festivum ex dicto unius testis fide digni, non potest deponere hunc errorem nisi vel per plures testes eadem fide dignos, vel per testem digniorem certior fiat de contrario. Ajo enim primò contra Cajetanum, necesse, ut error deponatur ex vi alicujus rationis saltem probabilis. Ratio est, quia secus, temerariè priùs illud judicium licet in se erroneum, sed à te non ut sic cognitum relinqueres. Adde, si nulla affulget ratio contra ejusmodi prius judicium, non posse intellectum judicare contrarium, quantumcumque à voluntate imperetur; intellectus enim est potentia necessaria, quæ objecto cuilibet non assentitur, nisi ex vi alicujus tandem veritatis visæ in aliqua ratione saltem probabili. Limitant nonnulli Merolla aliique quos citat. sequiturque Bardi de consc. disc. 3. c. 11. n. 5. Pergit secundò contra Vasquez, ad depellendum errorem, de quo loquimur, satis esse rationem probabilem, nec necessarium esse sive probabiliorem, sive efficaciorem. Ratio est ducenda ex eo principio quod infra §. seq. sæpe repetetur, nimirum posse quemlibet moveri ad prudenter operandum ex qualibet ratione probabili: Si igitur unus dignus fide asserat hodie non esse diem festivum, alter verò eadem dignus fide neget, cur in tanta æqualitate illi potius, ut contendit Vasquez, fides habenda sit, quam huic; Certè, vel neutri, vel probabiliter alterutri, ut maluero. Vide etiam Bardum.

XXII.

Probabilis Conscientia illa est, quæ facienda vel omittenda dictat cum formidine aliqua oppositi. Quæ probabilis dicitur, quia ex prin-

principiis probabilibus tantum procedit, ut enim cum ſub principio συντηρήσεως ratio ſubſumit aliud principium certum, naſcitur conſcientia recta, ita quum eadem Ratio aſſumit per opinionem probabilem principium incertum, quidem cognitum & cui falſum ſubeſſe poſſit, attamen certo veriſimile ac probabile, oritur Conſcientia probabilis ſeu opinativa, requiriturque hîc aſſenſus, ut ſcil. Intellectus aſſentiatur objecto, & ad unam contradictionis partem ob certas rationes aliquas declinet, qua ratione à dubia diſtinguunt, ubi merum ancipitium, nec non præter illum aſſenſum formido oppoſiti, non quidem dubitativa, quia ad alteram contradictionis partem inclinat jam conſcientia, ſed aſſertiva, quæ ſcil. non excluſiva determinati aſſenſus, cum rationes ſunt in proclivi Aſſenſus, verum ex defectu evidentiæ aut certitudinis ex quo fieri poteſt ut oppoſita pars ſit vera. Duo autem illius ſecundum Bardum capita ſunt univerſalia, ſeu fundamentalia nempe Authoritas & Ratio eſt ſcribentem: Hoc fundamentum duplex, extrinſecum omnino, & talis eſt auctoritas; vel connexum, & aliquo modo intrinſecum, & tales ſunt rationes adinventæ ad probabilitatem ſuadendam, & opinionem ipſam: proinde opinio aliqua dici ſolet probabilis per principia extrinſeca, & intrinſeca, vel alterutro ex his, modo explicato, ſive magis, ſive minus juxta qualitatem fundamenti, in quo ſe fundat opinio. Obligat hæc conſcientia probabilis in rebus indifferentibus, vel etiam moralibus & cœlitus in verbo DEI non determinatis cum conditione tacita, ſi ſcil. aliud non affulgeat melius; ſi vero ſermo ſit de rebus fidei, probabilis conſcientia nec ſufficit, nec ſequenda, etiamſi pro illa ſtent Conciliorum Canones, Pontificum Decreta, communis Doctorum ſententia, conſuetudo adulta, & quæcunque poſſunt habere rationem vel argumentorum vel authoritatis alicujus. Manet enim fixum illud: 2. Petr. 1. v. 19. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis, attendentes, quaſi lucernæ, lucenti in loco caliginoſo; donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris*, Exod. 23. v. 2. *Turbam ad fugiendum malum ne ſequitor, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies.*

XXII.

Illud autem eſt, quod primò in Pontificiis Doctoribus deteſtamur, quod aſſerunt probabilem omnem Opinionem etiam falſam, & legi divinæ contrariam à peccato coram DEO excuſare, quam impugnarunt

runt multis Parochi Parienses : Quam doctrinam illi, teste Montalto ex Thoma hauserunt, & egregio illius loco confirmarunt, quem non pigebit hîc attexere. Respondeo, inquit Quodl. 8. art. 13. dicendum, quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: uno modo, faciendo contra legem, ut cùm aliquis fornicatur; alio modo, faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem; ut si conscientia dictat alicui, quod levare festucam de terra sit peccatum mortale. Ex conscientia autem obligatur aliquis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit, sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum; nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam: & similiter, quod est contra conscientiam, est malum, quamvis non sit contra legem. Quod autem nec contra conscientiam, nec contra legem est, non potest esse legum. Dicendum est ergo, quod quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, ut pote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; & sic cùm faciat contra legem DEI, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam: sic enim contra legem DEI facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria quam iste sequitur, ita quod verè licet habere plures præbendas; & tunc distinguendum est: quia aut talis habet conscientiam de contrario; & sic iterum peccat, contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem: aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem; sed tamen in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum: & sic si manente dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit; & sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem: aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat. Nihil illo loco planius, nil evidentius. Loquitur enim de ea sententiâ, de quâ dissidebant inter se Theologi. Inveniuntur enim, inquit quodlib. 9. art. 15. de ista quæstione Theologi, & Juristæ Juristis contraria sentire: & tamen de hac quæstione sic controversâ pronuntiat, non utramque opinionem esse securam; sed contrà, cum ex duabus alterutra tantùm sit vera, eum qui contra veram opinionem facit, quia facit contra legem DEI, certissimè peccare. Idem quod dixerat quodlibeto 8. art. 13. repetit quodlib. 9.

lib. 9. art. 15. Non minus significantibus verbis, nec minus cum vulgari Casuistarum doctrinâ pugnantibus. Respondeo, inquit, dicendum, quod omnis quæstio in quâ de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculosè determinatur: quia error quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet forte à tanto. Error verò quo creditur esse mortale quod non est mortale, ex conscientiâ ligat ad peccatum mortale. Præcipuè autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac quæstione accidit. Postremò quodlib. 3. art. 10. eandem rursus doctrinam tradit his verbis: Respondeo dicendum, quod diversæ opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ, siquidem non pertineant ad fidem & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt. Tunc enim habet locum quod Apostolus dicit ad Rom. 14. Unusquisque in suo sensu abundet. In his vero, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri. In talibus enim ignorantia non excusat. Quem locum non puduit Jesuitas, ut ante notavimus, insigni perfidiâ adulterare, quasi scripsisset: In moralibus quilibet excusatur sequens opinionem erroneam Magistri. Secundò quòd è duabus opinionibus probabilibus minus probabilem & minus tutam amplecti quis possit secundum illos, de quo ipsi ita: Etsi minus probabile & tutum censum germanicum esse licitum. Circumstantias aggravantes tantùm, non esse confitendas, tamen licet hoc, ita enim contra Gerson. Henric. Antonin. Gabriel. Major. Cordubam Angel. Armill. Conrad. Sotum & alios, quos novissimè late citat & sequitur Candidus Philaletus lib. de opinionum praxi. c. 5. Docet modo communis Doctorum. Navarrus Si in c. quis autem. d. 7. de Pœnitentia. Sanch. Vasq. Laym. supra citati. Tanner. tom. 2. disp. 2. q. 4. dub. 3. Et quinquaginta duos citans Pasqualigus Decisionum Moralium Decis. 5. num. 3. alii apud Franc. Bardi hic discept. 4. c. 40. Ratio sumitur ex dictis. Quia quilibet potest prudenter sequi opinionem vere probabilem, quæ scil. nixa ratione alicujus momenti vel auctoritate gravi, non est aliena à recta ratione: & verè tutam, quæ nimirum excludat verum peccandi periculum: Atqui opinio etiam minus probabilis & minus tuta, est & manet verè probabilis & tuta: nihil obstante, quod alia opinio opposita sit, vel appareat probabilior ac tutior: quia major illa probabilitas & securitas oppositæ sententiæ non destruit probabilitatem & securitatem, quamvis mino-

minorem, opinionis alterius, quin maneat verè probabilis & tuta. Sicut major bonitas unius actus virginitatis, e. gr. non destruit minorem bonitatem alterius actus conjugalis, quin sit & maneat verè bonus & tutò amplectendus, ergo, &c. Adde: quod alia opinio appareat probabilior, sæpe esse apparens tantùm, vel ex subtilitate, vel pompâ Doctorum assentientium. Et sæpe, quæ apparent minus probabilia, sunt magis vera, & contra verum est illud: Multa falsa sunt probabiliora veris. Est sanè consilii & perfectionis in actionibus moralibus sequi semper id quod optimum atque tutissimum videtur, non tamen id est præcepti vel obligationis, sed sufficit sequi quod est verè bonum & tutum: alioquin consilium non differet à præcepto: & nimis gravis obligatio homini operaturo incumberet. Non ergo hic locum habet illud: In dubiis tutior pars est eligenda. Et, Oportet tenere certum, & dimittere quod incertum est. Quia licet hic intellectus maneat dubius & incertus speculativè de veritate vel falsitate hujus opinionis, non tamen manet dubius, sed omninò certus est de ejus probabilitate, atque practicè certo se resolvit licere sic operari conformiter ad opinionem verè probabilem & tutam, etiamsi minus probabilem & tutam, quam ejus opposita. Et hanc sententiam prolixe defendit Franciscus Bordonus, Parmensis contra Candidum Philalectum Presbyterum Genuensem, qui viginti argumentis in contrarium nititur. p. 37. & 46. Tertiò quod statuant etiam, si quis propriam opinionem probabiliorem habeat, & tutiorem visam, non tantum licere sequi probabilem Opinionem, sed etiam aliquando debere. Concludunt enim tum quoque licere. Adde etiamsi rationem insolubilem pro ea se habere credat: v. g. Vir doctus pro se habere opinionem, quam ex principiis intrinsecis, non tantum probabiliorem, sed etiam omninò veram judicat, utpote in recitandis horis requiri devotionem, & attentionem internam: nihilominus in praxi poterit sequi oppositam sententiam, quam ipse non modo minùs probabilem, verum etiam speculativè falsam arbitratur. Vasq. Azor. Sanch. Tann. alii citati. Ratio est. Quia cum hoc, quod suam sententiam probabiliorem vel omninò veram, atque oppositam falsam judicet speculativè & ex principiis intrinsecis seu rationibus, quæ ipsi apparent insolubiles, adhuc stat, quod oppositam sententiam aliorum auctorum, extrinsecè saltem censeat vere probabilem practicè, & tutò sequendam in praxi, suasque ab aliis esse solubiles vel solutas, etsi ipsi solutio non occurrat. Nec valet objectio. Nullus licitè potest agere id quod probabiliter putat esse illicitum

tum

tum : sed loquens opinionem minus probabilem & tutam æstimatam, probabiliter imò probabilius putat esse illicitum id quod agit : Ergo, &c. Resp. Distinguendo Majorem. Nullus potest agere id, quod putat esse illicitum practicè : Concedo M. quod putat esse illicitum speculativè tantum : Nego M. & similiter distinctâ min. consequentiam. Quamvis enim talis juxta suam sententiam probabiliorem, speculativè judicet oppositum esse illicitum : v. gr. voluntariè distrahi in horis : quia tamen oppositam sententiam censet verè esse probabilem, inde practicè certò se resolvit, licitum esse sic operari hic & nunc, & nullo modo illicitum, quod valde notandum est. Unde rectè inferunt Doctores citati, quod vir doctus alteri consilium petenti, consulere possit, non tantum ex propriâ opinione, quam ipse ut probabiliorem, & tutiorem tenet, sed etiam ex opposita probabili aliorum sententiâ. Addit Laym. cit. cap. 5. §. 2. num. 9. Etiamsi Doctor ille oppositam aliorum sententiam omninò improbabilem vel falsam judicet, eamque ipse in praxi sequi non possit, posse tamen consilium petenti significare, talem opinionem ab aliquibus viris doctis & gravibus defendi, quam proinde ipsi sequi liceat. Cum enim consulens in re dubiâ jus habeat se conformandi opinioni, quæ à viris doctis ut probabilis defenditur, præsumendo, quod rationabili fundamento nitantur, non obstante, quòd alii contrà dicant, poterit doctus consultus hoc ipsum jus consulenti significare. E quandoque etiam debet seu tenetur quis sequi opinionem minus probabilem vel minus tutam, etiam contrà propriam, &c. Ratio est : quia quilibet tenetur satisfacere suæ obligationi, quando id sine peccato præstare potest, sed potest contingere quòd quis obligetur satisfacere suo officio, non obstante opinione minus probabili & minus tutâ secundum ejus judicium : ergò cum talem opinionem sine peccato sequi possit, ut probatum est, etiam sequi tenebitur. M. est certa. Minor constat maxime in subdito & Confessario.

XXIII.

Illud prætereà maximè improbamus, quod etiam ad res fidei illam probabilitatem extendant. Unde etiam Montaltus : Nihil in totâ probabilitatis doctrinâ perniciosius est, quàm quod latissimum ad omnem impietatem aditum pandit. Vidimus jam horrendos illius fœtus. Quidquid enim his Litteris exhibetur, quidquid in Parochorum continetur excerptis, quidquid à Montaltio & à Parochis vel pudore vel prudentiâ compressum

pressum est, ex hoc potissimum fonte profluxit, ex hoc maximam veneni sui partem trahit. Nam ex privatis singulorum erroribus habent opiniones quod probabiles dicantur; sed ex generali probabilitatis doctrinâ id habent, quod tutæ, quod innoxiæ, & securæ, & in praxi usurpandæ existimantur. Nemo illis, quæ jam prodierunt, opinionum portentis Ecclesiam defunctam putet: imminent alia longe majora pericula; nec hîc consistet ista pernicies. Tam latè funduntur scelerati dogmatis rami, ut in totius Religionis apertè grassentur exitium, & in omnium denique Religionum horrendam permixtionem tendant. Caveant Jesuitæ, qui alios negatæ Incarnationis nefariè accusant, ne, quamquam præter mentem & propositum suum quandoque dicantur Deistarum Principes. Omnia sunt incerta, inquit Cicero, cum semel à jure discessum est: omnia nutantia, fluxa, mobilia, cum semel fidei ac veritatis retinaculis abruptis, omnia erraticæ rationis arbitrio permissa sunt; Permittuntur autem omnia hoc semel dogmate suscepto: Falsum probabile à peccato excusare, & ad honestandam actionem sufficere. Eccui enim non suus error probabilis est, non in moribus modò, sed & in fide? Quam multæ hæreses plus coloris habent, quam illæ, quæ dicuntur ab ipsis probabiles opiniones? nec invenient unquam Jesuitæ limites ullos quibus istius opinionis perniciem coërceant. Nunquam dicent quod falsum probabile excuset, quod non excuset: eadem enim in omnibus ratio. Video quidem illos ad oram præcipitii delatos, aliquando territos resilire, & nescio quas causationes afferre. Sed longe falluntur, si voluntariis exceptionibus, nihil firmitatis habentibus, sustineri posse præcipitantis ingenii impetum sperent, præsertim ad audendum tam præclaro securitatis oblatæ præmio incitati. Non vanas hîc formidines objicimus, nec id ex hoc dogmate nostro ingenio elicimus. Ipsi Casuistæ quàm hoc sit consequens agnoscunt; ipsi totius impietatis fundamenta locant: ipsi expetitum illud impiis dogma: Ad salutem in sua quemque Religione, quam probabilem putet, posse pervenire: non informant modò, sed penè perficiunt; ut illi nonnisi extrema manus addenda sit. Quo tendit enim illud Thomæ Sanchez ab Escobario relatum Theol. moral. p. 39. Infidelem cui proponitur nostra fides, ut magis credibilis, dum ejus secta probabiliter adhuc credibilis, appareat, non teneri ad recipiendam nostram fidem extra mortis articulum? Quam postremam exceptionem removent Sancius & Diana, qui

qui putant, ut ait idem Escobarius, mortis articulum haud novam regulam operationum inducere moralium, & consequenter asserunt infidelem illum nec in mortis articulo teneri ad credendum. Quis hæreticus jam propter hæresim damnari poterit, cum nullus sit pene, qui non affirmare possit, sibi sectam suam visam esse probabilem; nec modo probabilem, sed probabiliorem fide Catholica; Quod si sine peccato in illâ hæresi permanere potest, potuit etiam sine peccato illam amplecti; & sic nihil ad salutem interest catholicus sis, an hæreticus. Quod ita certissimè cum iis principiis cohæret, ut Caramuel in probabilitatis dialecticâ intelligentissimus, & eò deterior, quod ex falsis principiis accuratius consecutiones elicit, imparem se agnoverit ad hanc dubitationem solvendam, totamque in medio reliquerit; si hoc est in medio relinquere aliquod dogma, hinc validis rationibus stabilire, illinc nec verbum quidem pro alterâ parte proloqui. Locus quem indico, extat p. 472. Qui Basanomenus Lutheranorum filius, & in Lutherani urbe natus, inter Lutheranos nutritus, magistros habuit & prædicantes Lutheranos; sic ubi primum P. Valerianus, Magnum Capucinorum decus, & alios audivit inculcantes, vel esse redeundum ad Romanam Ecclesiam, vel recedendum à Christo, fervidè insurrexit & dixit: Christianismus probabilissima Religio est, & sub ipso dantur sectæ antiquiores, juniores, severiores, benigniores, universaliores, minus universales (& præcipue Romana, Lutherana, Calviniana,) quæ sunt vere probabiles. Ergo mihi Lutherano non est necessario redeundum ad Romanam Ecclesiam, aut secedendum à Christo. Nam præter Romanam Religionem, cui probabilitatem non nego, etiam Lutherana est Christiana, & probabilis, & multo Romanâ benignior. Vim rationis jam penetras; jam vides quo respiciat hæreticus. Tenet primò esse probabile, quod DEUS mentiri nequeat: Secundò esse probabile quod revelarit sacram paginam, &, si velit ut sic loquar, dictaverit: Tertiò esse probabile quod eandem Romana Ecclesia benè exponat; & tamen addit, iis non obstantibus harum antitheses esse probabiles. Resolutionem hanc sic ille confirmat & dilucidat Doctrinâ Aristotelis, inquit, prout hodie traditur in Academiis Italicis, Hispanicis, Gallicis, probabilissima est: nec contra hanc ipsam probabilitatem militat mundi æternitas, & animæ rationalis mortalitas. Nam isti & similes errores sunt expuncti, nec jam traduntur à Christianis Philosophis. Hæc ipsa do-

ctrina

ctrina & schola Aristotelis in tres sectas dividitur, Thomisticam, Scoticam, & Nominalem; omnes probabiles, omnes celebres, omnes plausibiles. Dicant Dominicani (nostra schola Aristotelica est, & antiquior Nominali & Scoticâ; ergo redeundum ad ipsam, vel secedendum est ab Aristotele.) Quid inde? Nam à Franciscanis ridebuntur, qui æquo jure reponent, (vel admittendam esse Scoti scholam, vel relinquendum Peripatum) tunc enim argumentatio urgeret, cum vel una sub Christo Religio, vel una sub Aristotele schola demonstrationes produceret. Nam si una secta demonstraretur esse vera, reliquæ demonstrarentur esse falsæ; & in nostro casu, Basanomenus, omnes has Religiones (Romanam, Lutheranam, Calvinianam) esse Christianas & probabiles judico; & omnes has scholas (Thomisticam, Scotisticam & Nominalem) esse Aristotelicas & probabiles censeo: & hanc ob rem ratiocinio illo disjunctivo, vel redeundum est ad Romanam Ecclesiam, vel secedendum est à Christo, convinci aut urgeri non possum. Nec antiquitatem ipse & Concilia generalia morabitur: hæc enim, ut ait, probabilia argumenta, & non evidentia ministrat: quoniam schola Aristotelis Christi Religione multò antiquior, & Academiæ Peripateticæ multò numerosiores magistros habent quam generalia Concilia, & si licet P. Magno doctrinam Peripateticorum de errore & tyrannide arguere, cur non licebit Basanomeno esse & cautiori? Cur non dicere, Romanam quidem Ecclesiam esse probalissimam, adeoque in foro interno esse securissimam; & tamen hoc ipso non obstante, Lutheranam quam ipse profitetur, esse etiam probabilem, atque æque Christianam ac securam: imo securiorem omninò, quoniam minus probabilis sententia si benignior, etiam securior est? Cur non licebit addere, se esse in quieta conscientia apud Lutherum, adeoque non teneri redire ad Ecclesiam Romanam, nec à Christi Religione secedere? Sic discurrit etiamnum Basanomenus, & deberet à te, Lector erudite, compesci. P. Valerianum Magnum audivit, & alios audire desiderat. Notandum est autem initio istius dubitationis, ac multarum hujus generis, hæc verba à Caramuele præfixa: Ad solamen illorum, qui in Germania habitant, & multos viros, alias probos, infectos dolent hæresi, aliquas periodo scribo, & verius ex selectissima Autoribus exscribo. At quod timidè Caramuel, asseveranter & audacter Eradus Billius, Jesuita tradidit tr. 3. c. 1. de fide. Sic etiam puer baptizatus,

zatus, quia fides quam suscepit in Baptismo, satis non est ad profitendam fidem, nisi & proponantur mysteria fidei, & explicentur, non peccabit credendo hæresi sibi propositæ, & quam à parentibus edoctus est, nisi habeat argumenta convincentia & probabilitatem excludentia suæ sectæ. Quamdiu enim probabilis est, non peccat eam sequendo. Quo fit ut multæ puellæ usque ad vigesimum annum vix censeri possint hæreticæ. Quis enim dicet eas non habere argumenta probabilia suæ sectæ: at nemo peccat sequens opinionem probabilem, quantumcunque ad Cœnam, ut appellant, accedant. Dices: Multi sunt etiam senes, qui putant se bene facere. Respondeo hoc non esse satis pro iis, qui inter Catholicos vivunt: sed in Suecia & Dania, extremaque Germania, ubi nullus est usus Catholicæ Religionis, possunt salvari, si non peccent; aut posito quod peccàverint, si conterantur, aut actum amoris exerceant. Cæterum quod negat sufficere hoc inter Catholicos, sine ratione à suis ipse sensibus discedit; & ideo hæc exceptio merito à Diana & Sanctio rejicitur. Quid ad hæc Jesuitæ? Nempe, ut cum eodem Caramuele loquar, vel omnia debebunt transglutire, vel à principali opinione discedere, qua falsum probabile à peccato excusare asserunt. Quin illis etiam devorandæ sunt omnes illæ infamiæ, quas simul Parisienses congesserunt in egregiâ probabilitatis Synopsi Episcopis oblatâ: nec se unquam ex istis laqueis expedient, nisi se à duobus illis ducibus, quos in Theologiâ sequuntur, abjunxerint: humanâ scilicet autoritate, humana ratione, quibus quandiu id juris dabunt, ut aliquid tutum ac securum possint efficere, nihil fere tam absurdum est, quod possit ab illis recusari. Nam si, quod necessario sequitur ex probabili, probabile esse necesse est, nihil jam est quod improbetur. Nihil est enim quod ex aliquâ opinione, quæ ut probabilis circumferatur, elici non possit: cujus rei argumento sunt probabilitatis consecutiones à Parochis in ipsâ synopsi jam indicatâ collectæ. Adde quod de Sacramentis docent, nullam injuriam fieri Sacramento, etiamsi administretur secundum opinionem minus probabilem relictâ probabiliori, & tutiori; adeoque ex hoc capite usum opinionis minus probabilis non esse illicitum: absolutè tamen id non licere Ministro Sacramenti, qui lege charitatis tenetur uti tutiori viâ, ne suscipiens Sacramentum ejus fructu defraudetur. Ita Thomas Sanchez, lib. 3. de matr. disp. 20. num. 4. & lib. 1. Sum. cap. 4. num. 33. Vasquez, disp. 63. cap. 2. & 3. Villalobos tom. 1. Sum.

 tract. 2.

tract. 1. difficult. 13. num. 1. & 2. Granadus tract. 12. disp. 4. sect. 4. Betanus cap. 4. qu. 9. noster Basilius Legionensis lib. 4. de matr. cap. 25. num 9. Joannes Sanchez in selectis disp. 44. Lorca disp. 39. membr. 1. Arriaga disp. 24. sect. 4. & alii.

XXIV.

Denique illud maxime reprehensione, quod non tantum asserunt, licere Theologo ex opinione probabili, quam falsam putat consilium dare. Non tantum enim in Layma nno sequentia lego: Ex duabus contradicentibus probabilibus opinionibus, quæ versantur circa actionem humanam, an ealicita sit nec ne; quisque in praxi, sive operatione sequi potest, quam maluerit; etsi ipsi operanti speculativè minus probabilis videatur. Ita Navar. in cit. c. si quis autem, disp. 7. de pœnit. Medina 1. 2. qst. 19. a. 6. dub. penult. Arriag. 1. 2. quæst. 63. a. 4. ibid. Salon. contr. 2. Lopez. p. 1. instr. cap. 1. 26. Suar. t. 5. disp. 40. s. 5. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 16. q. 2. & 4. Gutierez, l. 1. can. qq. c. 13. n. 23. Sanchez. lib. 2. de matrim. disp. 41. n. 9. & l. 1. mor. c. 9. n. 14. Henriq. l. 14. c. 3. n. 3. contra Gl. in c. Capellanus, de feriis. Cajet. ver. opinionis usus, Angelum, & Armillam ver. opinio, Syl. eod. ver. q. 1. Joann. Majorem in Prologo 4. sentent. q. 2. concl. 3. & 4. Conradum q. ult. de contract. conclus. 1. arbitrantes, sequendam esse opinionem probabiliorem, vel quam operans veram esse judicat. Probatur assertio; opinionem, quæ non est aliena à recta ratione potest aliquis prudenter sequi: ergo potest eam aliquis prudenter sequi. Major est clara. Minor declaratur ex definitione opinionis probabilis, quam dixi esse eam, quæ vel gravi auctoritate, vel non modici momenti ratione nititur. Confirmatur: Cum in moralibus non facilè reperire sit exactam veritatis certitudinem, sed ferme solam verisimilitudinem; sufficit sequi quod est probabile. Etenim valdè difficilis, & prope impossibilis obligatio foret, si quisque examinare semper debeat; utra duarum probabilium opinionum efficaciore ratione, vel plurium aut peritiorum Doctorum auctoritate fulta sit: Sed & sequentia: Doctor alteri consulenti consilium dare potest non solum ex propria, sed etiam ex opposita probabili aliorum sententia, si fortè hæc illi favorabilior seu exoptatior sit. Qua de re Vasqu. disp. 62. cap. 9. num. 47. Sanchez. cit. c. 9. num. 20. Sairus lib. 1. clavis regiæ, cap. 6. num. 11. Lopez. p. 1. instruct. cap. 110. Imò arbitror, nihil à ratione alienum fore, si Doctor consultus significet consulenti, opinionem à

quibusdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde sequi ipsi liceat: quamvis idem Doctor ejusmodi sententiam speculative falsam esse certo sibi persuadeat, ut proinde ipsemet in praxi eam sequi non possit. Cum enim consulens in re dubia jus habeat se conformandi opinioni, quæ à quibusdam viris doctis defenditur; nihil obstante, quod aliqui alii contradicant, & speculativè sententiam improbabilem judicent; hoc ipsum jus consulenti Doctor indicare non prohibetur. Atque hinc existit, quod vir doctus diversis, secundum oppositas probabiles sententias, opposita consilia dare possit; servata tamen discretione ac prudentia. Apud alios hæc occurrunt: non esse à ratione alienum etiam fovere propositum varios adeundi Doctores donec inveniam mihi, qui ad libitum respondens ut docent Sanchez. l. 1. Decal. cap. 9. num. 4. Castro Palao, t. 1. tract. 1. d. 2. punct. 3. Zumell. 1. 2. q. 76. a. 2. d. 4. Si itaq; adeas Caramuelem & illum eligas, in causa Concilii respondebit, benignissime in Theol. fundamentali. Legisti hanc doctrinam, & inquiris, an homo Religiosus, qui fragilitati cedens fœminam vilem cognovit, quæ honori ducens se prostituisse viro tanto, rem enarrat, & eundem infamat, possit illam occidere? Quid scio? At audivi ab eximio Patre N. S. Theol. Doctore magni ingenii & doctrinæ Viro. (Potuisset amicus hanc resolutionem omisisse: at semel impressam debet illam tueri, & nos eandem defendere: doctrina quidem est probabilis, sed quâ posset uti Religiosus, & Pellicem occidere, ne se infamaret, &c.) Tu rem accuratè perpende. Hanc quæstionem doctissimè & eruditissimè pertractat Diana, part. 8. tract. 7. resol. 48. & adducit Patrem Dicastillum, qui de Just. & Jur. lib. 2. tract. 2. disp. 10. dub. 6. num. 74. affirmativam partem judicat speculative esse probabilem. P. Gasparem Hurtadum, qui tract. de Just. & Jur. disp. 11 diff. 11. mordicùs eandem propugnat, & ait. (Victoria Relatione de jure belli, num. 5. Navarrus cap. 15. num. 4. Rodriquez. cap. 136. num. 11. Mercadus in summ. lib. 6. Lopez. 2. part. cap. 61. Henriquez. de irregularit. cap. 10. & Petrus Navarra lib. 2. cap. 5. num. 380. docent id esse licitum percusso; quantum sit necessarium, ut percussus non maneat ignominiâ affectus: quod etiam sentit Bonacina de restitut. disp. 2. quæst. ultim. sect. 1. punct. 10. & meritò; quia statim repercutere fit in actuali ipsa congressione, antequam invasor ad alia divertatur, aut jam alibi quietus existat, quia adhuc saltem moraliter, &c. & honor nondum est

est saltem moraliter in facto esse amissus, sed tantum est amissio illius in fieri, & inchoatio amissionis, & repercussione amissio honoris non perficitur, quia ea percussione impeditur, ne sit in facto esse: Ergo id est licitum percusso.) Hanc sententiam probabilem vocat Diana part. 8. tract. 7. resol. 48. Adde quod asserant ad probabilitatem extrinsecam opinionis sufficere, authoritatem unius Doctoris. Ita quippe illi. Ut faciliore negotio dignoscas, quæ nam sit ejusmodi præsertim practica probabilitas. Dubitabis primò. An authoritas unius Doctoris sufficiat ad probabilem practice, & proximè opinionem constituendam, scilicet, ut tuto, & sine peccato ex vi ipsius in actionem prorumpamus. Respondeo. Tunc solum puto sufficere unum, tametsi contra innumeros Doctores, Azor. p. 1. lib. 2. c. 17. quæst. 6. Vasquez. p. 1. tom. 1. disp. 62. cap. 4. num. 12 aliique, is docet, quando idem est doctus, rem ex professo tractat, firmamque rationem pro se habet, nec apparet contra ipsum aliquid convincens. Ratio est, quia ex tali authore sic vallato nascitur merito prudens judicium. Quod si ejusmodi Doctor ratione alicujus momenti non fulciatur, idque tu doctus animadvertas, non vales illius sententiam regulariter accipere, nec illam aliis amplectendam proponere cum tamen possit indoctus. Ratio est, quia tibi non potest tunc innasci judicium prudens, indocto potest, vel certè illum sequi, eidem indocto, qui sine culpa ei doctori fidem habet, culpæ non dabitur. Dico, regulariter: nam potest contingere, ut ille sit adeò doctus, ut tibi liceat prudenter judicare, rationem illius firmam esse, sed minus à te penetratam, vel notam, & item judicare, ipsum, rationem incontrarium tibi probatissimam facilè posse diluere, in hoc enim eventu, ejus opinionem utpote extrinsece probabilem, si amplectaris, prudenter geres.

XXV.

Remedium autem paratur Conscientiæ probabili, si homo deponat illam formidinem oppositi, quorsum quidem Paulus manuducit: *Qui autem discernit si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est*, Rom. 14. vers. 23. Ubi non malè observante Stegero, in cujus dissertationem nuper incidi, τὸ διακρίνεσθαι juxta Chrysostomum, & qui eum sequuntur Theophylactum & Oecumenium, est dubitare, & contra conscientiæ dictamen edere. Ex quo patet, omnibus actionibus nostris, præcipue sacris ducem

tem præire debere fidem, dubitationi oppositam. Sic enim Jac. 1. v. 6. διακρίσεις hæc seu fluctuatio, dubitatio, hæsitatio & fides sibi opponuntur. Ac Es. 28. v. 16. dicitur: *Qui credit, non festinabit, titubabit.* Fides enim est ὑπόστασις, Ebr. 11. vers. 1. est notitia, assensus firmus, πληροφορία seu fiducia, Hebr. X. v. 22. quâ non solum firmiter in Christum recumbimus, sed etiam clarè & distinctè per eundem cognoscimus, à DEO dictatum esse, & divinæ voluntati ac sapientiæ consentaneum, quod suscipimus. Ex quâ solâ (scil. fide) bona & tranquilla (qualem Apostolus requirit) conscientia gignitur. Hinc ex eod. loc. Paulino ipsimet Moralistæ, ac imprimis Laymann. l. 1. Theol. Mor. Tr. 1. cap. 5. §. 1. & cum illo plures alii, quos citat, communiter asserunt, ad rectè seu honestè operandum requiri judicium practicum moraliter certum, quo excludatur omnis formido oppositi. Et probat: Quicunque deliberatè committit se periculo peccandi, is peccat: sed quicunque operans practicè certus non est, utrum rectè & honestè operetur, is committit se periculo practicè errandi seu peccandi: Ergo, &c. Adeoque stat hæc Laymanni Assertio, quam statim primo loco posuit: *Agere vel omittere aliquid cum dubio propriè practico, semper est peccatum.* Et hanc esse *communem sententiam* ait, quæ probetur ex Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est.* Porro idem Paulus Cap. eod. 14. ad Rom. vers. 5. præcipit: Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω, i. e. unusquisque in animo suo plane certus esto. Scio equidem, Vulgatum reddere: Unusquisque in sensu suo abundet. Sed malè. Quippe quæ versio, fatente ipso Justiniano, occasionem præbuit errandi. Et abundare suo sensu, vitii est & præfractæ frontis, asserente Salmerone. Πληροφορεῖσθαι ἐν ἰδίῳ νοῒ non est abundare suo sensu, sed certum habere in animo suo, & notat firmissimam mentis cognitionem & persuasionem, ut animus planè ἀμετάπτωτος sit in ea cognitione, ut hæc vox usurpatur Luc. 1. v. 1.

XXVI.

Dubia conscientia est, cùm Intellectus de re agenda vel non agenda suspensus manens, nequit se in unam vel alteram partem resolvere. Unde non est Conscientia accuratè loquendo, sed potius privatio conscientiæ, circa quam observant Doctores: Dubium dici suspensionem mentis inter duo contradictoria, ut in neutram partem, nec assentiendo,

do, nec dissentiendo se resolvere possit. Aliud dicitur negativum, aliud positivum, duplici ratione, ex parte actus, & ex parte motivi. Ex parte actûs. Dubium negativum, seu, ut vocant, in actu exercito est, dum quis apprehensâ utraque parte, v. g. an aliquid liceat, vel non liceat, neutri parti assentiens, absque ullo actu positivo, suspensus manet. Dubium positivum, seu, ut vocant, in actu signato est, dum quis apprehensâ utraque parte, neutri volens vel potens assentiri, vel dissentiri, actu aliquo positivo judicat, ac veluti signat rem esse dubiam vel incertam de veritate vel falsitate. In proposito perinde est: At in materia fidei multum interest. Nam si negativè solum dubites in materia fidei per se non peccas: at si positivè dubites, & peccas, &, accedente pertinacia, hæreticus es. Ex parte positivi. Dubium negativum dicitur, quo intellectus (utrovis modo prædicto) suspensus manet inter utramque partem, ex eo, quòd nullum omninò occurrat motivum vel medium, nulla ratio sive assentiendi, sive dissentiendi, sed intellectus merè ignoranter se habet. v. g. An homines in hac civitate sint pares vel impares. Dubium positivum dicitur, quo intellectus suspensus manet inter utramque partem ex eo, quòd occurrant motiva seu media omninò æqualia pro una & pro altera parte, & sic dum ambæ partes, velut trahentes ad se intellectum, se mutuò impediunt, manet ipse intellectus velut suspensus in æquilibrio, quousque occurrat potior ratio pro unâ, quàm pro altera parte, aut voluntas suo libero imperio intellectum ad uni potiùs, quàm alteri part assentiendum determinet, vel inclinet. Dubium merè speculativum est, quo dubitatur præcisè de veritate aliqua. v. g. An mundus potuerit esse ab æterno: An si Adam non peccâsset, nihilominus verbum incarnatum fuisset, &c. Dubium practicum est, quo dubitatur de re operabili, seu ipsâ operatione, ejusve honestate, secundùm se in abstracto, abstrahendo scilicet à circumstantiis particularibus, & sine immediato ordine ad operationem seu praxin, ut: matrimonium ne contractum sit validum? An census germanicus sit licitus? An die festo liceat bellare, pingere, iter agere? An die jejunii liceat sumere collationem vespertinam? &c. Aliud dicitur dubium propriè, seu practicè practicum, quo dubitatur de actione, ejusve honestate in particulari, seu hîc & nunc exercendæ in suis circumstantiis particularibus. Ut: An debeam hanc confessionem repetere? An hîc & nunc liceat mihi pugnare, ludere, comedere? Atque in hoc dubio formaliter

liter consistit conscientia dubia. Dubium juris dicitur, quo dubitatur de aliquo jure, lege, præcepto, statuto, &c. præsupposito ad honestatem actionis exercendæ. Ut: An sit lata talis lex, quomodo obliget, an hunc etiam, vel illum casum apprehendat? An hîc & nunc me in his etiam circumstantiis obliget? &c. Idque rursus dividunt in speculativum & practicum. Dubium juris speculativum vocant, quo dubitatur, non immediatè de honestate actionis alicujus, sed de aliquo alio legitimo secundum jura & leges. Ut an Baptismus collatus in nomine Christi sit validus? An matrimonium contractum sit validum? An bellum, in quo milito, sit justum? An quis in tali casu sit irregularis, v.g. Si percussit Clericum non gestantem habitum? An res, quam possides, mea sit, an aliena? &c. Dubium juris practicum dicitur, quo dubitatur de obligatione, vel facultate legitimè agendi, seu de ipsa honestate actionis, an licita sit: nec ne? Et hoc rursus aliud est generale & abstractum, id ipsum, quod diximus speculative practicum: aliud est particulare seu de hic & nunc: & est ipsum supradictum dubium propriè seu practicè practicum. Dubium facti denique dicitur, quo dubitatur de aliquo facto, ejusve conditione aliqua spectante ad honestatem actionis exercendæ. Ut: An votum emissum sit: An solutum? An horæ recitatæ? an peccatum commissum sit mortale vel veniale? An jam confessum, nec ne? Conscientia autem dubia propriè dicta, nimirum formaliter & intrinsece dubia, consistit in ipso dubio practice practico, seu dubio juris particularis, quando nimirum intellectus de honestate actionis hîc & nunc exercendæ, an scil. honesta sit, vel licita, nec ne, omnino manet suspensus, & in neutram partem se resolvit. Conscientia objectivè seu extrinsece dubia (posses dicere conscientiam dubiam speculative, nisi nomen conscientiæ quid practicum sonans repugnaret) dicitur, quando intellectus solum de ipso objecto secundum se manet dubius, dubio scil. speculativo juris vel facti, non vero de ipsa honestate actionis hic & nunc, dubio practico, v. gr. dubitas speculative, an res quam possides sit tua? practice vero an restituere tenearis? factâ diligenti inquisitione, nec inventâ ullâ ratione potiori pro unâ, quam pro alterâ parte, sed perseverante dubio, an res sit tua, nec ne: denique ex illo principio, in dubio melior est conditio possidentis: resolvis te: non debere restituere, posse licite retinere, usurpare, &c. Conscientia hæc manet dubia objectivè & extrinsecè, stan-

te scil. adhuc dubio speculativo, an res reverâ tua sit: at formaliter & intrinsece non est dubia, sed resoluta: excluso scil. dubio practico.

XXVII.

Rectè autem dicitur primò, ex dubitante conscientia non esse agendum, non tantum quia, quod non fit ex fide, est peccatum, sed etiam, quia omnes sciens, & volens, exponens se periculo peccati, peccat, quidem eodem genere peccati, cujus periculo se exponit; ut docet communissima Doctorum pars, cum Thoma, Quodlib. 8. artic. 13. Soto in 3. disp. 25. quæst. un. & alibi. Navar. in c. Qualitas. disp. 5. de pœnit. Ex illo Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Atqui agens cum conscientia intrinsecè seu practicè dubiâ, de honestate actionis hîc & nunc exercendæ, vel saltem periculo peccato annexo, is sciens & volens exponit se periculo peccati, eligit enim actionem indiscriminatim, sive bonam, sive malam, quasi dicat, sit peccatum, vel non sit, perinde est: ego volo agere, &c. ideoque eo ipso implicitè censetur eligere malum: ergo eo ipso peccat, pro ratione materiæ, de qua agitur: & pro ratione dubii. Ut si dubitet, an talis actio vel omissio sit peccatum mortale, & tamen operans vel omittens, peccabit mortaliter: Si verò dubitet de veniali, tantùm venialiter o, ut volunt Pontificii. Quòd si dubitet generatim & indistinctè, an sit peccatum vel malum, dic eodem modo, quo dictum est supra de conscientia erronea. Atque sic maximè locum habet, & commodè explicandum venit, celebre illud dictum. In dubiis tutiorem partem esse eligendam: Dictum hoc habent variis locis juris Canonici. an audientiam. c. significasti. c. petitio tua. tit. de homicidio. Ubi in dubio de facto homicidio à Clericis, & irregularitate inde contractâ Pontifex semper respondet: Tutius eligendum esse. Item. c. juvenis de sponsalibus. In alio casu matrimonii dubii. Respondet Pontifex: in his, quæ dubia sunt, certius est tenendum. Dictum hoc sine dubio universaliter & semper verum est, secundum Pontificios, quantum ad consilium & perfectionem, semper enim consultius & perfectionis est, in quovis dubio eligere partem tutiorem: at certè non semper necessarium, seu de præcepto vel obligatione: hoc enim nullus scil. Pontificiorum dicet. Unde ante omnia in dicto illo τὸ tutior pars, non debet accipi comparativè ad positivum, scilicet tutior, quam tuta: quasi sensus esset, quando utraque pars dubii est

tuta,

tuta, adhuc tutiorem partem eligendam esse. Quod quamvis sit perfectionis, non tamen potest esse necessarium, cum liceat in operando sequi quamlibet partem verè tutam; sed τὸ tutior accipiendum est comparativè ad oppositum, scil. tutior, quàm non tuta, non secura, periculosa, &c. Ut sensus sit: Quandocunque una pars dubii est certa, tuta, secura, verum scilicet periculum excludit, altera autem pars non est certa, tuta, secura, sed dubia vel periculosa de peccato, ejusve periculo, tunc illam tutiorem eligendam esse. Et sic sine dubio verum est. Quemadmodum etiam, si utraque pars dubii appareat periculosa de peccato, ut contingit in Sacerdote, qui ex officio tenetur baptizare, dubitat annon infans æger aquâ conspersus moriturus sit, ex mente Pontificiorum minus malum, & periculum eoque quasi tutius eligendum est, scil. mortis corporalis potius, quàm damnationis. Tertiò, practicè certum præferendum incerto speculativo: Certum, scribunt Pontificii, est apud omnes, necessariò tutiorem partem eligendam esse in dubio propriè seu practicè practico, scilicet de actionis hic & nunc exercendæ honestate, an hic & nunc aliquid liceat, nec ne. v. g. Hodie comedere carnes, &c. Stante enim tali dubio, una tantùm pars tuta est, scil. abstinere. Altera autem pars: scil. comedere carnes, simpliciter est non tuta, sed periculosa de peccato. Certum etiam esse debet, tutiorem partem eligendam esse in dubio speculativo, versante circa valorem vel efficaciam actionis exercendæ, juxta communia, de Ministro Sacramentorum, Medico Judice, &c. Ulterius etiam tutiorem partem esse eligendam in aliis dubiis speculativis juris & facti (excepta materia justitiæ, ubi melior est conditio possidentis) adeò, ut stante dubio speculativo, v. gr. an hodie sit indictum jejunium: necessario aut jejunandum sit, aut dubium speculativum deponendum, docent Vasquez, Turrianus, Sayrus, alii apud Sanchez. l. 1. Moral. cap. 10, num. 10. Ratio est. Quia alioquin adhuc te exponeres periculo peccati. Deinde Pontifices in Canonibus citatis in resolvendis casibus allegant illud dictum: in dubiis tutior pars, via, semita tenenda vel eligenda est, tanquam regula universalis.

XXVIII.

A veritatis tramite recedunt primò illi Juniores apud Vasquezium 1. 2. Disp. 65. cap. 1. num. 5. qui putant, non sufficere ad conscientiam dubiam directam dubitationem, vel necessariam esse dubitationem,

expressam per judicium reflexum, ut dicatur quis operari cum judicio practicè practico. Secundò non satis commodè ad conscientiam, qui cum Sanchezio, Filliucio, Diana & aliis, non tantum in Materia justitiæ, sed etiam in materiis aliarum virtutum titulum possessionis esse sufficientem ad deponendum in praxi dubium speculativum, & ad formandum judicium practicè certum possidentem in dubiis non teneri ad sequendam tutiorem partem asserunt. Tertiò, qui in Dubio facti putant posse eligi in omni materia partem minus tutam, quando pro illa stet possessio, quæ sententia tribuitur Francisco Suarezio & aliis.

XXIX.

Conscientia scrupulosa est, cùm intellectus inani ratione apprehensa, cum anxietate quâdam metuit peccatum, ubi tamen non est peccatum. Est inani ratione nixa, seu ut alii loquuntur, ex debilibus, levibus, incertis, conjecturis, rationibus, fundamentis. Ex quo capite tripliciter potest fieri scrupulus: Primò, cum judicio determinato aliquod esse peccatum, quod reverâ non est. Quod judicium falsum, quatenus ex inani motivo procedit, animumque affligit & anxiat, potest sanè dici scrupulus, vel conscientia scrupulosa; latè loquendo: Propriè verò est conscientia erronea vincibilis, ut secundùm Ignatium in fine libelli exercitiorum de scrupulosis. Secundò potest fieri scrupulus cum vero dubio practico, sit ne hoc peccatum nec ne, ex inani motivo suspicando fortè esse peccatum, absque ullo determinato judicio, quod sit, vel non sit peccatum. Et sic rursus est scrupulus latè sumptus, propriè autem est dubium, vel conscientia dubia. Tertiò, & propriè fit scrupulus, cùm, habito vel sufficienter proposito judicio determinato, aliquid non esse peccatum, solâ ex levi motivo apprehensione peccati mens anxiatur & timet, fortè esse peccatum. Et hinc dicitur inani ratione nixa apprehensio. Scrupulus enim vel conscientia scrupulosa propriè dicenda est, quando intellectus neque determinatè judicat: neque dubitat practicè aliquid esse peccatum: sed potiùs habito judicio non esse peccatum, solâ apprehensione, vel suspicione mali, ex inani motivo titubat, fluctuat, anxiè formidat esse vel fuisse peccatum, v. g. fortè se consensisse tali suggestioni, &c. Uti advertit Gregorius de Valentia 1. 2. hic q. 14. pu. 4. dicens: Etsi scrupulus nonnunquam accipiatur, tàm pro dubitatione de malitiâ, quàm pro opinione, quod quid sit malum: tamen propriè conscientiam scrupulosam nihil aliud esse,

quam

quam anxiam quandam formidinem, ne fortè id ipsum sit malum, quod tamen licitum existimatur. Ratio sumenda est ex communi æstimatione hominum scrupulum propriè ita intelligentium. Unde notat Layman. hîc cap. 6. num. 1. Judicium hominis verè scrupulosi esse, si contra sapientium, imo & proprium judicium, tale quidpiam agere peccatum non esse, nihilominus inquietus sit. Solâ scil. apprehensione mali timens & formidans, ne forte peccet, aut peccarit. Unde scrupulosi plerunque in aliena causa rectè judicare solent sine formidine, & alios absolvere à peccato: at vero, si idem casus ipsis eveniat, statim formidare incipiunt peccatum subesse. Ex quo jam patet differentia conscientiæ scrupulosæ ab aliis conscientiis hactenus explicatis. Indeque natus metus, seu anxietas mentis. Quamvis enim, secundum omnes conscientia scrupulosa seu scrupulus formaliter & principaliter consistat in actu intellectûs modo explicato: non tamen in eo sistit: sed complete consistit in tali intellectûs apprehensione, suspicione, vacillatione, seu titubatione alicubi peccatum esse, quatenus simul in voluntate causat, & conjunctum habet metum, formidinem, anxietatem, &c. de eodem peccato. Unde scrupulus adæquate sumptus, spectat ad utramque potentiam, intellectum scilicet & voluntatem. Quâ ratione intelligitur doctrina Cajetani tom. 1. opusc. tract. 31. Resp. 13. dub. 7. Scrupulum contingere posse, aliquando ex parte appetitûs, uti evenit, quando quis timet in aliquo actu peccare, & ignorat causam: ex sola nimirum præviâ vanâ apprehensione mali, sæpe enim scrupulosus non potest addere rationem vel motivum timoris & anxietatis suæ. Aliquando ex parte rationis, cum oritur ex aliquâ ratione apprehensa & apparente: inani tamen, levi, futili. Alicubi peccatum esse, vel fuisse ubi revera nihil est. Sicut enim quælibet conscientia, ita & scrupulosa; quamvis principaliter versetur circa actiones hîc & nunc exercendas, tamen hæc maximè se extendit ad actiones etiam præteritas: dum scilicet inaniter apprehendit, & anxie metuit, forte se peccasse, forte suggestioni consensisse, forte alicubi peccatum fuisse, fortè peccata præterita nondum remissa esse, etiam post debita adhibita remedia: forte ipsa media doloris, confessionis, non sufficienter adhibita fuisse. Quem actum communiter remorsum scrupulosum vocant, & plerunque vitiosus est. Et advertit Vasquez. cit. disputat. 67. cap. 2. num. 8. scribens: Sunt aliqui nimirum scrupulosi circa præterita

peccata, de futuris autem cavendis parùm solliciti. In quem sensum etiam dixit Sylvester, v. scrupulosus initio. Scrupulosus est duplex. Quidam enim est scrupulosus in recognoscendis peccatis præteritis, & timoratus in vitandis futuris; & iste communiter bene finit. Quidam verò est scrupulosus in recognoscendis præteritis, & in cavendis futuris negligens & efferatus; & iste videtur æternæ damnationi propinquus. Causæ naturales intrinsecè corporales plures sunt: una autem ex præcipuis est frigida complexio apta ad fovendos scrupulos, & ratio est, quia sicut metus causat frigiditatem, ut docet Aristoteles lib. 2. de partibus animal. cap. 4. versus medium; ita etiam ad metum fovendum maximè confert frigiditas, quæ cum soleat constringere, impedit dilatationem, quæ est constrictio, dilatationi opposita & constringendo cor, prohibet ne nimium dilatetur, atque adeo ne transmittat spiritus ad alias partes, eo modo, qui requiritur ad animositatem, proinde dum objiciuntur scrupuli, frigiditas complexionis facit, ut homo nimium timeat, & præsertim deficiente vigore ad timorem propulsandum. Alia causa corporalis est Melancholia, quæ suapte natura est frigida, cum terræ naturam participet, idcirco reddit hominem formidolosum, ut Aristoteles docet in problematibus sec. 30. paulo post principium; licet per accidens interdum possit ipsa atrabilis valde calefieri, & magis quam flamma, ut evenit cum aqua, ferrum, lapis, & similia, quæ terrea, & frigida sunt secundum propriam naturam; interdum tamen calefiunt plusquam flamma, & carbo ignitus, ut ibidem ipse Philosophus testatur. Rursus melancholici maximè moveri solent phantasmatibus, juxta doctrinam Aristotelis in parvis naturalibus, cap. 4. de memoria & reminiscent. & ibidem Thom. loc. 8. cujus rei rationem reddit Doctor, dicens id provenire ex eo, quod tales homines terrestrem naturam habent, ideoque magis in ipsis phantasmatum impressiones formantur; igitur cum eisdem repræsententur scrupulorum phantasmata, intensius scrupulos, vanosque timores apprehendunt ob majorem phantasmatum radicationem, adjuvante ad hoc timiditate, quam pati solet ob terream, & frigidam complexionem ad timorem valde propensam. Hæ esse possunt causæ corporales intrinsecæ, quæ ad scrupulos gignendos, & fovendos valde concurrunt. Aliæ etiam esse possunt causæ intrinsecæ corporales, à quibus scrupuli procedant, ut debilitas capitis, læsio imaginativæ, seu æstimativæ facultatis,

vel

vel aliæ ſimiles infirmitates, quarum curatio ad medicos ſpectat. Cauſæ autem intrinſecæ ſpirituales hujus morbi non deſunt, quarum una eſt ignorantia, quæ non ſinit, ut homo, urgente ſcrupulo, rationibus contrariis illum diſſolvat, & repellat, experientia enim hoc nos docet; quoſdam; qui priusquam ſtudiis operam dederint, ſcrupulorum moleſtiis ſæpe cruciabantur: poſtea vero in ſcientiis etiam mediocriter verſati facillime ſcrupulos objiciebant, ita ut tandem à tali paſſione liberi omninò evaſerint. Reſpondent autem, non negari, interdum poſſe per accidens in viris doctis ſcrupulos aliquos inſurgere, qui non excitarentur, ſi in talibus hominibus inſcitia reperiretur: hoc tamen eſt valde per accidens. Nam in ſapientibus, ſi alioquin ob alias cauſas, ſcrupulorum morbo minime laborent, non ſolent inveniri ſcrupuli, ſed potius rationes dubitandi cum fundamento in re, à quibus facillime ſe expediunt, eas, beneficio doctrinæ, quam callent, diſſolventes, & ſi à ſeipſis id facere formidant, aliorum ſapientum conſilium adhibent, & ſic quieſcunt. Ignorantia vero eſt cauſa, ut ſcrupuli irrationabiles frequenter inſurgant, à quibus liberi viri docti inveniuntur. Enumeratur etiam inter cauſas intrinſecas ſpirituales ſuperbia, & inordinatus ſui ipſius amor: homo enim ſuperbus, ita proprio judicio confidit, ut intellectum nolit aliorum conſilio ſubmittere, & ex hac nimia ſui judicii fiducia oritur negligentia recurrendi ad DEUM, mediis orationibus, & aliis operibus piis, quibus DEUS homines ita ſuperbos punit, eos ſcrupulis affligendo, ut cognoſcant propriam vilitatem. Rurſus inordinatus amor eſt cauſa, ut homo nimià ſollicitudine non curet vitare omnes, quantumvis leviſſimas, culpas, à quibus in hac vita nemo omninò liber eſſe poteſt: Præterea, ut inordinate curet media extraordinaria, putans veluti interpretative ſe poſſe ſua induſtria perficere ea, quæ ad ſalutem ſpectant, & ideo non recurrit, ut debet ad cœleſtem Medicum, neque humilitate ſe eidem ſubjicit, neque adhibet remedia, quæ à prudentibus, & ſpiritualibus proponuntur, & per conſequens nolens ambulare in via Domini, modo conſueto, & ordinario, in pœnam à DEO ſcrupulorum moleſtiis punitur.

XXX.

Hæc Conſcientia non obligat, Remedium autem parat Ameſius, cujus ſunt ſequentia: primò ſcrupulum dicit eſſe formidinem animi, circa ſuam praxin, quæ conſcientiam vexat, inſtar lapilli exigui in calceo latentis, qui

pedem excruciat. Secundò dicit, quamlibet formidinem non proprie dici scrupulum, sed illam, quæ exoritur ex levibus argumentis, vel nullis. Tertiò scrupulosum aliquem esse, vel in discutiendis actionibus præteritis, vel in futuris instituendis. Quartò oriri DEO sic ordinante, vel ut puniat, vel ut probet, aliquando ex diaboli suggestione, alias ex scientiæ defectu, alias ex melancholia, vel simili aliqua corporis constitutione, alias ex consortio hominum scrupulosorum. Quintò scrupulosam conscientiam in eo differre à dubiâ, quod conscientia dubia neutri parti quæstionis assensum præbet; scrupulosa vero uni parti assentitur, sed in alteram partem cum vexatione quadam sollicitatur. His constitutis respondet ad quæstionem, primò gratia DEI constanter implorata, diligentia est adhibenda, ut scrupuli illi, qui ratione possunt eximi, justo examine removeantur. Tum enim conscientia maxime quieta redditur, cum certa nititur cognitione. Secundò juvat multum, juvare (si commode fieri possit) cognitionem de illis rebus unde scrupuli oriuntur. Quando semel enim movetur phantasia, multi motus consequuntur, qui sine magna difficultate non possunt compesci, sicut in lateribus ordine contextis, uno cadente, cæteri sequuntur; & hinc multiplicantur scrupuli in conscientiis (ut loquuntur) timoratis. Tertiò multi scrupuli cum non possunt commode tolli contraria ratione, deponi debent quasi violentia quadam, dum excluduntur ab omni consultatione. Scrupuli enim, dum actu non applicantur, non sunt molesti. Et quidam sunt adeo molesti, ut imbecilliores & minus periti non possint alia ratione ab ipsis liberari. Attentio enim ad scrupulum ratione tollendum, scrupulum sæpe vel parit, vel auget. Exempli causa, norunt omnes, DEI nomen esse quotidie invocandum, potest quis tamen ita vexari impiis cogitationibus, ut inde scrupulus exoriatur ipsi, an debeat orare? non tutum hic semper examinare istas cogitationes, neque diu de ista quæstione disputare, sed quasi violenter abjicere debet istam formidinem, & ad preces, ut potest, se accingere. Quartò si non possint amoveri, quin adhuc sint molesti, licitum, & consultum est agere contra istiusmodi scrupulos, e. gr. si quis sit, cui suæ indignitatis consideratio sit adeo molesta, ut vix audeat ad mensam Domini accedere, quamvis sentiat in semetipso synceram fidem & resipiscentiam, potest, ac debet, hoc scrupulo non obstante, accedere ad Cœnam Dominicam. Neque hoc est agere contra conscientiam, sed secundum conscientiam.

Scrupulus enim est formido temeraria, & sine fundamento, atque adeo non potest obligare. Imo ex consuetudine agendi contra hujusmodi scrupulos, conscientia ipsa redditur firmior.

XXXI.

Inter lites autem Doctorum Pontificiorum referimus illud, quod quidam volunt Conscientiam scrupulosam includere Assensum, seu judicium tenue de malitia actionis elicitum ob rationes levissimas cum nimio terrore, & cordis anxietate, & si hoc judicium est speculativum, esse compossibile cum judicio practico, quo hic & nunc prudenter judicetur, illam actionem esse licitam non obstante illo scrupulo & formidine. Ita Vasquez, Granadus, & Petrus Cornejo, Thomas Sanchez. lib. 1. Summæ cap. 9. num. 2. Joannes Sanchez, disput. 41. num. 2. & alii. Quod alii docent Palao tom. 1. tract. 1. disputat. 4. puncto 1. Oviedo, in præsenti, scrupulum non importare formaliter, & intrinsece judicium, sed quandam apprehensionem de malitia actionis cum timore illam committendi, quæ apprehensio comitari solet judicium practicum, & prudens, quod dictat hic & nunc illam actionem esse licite exercendam; quod judicium intrinsece sit conscientia saltem probabilis, dici tamen solere extrinsece scrupulosam propter apprehensionem malitiæ, & timorem, quæ illud comitantur. Porro si scrupulosa conscientia importaret intrinsece judicium de malitia actionis, dicunt, hoc judicium fore falsum, adeoque dicunt constitueret conscientiam erroneam, & non scrupulosam.

CAPUT

CAPUT XI.

De

LEGE NATURÆ.

THESIS I.

DIximus Moralitatem involvere respectum ad Regulam, Boni naturam ex conformitate ad illam expendimus, ipsam conscientiam dictare facienda vel omittenda, ut subest directioni superioris, clarum esse censemus, in naturam itaque & varietatem legum inquirendum, Primò omnium aliquid de Lege Naturæ dicendum, quam dari Scriptura docet Paulo diserte ita pronuntiante, Rom. 2. v. 14. 15. *Si gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationem accusantium, aut etiam defendentium.* Secundò igniculi illi & semina honestatis, quæ pellucent ex dictis & scriptis gentilium, virtutum stricturis & operum Demonstrationibus, quæ quamvis sint absque illa radice ex qua DEO placemus, tamen externam speciem & honestatis Typum præ se ferunt, siquidem teste Ambrosio lib. 1. de officiis ab ineunte ætate, ubi primum sensus in fundi cœperit vitam amemus, tanquam DEI munus, patriam, parentesque diligamus, deinde æquales quibus sociari cupimus. Hinc charitas nascitur, quæ alios sibi præfert, non quærens, quæ sua sunt, in quibus est principatus Justitiæ. Denique tertiò Testimonia Patrum Origenis: Quantum ego capere possum, loquitur, hoc loco, Paulus de Gentibus nondum credentibus, Gentilis enim legem non habens, ipsi sibi est lex, ostendens opus legis, in corde suo, & naturali ratione doctus & persuasus, multa facit convenienter rectæ rationi & virtuti. Videmus enim nonnullos in Gentibus justitiam religiosè custodire, castitetem & temperantiam servare, prudentiâ excellere, & laudabili esse animi modestiâ, & in verbis factisque moderatione. Isti, licet alieni sint à vita æterna, quia non credunt Christo, nec renati sunt ex aqua & Spiritu Sancto, ideoque intrare non possunt regnum cœlorum, videntur

tur tamen secundum id, quod docet hoc loco Paulus, bonorum operum Gloriam & Pacem minimè perdituri. Si enim Paulus condemnat Gentes, eò quod naturali intelligentia cognoscentes DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt; quomodo non putabimus, quod etiam collaudet eos, qui cognoscentes DEUM, sicut DEUM glorificaverunt? Dubitari igitur non puto, quod is, qui pro malo opere condemnari meruisset, idem si operatus fuerit bonum, remuneratione boni operis dignus habendus sit, dicente Apostolo, nos omnes stare oportere ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria operis prout gessit, sive bonum, sive malum: unde & hoc ipso in loco dixit Apostolus, quod non est acceptio Personarum apud DEUM.

II.

Peccat hîc in rectam rationem primò Carneades, qui asseruit Jura sibi homines pro utilitate sanxisse, scil. varia pro moribus; & apud eosdem pro temporibus sæpe mutata: Jus autem naturale esse nullum; omnes & homines & alias animantes ad utilitates suas docente natura ferri: proinde aut nullam esse Justitiam, aut si sit aliqua, summam esse stultitiam; quoniam sibi noceret alienis commodis consulens. Eandemque sententiam fuisse Archelai & Aristippi, notat Diogenes Laërtius in vitis illorum. Secundò Szydlovius, & qui illum sequuntur, qui negat fluere aliqua præcepta à Natura DEI, quia alias voluntas DEI non esset prima Regula Justitiæ, quod absurdum. Denique Thomas Hobbes, Malmerburiensis, qui Jus nihil aliud esse vult, quam libertatem naturalem à Regibus non constitutam, sed relictam, Legemque naturalem dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda vel omittenda sunt ad vitæ membrorumque conservationem, quantum fieri potest diuturnam, primamque & fundamentalem Legem Naturæ esse hanc: quærendam esse partem, ubi haberi potest, ubi non potest quærenda, inesse pacem, ubi haberi potest, ubi non potest quærenda esse Belli consilia. Per rectam autem rationem ipse intelligit ratiocinationem, cujusque hominis circa actiones suas, quæ aliis vel prodesse vel nocere possunt.

III.

Rationes autem, quæ retardarunt quosdam in assensu circa Jus Naturæ recenset Dn. Mevius, scribens: Quinque sunt queis utuntur, qui naturalis juris essentiam impugnant. Primum, quod nihil fere reperitur

 omni-

omnibus gentibus in usu & sic commune, ut naturæ communis effectus haberi possit. Secundum, quod quæ juris naturalis dicimus, apud multas aliter obtinent, & ab iis in contraria disceditur, id quod à naturalium immutabili conditione alienum reputatur. Tertium, quod cum naturalia velut ingenita omnibus obvia esse deberent, nihil fere incertius magisque in obscuro sit, quam quid juris naturalis sit, ita ut nec inter sapientissimos & diligentes ejus scrutatores de isto conveniat. Quartum, quod non pauci nec postremi sapientiæ Professores non deprehenderunt secum istius existentiam, ideo negarunt; queis, si esset, non innotuisse impossibile videretur. Quintum, quod naturæ jus sine vi obligandi, qua sine nomen inane, res nulla. Sed addit leviora hæc sunt, quam ut ad tantam absurditatem tegendam vel excusandam sufficiant, quæ ex orbe jus naturale tollit. Diluentur hæc objecta, per ea, quæ in sequentibus de juris naturalis proprietate, vi & constantia, nec non noscendi difficultate in his primordiis scribentur. Non eo minus universale & commune hoc jus est, quod aliquæ, imo multæ gentes, ab illo exorbitant. Transgressiones sunt, ex depravatione opinionum & morum, quæ non magis illud imminuunt, quam peccata civiles constitutiones. Similiter nec mutabile jus naturale efficiunt. Difficultas noscendi non ex juris conditione, sed ex hominum aut injuria aut perverso indagandi modo proficiscitur. Et hic peperit varias sententias & pene contrarias, quæ non magis facient negari jus, quam res, de quibus aliis per adversas & diversas sententias disputatur non entia. Vitia & corruptelæ hominum male afferuntur ad examen juris, per quod illa emendanda sunt. Vim ejus autem, qui non sentiunt, illi fatentur vel crassam ignorantiam, vel nondum sentiunt conscientiam. Per quam vel modice excitatam ista cuivis attendenti nota erit. Quæ ejus juris naturalis testis, judex, executor in hominis mente existit,

IV.

Essentia legis Naturæ Definitione exponitur sequenti, quod scili sit Regula à DEO naturaliter Menti insita, ostendens bonum & malum, dirigens hominess in vita & actionibus, suis, atque obligans ad bonum faciendum, malum vero om ittendum.

V.

Non itaque putamus esse satis commode selectum Genus à Pontificijs Doctoribus Actum, illumque vel nomine ordinationis, vel dictami-

ctaminis aut dictati exprimentibus, de quo videndi Dominicus à Soto, Gregorius de Valentia, Adamus Tannerus, Rodericus ab Arriaga, Antonius de Escobar & Mendoza, Hugo Grotius & alii, qui ipsum sequuntur. Posito enim admittendum esse dictamen quoddam, quod proximè attingit actum moralem, Lex tamen naturæ non sub ratione illius dictaminis, vel actus commode & adæquate repræsentatur; Scriptura illam delineante nobis tanquam aliquid habituale, ut etiam observarunt nostri Theologi. Secundò non exprimit indolem Juris naturæ feliciter illa communis, quæ circumfertur definitio Justiniani §. 1. Instit. de Jure nat. Gentium & Civili, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. Tertiò, nec illa satis exacta censetur esse Descriptio, quam Martinus Bonacina aliis prætulit, quod scil. Lex naturalis sit ipsamet convenientia, seu disconvenientia rei cum recta ratione.

VI.

Immutabilis est Lex Naturæ, diffusa scil. in omnes, constans, sempiterna. Huic Legi nec nec prorogari fas est, nec derogare ex hoc aliquid licet, neque tota abrogari potest, ut Ciceronis & Lactantii nostra faciamus, neque etiam in Mentibus hominum ita opprimi potest, aut deleri, ut non illius literæ hæreant, ut Paulus docet: *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium*, Roman. 2. v. 14. 15.

VII.

Impingunt hic itaque, qui primò cum Guilielmo Okamo & aliis putant, DEUM posse dispensare in omnibus Præceptis Decalogi, imò posse abrogare totam illam Legem, auferendo omnino ejus obligationem, vel prohibitionem, nec posse tantùm DEUM non prohibere ea, quæ mala, quæ Lex Naturæ nunc prohibet, sed etiam præciperet, ut fiant, cui opinioni sua fœda enunciata superstruxit Zydlovius in Vindiciis quæst. aliquot diffic. cap. 9. & 10. Secundò Scotus & illi, qui ipsum sequuntur, qui censet, Præcepta primæ Tabulæ non admittere dispensationem, at non parem esse rationem Præceptorum secundæ, in Præcepto de Sabbatho aliquid insuper positivum agnoscens. Durandus in

 quarto

quarto Præcepto dispensari posse à DEO, & certa ratione in negativo de non occidendo, cætera autem esse indispensabilia. Major affirmativa dispensabilia dicit negativa excepto quinto negat. Tertiò non videtur satis caute pronunciasse Dn. Mevius, qui in Prodromo Jurisprudentiæ Despect. 2. num. 38. pag. 108. ita: Etsi qua DEUM immutabiliter bonum, justum, sapientem, jus est immutabile, non tamen supra DEUM sic evectum, ut DEUS ei subsit, & aliquando ex malo bonum efficere non possit. Non sibi, sed hominibus DEUS id condidit, seu potius indidit. Non se submisit: Ex potestate sua nihil ideo imminuit. In se ut infinito Numine, potentiam & voluntatem indefinitam, & erga homines gratiæ & vindictæ arbitrium reservavit. Quæ naturæ jus in DEO simile est, quod circa civiles leges conditoribus tribuimus, quod illorum persona excepta creditur. Hilarius lib. 9. de Trinit. pag. 196. *Non subjacet natura legibus, à quo legem omnis natura sortitur.* Hieronymus in Epist. ad Vetal. *Nihil valet natura, contra natura Dominum.* Tertullianus de Resurrect. Carnis pag. 87. de Christo idem ait, quod *potentior est omni lege corporum.* Dispensando potest DEUS indulgere, quæ alias naturaliter improba, imo & injungere, multo magis facere: sicut talium aliqua Sacer Codex in extraordinariis habet exempla. Qualia & sunt pleraque Heroum ex divino afflatu facta. Si homo ex se faceret mala, cum DEUS voluit, bona sunt, quia hic semper bonus, ille nisi ut hic voluit, bonus esse nequit. Quod quis male ageret contra DEI voluntatem & legem, bene facere potest ex illius voluntate, quia legis gratiam facere potest, lege salvâ. Ut autem hæc DEI singularia non sunt juris naturalis congrua argumenta, Cyrillus lib. 1. ad Regin. *Ubi DEUS vult, ibi natura vertitur ordo*: Ita nec justæ sunt de DEI actionibus, ex naturalibus humani juris regulis censuræ. Justinus quæst. 117. *Fieri non potest, ut eorum, quæ supra naturam divina fiunt potentia, ratione naturali struatur assertio.* Peculiaris eorum ratio & astricta personæ executio non admittit imitandi facultatem, nec cognoscendi facilitatem: Arcana plerumque talium ratio est, non tamen ideo, quia nos latet, apud DEUM nulla.

VIII.

Intolerabilis verò est Glossa, quæ in c. à nobis. de decis. verbo exceptor. & alibi docet, expressè fieri posse in lege naturali dispensationem per potestatem humanam. Quod etiam tenuit Abbas ad prædict. c. & alibi

ibi. Angelus V. Papa num. 10. Thom. Sanch. l. 8. de matrim. D. 6. n. 5. ubi alios non paucos refert. Nituntur tum ratione, quia dispensatio ordinatur in bonum animarum. Tum variis casibus, in quibus ajunt de facto fuisse dispensatum. Verùm bono communi satis consulitur per exceptiones ab ipsa lege naturæ factas, secundùm ipsos Doctores Pontificios, quas Adversarii minus bene vocant dispensationes. Videamus aliquos casus in specie. 1. Est de divisione dominiorum, quæ est contra jus naturale. Dicunt plerique communitatem bonorum solùm esse permissam jure naturali, non præceptam. Alii verò ita discurrunt: Si jus Gentium potuit id licitè mutare, eo ipso rationem naturalem necessariò dictâsse, posse illud fieri à jure Gentium. Ergo necessum esse, ut ipsamet ratio permittens hoc juri Gentium dicat, dum prohibet divisionem dominiorum, nisi Gentes contrarium statuant, tunc autem non esse dispensatioem in eo jure, sed positionem ejus conditionis, quam jus naturale requisivit, ut ea divisio sit licita. 2. De matrimonio rato, quod tamen jure naturæ indissolubile est. ℞. Legem naturalem non omninò prohibere eam dissolutionem, sed solùm ne fiat privatâ authoritate, & solâ ipsorum contrahentium voluntate, si enim, ut volunt Adversarii, licitum est illud dissolvere per supremam potestatem, ratio naturalis ab initio hanc exceptionem fecerit, necesse est. 3. Est de impedimentis irritantibus matrimonium jure naturæ, in quibus tamen sæpe dispensat Pontifex. ℞. Si sint talia, in quibus Pontifex dispensare possit, tunc jure naturæ non fuisse irritantia simpliciter, sed cum limitatione, nisi supremum Reipubl. Caput permiserit, quæ permissio non est dispensatio respectu juris naturæ. Quodsi tamen ea licentia Pontificis communiter vocetur dispensatio, fieri istud respectu legis positiva, ibi præter naturalem intervenientis. 4. Est de votis & juramentis promissoriis, quæ jure naturæ obligant, & tamen Papa in iis dispensat. Respondent plerique, non remitti per dispensationem in jure, sed per cessionem alterius, cui obligabatur; Perinde autem, sive DEUS remittat per se, sive per suum Vicarium. Posse etiam conformiter prioribus dici, eam obligationem, si fieri possit, permitti ab ipso jure naturæ in ea circumstantia, quod scil. Caput Reipubl. det licentiam ad non implendum illud votum aut juramentum, adeoque jam non fore dispensasationem. Atque hanc genuinam Responsionem putant applicari posse ad omnes excogitabiles casus, ut proinde plures afferre minimè sit necesse.

IX.

Denique non salvantur Scotus & Durandus, quorum ille in 3. D. 37. q. unic. putat, DEUM posse dispensare in 7 posterioribus Præceptis Decalogi: iste verò in 3. D. 47. q. 4. ait, posse à DEO dispensari in præceptis affirmativis, quia possit DEUS cum homine nolle concurrere ad ullum actum positivum, quasi in solo fere modo loquendi dissentiant à communi doctrina; namquod ipsi vocant dispensationem, admitti communiter re ipsâ posse à DEO fieri, negari tamen illam dicendam esse dispensationem; quia sit mera mutatio materiæ, ratione cujus jam non contineatur actus ille sub jure illo naturali, v. g. præceptum honorandi parentes eousque juvandi non mandat id pro omnibus circumstantiis & occasionibus possibilibus, sed cum hac limitatione, nisi grave inde damnum Reipubl. sequatur, aut nisi ille, qui fuerit Dominus vitæ & mortis tuorum parentum, id impediat; quando ergo postea Princeps cogit aliquem, ut relicto parente succurrat Reipubl. extremè periclitanti, non dispensat in jure illo naturali, sed potius utitur illâ licentiâ sibi à jure pro tali occasione data. A fortiori quando DEUS, ut Dominus vitæ & necis, mandat filio, ut parenti neget cultum, neget alimentum, imo ut occidat, non dispensat in jure naturali, sed potius hoc utitur, quatenus illud jus dicit, omnia creaturæ bona esse DEO subjecta, ideoque DEUM pro libitu uti illis posse. Item in lite cum Durando clariùs constare nam DEUM negare concursum homini ad operandum, non esse dispensare cum illo, sed reddere illum physicè incapacem operationis, & consequenter ex eo capite liberare ab obligatione, sicut includens aliquem carceri non dispensat cum eo in obligatione eundi die festo ad templum.

X.

In lege naturali Epiykejam plures admittunt Authores, quos refert & sequitur Salas D. 5. n. 67. in contrarium tamen propendet Suarez l. 2. de leg. c. 16. num. 7. Arriaga D. 8. n. 42. & alii. Si Epiykeja propriè sumatur pro correctione legis aliquem casum excipiente, in quo obligare foret contra æquitatem, licet legislator eum non exceperit, eam non posse cadere in legem naturæ statuunt, utpote quæ talis correctionis capax non est, & ab initio statim distinguit inter hanc & illam occasionem, atque in una obligationem agnoscit: in altera negat. Si verò Epiykeja latè sumitur pro quavis interpretatione legis, ita locum in ea habere potest, quia præcepta naturalia, ut nobis proponuntur, egent frequen-

ter aliquâ interpretatione, v. g. præceptum non occides, sic interpretandum est, ut non obliget, quando ob justam defensionem necesse est, alterum occidere. Atque hoc tandem etiam concedit Salas num. 8. cum ita communem sententiam limitet, ut planè contrarium sentiat.

XI.

Dividitur lex Naturæ in generalem & specialem. Prior respicit hominem qua talem, omnes & singulos obligat, in quacunque etiam vivant societate. Posterior vero hominem in speciali aliqua societate agentem dirigit, nec ad omnes, sed ad certâ quadam Qualitate vel relatione affectos pertinet, prout scil. sunt vel in societate conjugali, paterna herili, vel etiam civili vivunt, & limitibus status sunt circumscripti, atque ad peculiaria officia tenentur.

XII.

Non possumus probare autem primò Divisionem illam in jus permissivum & obligativum, quæ passim invaluit: cum omne jus prout æquipollet Legi, inducat obligationem, nec Modestini Effatum nobis obesse possit. Secundò etiam illa vacillare videtur Distinctio in Legem naturalem primariam & secundariam, qua quidam abutuntur. Tertiò penitus rejicimus illam in jus cum brutis commune & proprium, quam stabilire nititur Guilielmus Alvernus, Episcopus Parisiensis part. 1. de Univers. part. 3. cap. 8. Diligentem considerationem faciens per singula invenies, nihil vacare à creatoris justitia: quando & ipsas belluas pene omnia genera animalium invenies, quandam exercere justitiam & jura sua defendere. Attende, qualiter ursa rapinam vel necem catulorum suorum vindicet: Similiter & Leo, qualiter pro uxoribus, pro nidis, pro oscis & pro pullis seu fœtibus suis pugnet: quanta justitia labores suos masculi & fœminæ invicem partiantur, ut fœmina remanente in nido vel spelunca, masculus ad perquirendum cibum atque reportandum fœminæ suæ & fœtibus egrediatur & regrediatur. Tempore etiam meo Ciconia tanquam de adulteriò convicta per olfactum masculi sui congregata multitudine Ciconiarum, nescio qualiter accusanse masculo, vel detegente ejus crimen, à tota illa multitudine deplumata atque dilacerata est, tanquam concilio aut judicio omnium esset adulterii judicata. Narratur de equo, cum ignoranter cum matre sua concubuerat, postquam deprehendit, propriis dentibus sibi genitalia abscidisse,

scidisse, tanquam in seipsum vindicans incestum, quem commisisse sibi videbatur licet ignorans eo quod operimento abscondita fuisset ei mater, dum ascendebat.

XIII.

Nec satis solide primò distinguitur inter jus naturæ & jus naturale. Boni Autores his vocibus promiscuè utuntur, nec contra bonam latinitatem peccant. Propriè tamen & accuratè locuturis eadem non sunt, reipsa differunt. Jus naturæ est, quod per istam rerum naturalium proprium redditum, seu his ipsis cum aliqua necessitate aut proprietate inest. Nec aliud est, quam facultas naturalis, quæ rei cuique inest. Ita rebus etiam inanimatis jus tribuitur, quod est ingenuina eorundem conditione. Seneca lib. 3. Natur. quæst. cap. 29. ait: *Legem barbæ & canorum nondum natus infans habet*. Aristophanes *multas avium leges* esse dicit. Frequenter legimus apud Scriptores, de juribus animalium, legibus astrorum. Naturales motus eadem voce denotantur. Eo modo animalibus ratione carentibus juris vox applicatur, indicans quod ipsis naturale. Sic naturalis unicujusque animantis & rei facultas pro jure habetur. Aliter cum jure naturali comparatum, quod est vinculum mentis cum ratione inditum, ad observandum honesta & congrua, vitandum turpia atque iniqua. Quod consistit in aliquo dictamine & præcepto connatæ rationis, multumque differt à rerum proprietatibus. Quæ per naturam vitæ, sanguinis, ætatis, sexus, corporis, animæ propria, naturalia istorum jura sunt, at non qua hominem omne quod in his factum fuit, jus naturale seu vinculum habet ad perpetuam observantiam, sed saltem quod ex iis vel juxta ista dictat naturalis ratio. Unde & fit in iis aliquando diversa & pene contraria accidere. Naturæ jus est in sanguine, ut conservetur, at idem non semper jus naturale, per quod fas effundere pro nostra aliorumque defensione, & pro avertenda noxa communi, ut in pœnis capitalibus evenit. Corporis multa sunt propria, velut jura ejus, at per naturale jus contra illa & licent multa pro usibus nostris aut societatis. Huic subest jus naturæ ut regulæ, ceditque in normam justi. Nec secundò cum Hugone de Roy in libello de eo, quod justum est, inter rationale & animale; Nec tertiò cum Fortunio Garciæ in Jus Gubernans & Gubernatum, quorum illud sit hominis, hoc verò Brutorum.

XIV. Usum

XIV.

Usum legis Naturæ constituimus primò Numinis Inquisitionem, quod cultu aliquo & Reverentiâ prosequendum, secundum illud Pauli: *Quærere DEUM, si fortè attrectent eum aut inveniant, quamvis non longè sit ab unoquoque nostrûm*, Actor. 17. v. 2. *Quia cùm cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*, Roman. 1. v. 21. Secundò honestatis promotionem, quæ scil. intenditur à DEO per Legem illam inscriptam, de qua Paulus: *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*, Rom. 2. v. 14. Denique Justitiæ & disciplinæ externæ in honestate hominum conservationem, quorsum referri possunt illa Christi: *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*, Lucæ 6. v. 31.

XV.

Excedunt hic circa primum Usum Franciscus de Victoria, Pererius, Casalius, Maldonatus, & ex recentioribus maximè Eduardus Baro Herbert de Cherbury, qui nimium tribuunt Cultui DEI naturali, quibus consimilia prodidit Marcus Antonius de Dominis lib. 7. cap. 9. de Republ. Eccles. §. 14. Secundò circa secundum Moses Amyraldus, qui existimat, si gentes honestati operam dedissent ad præscriptam Legem naturæ, excusabiles futuras, quem castigavit Georgius Reveau, Consiliarius & Advocatus Regius in Dicasterio Rupellensi. Tertiò circa tertium Bellarminus cum sociis, gentilibus tribuens, quod possint sine fide bonum morale perficere.

CAPUT XII.
De
LEGE MORALI.
Thesis I.

LEx moralis divina longè altioris est ordinis quam Lex Naturæ, ut actu existit in hominibus post lapsum corruptissimis; est enim illa repetitio illius, quæ in primo homine, qui rectus conditus, Jaschar, Num. 23. v. 10. quod LXX. Interpretibus notat aliàs δίκαιον, Deut. 12. v. 28. Proverb. 17. v. 27. ἀγαθὸν, Job. 22. v. 3. καθαρὸν, Jerem. 31. v 9. adeoque dicit perfectissimum Sanctitatis Exemplar, describiturque, quod sit Regula à DEO immediate promulgata hominique præscripta, quæ exigit omnimodam puritatem omnium facultatum & actionum, ut homo sese conformet DEO suo, & totus pendeat ex illius voluntate. Et quidem Authorem illius nobis indicat, Jacobus scribens: *Unus est legislator, & judex, qui potest perdere & liberare*, cap. 4. v. 12. manuducuntque ad caput. Exodi 20. v. 1. & seq. *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos, ego sum Dominus DEUS tuus, &c. non habebis deos alienos coram me, &c.*

II.

Vapulant meritò itaque primò Manichæi, qui non veriti sunt dicere, DEUM, qui legem per Mosen dedit, non esse verum DEUM, sed unum ex principibus tenebrarum. Secundò, Ptolemæus quidam, qui Legis Authorem dixit non fuisse unum, sed tres, opificem scil. mundi, Mosen, & Seniores. Tertiò, Pontificii, Photiniani & Arminiani, qui loquentem è Sinai & Legem illam promulgantem dicunt fuisse angelum creatum.

III.

Lata autem fuit Lex hæc Judæis, quos *DEUS eduxit è terra Ægypti, & de domo servitutis*, Exod. 20. v. 1. & 2. nec illis tantùm, sed etiam Proselytis, imò certâ ratione omnibus hominibus: cum enim omnis homo censendus sit obligatus ad reverentiam Numinis, ad opera, quæ Domino suo placent, quæque imperat & commendat, nullus non erit subditus huic Normæ, nullus non exceptus ab hac Regula, sed potius cujuscunque dignitatis nationis vel status eidem adstrictus.

IV. II.

IV.

Illud autem controversum hic: Num omnes homines, tantum Legi huic sint obnoxii in quantum spectatur, ratione materiæ & quoad substantiam præceptorum, an vero etiam quatenus illa à Mose data & proposita. Prius censemus esse ita liquidum, ut multum contra illud nequeat moveri. Posterius autem disputatur majori animorum contentione, in negativam euntibus Dominico à Soto, Molina, Salmerone, Gregorio de Valentia, Barradio & aliis.

V.

Præmittimus nos in hac Controversia I. confundi à quàm plurimis distincta; aut enim disputatur, num Lex moralis in quantum à Mose data omnes homines respexerit, & obliget ad observantiam, ex quo à Mose data, vel num Lex moralis quatenus per Mosen lata Christianos etiam stringat in N. T. nec censenda sit abrogata; Posterior controversia facilior habetur, prior intricatior, posset enim aliquis affirmare Legem moralem etiam stringere Christianos, utpote qui illam tanquam Doctrinam à DEO revelatam venerantur, nec esse abrogatam in N. T. sed quotquot velint Ecclesiæ accenseri, hujus Regimini, & directorio sese debere submittere. Qui autem in priori Affirmativam amplecteretur, non tantum respectu filiorum Ecclesiæ vel Candidatorum Regni DEI in terris, teneretur Universalitatem obligationis defendere, sed simpliciter ratione omnium post promulgationem Legis hujus in Orbe vel præsentium vel futurorum. Utrobique autem in affirmativam propendemus, & quidem primam quæstionem, ut in sequentibus explicabitur, affirmativè decidimus. II. Notamus vocabulum quatenus esse ambiguum, & tenebras facile offundere, si non debite evolvatur, Moses enim considerari potest dupliciter, aut ut Minister DEI simpliciter, qui voluntatem illius patefecit etiam ad modum scriptionis usque in æternum perennaturæ progrediens, aut ut Minister DEI determinatè ad hunc populum Judaicum scil. cui præfuit, quibus oracula pandit, quem rationibus etiam speciatim illum stringentibus ad obsequium animavit, quæ distinctionis ratio vel ex eo animadverti potest, quia Moses proposuit quædam communia Universitati hominum, quædam specialia & propria Judaicæ genti, Doctor fuit totius Orbis, Oceanus Prophetarum, & Theologiæ Universæ, & insimul populi Israëliti-

ci Magister speciali quadam ratione & modo; Si itaque quæstio accipiatur ita: Num Lex moralis in quantum à Mose data, tanquam Ministro DEI, intendentis erudire per illum vel oraliter proponentem vel scribentem, non tantum Judæos, sed omnes respiciat, Universitatem hominum post promulgationem factam sibi succedentium, in affirmativam videtur concedendum, neque enim Legem suam DEUS, quæ ratione materiæ fixa, & universalis, voluit arctatam ad Gentem tantum Judaicam, sed vinculo hoc laxius porrecto etiam constringere illos, qui extra terram degebant Sanctam, quò referimus illa Philonis dicentis: Legem Moysis usque ad terræ fines celebrari, illa Grotii in Commentario ad Epistolam Pauli ad Romanos cap. 10. v. 18. qui ita: LXX. Interpretes in Hebræo legisse קולם pro קום diximus ad Psalmi locum. Cœlum astriferum uno in loco est: & tamen ejus vox & verba ubique locorum audiuntur, id est, vis ejus intelligitur. Pari modo cùm Apostoli in illustrioribus urbibus fuerint, ibique & prædicaverint, & miracula fecerint, ut Hierosolymis, Cæsareæ, Joppæ, Antiochiæ, Ephesi, Corinthi, Thessalonicæ, inde fama rerum tantarum pervenit ad omnes terras, in quibus habitabant Judæi, idque sufficit. Sic Agrippam negat Paulus ignarum esse posse eorum, quæ ab Jesu gesta erant, quia scilicet illa non in angulo aliquo, sed in locis illustribus contigissent, Actor. 26. v. 26. Hanc esse causam diximus, cur Apostoli non permissi in Asiam ire, quia ex Pisidiæ & Pamphiliæ urbibus fama satis clara illuc pervenire potuerat. In Latino φθόγγος αὐτῶν & ῥήματα αὐτῶν refertur ad οὐρανούς, quod Hellenistæ pluraliter enunciant, ut Hebræi שמים etiam ubi aut de solo aëre, aut de solo astrifero cœlo mentio est. Simile est, quod de Lege Mosis dixit Philo: Τῶν νόμων τὸ κλέος εἰς ἀπολέλοιπε, διὰ πάσης τῆς οἰκουμένης ἄχρι, καὶ τῶν τῆς γῆς τερμάτων ἔφθακεν. Vide, quæ de Romanorum fide supra dixit Paulus 1. 8. & Act. 7. v. 6. & Coloss. 1, 6. Clemens de Paulo: δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τὸν κόσμον. Illa Menasseh Ben Israël, scribentis: Pia sanè sunt, quæ R. Ame in Jalcut supra Psalmos observat: DEUS benedictus, ait, Legem in deserto, non in terra sancta dedit; nam si hoc fecisset, potuissent Israëlitæ dicere gentibus mundi, nullam illis partem in lege esse. At quando lex dabatur in deserto, loco omnibus communi, ostendebatur omnibus per eam salvis fieri licere. Fortassis inde sumtum est, quod Rabi Jehuda Levita narrat: Haberum Regi Cozar respondisse, quotcumque legem susciperent,

perent, præmio non cariturος. Eandemque ob causam supra nominatus R. Ame existimabat, quando Lex dabatur, fulgure, ac tonitribus cœlum commotum fuisse, eaque per omnes mundi plagas audita, adeo ut ignorantibus rei causam paganis nationibus, multi Reges Bilhamum, Prophetam suum percunctati sint, quæ miraculi ratio esset, & pararetne DEUS novo diluvio mundum obruere? Quibus ille fieri id non posse ob juramentum DEI respondit: sed strepitus illos edi ob Legem in monte Sinai datam. Idque facile iis persuasit, unde exclamarunt: Dominus robur populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo cum pace. Hæc propriè, an allegoricè accipienda sint, quia ad institutum nostrum haud faciunt, inquirere non libet: id modò dicimus, quamvis in libro Regum legamus, DEUM magis silentio delectari, tamen id nequaquam eum observasse, cum legem daret; sed voluisse, ut non solum præsentes, verum & absentes, datam eam intelligerent, quo nemo veritatem ejus negare posset. Unde cum alii hanc rem vidissent, alii audiissent, evenit ut omnes nationes confiterentur Legem à DEO datam esse populo Israëlitico, per manus Mosis servi ejus; eoque respiciens S. Scriptura, ut notat R. J. el ben Sueb in Olat Sabat ait: Vox magna neque ulterius perrexit; quia neque lex alia, neque vox huic similis unquam edita est. Quin & in Rabot ait R. Johanan vocem decem præceptorum divisam fuisse in LXX. linguas, ut quæque natio eam in lingua propriâ audiret. Si verò τὸ quatenus determinet Mosis officium peculiare ad hunc populum & in illo, & sensus sit: Num lex Moralis in quantum à Mose, ut Ministro non tantùm DEI, sed & hujus populi data est, obliget universos, negativa prævalebit: ita enim tantùm curavit, quæ erant Israëlitis propria, ita tantùm direxit eos, qui inspectioni concrediti, ita specialibus etiam quandoque monitis & rationibus illa, quæ generalia sunt, fulcivit, & confirmavit. III. Lex moralis quatenus per Mosen data, manifesta est non eodem modo & gradu respectu Judæorum & Gentilium; hinc ulterius distinguendum esse censemus inter modum patefactionis solennem, & minus solennem, clarum & obscurum, intensum, & remissum. Si sermo sit de modo solenni, graduque intenso, planum est ita Judæos præ cæteris obligatos fuisse ad observantiam Legis moralis, quatenus per Mosen fuit lata, quò enim solennius, abundantius, Lex aliqua per aliquem promulgatur, promittur, explicatur, eò magis etiam censetur talis ad exquisitam observantiam

etiam esse adstrictus, cùm verò dimanarit à Lege Divina morali per Mosen data aliquid etiam ad extraneos per famam, vel librorum Mosaicorum versionem, & Communicationem, ideoque etiam gentiles analogica illa promulgatione non penitùs destituti, censendi sunt obligati Lege morali quatenus per Mosen data, lata, & promulgata.

VI.

Statuimus Legis Moralis Formam esse Regulam divinitus communicatam. Subjectum hîc est Lex Moralis, quæ quomodo distinguatur à cæteris legis speciebus, alibi ostensum. Hujus Formam sive Essentiam dicimus esse Regulam, scil. eâ ratione, quâ Forma istiusmodi Generi Entium tribuitur, & ut pressius aliquatenus agamus, addimus divinitus communicatam scil. per Revelationem cœlestem, in quo à Lege naturæ differt, quæ non est ex Revelatione externâ, sed interna inscriptione in Corda, docente Paulo Rom. 2. v. 12. 13. 14. 15. Patet id primò ex eo, quia si Legis ut sic forma est Regula, Legis Moralis forma erit Regula talis, ostendimus autem prius alibi, consequens itaque erit posterius, quia Scriptura est Canon, Norma & Regula Fidei & Morum, dividitur autem illa in Legem & Evangelium, ut itaque Evangelium, quod Lex Fidei dicitur, Paulo est Regula credendi, ita Lex quæ dicitur Lex operum, erit Regula agendi, quia denique peccatum oppositum Legis consistit in difformitate quadam & Recessu à Regula, si itaque illud dicit quandam anomaliam formaliter, Lex utique erit Regula illa formaliter, cujus illud Recessus, cui opponitur, cui non convenit, à qua deflectit. Secundò ostenditur intentum ex eo, quia quàm plurimi, etiam diversæ Religionis Theologi, in hoc puncto conspirant. Nihil dicimus de Philosophis ex vetustiorum & juniorum Ordine, quorum quam plures possemus producere, qui vel in terminis hoc habent, quod volumus, vel æquivalenter illud dicunt. Sufficiat nobis Chrysippus, qui Legem ita definit: Νόμος ἐστὶ κανὼν δικαίων καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων, προστακτικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν οὐ ποιητέον: Lex est Regula justorum & injustorum, & eorum, quæ natura civilia sunt, præceptrix quidem faciendorum, prohibitrix autem non faciendorum. Nihil de Patribus, qui calculum suum addunt, sed subsistimus in testimonio modernorum, diversæ Religionis Theologorum,

gorum, qui veritati hîc dextras jungunt. De quibus in Typo Legis Moralis.

VII.

Variant hîc devii. Quidam enim putant illam esse præceptum. Hinc Arriaga Legem definit: Quod sit præceptum stabile, justum, commune ad faciendam aut omittendam rem aliquam obligans. Alii patefactionem voluntatis divinæ, cum Zanchio, qui Legem describit, quod sit patefactio voluntatis divinæ, quâ quid fieri ab hominibus velit, quidve vetari, tùm doceat, tùm id ut fiat, atque vitetur, præcipiat ad sui Gloriam & omnium hominum bonum, cùm privatum, cùm maximè publicum instituta. Alii doctrinam, quo quidem sensu Philippus Melanchton Legem divinam accepit & delineavit ita: Quod si doctrina à DEO per Mosem tradita præcipiens, quales nos esse, & quæ facere, quæ omittere oporteat, & requirens perfectam obedientiam erga DEUM, & pronuncians irasci DEUM, & punire æternâ morte non præstantes perfectam obedientiam. Sunt, qui scribunt, formam Legis esse quandam Ordinationem Rationis. Sunt alii, qui statuunt, Animam Legis, & velut Formam esse Obedientiam, quæ à creatura rationali exigitur sub promissione præmii, & comminatione pœnæ. Sunt denique, qui dicunt, formam Legis esse bonorum præceptionem, malorum interdictionem, & permissionem indifferentium, secundum sanctitatis & liberrimæ voluntatis modum.

VIII.

Finis Legis moralis primus est Vita æterna sub conditione perfectæ Obedientiæ, Levit. 24. v. 5. succedaneus verò est infirmitatis nostræ Demonstratio: *Quod impoßibile erat Legi, infirmabatur per carnem*, Rom. 8. v. 3. Denique ad Medicum Animarum Deductio: *Lex Pædagogus noster fuit in Christum*, Gal. 3. v. 24. maximum verò usum habet circa regenitos, dum scil. ostendit illis, quid faciendum, quid omittendum, dirigit ipsorum vitam & Mores, unde Christus: *Nolite putare, quia veni solvere Legem aut Prophetas. Non veni solvere, sed implere*, Matth. 5. v. 7. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, cap. I. v. 17. *Verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*, Tit. 2. v. 8.

IX. De

IX.

Deviant hîc primò Antinomi, qui eousque progressi sunt, ut dixerint, Legem non esse dignam, ut vocetur verbum DEI, Decalogum ad curiam pertinere, non ad suggestum, quibus cum Mose res est, ad diabolum tendere, proinde Mosen ad patibulum relegandum, quos secuti sint superiori Seculo Anabaptistæ. videatur B. Lutherus Tomo Wittenb. lat. fol. 554. Secundò Pontificii, qui cum Suarezio finem ultimum per illam Legem à DEO principaliter intentum fuisse spiritualem & supernaturalem felicitatem asserunt contra illud Pauli: *Nam si ex Lege hereditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem, donavit DEUS. Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, quod promissum erat: ordinata (lex) per angelos in manu Mediatoris. Mediator autem unius non est: DEUS autem unus est. Lex ergo adversus promissa DEI? Absit. Si enim data esset Lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia*, Gal. 3. v. 18. 19. 20, 21. Tertiò Photiniani, qui putant Legem etiam in hoc statu posse servari. Unde Volkelius: Nos primò generatim respondemus: Nequaquam absque insigni divini Numinis injuria tantam ipsius legibus maculam adspergi posse, ut prorsus impossibiles esse dicantur: cùm sic DEO justissimo atq; sapientissimo turpissima (horret animus dicere) iniquitatis stultitiæ nota necessariò inuratur, ut qui non solùm eam legem hominibus imposuerit, quam servare nullo pacto possint; sed etiam, qui eam non exequuntur, pœnam ab illis gravem expetat. Quod si eâ ratione legem præstitu impossibilem dicere velis, qua v. g. Christus impossibile esse ait, divitem intrare in regnum cœlorum, h. e. adeò difficile, ut ægrè id queat fieri, & hominum vires quodammodo superet; (Matth. 19, 26. conf. vers. 24.) facilè concedimus, impossibile esse legem opere implere, si perfectior ejus sensus spectetur. Animadvertendum est enim, duplicem esse legis moralis, de qua potissimum disputare, sensum: alterum perfectiorem, quem non rarò ipsa legis verba per se sumta postulare videntur, ut patet ex præceptis illis generalibus de DEO & proximo diligendo; itemque de concupiscentia vitanda (Deut. 6, 5. Lev. 19 18. Exod. 20, 17.) alteram imperfectiorem, accommodatum statui populi Judaici adhuc rudis & carnalis: qui quidem inserviebat partim exercendo illi populo in cultus divini rudimentis, partim civili honestati & tranquillitati publicæ, atque adeo terrenæ felicitati, quam DEUS populo

pulo promiserat, conservandæ. Hoc posteriori modo legem servare & poterat & debebat, quisquis promissis illis terrenis potiri cupiebat; præsertim cum certa esset proposita ratio, leviora quædam delicta expiandi, ita ut ea nequaquam obstarent, quominus quis promissa fœderis adipisceretur.

X.

Affectiones illius sunt primò perfectio, quam Christus stabilit: *Nolite putare, quia veni solvere Legem & Prophetas. Non veni solvere, sed adimplere*, Matth. 5. v. 17. Secundò Spiritualitas: *Scimus, quod Lex spiritualis est*, Rom. 7. v. 1. Tertiò perpetuitas: *Nolite putare, quoniam venerim solvere Legem aut Prophetas. Non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis: Antequam transeat cœlum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à Lege. donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*, Matth. 5. v. 17. & seq. *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem stabilimus*, Rom. 3. v. 31.

XI.

Improbamus itaque primò sententiam Photinianorum, qui legem moralem imperfectionis alicujus accusant: Catechismus Racoviensis cap. 1. de Præceptis Christi, quæ legi addidit, hæc habet; Quæritur: Quæ nam sunt perfecta mandata DEI per Christum patefacta? Et respondetur: Pars eorum continetur in Præceptis à Mose traditis unà cum iis, quæ sunt in Novo fœdere addita: Pars verò continetur in iis, quæ peculiariter ipse Christus præscripsit. Succinit Ostorodus asserendo: Præcepta divina Christum Matth. 5. non repurgasse à falsis Pharisæorum & Legisperitorum interpretationibus, uti putativi Christiani opinentur, cùm illarum falsarum glossarum nullo ibi verbulo fiat mentio, & Christus verba sua verbis legis simpliciter opponat. Ex recentioribus Ludovicus Wolzogenius pag. 213. ita disserit: Antequam ipsa verba explicemus, indicandus nobis est crassus valde & perniciosus error, qui fere omnibus interpretibus à Papismo alienis communis est, veræque pietati, quam Evangelium exposcit, vim omnem adimit: quòd scilicet Christus nova sua præcepta, non Mosaicæ Legi, sed tantum falsis interpretationibus Scribarum & Pharisæorum opposuerit. Credunt enim, Legem Mosaicam fuisse tam perfectam, & tam sanctam,

ctam, ut nulla in parte potuerit emendari. Quod quidem verum est, si intentio & scopus ejus spectetur, non autem ipsa præcepta considerentur. Primam hujus suæ opinionis rationem petunt ex his verbis: Audivistis dictum fuisse. Quæ verba indicare dicunt, Christum non antiquos Judæos opponere illis, qui tunc temporis vivebant Judæis, sed sensum esse, quasi dicat: Audivistis, & etiamnum quotidie auditis à vestris Magistris, dictum est antiquis, non occides. (Nimirum contendunt, hæc non Christi verba esse, sed Pharisæos ac Scribas solitos fuisse ea promittere & præfigere suis doctrinis ac interpretationibus, ut eis auctoritatem antiquitatis conciliarent.) Istis ergo Pharisæorum verbis: Dictum est antiquis, ajunt, Christum verba opponere: Ego verò dico vobis, ne nudis verbis ac literæ Legis, vel vestrorum Magistrorum interpretationibus inhæreatis, neque puteris, solum homicidium, prout illi docent, in Lege interdictum esse, sed scitote Legem requirere multo plura, nempe ne prorsus irascamini, neve conviciemini. Verùm ratio hæc tam subtilis & arguta est, ut vix percipi queat. Quomodo, quæso, probari potest, verba ista, dictum est antiquis, non Christi, sed Pharisæorum verba esse? Quis ea re convinci potest, quam ille simpliciter negat ac inficiatur? Eadem hæc verba leguntur v. 27. 31. 33. 38. 43. neque in ullo horum locorum extat vel minimum indicium, quod hæc verba Pharisæorum ac Scribarum sint. Ex adverso autem, sensus est clarissimus & facillimus, nec ullo modo coactus, si tota hæc oratio pro Christi verbis accipiatur. Quibus Anabaptistæ & Pontificii pollicem premunt: In Colloquio enim Franckenthalensi publicè professi sunt, non tantùm Christi doctrinam non esse conformem Mosaicæ, sed & plenius docere Christum Legem quam Mosen, perfectiorem tradidisse V. T. Ministro, idque patere ex Matth. 5. Legem umbram habere futurorum bonorum non imaginem veram, neque accedentes posse perfectos facere, & proin doctrinæ Christi assimilare. Cornelius à Lapide apertè: Christus hic componit, opponit & anteponit se suamque doctrinam tum Scribis & Pharisæis, qui per suas δευτερώσεις, id est, traditiones Pharisaicas legem interpretabantur, ut patet ex v. 20 & 23. tum ipsi Legi & Moysi. Christus enim Legi addidit præcepta fidei explicitæ de DEO Trino & Uno, deque Christi incarnatione, passione, redemptione, &c. Item consilia Evangelica; ad hæc clariorem & expressiorem legis Naturæ sive Deca-

logi

logi explicationem, & hoc ultimum maximè intendit hìc Christus, ut patet ex sequentibus. Licet enim lex Naturæ semper extiterit, omnesque obligarit tum eos, qui fuerunt ante diluvium, tum eos, qui post illud vixerunt, tamen obscurior mansit, nec planè expressa, ideoque paucis plenè cognita ante Christum, veritatis, justitiæ & perfectionis Magistrum, qui eandem hìc clarè, planè & plenè explicat. Ita disertè S. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 22. S. Hilarius, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & alii. Licet nonnulli cum Maldonato censeant, Christum hìc tantùm agere contra perversas Pharisæorum Legis interpretationes, ideoque ipsum hìc non se opponere Legi & Moysi, sed tantùm Scribis & Pharisæis eorumque Legis interpretationibus: sed prius, quod dixi, verius est, scilicet Christum tàm Legi, quàm Scribis se opponere, & utrorumque imperfectiones & defectus supplere. Lex enim Mosis fuit rudis & imperfecta, utpote rudibus Judæis data, quam proinde Christus per legem Evangelicam expolivit & perfecit. Secundò sententiam Photinianorum, qui in spiritualitatem insurgunt. Ita enim Catechismus Racoviensis: Nonne eadem promissa comprehensa fuerunt in Lege Moysis. Resp. Imò nullum eorum comprehensum fuit, etenim nusquam in Lege Mosis reperies vel vitam aut donum Spiritus Sancti obedientibus præceptis Legis promissum: quemadmodum in lege per Christum data promissa esse constat. Et paulò post: Ergò quoad promissa vitæ præsentis exæquatum est novum fœdus veteri. Cum ex aliis scripturis constet hominem Christianum acquiescere debere iis tantùm, quæ ad vitam tuendam sunt necessaria, 1. Timoth. 6. v. 8. apparet promissa vitæ hujus sub novo fœdere facta etiam plenissima, sic accipi debere, ne Christiano homini desit quicquam, quod ad hanc vitam tuendam necessariò requiratur. Verum sub veteri fœdere non solum quærere licuit & possidere plura, quàm vitæ hujus usus requireret; sed etiam à superfluo voluptates, & alia, sine quibus esse in hac vita possumus parare, modo sine alterius fieret injuria. Propterea promissæ vitæ hujus sub veteri fœdere non contrahenda sunt, sed, ut verba sonant, accipienda. Unde etiam cernere est vitam æternam in veteri fœdere non fuisse promissam; alioqui novum fœdus non haberet præstantiora promissa, quam habebat vetus, contra quam supra docuimus. Tertiò, sententiam Judæorum, qui per perpetuitatem Legis moralis etiam ad Legem ceremonialem & judicialem ex-

tendunt. Disertè in hanc rem Moyses Maimonides in More Nevochim part. 2. c. 39. Sic fundamentum Legis nostræ est, quòd in æternum non sit finem habitura vel abolenda: ac propterea etiam ex sententia nostra, alia Lex nec unquam nec fuit, nec erit, præter unicam hanc Legem Mosis Doctoris nostri p. m. Probatur hoc inde, quia neque in Prophetis, neque in Cabbala invenimus, quòd Propheta aliquis aut Patriarcha ante Mosen, quales fuerunt, Schem, Eber, Noach, Mathusalem, & Enoch, ad cœtum & congregationem aliquam hominum dixerit; DEUS misit me ad vos, & præcepit mihi, ut vobis sic vel sic dicam; vel, monet vos, ne ita faciatis; aut præcepit vobis, ut sic faciatis: de hac inquam re neque in Lege, neque in Cabbala ullum testimonium reperimus; sed obtigit ipsis Prophetia eo modo, quem exposuimus. Cui autem copiosè elargita fuit influentia illa, veluti Abrahamo p. m. is congregavit homines, & per modum doctrinæ, instructionis & informationis ad veritatem vocavit, quam apprehenderat. Ita docere solebat Abraham, & per demonstrationes speculativas ostendere, quod Mundus habeat DEUM unum solùm, quod is creaverit omnia alia, quæ extra vel præter ipsum sunt, & quod non sit serviendum figuris istiusmodi externis aut ulli creaturæ; ad ista sermonibus blandis, suavibus & jucundis, beneficiis denique homines allexit & attraxit. Nunquam vero dixit; DEUS misit me ad vos, præcepit mihi, aut hortatus est me. Sic cum mandatum à DEO accepisset, ut ipse, & filii, & servi ejus circumciderentur, circumcidit; nequaquam vero homines ad hoc vocatione Propheticâ vocavit. Nonne enim vides, quid Lex de eo dicat; Quia novi eum: præterea præcipiet filiis suis, &c. Unde vides, quod per præcepta solitus fuerit omnia sua peragere. Hoc pacto vocârunt homines Isaac, Jacob, Levi, Kehat, Amram. Sic dicunt sapientes nostri de Prophetis, qui antecesserunt ipsum; Domus Judicii Methusalemi, Schola Methusalemi, omnes fuerunt Prophetæ, & docebant homines instar Concionatorum, Doctorum, Præceptorum, non vero, quod dixerint, & dixit Dominus ad me, loquere ad N. sic comparatum fuit ante Mosen. Malè etiam philosophantur Pontificii, de abrogatione legis Mosaicæ. Sic enim recentior quidam: Lex vetus quoad præcepta ritualia, ac judicialia jam pridem omnino cessavit. Est communis ac certa hæc assertio definita ab Apostolis & senioribus, Actor. 15. v. 6. & seq. Atque idem tradit Apostolus ad Gal. 3. v. 24. lex, inquit, pædagogus noster

ster fuit in Christo, ut ex fide justificemur, at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. Item ad Heb. 7. v. 12. translato enim sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat. Ratio est, quia lex vetus ceremonialis erat figura novæ & Messiæ in ea promissi: hoc ergo præsente frustra mansissent figuræ. Lex vero judicialis spectabat ad peculiare regimen & statum Politicum Republ. Israëliticæ, quod regimen cum Christus sustulerit, qui fecit utraque unum ad Ephes. 2. v. 14. non erat, cur lex illa maneret. Quodsi ex his Ecclesia non pauca habeat, quæ pro Republ. Christiana judicavit utilia, non obligant ista judicialia, nisi eadem Ecclesia suâ lege, quia humana est, illa præcipiat; antiqua enim obligatio omnino periit. Imo lex eadem vetus cessavit etiam quoad præcepta moralia, si ea sumantur præcise ut inclusa in lege Moysaica. Ita D. Thom. hic quæst. 38. art. 5. in corp. Cardinalis Tolet. ad Rom. 3. annotat. 15. Salmeron. Rom. 7. disp. 6. Barradius. Tom. 1. L. 2. c. c. 21. Valentia, Suarez, Salas, Granadus, Tanner, Arriaga, & plures alii contra Cardin. Bellarminum L. 4. de Justific. c. 6. Vasquez. hic D. 180. c. 3. qui docent, legem Decalogi, etiam prout à DEO olim per Moysen tradita fuerat, ad omnes Christianas gentes spectare. Sed probatur assertio nostra. Tum quia S. Scriptura & Patres de abrogatione legis veteris generaliter & absolutè loquuntur, ut videre est apud citatos Dd. nec apparet ratio eorum locutiones restringendi ad sola præcepta judicialia & ritualia. Ergo, &c. Tum quia nec nos, nec cæteri Gentiles unquam præceptis hisce ut à Moyse promulgatis obligati fuimus: nemo enim obligatur lege, nisi is, cui lex imponitur; nobis autem lex Moysis nulla ex parte unquam fuit imposita. Tum quia, ut bene argumentatur Suarez L. 9. c. 11. num. 7. lex illa tota erat data, donec veniret semen. Ergo tota cessavit, maximè Christo renovante ea præcepta; quippe non erat æquum, ut duæ obligationes divinæ circa eandem materiam in Ecclesia existerent. Diximus, si ea sumantur, ut inclusa in Lege Mosaicæ; si enim spectentur, ut sunt de lege naturæ, vel etiam ut denuò tradita & confirmata à Christo per legem Evangelicam, extra controversiam est, omnes iis hodieque astringi. Nec obstat dictis, quod lex vetus sæpe in Scriptura vocetur pactum, præceptum vel fœdus perpetuum, sempiternum, æternum; nam dicitur tale vel relate ad præcepta moralia, quæ sunt juris naturæ immutabilia atque æterna: vel etiam quoad ceremonialia, hæc enim li-

cet in seipsis sint abolita, manent tamen & durant æternum quoad rem figuratam: vel denique dicitur æterna usitato Scripturæ loquendi modo, quo res diu duraturas vocare solet æternas. Urget Vasquez absurdum ratus cessâsse eam legem ideo, quod DEUS illam non tulerit, nisi ad certum tempus. Sed nihil prorsus in hoc apparet absurdi, imo decentia magna, cum videret à Christo illa præcepta renovanda, ut bene Arriaga d. 10. num 40. Lex vetus prius mortua fuit, quam mortifera: atque adeo licuit aliquanto post abrogatam tempore uti ejusdem ritibus ad cultum DEO præstandum, non quidem tanquam vivis & ad sui observationem obligantibus, aut etiam tanquam figuris adhuc venturi Messiæ, sed tanquam mortuis, bonis tamen & à DEO ad sui cultum institutis. Ita D. Thomas hîc quæst. 103. art. 4. Cardin. Baronius Anno Christi 44. & 58. Valentia, Suarez, Tanner & communissime TT. cum August. Epist. 19. contra Hieronymum Epist. 89. quæ est inter Augustinianas 11. ubi celebrem illam inter hos duos Doctores controversiam de ceremoniis legibus ita Hieronymus disputat, ut ritus omnes Judaicos continuo à morte Christi contendat fuisse mortiferos; nec adhiberi ab ullo licite potuisse cum animo colendi per eos DEUM: potuisse tamen usurpari simulate ad finem honestum, atque laudabiliter fecisse Apostolos, ut eo pacto facilius Judæos ad Christiana sacra traducerent, aut in iisdem confirmarent. Prob. assertio nostra. Quia Apostoli post Christi mortem adhuc plures è Judaicis ritibus adhibuerunt, v. gr. Paul. Actor. 16. circumcidit Timotheum. Idem 18. sibi totondit more Nazaræorum caput cap. 21. ex consilio Jacobi cum quibusdam Judæis Judaico ritu se purificavit ante ingressum in templum, & sacrificia obtulit, &c. quod utique facturi non fuissent, si ejusmodi ritus jam tunc fuissent mortiferi. Nec satisfecit responsio Hieronymi, quod animo solum simulato ob finem honestum id fecerint. Nam, ut rectè docet D. Augustin. loc. cit. simulatio falsi cultus seu religionis, quâ nempe usurpantur ejusmodi facta vel verba, quæ per se significativa sunt falsæ religionis, nunquam est licita, ut ex communi docetur in materia de fide. Si ergo prorsus illicitum erat, ejusmodi ceremonialia usurpare, sub ratione cultus Moysaicæ legis, nunquam sane poterant ab Apostolis nec simulate quidem velut sub ratione cultûs usurpari. Arriaga disp. 10. num. 4. consentiens D. Hieronymo, quod illæ ceremoniæ jam re ipsâ essent mortiferæ, admittere tamen nolens

lens prædictam simulationem, ait: Apostolos iisdem ceremoniis ex ignorantia invincibili fuisse usos. Sed hæc opinio & singularis est, quia contra communem PP. & TT. & dura nimis, quia turpem ignorantiam sacris orbis Doctoribus affingit. Confirmatur igitur assertio nostra, quia valde conveniens erat, ut ceremoniæ illæ à DEO traditæ & sanctæ non simul & semel in momento abolerentur & redderentur mortiferæ, sed, uti ipsa Synagoga, paulatim sepelirentur cum honore. Hinc infertur Petrum serio ac sine culpa legalia observâsse, quem nihilominus Paulus bene reprehendit, ut ipsemet enarrat ad Galat. 2. non quidem ob factum ipsum secundum se, sed secundum id, quod ex eo per accidens & præter intentionem, adeoque etiam sine culpa Petri consecutum est apud Gentiles, sinistram de necessitate ceremonialium opinionem concipientes, ut prolixè tuetur & explicat Baron. tom. 1. An. Christi 51. & sequuntur Suarez, Vasquez. & plerique alii Theologi, in quo Discursu misceri putamina baccis evidenter patet.

XII.

Lutulenta quoque sunt, quæ de Evangelicâ lege Pontificii produnt, quod scil. sit positiva à DEO per filium suum Jesum Christum verum DEUM & hominem data universo generi humano, ut per observantiam illius in hac vita peccatorum veniam ac gratiam, in altera beatitudinem consequamur æternam. Dicitur illis lex divina, quia Christum verum DEUM Authorem habet, cujus divinum imperium internum: non verò hominis solùm essentialiter involvit. Dicitur rursus nova, quia post Moysaicam data: item Evangelica, quia per evangelicam prædicationem innotuit. Appellatur denique lex gratiæ, quod abundantiora gratiæ auxilia DEUS in ea conferat. De hac evangelica lege loquens DEUS per Jeremiam Prophetam ait c. 31. v. 33. *Feriam domui Israël & domui Iacob fœdus novum*, id quod versu sequenti sic declarat: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* Unde quærunt AA. quomodo nova lex præ antiqua dicatur in mentibus fidelium scripta? Fuse de hac quæstione agunt Suarez l. 10. cap. 3. Salas disp. 24. s. 3. Tanner. de leg. quæst. 4. num. 3. & alii. Probabilius nobis videtur, hanc prærogativam legi novæ præ veteri convenire tum ob uberiora auxilia ad eam implendam concessa, tum maxime ob majorem ipsius memoriam & frequentiorem de illa cogitationem, ac intensiorem in eam affectum, sicut de

re, quam vehementer amamus, vel quæ nostræ assiduo obversatur menti, dicere solemus, quod eam habeamus impressam in phantasia, voluntate, &c. Atque hinc Thom. q. 106. art. 1. in corp. dicit, legem novam principaliter esse legem inditam: secundario autem scriptam. Lex Evangelica multiplicia præcepta continet, præsertim vero triplicia, quorum alia sunt Moralia: alia spectant ad actus supernaturales fidei: alia demum ad sacramentorum administrationem, susceptionem & ritus. Lege morali prohibuit Christus Dominus omnia, quæ naturâ suâ mala erant, quæ etiam fuerant prohibita in lege veteri seu Decalogo. Quod si vindicta Judæis olim fuerit permissa: nunc autem prohibita, fecit hoc Christus auferendo jus in bona & vitam alterius; unde statim jus naturale eam vindictam prohibuit. Non plura etiam moralem legem Christi præcepisse, quam ratio naturalis dictet, & de se ad rationem virtutis spectent, tradunt communiter TT. cum Thoma quæst. 108. art. 1. & 2. & bonam valde congruentiam ex suavitate legis gratiæ desumunt. Non obstat, quod teneamur nunc credere explicite Trinitatem, incarnationem, ac passionem Christi: item per hunc sperare remissionem peccatorum, gratiam & gloriam, ad quæ & alia non pauca ex natura rei non obligamur. Non obstat, inquam, siquidem hæc præcepta non sunt positiva; suppositâ enim elevatione ad ordinem gratiæ ex natura rei ad ea tenemur, ut bene Arriaga disp. 12. num. 12. ubi num. 16 addit, legem specialis dilectionis à Christo latam obligare etiam ex natura rei suppositâ inter se ejusdem religionis ratione. Hinc clare patet, legem Christi moralem præcipere actus internos fidei, spei, &c. & hos directe sub obligationem cadere; neque in hoc est difficultas, cum Christus directam habuerit potestatem in illos. Tota materia ceremonialis legis gratiæ reducitur ad septem sacramenta, etsi non obligemur ad omnem hanc materiam, nec semper, ut per se patet. Præcepta judicialia Christus Dominus nulla dedit, non civilia, quia noluit exercere temporalem jurisdictionem, etsi posset: Ecclesiastica vero maluit fieri per Vicarios suos, dirigente eos invisibili Spiritus S. gratiâ & illuminatione; sic autem statuit, quia consultius & connaturalius omnibus expensis videbatur.

CAPUT XIIII.
De
LEGIBUS POSITIVIS.
THESIS I.

LEx positiva est vel divina vel humana, divina vel universalis, vel lata uni populo Ebræo, vel Ceremonialis vel Forensis. Videatur Exod. 25. v. 1. & seq. & Exod. 21. vers. 1. & seq. Differunt ambæ à lege morali secundum nostros, primò Respectu patefactionis. Lex enim moralis in prima statim creatione mentibus hominum fuit implantata, & per Mosen tantùm repetita, sed leges Ceremoniales ac Forenses tempore Mosis datæ, & minus solenniter latæ Deut. 5. v. 30. 31. non à DEO, sed à Mose scriptæ Deut. 31. v. 9. nec in arca fœderis exemplo Decalogi asservatæ Exod. 25. v. 16. & c. 40. v. 18. Deut. 5. v. 30. 1. Reg. 8. v. 9. Heb. 9. v. 4. sed custodiæ duntaxat Sacerdotis & Regis commendatæ fuerunt Deut. 17. v. 18. 19. cap. 31. v. 9. Secundò Respectu obligationis. Nam lex moralis est regula universalis omnes omninò homines & ipsos Angelos obligans: Leges Ceremoniales & Forenses autem solos Judæos concernunt, eosque obligant. Evidentissimè hoc evincunt verba illa Levit. 23. v. 14. *Panem & polentam & pultes non comedetis ex segete usque ad diem, quo offeratis ex DEO vestro*, & quæ sequuntur v. 21. *Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis & generationibus vestris*, quanquam id, quod in talibus est morale, ad omnes in universum homines pertinet. Insuper proselyti ex gentibus oriundi unà cum Judæis circumcisionem suspiciebant, & legis Ceremonias spontè servabant, quibus tamen Cornelius incircumcisus, qui DEUM Israëlis colebat, annumerandus non est Act. 10. v. 22. & 28. Tertiò Respectu qualitatis. Lex enim moralis erat spiritualis Rom. 7. v. 14. hoc est, non tantùm externam, sed etiam internam obedientiam requirebat, leges autem ceremoniales & forenses externo tantùm officio & obsequio, quod præscribebant, contentæ erant. Quartò Respectu durationis, quia lex moralis est faciendorum & fugiendorum norma perpetua, semper immobilis & immutabilis mansura, leges verò ceremoniales & forenses tantùm spectant ad Vetus Testamentum, quod fœdere novo anti-

quatur Jerem. 31. v. 31. & Ebr. 8. v. 13. Quintò Respectu finium diversorum. Præter usum enim Politicum finis illius fuit convictio de peccato, Rom. 3. vers. 20. & doctrinalis. Leges verò Ceremoniales & Forenses propter Rempublicam Judaicam promulgatæ fuerunt, ut ea esset primò officina divinarum patefactionum, Psal. 76. v. 2. 3. & Esa. 31. v. 9. Secundò Academia & Schola, in qua sonaret incorrupta doctrina, & exerceretur orthodoxa vel religio, Psal. 122. v. 3. 4. & Psal. 147. v. 19. 20. unde vera cognitio DEI peteretur, & ex Hierosolyma tanquam orbis umbilico ad exteras quoque nationes dimanaret. Tertiò Bibliotheca, id qua Mosis & Prophetarum scripta asseverentur, & ad posteritatem transmitterentur Rom. 3. v. 2. Quartò hospitium Messiæ venientis Gen. 49. v. 10. & nascentis Joh. 4. v. 22. Rom. 9. v. 4. docentis Luc. 19. v. 47. & Joh. 18. v. 20. patientis & morientis Luc. 9. vers. 31.

II.

Juxta ejus collationem constitutio de pœna idololatrarum Exodi 22. v. 20. & Deuter. 13. v. 5. ad Præceptum primum; lex de pœnis sagarum, & similis farinæ hominum Exod. 22. v. 18. Lev. 20. v. 27. & cap. 24. v. 15. 16. ad secundum; pœna capitalis Sabbathi, violatoribus irroganda Exod. 35. v. 2. itemque sanctio, de septimi anni Sabbatho Exod. 23. v. 10. Lev. 25. v. 4. ad tertium spectat. Quarti præcepti lacinia est primò lex de manumissione servorum Exod. 21. à v. 2. usque ad v. 11. inclusivè, necnon Lev. 25. v. 39. 41. (qui conferendus est cum loco Exod. 21. v. 6.) 46. 47. 49. Deut. 15. v. 13. 14. Secundò constitutio de pœna injuriæ, vel contumeliæ parentibus illatæ Exod. 21. v. 15. & Lev. 20. v. 9. Tertiò Pœna contumacis filii Deut. 21. v. 18. 19. 21. Appendix quinti Præcepti est constitutio primò de civitatibus refugii Exod. 21. v. 13. Num. 35. v. 9. Deut. 19. v. 2. & seq. Secundò de ritu expiandæ terræ, in qua inventum fuit cadaver hominis interfecti, ubi autor cædis ignoratur Deut. 21. v. 1. & seq. Tertiò de jure belli Deut. 20. v. 5. 6. 7. 8. Quartò de pœnis homicidii, & cujuscunque læsionis Exod. 21. à v. 18. usque ad v. 32. inclusivè. Quintò de operibus misericordiæ peregrino, viduæ, pupillo, adeoque & hostibus præstandæ Exod. 22. v. 21. 22. & cap. 23. v. 4. 5. Ad sextum præceptum referatur constitutio de pœnis primò stupri Exod. 22. v. 16. & Deut. 22. v. 28. 29. Secundò adulterii Deut. 22. v. 22. 23. 25. Tertiò impudici contactus

Deut. 25. v. 11. 12. Et tertiò nefandarum libidinum, e.g. bestialitatis Exod. 22. v. 19. Ad septimum præceptum pertinet pœna primò plagii Exod. 21. v. 16. & Deut. 24. v. 6. Secundò furti simplicis Exod. 22. v. 1 3. 4. Tertiò pauperiei à quadrupede factæ Exod. 21. v. 35. & cap. 22. v. 5. Quartò damni dati Exod. 21. v. 33. 34. & cap. 22. v. 6. Eo quoque referri debent alia quædam statuta, nempe de deposito Exod. 22. v. 7. 8. 10. 11. 12. 13. de amisso ibid. v. 9. de commodato & inducto ibid. v. 14. de mutuo & usuris ibid. v. 25. Lev. 25. v. 36. Deut. 23. v. 19. 20. de pignoribus Exod. 22. v. 6. 10. 11. 12. Octavi Præcepti appendiculæ sunt constitutiones primò de repudiando unius testimonio Deut. 17. v. 6. & cap. 19 v. 15. de pœna falsi testimonii Deut. 19. v. 16. 17. 18. 19. 21. de pœna calumniæ & falsæ accusationis Deut. 22. v. 13. 14. 15. 18. 19. quæ tamen statuta magis pertinere ad legem moralem, quidam hîc monent. Ab honoribus porrò publicorum officiorum Deut. 23 vers. 1. arcetur is, qui fractos aut abscissos habet testiculos, cui tamen sacris interesse licuit Psal. 56. v. 4 5. Sic lex de spurio Deut. 23. v. 2. dispensationem admittit Jud. 11. v. 11. quod etiam lex de Ammonita & Moabita congregationem Domini non ingressuris Deut. 23. v. 3. Limitate accipienda sit ex verbis Exod. 12. v 48. liquet. Conferatur locus Deut. 23. v. 7. Hæ leges ita generales sunt, ut ad speciale aliquod Decalogi præceptum vix referi possint. Denique cum populus Israëliticus esset populus σκληροτράχηλος Exod. 32. v. 9. Deut. 9. v. 13. & cap. 33. v. 3. Act. 7. v. 51. tanquam durus nodus duro opus habuit Cuneo, propter eandem tamen duritiem toleravit DEUS libellum repudii Matth. 19. vers. 16.

III.

Quædam leges forenses ex mente Thomæ, præscribunt certum ordinem justitiæ inter Principem & populum, quædam inter ipsos populares inter se, quædam inter populum & extraneos, quædam inter domesticos ejusdem familiæ, ut inter parentes & filios, inter maritum & uxorem, inter servum & dominum. Sunt insuper, qui jura forensia ad tria revocant capita, nempe ad personas, res & actiones, cum in illis omne jus consistere dicatur. §. omne autem. Inst. de I. N. G. & C. Sed enumeratio juxta præceptorum Decalogo comprehensorum fini legum forensium primario, qui est externæ disciplinæ conservatio, & Politicæ Judaicæ constitutio, ex asse respondet.

IV.

Leges forenses abrogatas esse in N. T. patet primò, quia מחוקק est sublatus Gen. 49. v. 10. Secundò, quia nec in V. T. eædem gentiles conversos extra Judæam habitantes obligârunt, nec Daniel Regnum Persicum gubernans leges patrias introduxit, nec in N. T. conversis onus legum forensium fuit impositum Matth. 8. v. 13. Luc. 3. v. 14. Act. 10. v. 8. & cap. 13. v. 12. Tertiò, quia Respublica Judæorum fuit eversa Hose. 3. v. 4. neque Sanhedrim uspiam apparet. Quartò, quia non minus parendum est legibus civilibus, quàm ipsi Magistratui, Matth. 22. v. 21. Rom. 13. v. 15. 1. Petr. 2. v. 13. 14. Quintò, quia regnum DEI non venit cum observatione Luc. 17. v. 29. unde Politias non abrogat idem regnum spirituale, cujus typus in N. T. meritò cessat. Sextò, quia Paulus Actor. 25. v. 10. 25. leges Romanas haut obscurè probat.

V.

Leges Ceremoniales nomen sunt sortitæ ab objecto, seu materia circa quam versantur: agunt enim de ceremoniis seu ritibus Ecclesiasticis in externo DEI cultu observandis. Hebræis usitatum est leges hasce ceremoniales vocare Chukkim, in regimine Chukkè, in forma fœminina, Chuhkoth (præsertim si conjungatur vocabulum mispatim, quo constitutiones politicæ denotantur) à radice Chakak, constituit rei alicujus formam, impressit imaginem: quia Ceremoniæ Leviticæ fuerunt typicè Christum & beneficia ejus potissimum adumbrantes. LXX. vocabulum Chukkim reddiderunt per τὰ δικαιώματα justificationes Deut. 4. 1. &c. Non quod ceremoniarum observatio fuerit Israëlitarum cum DEO justitia, sed quia typi & umbræ fuerunt Christi & beneficiorum ejus: *Qui factus est nobis à DEO justitia*, 1. Cor. 1. v. 31. λατρείας nomine denotari videntur Rom. 9. v. 4. Hebr. 9. v. 1. Cum fuerint externa divini cultus exercitia. Sunt ergo Ceremoniæ Leges à DEO ad cultus instituti celebrationem latæ, ad formam Reipublicæ Israëliticæ olim accommodatæ, ut essent quædam umbræ, symbola ac typi Messiæ bonorumque ipsius in populo Judaico, tantisper dum adveniret tempus διορθώσεως, atq; ipse sol justitiæ illucesceret. Coloss. 2. v. 17. Hebr. 10. v. 12.

VI. Lex

VI.

Lex judicialis sive forensis est, quæ officia Magistratuum & subditorum Reipublicæ Israeliticæ, certis constitutionibus civilibus determinat, easque pœnis corporalibus in rebelles sancit, juxta decalogi normam. Vocantur leges judiciales, misphatim, τὰ κρίματα, quia erant norma judiciorum in foro politico, 2. Paral. 34. v. 31. Videntur appellari gnédoth, testimonia; cum ibidem conjungantur præcepta, statuta & testimonia, id est, leges Morales, Ceremoniales, & forenses; siquidem hæ non minus quam reliquæ fuerunt testimonia divinæ voluntatis, qualiter Israëlitarum politia constituenda sit, & judicia eorum exercenda.

VII.

Humana est gentium vel civilis. Quarum priorem à Lege naturali distinctam esse eo ipso, quod non immediate ut jus naturæ originem suam à DEO ducat, sed in gentium consensum se refundat, nec ita obliget, ut qui illi se non conformet in omnibus, scelere se implicet, cum possit populus aliquis etiam non admittere legatos, nec mittere, nec denique plane sit immutabile, ut lex naturalis: à jure autem civili distinguitur, quod hoc sit certæ Reipublicæ & peculiare, profectumque à potestate legislativa, quæ in illo, qui κύριον habet in civitate aliqua: Jus autem gentium tripliciter ferè ab Authoribus accipitur, quarum duæ priores acceptiones sunt laxiores & impropriæ, ultima est stricta & propria, 1. est, quâ jus gentium usurpatur pro eo, quod hominibus à natura insitum iisdem omnibus & solis commune est, quomodo jus gentium sumitur à plerisque Juristis, & cum lege naturæ, quam vocant TT. coincidit. 2. Pro eo, quod omnium gentium consensu aliqua permittit, ad quæ tamen facienda non obligat, hoc sensu videtur sumere Vasquez D. 157. cap. 3. docens jus gentium nihil esse aliud, quàm aliquas permissiones seu concessiones licitè agendi aut non agendi aliquid, sine ulla tamen obligatione. 3. Pro eo, quod ubique servari omnibus vel certè plerisque gentibus placuit cum mutua ad id obligatione, juxta quam acceptionem asserunt: Jus gentium esse, quod liberâ omnium aut fere omnium nationum consensione atque usu receptum vim obligandi accepit. Ita fere Suarez L. 1. de Leg. c. 18. & seq. Molin. de Just. tr. 1. D. 3. & 5. Va-

sent. Tom. 2. T. 7. q. 5. pun. 2. Salas de l. g. D. 2. s. 3. n. 21. Bonac. D. 1. de L. G. q. 1. p. 1. n. 15. Palao tr. 3. D. 1. n. 2. & alii, quibus nonnulli ex RR. Juristis consentiunt. Probatur 1. authoritate, tum Imperatoris Justiniani in §. jus autem. Instit. de jure naturali & civili, ubi sic loquitur: Jus autem gentium omni humano generi commune est, nam usu exigente & humanis necessitatibus gentes humana quædam jura sibi constituerunt; tum Thomæ hic q. 85. art. q. jus gentium inter leges humanas censentis. Probatur 2. ratione, quia jus in assertione descriptum est verum jus civile, lex. (nam juris & legis nomen hic pro eodem sumuntur.) Atqui hoc jus non pertinet ad aliam speciem juris, quàm gentium. Ergo, &c. Maj. patet. Min. ostenditur. Nam neque spectat ad jus naturæ, quia obligat independenter ab humana constitutione: neque ad jus humanum civile strictè acceptum, vel Ecclesiasticum, quia neutrum horum per se loquendo est commune omnibus gentibus aut fere omnibus. Restat igitur, ut pertineat ad jus gentium. Diximus 1. in assertione libera consensione receptum; neque enim ad jus gentium sufficit, ut plures seorsim & independenter ab invicem ad privatum bonum suæ Reipubl. eas leges condant, quæ juris gentium non censentur, sed debent easdem communi authoritate & consensu ad bonum omnibus commune statuere animo se ultro citroque obligandi, id, quod facere possunt, non quatenus distinctis legibus & Rebuspubl. secernuntur, sed, prout retinent communionem quandam & unitatem moralem fundatam in mutua communicatione & auxilio ad commune gentium bonum. Diximus 2. usu receptum; quamvis enim jus gentium absolutè loquendo posset scripto constare, sicut ordinariè constant jura civilia, de facto tamen non scripto, vel simili solennitate, sed moribus & usu est introductum; id quod eò faciliùs fieri potuit, quò pleraque omnia hoc jure sancita sunt conformiora naturæ humanæ, & omnium quasi nationum genio ac propensioni magis consentanea, ut mirum non sit in ea sancienda communi omnes usu conspirâsse. Diximus 3. vim obligandi accepit, quod enim singulis quidem gentibus placuit, sed sine obligatione, id propriè jus gentium dici non potest; hoc enim jus, cum veri nominis lex sit, sine obligatione constare non potest; esse autem veram legem, inde teste Arriaga bene ostendit Salas, quòd jus (pro lege sumptum) communiter ab omnibus dividatur in jus naturale, gentium, & civile. Atqui lex ut talis propriè obligat. Ergo & jus

gen-

gentium quà tale est obligativum, & non purè concessivum, ut Vasquez putat. Et licet aliquando jus gentium non tam obligare videatur, quàm quædam permittere, eo tamen casu non omni obligatione caret; etenim prohibet, ne una natio aliam in hac vel illa re impunè facienda impediat. Hinc infertur, jus gentium esse veram legem humanam, & essentialiter à lege naturæ distingui; licet enim huic sit valde finitimum, & in eo conveniat, quòd omnibus aut fere omnibus gentibus sit commune, differt tamen ab eadem, quòd hæc obliget independenter à libera hominum constitutione: illud verò ab humano consensu tacito vel expresso dependeat.

VIII.

Certum autem est requiri secundum Doctores in legislatore humano, à quo validè & cum obligationis effectu lex ferenda, auctoritatem sive potestatem ferendi, quæ in Principe vel superioribus residens duobus potissimùm circumscribitur, quorum unum est, ne quid mandent subditis non suis; alterum, ut quod mandant, ejusmodi sit, quod cum bona ratione mandari possit. Lex enim est recta agendorum ratio, ab habente publicam potestatem subditis denuntiata, cum voluntate eos obligandi. Concurrunt igitur in ferendis legibus hæc tria: 1. Judicium practicum in mente legislatoris, aliquid ex usu publico fore; 2. Voluntas ejusdem subditos suos obligandi; 3. Imperium à prudentia profectum, quod oratione subditis declaratur, quum dicitur: Hoc facite. Hinc Aristoteles: Ὁ νόμος ἀναγκαστικὴν ἔχει δύναμιν λόγος ὢν ἀπό τινος φρονήμους καὶ νοῦ. Lex cogendi vim habet, quum ex prudentia quadam & mente profecta oratio sit. Conditiones & requisita bonæ legis, quas Isidorus olim commemoravit, meritò ab interpretibus unanimiter approbantur. Sunt autem hæc: Erit, inquit, lex honesta, justa, possibilis secundum naturam & patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta. Et ut verissimum, ita quoque adscribi dignum est effatum Augustini: Ubi justitia vera non est, nec jus potest esse. Quod enim jure fit, profectò justè fit. Quod autem fit injustè, nec jure fieri potest. Non enim jura dicenda vel putanda sunt iniqua hominum constituta: quum illum etiam ipsi jus esse dicant, quod de justitiæ fonte manaverit; falsumque esse, quod à quibusdam non re-

&è sontientibus dici solet. Id esse jus, quod ei, qui plus potest, utile est. Nempe apud Platonem primò de Republica affirmat Thrasymachus Παντάχȣ εἶναι τὸ αὐτὸ δίκαιον, τὸ τȣ̃ κρείττονος συμφέρον. Sed eam definitionem Socrates rejicit & refutat.

IX.

Nondum autem accedimus primò illis, qui Jus gentium simpliciter repudiant, inter quos agmen ducit Thomas Hobbes, qui cum jure naturali illud confundit, & de cive, cap. 14. præcepta utriusque eadem esse scribit, sed addit, quia civitates semel institutæ induunt proprietates hominum personales, lex, quam loquentes de hominum singulorum officio naturalem dicimus, applicata totis civitatibus, rationibus, sive gentibus, vocatur Jus gentium. Secundò illis, qui cum Hugone de Roy omnia, quæ sunt juris gentium ad duo summa capita referunt, quorum primum sit res dividere, secundum punire sontes. Tertiò illis, qui cum Seldeno dividunt jus gentium in imperativum & interveniens, quorum illud à DEO præscriptum, hoc ab ipsis Hebræis superinductum videatur, lib. 2. de jure N. & G. cap. 5. p. 115. adeo hic annotata ad Grot. p. 226. & seq.

X.

Lex civilis illa dicitur, quæ est Regula qua civitas aliqua utitur, quanquam hodie illius nomine, si presse, accipiatur veniat Jus Romanum § 2. Inst. de jure naturæ & gent. Originem suam ducit à potestate legislativa, quæ ad Majestatem pertinet, de quo videri potest Paulus: *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi à DEO ordinata sit, itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, ministri enim DEI sunt, in hoc servientes*, Rom. 13. v. 1. 2. 6. & versatur in rebus indifferentibus atque à natura non determinatis, qua talis, finemque habet *εὐδαιμονίαν* felicitatem civilem, salutem Reipublicæ, & est vel communis, vel particularis, quarum prior ad omnes sese porrigit in Republica, illosque obligat, particularis autem, quæ vel provincialis vel municipalis tantum adstringit illos, qui vel in provincia aliquâ agunt, vel in oppido quodam colliguntur.

XI. Gra-

XI.

Graviter autem hic errant primò Pontificii Doctores, Dominicus à Soto, lib. 1. de Justitia quæst. 1. art. 3. Covarruvias in practicis, cap. 1. conclus. 1. Navarrus in cap. Novit. de Judiciis Notabili 3. n. 119. qui potestatem legislativam, ex sola rei natura in nullo singulari homine existere, sed in hominum collectione opinantur. Secundò iidem, qui cum Suarezio, Tannero & cæteris hanc potestatem negant esse immediate à Deo, sed tantum datam esse per modum proprietatis consequentis naturam eo modo, quo dando formam dat consequentia ad formam, asserunt. Tertiò iidem, qui statuunt, quod licet hæc potestas sit veluti proprietas naturalis perfectæ communitatis hominis, nihilominus in eâ non sit immutabiliter, sed per consensum ipsiusmet communitatis, vel per aliam viam justam posse privari & in alium transferri.

XII.

Præterea nequeunt probari illa Francisci Suarezii: Lex positiva habet efficaciam constituendi materiam suam in tali specie virtutis, & præscribendi medium necessarium ad honestatem talis virtutis. Item: Postquam illud medium constitutum est, absolute in eo consistit virtus, & ideo ab illo recedere peccatum est. Leges humanæ non de singulis actionibus singularum virtutum præcipiunt. Itaque præcipiant de singularum virtutum aliquibus: non tamen de singulis omnium. Ut si verbi gratiâ dixerimus: in materia fortitudinis præcipit lex humana Rempublicam defendere etiam cum mortis periculo: non autem sic defendere amicum: sed hoc relinquit naturæ. In materia temperantiæ præcipit Ecclesia certis diebus jejunia: non autem in reliquo temporis anno moderate comedere, quod facit lex naturæ. In materia religionis jubet certos dies divinis dedicare, ac sacris interesse: non autem ad alias cogit orationes liberas. In materia justitiæ, & liberalitatis præcipit in gravi necessitate & parentibus alere filios secundum suum statum, & nonnunquam filiis vice versâ parentes. Extra illos autem casus reliqua ad legem naturæ & divinam remittit de honore parentibus deferendo. In Summa, lex humana ea duntaxat præcipit officia, quæ ad bonum commune referuntur: vel per se, & proximè, ut ad pu-

blicum bellum arma indui: vel mediatè, (ut ajunt) ut illa, quæ ad bonam attinent disciplinam, per quam cives ad bonum justitiæ & pacis instituuntur.

XIII.

Denique non potest probari sententia primò, quam fovit Fortunius Garcias, Jureconsultus Hispanus, qui contendit suadere, finem juris civilis esse eundem cum fine juris Canonici, habereque eandem originem, eademque principia. Unde multa infert. Nam de hac opinione quatenus comparationem facit inter utrumque jus, quia non explicato prius utroque extremò, non potest eorum comparatio fieri aut intelligi. Hic ergò solùm de potestate, ac jure civili absolutè spectato in ordine ad suum finem Opinio hæc tractatur ab aliis. Sentit ergo Fortunatus finem juris civilis esse non solùm externam pacem, & justitiam Reipublicæ, sed etiam veram, & internam hominis felicitatem, ac salutem. Ubi eundem finem juris Canonici posuerat, & inde concludit esse eundem finem utriusque juris. Unde necesse est, ut vel sentiat, finem Canonici juris esse tantùm externam Politiam humanam, quod valde absurdum est, vel oportet, ut sentiat, finem juris civilis non sistere in humana Politia, & externa pace, ac justitia Reipublicæ, sed etiam tendere ad veram felicitatem humanam. Secundò sententia Navarri, qui quidem largitur ipsam potestatem Civilem se non extendere in illum finem, nihilominus ut conjunctam fidei in illam referri posse & debere: Quæ Opinio statim apparet incredibilis intellecta de jure civili, & de potestate ferendi illud, prout esse potest in pura natura. Tertiò sententia communis Pontificiorum, qui potestati civili curam sacrorum derogant, atque concludunt primò: Imperatorem quidem posse leges civiles condere; non tamen posse per illas obligare totam Ecclesiam, sed tantùm Provincias imperio Romano subjectas. Prior pars certa est apud omnes, quia Imperator in suis terris est Princeps supremus quoad jurisdictionem temporalem directam: ergo maximè ferre potest leges civiles. Et hoc constat ex jure communi Cæsareo, quod auctoritate Imperatorum institutum est: eandem enim auctoritatem habet nunc Imperator in terris sibi subjectis, quam olim habebant Imperatores in suo latiori imperio: Imperator autem non solùm hanc potestatem habuit, sed etiam illi DEUS leges subjecit, eamque

ani-

animatam constituit, ut Justinianus in Authentica de Consulibus, circa finem. Imò in L. 2. C. de veter. jure enucl. Soli Imperiali auctoritati (ait) leges condere, & interpretari esse concessum. Et idem fere habet in l. 1. & ult. C. de legibus. Loquitur tamen in ordine ad populos sibi subjectos, (ut sæpissimè aliis locis declarat) nam in suo imperio se tantum agnoscebat in temporalibus supremum: eadem ergo potestas nunc est in Imperatore cum eadem proportione. Unde facile etiam patet altera pars ex dictis: nam ostensum est, non habere Imperatorem Romanum propriam jurisdictionem temporalem in universam Ecclesiam: ergo non potest totam illam suis legibus obligare, sed tantùm Provincias sibi subjectas; ita tamen, ut etiam particulares Ecclesias illius potestati subducant.

XIV.

Requiritur autem ad legem civilem, ut Voluntas illius summæ potestatis innotescat illis, qui illa obligari intenduntur, absque hâc enim nondum constare potest de voluntate Legislatoris. Nomine autem promulgationis (de facto, non ex natura rei, ut Arriaga advertit disp. 4. s. 4.) non intelligitur locutio aut manifestatio quæcunque, qua legislator etiam ut privata persona voluntatem suam subditis declarat, sed ea quâ ut persona publica & potestate jurisdictionis pollens iisdem denuntiat, quid fieri velit, sive id scripto, sive voce, sive alio signo externo faciat; ut enim ait Aristot. L. 10. Ethic. cap. 9. scriptæ ne sint leges, an non scriptæ, nihil referre videtur. Sed controversum, utrum ista promulgatio sit essentialis pars legis intrinsece hanc constituens: an vero sit tantum conditio? Prius tenent Salas disp. 1. sect. 10. num. 70. & RR. non pauci. Posterius volunt Granadus de ll. contr. 7. tr. 1. disp. 7. Tanner. de ll. quæst. 2. dub. 1. & alii plures, quibus, loquendo de lege ut proxime obligante, alii quoq; subscribunt. Nam cum omnes fere homines distinguant inter legem & promulgationem, manifeste constat contra nonnullos, eam vocem ne quidem partialiter dicere promulgationem. Aliud ergo est lex secundum se: aliud ut actu obligans, sicut aliud est causa secundum se: aliud ut actu causans, aut ut proxime potens causare; etenim approximatio non est pars causæ, proprie loquendo, sed conditio causæ potentis proxime operari, ita dicimus sine promulgatione dari posse veram legem, eo ipso, quod si vera volitio obligandi, addimus tamen, non esse tunc proximam obligationem, quia ad hanc requiritur promulgatio. Hæc ergo promulgatio

est conditio legis, ut proxime obligantis, quod solum volunt Thomas, & alii, qui promulgationem in definitione legis ponunt, ut præter alios recte advertit Layman. de ll. cap. 2. num. 1. Non obstat cap. 1. de postulatione Prælatorum, ubi Innocentius III. distinguens inter solennem editionem constitutionis, & publicam promulgationem ait: constitutio solenniter editur, aut publice promulgatur, &c. quæ oratio disjunctiva videtur falsa, si promulgatio ullâ ratione necessaria est ad legem. Non obstat, inquam, quia tantum significatur, legem interdum obligare eo in loco, in quo non est solenniter publicata, modo solenniter sit edita, hoc est, loco requisito promulgata.

XV.

Variant autem hic quidam, nec omnes dextrè incedunt. Selva: Quod sine scriptura, sine publicatione valet lex, & ligat statim, si conditor velit, & citat Glossam in Clement. 2. de hæreticis. At vero illa Glossa in verb. ex tunc, statuit, non dicit sine publicatione, sed statim à promulgatione, quod longe diversum est, ut alii observant. Neque aliter loquuntur Doctores in rubr. de constit. quos etiam Selva refert. Unde etiam ille forte in eodem sensu loquutus est, per publicationem intelligens illam, quæ longo tempore, vel certa solemnitate fit: hæc enim potest per principem immutari. Explicandum vero est, quæ & qualis debeat esse hæc solemnitas, seu publica propositio, quæ solet communiter promulgatio vocari. Falinus Benig Imola: Legem humanam statim, ac publicè promulgatam in loco competente, obligare in toto territorio, in quo potest obligare: juxta potestatem, & jurisdictionem legislatoris, nisi per ipsum legislatorem suspendatur, vel differatur obligatio. Hoc videntur supponere communiter Doctores, qui temporis dilationem in hac obligatione juxta voluntatem legislatoris, vel jus positivum putant esse regulandam: nam inde inferri videtur seclusa hujusmodi quasi suspensione positiva, legem de se statim ubique obligare. Et ratio esse potest, quia lex sufficienter promulgata est perfectà lex, & habet omnia requisita ad obligandum, & est quasi agens naturale, quod statim agit, quantum potest. Atque hinc à fortiori sequitur: si legislator expresse declaret, se velle statim obligare sine ulla mora à promulgatione, statim obligari illo modo, quia si taciturnitas, vel negatio suspensionis, ut lex obliget propter indefinitam, & absolutam voluntatem legislatoris sufficit; multò magis sufficiet illa volun-

luntas ita expressa. Et è contrario etiam fit optimum argumentum: nam legislator potest hoc modo obligare, si id expressè velit, & declaret; ergo ille modus obligandi non est contra rationem naturalem; ergo eo ipso, quod lex per voluntatem humanam non limitetur, nec impeditur, absolutè lata, & promulgata ita obligavit. Atque hoc modo possunt etiam pro hac sententia citari auctores dicentes, ex nunc, vel ex tunc, aut aliquid æquivalens, post promulgationem statim obligare omnes, seu in toto territorio.

XVI.

Promulgata lex humana, si sit justa, obligat conscientiam ad parendum, secundum illud Pauli: *Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, Rom. 13. v. 2. & 5. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter DEUM: sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, 1. Petr. 2. v. 3. neque lex propriè dicta esse potest, quæ careat potestate & vi obligativâ, sin verò lex sit simpliciter injusta, & contra DEUM ejusque verbum & voluntatem, non obligare in conscientia censendam, secundum illud: *Obedire oportet DEO magis, quàm hominibus*, Actor. 5. v. 29. quanquam alia sit ratio legum injustarum secundum quid, quæ obligationem inducere possunt.

XVII.

Vapulat ipsis Pontificiis hic primò Gerson negans: Posse Magistratus civiles per leges suas in conscientia obligare, & alii, qui à fortiori negant esse in Principibus veram potestatem ad leges ferendas atque volunt: Solum DEUM posse dare præcepta affirmativa, vel negativa, obligantia sub pœna mortis æternæ. Unde infert Coroll. 5. & seq. Quoties peccari videtur contra legem humanam, non incurri culpam alibi ex transgressione legis humanæ, sed divinæ, quæ ibi conjungitur. Unde non videtur aliquid tribuere legi humanæ, nisi explicationem ejus obligationis, quæ continetur in lege divina, ut patet ex exemplo medici, quo utitur. Nam cum medicus imperat alicui, ne bibas vinum purum, alias morieris, statim oritur obligatio non bibendi, non quia illam medicus imponat, sed quia in ipsa lege divina continebatur. Et quamvis de culpa mortali semper loquatur, rationes tamen ejus, & omnia, per quæ dis-

currit, si quid valent, æque probant de omni culpa, & de omni obligatione in foro DEI. Eandem sententiam quoad leges civiles tenet Almain. de potest. Eccles. cap. 12. inter Canonistas inclinare videtur in eam sententiam Decius in Can. nam concupiscentiam. de constit. circa finem lectionis primæ, & Joan. Imol. cap. 2. de majorit. & obedient. & in cap. cum contingat, de jurejur. & Roman. in l. is, qui bonus. ff. de verbor. significat. Unde Mencha. lib. 1. illustr. quæst. cap. 19. num. 12 & Soto, Castro, & alii non censent tam certum, leges civiles obligare in conscientia sicut Ecclesiasticas. Secundò illi, qui negant Legem civilem obligare vel obligare posse sub reatu mortalis culpæ, in quo puncto ut observat Suarez clarius videntur loqui Gerson & Almain. negantes Magistratui civili hanc potestatem. Idemque à fortiori tenent, qui de legibus Ecclesiasticis hoc docent: Aliqui etiam Canonistæ docuerunt, non esse peccatum mortale, non parere legibus civilibus secluso contemptu. Imol. in repet. cap. cum contigat. de jurejur. col. 17. cujus doctrinam in hac parte valde commendat Felin. in ca. 1. de sponsal. n. 29. unde videtur supponere, ex vi talium legum non sequi per se talem obligationem. Hi verò auctores nullam novam rationem, vel probationem afferunt, qua ostendant, excedere efficaciam potestatis, ac legis civilis, attingere hunc gradum præcepti, seu obligationis, & omnes, quæ afferri possunt, reducuntur ad eas, quæ in cap. 20. positæ sunt. Tertiò illi, qui cum Driodone libro 3. de libert. Christiana legem humanam statuunt obligare sub mortali tantum in materia gravi. Cujus Assertio ita concepta legitur: Temerariæ mandantium intentiones pro quibuslibet rebus parvi ponderis non obligant subditos, ut teneantur obedire sub pœna criminis illius, quod ipsi volunt subditos incurrere.

XVIII.

Illud adhuc superest, an etiam potestas legislativa sit in personis Ecclesiasticis, Prælatis, Episcopis & Pontifice Romano, quod Lutherani negant Pontificiis, qui pro hac sententiâ tanquam proaris & focis pugnant, Orthodoxi enim dicunt, de cultu Dei interno nec Magistratus nec Ministerium Ecclesiastic. novas leges ferre posse, quippe quas DEUS in verbo suo jam ante perfecte ac sufficienter præscripserit, eas igitur Magistratus debere custodire, ac idoneos Ministros, qui easdem

dem populum doceant, constituere, sed de exercitio cultus divini externo Magistratum pium ac Christianum posse & debere leges ferre, ut omnia in Ecclesia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, 1. Cor. 14. v. 40. Cum enim non posterioris solum, sed & prioris Decalogi tabulæ custodia Magistratui sit commissa, utique etiam posse leges Ecclesiasticas, quæ sunt legum divinarum ad priorem tabulam pertinentium appendices & custodes, promulgare & ceremonias ad Ecclesiæ ædificationem spectantes modo legitimo introducere. Ita Moses populi Israëlitici Dux mandato divino non solum forenses & judiciales, sed etiam ceremoniales sive Ecclesiasticas leges tulit complures. David promulgat legem de reducenda DEI arca 1. Paral. 13. v. 5. de distributione officiorum inter Levitas 1. Paral. 23. v. 6. Josaphatus Sacerdotibus certa præscribit mandata 2. Paral. 19. v. 8. indicit jejunium publicum tempore calamitatis publicæ 2. Paral. 20. v. 3. quod & à Ninivitarum Rege factum Jon. 3. v. 7. in N. T. pii Imperatores proposuerunt leges utiles & præclaras ad Christianam religionem & Ecclesiæ ædificationem spectantes, quæ extant in Codice sub tit. de summ. Trin. & fide Cathol. de S. S. Eccl. de Episc. & Clericis, de Episcopali audientia, de hæreticis & Manichæis, &c. Item in Constitutionibus Leonis, in Novell. Justiniani, &c. Glos. decreti dist. 84. dicit, quod amplius 800. à nativitate Christi annis Imperatores II. de rebus Ecclesiasticis tulerint, quodque eis Ecclesia obediverit.

XIX.

Errant itaque Pontificii, qui istiusmodi potestatem firmare contendunt, & ita definiunt. I. Summus Pontifex habet immediate à Christo potestatem condendi leges canonicas universam Ecclesiam obligantes, ut ex communi Catholicorum asserto tradit P. Suarez. l. 4. de ll. c. 1. sumiturque ex universali potestate Petro concessâ Matth. 16. vers. 19. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*; ubi cum non tantum potestas solvendi, sed etiam ligandi & obligandi, (quod per leges fit) stabiliter concedatur: nec tamen immediate Ecclesiæ detur, ut ipsa eam, cui vellet, communicaret, absque dubio illam penes summum Ecclesiæ Prælatum Petri successorem residere oportet; unde etiam defuncto Pontifice non est in Ecclesia illa potestas. Ergo potest Papa pro tota

tota Ecclesia leges Ecclesiasticas ferre, & quidem absque Concilio Generali; imo absque Concilio Cardinalium, aut aliorum Episcoporum, ut post plures Arriaga de ll. D. 18. num. 4. quia Christus soli Petro ejusque successoribus eam potestatem concessit, nec constituit alios Compastores; quamvis ut varia jura indicant, congruum sit, ut horum consilia exquirat. Idem tamen summus Pontifex non habet potestatem ferendi leges civiles obligantes universum orbem, aut etiam totum populum Christianum, sed solum habet potestatem ferendi leges obligantes terram sibi temporaliter subjectam, ut contra nonnullos Canonistas civilem Papæ potestatem plus æquo extollentes recte Cardin. Bellarm. l. 5. de Pontif. cap. 2. & seq. Covarr. l. peccatum. 2. p. §. 9. num. 7. Molina tr. 2. de Just. disp. 19. Suarez. l. 3. de ll. cap. 6. num. 3. Salas disp. 7. de ll. s. 4. num. 30. & plerique alii. Nam ad leges civiles ferendas pro universo orbe requiritur potestas & jurisdictio civilis ac temporalis, quæ se in omnes simpliciter extendat. Atqui Papa non habet talem jurisdictionem, quia potestas illa à DEO in universum orbem concessa est spiritualis, quæ se non extendit ad externam & politicam gubernationem: temporalis verò, quam more aliorum quorundam Principum habet, minime se extendit in totum orbem, (siquidem de infidelibus, qui foris sunt, nihil habet judicare 1. Cor. 5. v. 12.) sed nec in omnes Christianos, verum in eos duntaxat, qui temporali ejus dominio ab Imperatoribus aliisque Principibus per donationem accepto subjecti sunt. Et hanc temporalem jurisdictionem non repugnare, quo minus in eadem persona Ecclesiastica cum spirituali consistat, patet etiam in Episcopis Germaniæ, qui nemine repugnante utramque de jure retinent potestatem. Interim non negamus, posse Pontificem aliquando declarare jus naturæ, quod re ipsa fecit, declarando malæ fidei possessorem nunquam præscribere posse, cum tamen per leges civiles ei præscriptio permittatur; quo casu non exercet jurisdictionem, sed clavibus scientiæ utitur, ostendendo, quid sit peccatum, quid non, ut notat Arriaga disp. 13. n. 24. II. Episcopi jure ordinario possunt condere leges obligantes totam suam Diœcesin. Atque idem de Archi-Episcopis respectu propriæ Ecclesiæ asserimus ex communi AA. juxta cap. 2. de majorit. & obed. cap. 2. de constitut. in 6. & alia jura. Rationem innuit Paulus Actor. 20. v. 28. ajens: Spiritum S. posuisse Episcopos, regere Ecclesiam DEI. Ergo conveniet ipsis potestas legislativa ad

eam

eam gubernationem valde utilis. Adhæc Episcopi sunt Pastores animarum. Ergo habere debent jurisdictionem, ut eis possint præcipere, ordinare, ac statuere, quæ ab illis fieri oporteat. Cæterùm sit ne ista potestas de jure divino, & data Episcopis immediatè à Christo, necne? Dubium est. Affirmat cum quibusdam Vasquez 1. 2. D. 152. c. 3. Dependenter tamen à Pontifice quoad materiæ & subditorum assignationem. Negant probabilius Suarez l. 4. de ll. num. 6. Palao D. 1. de ll. pun. 23. num. 4. Arriaga D. 18. num. 27. & plerique alii RR. ac multi Antiqui à Suarezio addicti. Nam licet Christus voluerit Ecclesiam suam per Episcopos tanquam Principes gubernari, noluit tamen eis potestatem jurisdictionis determinatam, ac maximè legislativam actu competere, nisi mediante & concedente summo Pontifice, ut colligitur ex c. ita Dominus. 19. dist. quia sic major subordinatio Episcoporum cum suo capite existit, magisque firmatur inter hæc concordia, quæ facilè perturbari potuisset, si utrique æquè immediatè potestatem legislativam accepissent. Quare possunt Episcopi ferre leges, & quidem (exceptis casibus in jure expressis) independenter à consensu Capituli & Cleri, ut contra nonnullos docent Suarez L. 4. c. 5. & plerique alii, qui tametsi Episcopus à Capitulo & Clero eligatur, ejus tamen electi potestas non dependet à Clero; Non tamen id possunt Episcopi absque subordinatione ad Papam, tanquam superiorem, adeoque non possunt quidquam decernere contra universales leges & consuetudines Ecclesiæ, nec etiam cum diminutione juris aliorum, nec denique quidquam statuere in causis gravioribus, quas sibi reservavit Pontifex, nisi fortè in aliquo particulari casu vel necessitas vel justa causa facultatem non tam dispensandi quàm interpretandi exegerit. Archi-Episcopi possunt quidem condere leges totam Provinciam sive metropolim obligantes, sed nonnisi in Synodo Provinciali. patet ex cap. nullus Primas, causa 9. quæst. 3. Legatus Pontificis seu Nuntius Apostolicus potest ferre leges intra terminos suæ Legationis seu Nuntiaturæ, quæ totam Provinciam obligent, non tantùm tempore legationis, sed etiam eo finito. colligitur ex c. ult. de offic. Quousque autem in particulari potestas hæc se extendat, pendet ex voluntate Pontificis tantam vel tantam concedentis. III. Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem possunt condere leges in loco suæ jurisdictionis v. g. Cardinales in Ecclesiis sui tituli. Est assertio hæc communis Dd. limitanda tamen, nisi ob-

 stet

ſtet ſpecialis prohibitio vel conſuetudo. Cæterùm an declarationes & deciſiones Cardinalium ſacræ Congregationis habeant vim legis, an tantùm ſententiæ doctrinalis, pendet à poteſtate, quam habent à Papa, de qua quamdiu non conſtat, præſumendum eſt, inquit P. Paulus Layman. de leg. c. 7. q. 7. num. 26. eas non habere vim legis, cùm authenticè non promulgentur. Idem tenendum de ſententiis SS. Patrum, ac Doctorum corpori juris Canonici à Gratiano inſertis, niſi à Papa canonizentur, ut tradit ex communi Palao pun. 23. cit. num. 15. Poteſt Concilium Generale leges condere obligantes totam Eccleſiam, ut habet communis DD. & patet ex praxi Eccleſiæ, & Conciliorum fere omnium Eccleſiæ generalis, quæ propterea generantur, ut Canones & Leges pro tota Eccleſia conſtituant, quod facere non poſſent, niſi publicam & univerſalem haberent poteſtatem Eccleſiaſticam; debent tamen legitimè eſſe congregata, authoritate ſcilicet Papæ, qui ſi per Legatum ſolùm illis interfuerit, non obligabunt ante ejuſdem confirmationem. IV. Concilia particularia (id eſt, Nationalia, quando Archi-Epiſcopi & Epiſcopi ſub uno Primate ſeu Patriarcha: Provincialia, quando Epiſcopi ſub uno Archi-Epiſcopo: Diœceſana, quando ſub uno Epiſcopo inferiores Eccleſiarum Rectores congregantur) habere poteſtatem condendi leges pro ſuo territorio, indubitatum eſt; nam ſi quilibet Prælatus ſeorſimà ſuo Clero poteſt ferre leges, multo magis ex hujus conſenſu, ſicut colligitur ex c. Catholica. 11. diſt. & aliis juribus; iſtæ tamen leges non obligabunt univerſam Eccleſiam, niſi pro hac à ſummo Pontifice approbentur, & vi hujus approbationis vim legis univerſalis induant; id quod non conjiciendum ex eo præciſè, quod in Decreto Gratiani contineantur, ſed ex aliis Decretis Pontificum, vel ex traditione, ut docent Valent. Suarez l. 4. c. 6. n. 8. Salas D. 8. ſ. 15. n. 79. & alii. V. Capitulum Eccleſiæ Cathedralis non poteſt, vivente Epiſcopo & abſque ejus conſenſu, leges condere pro aliis: poteſt tamen pro ſe in rebus minoris momenti etiam ſine Epiſcopi conſenſu, ut habet communis ſententia, quia Capitulum quoad multa eſt diſtinctum ab Epiſcopo, habetque aliud caput, ſcilicet Decanum, aut Præpoſitum; Juriſdictio ad hæc neceſſaria vel manat à Papa, vel habetur ab ipſomet Epiſcopo jam per conſuetudinem. Mortuo Epiſcopo & ſede vacante poſſe Capitulum leges totam Diœceſin obligantes ferre, contra Arriagam D. 18. num. 62. probabilius judicant quidam cum Suarez. l. 4. de ll. c. 6. n. 14. Palao D. 1. pun. 23. n. 22. & aliis.

& aliis. Nam Capitulum succedit mortuo Episcopo in omnem jurisdictionem in spiritualibus & temporalibus, ut patet tum ex c. cùm olim de majorit. & obed. & aliis juribus, tum ex Trid. sess. 24. c. 16. de reform. nisi aliquid expressè caveatur, ut de præbendis tradit Gloss. in cit. cap. cùm olim. Ergo succedit etiam in vi legislativa, quæ sæpe necessaria est ad statuendas leges aliquas, quæ etiam post electum Episcopum stabilitatem habeant. VI. Inferiores communitates v. g. confraternitates, sodalitates, &c. secluso privilegio non possunt leges condere. Quare si quid decernant, quod obliget in conscientia, obligatio non oritur ex vi instituti, sed ex pacto vel juramento. Ordines Religiosi, eorumq; summi Prælati habent potestatem legislativam, quæ varia est pro varietate instituti & privilegiorum, ut communiter sentiunt Doctores. Secundò, qui disputant, an hæc potestas sit propria Legis Gratiæ, vel etiam sit de lege Naturæ, & fuerit inscripta, atq; asserunt: Vestigium aliquod, seu participationem aliquam bujus potestatis ante legem Gratiæ, atque adeo semper in Ecclesia fuisse; perfectam autem potestatem, prout nunc est in Ecclesia, propriam esse legis Gratiæ, & à Christo Domino suo collatam. Denique tertiò, qui dicunt, potestatem hanc immediatè esse datam Petro à Christo: quæ assertio ipsis est de fide, & secundum illos præcipuè fundatur in illis duobus testimoniis Math. 16. & Joan. 21. nam licet Matth. 18. generaliter dixerit Christus: *Qui Ecclesiam*, id est, Pastores Ecclesiæ, *non audierit*, &c. & subjunxerit etiam generaliter: *Quæcunq; ligaveritis*, &c. tamen c. 16. specialem promissionem fecit Petro, dicens: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Et: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; ergo singulari, & speciali modo hanc potestatem illi promisit. Postea verò implendo promissum, etiam ostendit hanc singularem concessionem, & ideo prius illum publicè interrogavit Christus, an se diligeret plus quàm cæteri, significans, plus etiam fuisse accepturum, & deinde subjungit: *Pasce oves meas*, Joan. 21. ubi in verbo pascendi, potestas regendi, & leges ferendi significatur, & colligitur optimè ex 2. Reg. 5. *Tu pasces populum meum Israël, & eris Princeps super eum.* Dum autem indefinitè dixit: *Oves meas*, ostendit potestatem supremam, & Monarchicam etiam super alios Apostolos: nam illi etiam erant oves Christi. Et ideo dicitur in cap. *in Novo* Testamento, dist. 21. & cap. ita Dominus, dist. 19. Petro esse datam potestatem ut capiti, cæteris ut membris. Idem habetur in cap. cum

beatissimus. & cap. loquitur. cum multis aliis. 24. q. 1. Ex quo loco, & ex dist. 96. & multis aliis locis Decreti colligi potest evidens traditio Pontificum, Conciliorum, & Patrum hanc veritatem confirmans, quam Bellarm. etiam supra copiose prosequitur. Ratio vero propria fuit voluntas Christi; congruentia autem est, quia oportuit, & decuit in Christi Ecclesia esse perfectam unitatem mysticam, & perfectissimum regimen, & instituit illam per modum monarchiæ, & supremam potestatem uni contulit, ad quam Petrum elegit sua altissima prædestinatione.

XX.

Causa hujus Legis est DEUS summus Monarcha, qui illam primum homini insevit, & adhuc in statu lapsus aliquid primævæ consimile, quod potius umbram refert, quam speciem illius conservat, ut docet Paulus: *Quia, quod notum est DEI, manifestum est in illis. DEUS enim illis manifestavit*, Rom. 1. v. 19. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se cogitationum accusantium, aut etiam defendentium*, c. 2, 14. 15. de quo puncto ita D. Mævius: Principia hujus juris servaturos discernere oportet ea, quæ essendi, & quæ cognoscendi principia cum Philosophis dicimus. Illa ad rei existentiam, hæc ad notitiam deducunt. Illorum summum & verum DEUS est, ut naturæ, sic & cum ista inditi juris unicus autor. Indidit autem homini cum illo spiraculo, quo animam rationalem primum condito cum ea facultate inspirabat, ut transiret in omnem progeniem. Inde illud dictamen rationis etiam voce Spiritus DEI continetur Gen. 6. v. 3. Nam se non sinere regi Spiritu DEI, ibi est, contemnere ductum rectæ rationis, (ita ille quidem, verum non satis commode.) Intellexere eorum gentiles. Euripides in supplicibus hoc appellat νόμον δαιμόνιον, Deorum legem. Sophocles jura non conscripta, sed nutu Deum concessa. Dion Chrysostomus Διὸς θεσμὸν, Jovis sancitum. Demosthenes εὕρημα καὶ δῶρον Θεοῦ, inventum & donum DEI. Socrates jus patrium, quo omnes homines inter se utuntur, non quasi ab humana natura condito, sed tanquam imperato à divina potentia. Hierocles τῷ ὀρθῷ λόγῳ πέφυκε καὶ τῷ Θεῷ πιστὸν εἶναι, ut à DEO velut opifice prodiit natura, sic & quidquid naturæ est proprium & veluti connexum atque insepara-

parabile. Hesiodus τὸν γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων, legem hominibus constituit Jupiter. Philosophis inde familiare naturales leges vocare divinas. Chrysostomus 1. ad Corinth. 11. v. 3. ὅταν γὰρ εἴπω τὴν φύσιν Θεὸν λέγω: ὁ γὰρ τὴν φύσιν δημιουργήσας, αὐτός ἐστιν, cùm naturam dico, DEUM dico: Ipse enim est naturæ opifex. Ut verò justitia divina in humanis omnia juste fieri voluit, ita de justitia sensum, ad eam propensionem & præcepta mentibus inseuit, ut ab ipso juris origo recoleretur, in factis ille respiceretur. Justinianus Imp. §. 11. Instit. de I. N. G. & C. jura naturalia divina providentia ait constituta. Ita de justitiæ origine Chrysippus 3. de Diis: Οὐ γάρ ἐστιν εὑρεῖν τῆς δικαιοσύνης ἄλλην ἀρχὴν οὐδὲ ἄλλην γένεσιν, ἢ τὴν ἐκ τοῦ Διὸς καὶ τὴν ἐκ τῆς κοινῆς φύσεως. Ἐντεῦθεν γὰρ δεῖ πᾶν τὸ τοιοῦτον τὴν ἀρχὴν ἔχειν, εἰ μέλλομεν τι ἐρεῖν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, non potest inveniri principium aliud aut origo justitiæ, quam ab Jove & communi natura. Inde enim initium duci debet, ubi de bonis malisve discernendum est. Et ea fuit omnium Stoicorum sententia, ab ipso Jove natum jus. Unde & Latini hoc nomen duxisse creduntur. Seneca lib. 4. de benefic. 7. Quid aliud est natura, DEUS & divina ratio, toti mundo & partibus ejus inserta. Jus natura à DEO datum est. Ex origine ista & vis obligandi concreavit DEUS jus, ut legem, quæ perpetuo servaretur. Eadem veterum opinio effecit, ut qui spretis naturæ legibus in scelesta proruerent, ipsis θεόμαχοι & scelerum fœda θεομαχίαι dicerentur.

XXI.

Ambiguè verò primò Cajus Jureconsultus l. 9. ff. de just. & jure loquitur jus naturale illud appellitans, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. Secundò Michaël Piccartus, qui Principia non à natura nobis insita esse, sed facultates tantùm quasdam, quibus velut adminiculis ad eorum notitiam deveniamus, asserit, quem secuti sunt alii, etiam Author Anonymus in Epistola de justo & decoro. Tertiò illi, qui jus naturale esse dicunt, quod cum ipso genere humano rerum natura produxit. Ita Zanchius. Lex naturæ, inquit, est omnium hominum mentibus à DEO ipso immediatè etiam post peccatum inscripta. Et paulò post: Non ideò lex naturæ vocatur, quòd ea per Adamum in nos naturaliter propagetur,

sed quòd Deus illam ita impressit in animis nostris. Verùm ut observant nostri, fluit hæc opinio ex falsa hypothesi, de immediata animarum creatione, quam præsupponit Zanchius. Equidem, si ab ipso DEO ἀμέσως infunderentur animæ, à Deo etiam naturales notitias inscribi concederemus. Cùm autem probetur, animas non immediatè creari, sed à parentibus traduci, ultro sequitur, & naturæ legem naturaliter propagari. Qui enim dat formam, dat omnia formam consequentia & concomitantia. Quare sicut ipsa anima & facultates, sic & notitiæ istæ, (quoniam inhærent animæ,) per generationem, adeoque naturaliter propagantur & inprimuntur. Adde, quod aliàs reliquiæ imaginis divinæ appellari non possent. Quod enim de novo plane & ἀμέσως inscribitur, illud ipsum etiam nova notitia, non veteris alicujus pars reliqua est; non secus ac novum dicitur ædificium, si penitus destructo veteri recenter ædificetur, licet veteri quodammodo correspondeat: & ad formam illius extructum sit.

XXII.

Materia sive Objectum legis Naturæ est id, quod intrinsecè honestum non tantum in primis principiis, sed etiam deductis ex illis, quod probat Suarez lib. 7. cap. 7. ita discurrendo; Dicendum est, jus naturale complecti omnia præcepta, seu principia moralia, quæ evidentem habent honestatem necessariam, ad rectitudinem morum, ita ut opposita moralem inordinationem, seu malitiam evidenter contineant. Hæc est mens Thomæ quæst. 91. art. 2. q. 94. art. 2. & 4. q. 95. art. 2. & q. 100. art. 1. 2. & 3. ubi Cajetan. & Conrad. & alii expositores idem sentiunt, Soto lib. 1. de justit. quæst. 4. art. 2. & q. 5. art. 1. & 2. & lib. 3. q. 1. art. 2. & 3. & idem sumitur ex Theologorum allegatis, & ex Turrecr. in cap. jus autem. d. 1. per plures articulos. Covarr. in regula. Peccatum. 2. p. §. 11. num. 4. Item sumitur ex Arist. 5. Ethic. cap. 7. ubi omne jus in naturale, & legitimum distinguit, sub naturali comprehendens omne illud, quod necessariam, & immutabilem habet veritatem. Eademque est sententia Ciceronis lib. 2. de invent. ubi definit, jus naturæ esse, quod nobis non opinio, sed quædam innata vis affert, vel religionem, pietatem, &c. Idem sensit Isidor. 5. Etymol. cap. 3. ubi aliis exemplis jus naturale declarat. Item August. lib. 1. de libero arbitr. cap. 3. quatenus adulterium ponit, esse contra jus naturæ: nam eadem ratio est de omni

bu-

bus similibus. Deniq; sumi hoc potest ex illo Ps. 4. *Quis ostendit nobis bonum? signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Nam inde recto colligimus, omnia, quæ lumen naturale evidenter manifestat, pertinere ad legem naturæ; (quanquam hoc incongrue addatur). Et confirmari potest ex illo Pauli ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Unde infert, eos sibi ipsis esse legem: illa autem, quæ evidenter cognoscuntur lumine naturæ; sive cum discursu, sive absq; illo cognoscantur, recte dicuntur naturaliter fieri: Ratione etiam declaratur assertio, nam ea, quæ naturali ratione cognoscuntur, in triplici genere distingui possunt: quædam sunt prima principia generalia morum, ut sunt illa, honestum est faciendum, pravum vitandum, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, & similia, de his nullum est dubium pertinere ad legem naturalem; alia sunt principia magis determinata, & particularia, tamen etiam per se nota ex terminis, ut justitia est servanda, DEUS est colendus, temperatè vivendum est, & similia, de quibus etiam nulla est dubitatio, & à fortiori patebit ex dicendis. In tertio ordine ponimus conclusiones, quæ per evidentem illationem, ex principiis naturalibus inferuntur, & non nisi per discursum cognosci possunt: inter quas quædam facilius, & à pluribus cognoscuntur, ut adulterium, furtum, & similia prava esse: aliæ majori indigent discursu, & non facile omnibus notæ, ut fornicationem esse intrinsece malam, usuram esse injustam, mendacium nunquam posse honestari, & similia. De his ergo omnibus intelligitur assertio posita: nam omnia hæc ad legem naturalem pertinent. Quod si id probatum fuerit, etiam de conclusionibus, cujuscunque gradus, dummodo evidentiæ gradum certum attingant, à fortiori erit probatum de reliquis. Probatur ergo primo inductione: nam præcepta Decalogi sunt de jure naturæ, ut est indubitatum apud omnes, & tamen non omnia continent principia per se nota, sed aliquo indigent discursu, ut etiam est clarum. Multoque id clarius est de multis præceptis naturalibus, quæ in illis continentur, ut est præceptum prohibens simplicem fornicationem, usuram, vel vindictam de inimico propria auctoritate, de quibus secundum doctrinam Catholicam certum est, esse de jure naturali. Et similiter in præceptis affirmativis, servare votum, vel promissionem, dare eleemosynam ex superfluo, honorare parentes, naturalia præcepta sunt non solum secundum fidem, sed etiam secundum Philosophos, & omnes recte sentientes;

tientes, & tamen non sine discursu, & interdum multa ratiocinatione concluduntur. Secundò argumentor ratione, quia omnia illa, quæ in illis membris comprehenduntur, præcipiuntur, quia honesta sunt, vel prohibentur, quia mala sunt, & non è converso; ergo illa non pertinent ad legem positivam; ergo ad naturalem. non enim est aliud membrum legis. Primo consequentia patet, quia illa est propria lex positiva, quæ addit necessitatem, præter id, postulat intrinseca natura materiæ: nam, ut dixit Aristot. lex positiva est de his rebus, quæ non referunt, priusquam lex ponatur. Antecedens autem patet, quia veritas principij non potest stare sine veritate conclusionis, quando illa necessario elicitur, & ideo si conclusio pertinens ad honestatem, necessario sequitur ex principiis naturæ, per se, & ab intrinseco, habet honestatem, etiam seclusa lege extrinseca: ergo quod adhibetur lex; ideo est, quia illud objectum necessariam habet honestatem, & idem est è contrario de malitia, & prohibitione. Tertiò, de primis generalibus principiis nemo dubitat: ergo nec de particularibus dubitari potest, quia etiam illa per se, & ex vi terminorum habent convenientiam cum natura rationali, ut talis est; ergo nec de conclusionibus ex his principiis evidenter elicitis dubitandum est, quia veritas principii in conclusione continetur, & qui unum præcipit, vel prohibet, necessario prohibet id, quod in illo continetur, vel sine quo subsistere non potest. Imo si proprie loquamur, magis exercetur lex naturalis in his principiis, vel conclusionibus proximis, quam in illis principiis, universalibus, quia lex est, proxima regula operationis: Illa autem communia principia non sunt regula, nisi quatenus per particularia determinantur ad singulas species actuum seu virtutum. Denique hæc omnia præcepta necessitate quadam prodeunt à natura, & à DEO, quatenus auctor est naturæ, & tendunt ad eundem finem, nimirum ad debitam conservationem, & naturalem perfectionem, seu felicitatem humanæ naturæ; ergo omnia pertinent ad naturale jus.

XXIII.

Nimis laxè itaque primò illi ex Jureconsultis, qui cum Ulpiano leg. 1. §. jus patendo. ff. de just. & jur. Materiam legis ratione ad ea referunt, quæ natura docuit omnia animantia, cujusmodi procreatio sobolis, educatio, &c. quasi scil. bruta etiam legis capacia. Secundo, qui cum Gratianus Distinct. 1. illa omnia volunt esse juris naturalis, quæ in

Lege

Lege & Evangelio continentur. Tertiò illi ex Pastoribus Pontificiis, qui cum Durando sola generalia principia volunt esse juris naturalis, quos tangit Rodericus ab Arriaga Disput. 7. de lege naturali creata sect. 2. refutat Suarez cap. 7. quanquam latius serpant dividiæ hic, ut docent alii: Nam Ulpian. lib. 1. §. jus naturale. ff. de just. & jur. materiam hujus legis ad ea sola videtur restringere, quæ natura docuit omnia animalia, cujusmodi sunt procreatio prolis, educatio, &c. Verùm hic loquendi modus meritò rejicitur à TT. tum quòd bruta nec juris nec legis propriè dictæ capacia sint, tum quòd latitudinem objecti nimirum arctent. Contra verò citari solet Gratianus Dist. 1. in princip. quasi legis hujus amplitudinem nimis extendat, atque ad jus naturale revocet omnia, quæ in Lege & Evangelio continentur, cum tamen multa sint præcepta tam in Lege veteri ceremonialia ac judicialia, quàm in nova de Sacramentis, quæ ad positivam DEI legem: non autem naturalem immediatè pertineant. Sed nec Theologi hîc inter se omnino conveniunt; imprimis enim nonnulli videntur ea solùm dictamina objectiva vocare ad legis hujus materiam, quæ præcipiuntur per universalia principia morum lumine naturæ nota v. g. quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Alii verò docent, conclusiones quoque, si necessariò ex principiis dictis sequantur, esse de lege naturæ; addit tamen Scotus in 3. Dist. 37. q. unica. §. ad quæstionem igitur. præcepta secundæ tabulæ decalogi non esse conclusiones ejusmodi, ac proinde non esse strictè de lege naturæ. Alii denique volunt, omnia prædicta dictamina practica, sive sint principia prima moralia, sive magis determinata, sive denique conclusiones inde naturali discursu, sive facili, sive difficili deductæ, ad legem naturæ pertinere. Ita Thom. quæst. 91. art. 2. Suarez. lib. 2. de leg. c. 7. num. 4. Arriaga D. 6. sect. 2. & plures alii, cum quibus asserunt alii generatim loquendo omnem actionem intrinsecè malam seu dissentaneam naturæ intellectuali qua tali: omnem item intrinsecè ita honestam, ut ex vi ipsius naturæ rationalis sit necessaria ad rectitudinem morum, esse materiam legis naturæ. Nam lex naturalis distinguitur à positiva, quòd illa ad actiones à se præceptas obliget ex ipsamet natura rationali quà tali independenter ab omni alia superaddita libera voluntate aut constitutione alicujus Superioris: hæc verò ad suum objectum non obliget, nisi tali constitutione interveniente. Ergò actiones, quæ ex vi ipsius naturæ intellectualis, quà talis sunt illicitæ, vel mo-

taliter debitæ, sunt legis naturalis objectum. Quare ad præcepta Legis naturæ non solùm spectant universalia principia morum, quorum veritas facilè ex ipsis terminis absque discursu innotescit, sed etiam alia, quorum veritas non sine discursu, eoque sæpè difficili ex principiis prædictis infertur; quæ tamen varietas præceptorum non obstat, quò minùs jus naturale dici unicum possit, cum omnia ad unum generale revocari possint, videl. operari secundùm naturam intellectualem quà talem. Hactenus illi.

CAPUT XIV. De PECCATO IN GENERE.

THESIS I.

NAturam peccati concise, sed perfecte expressit Johannes Apostolus per *ἀνομίαν*, sive *deflexionem à lege* 1. Johan. 3. v. 4. cui Definitioni, consimilem habet Ambrosius libro de Paradiso, cap. 8. scribens: Peccatum est divinæ legis prævaricatio, & cœlestium Inobedientia mandatorum. Illa autem Augustini Tomo 6. lib. 32. contra Faustum cap. 27. quod scil. sit dictum vel factum, vel concupitum contra legem æternam, ad materiam magis spectat, secundum priora, quoad posteriora autem cum Johannea & Ambrosiana conspirat, unde etiam Thomas: In definitione hac Augustinus posuit duo, unum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale, cum dicit dictum, factum, concupitum: aliud quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dicit contra legem DEI æternam.

II.

Vapulant merito Theologis nostris Pontificii Doctores, qui primò statuunt, peccatum veniale non esse contra legem, sed præter legem cum Thoma quæst. 88. art. 1. quem alii certatim sequuntur. Secundò, qui cum Gregorio de Valentia, Tomo 2. disp. 6. quæst. 1. definiunt per defectum quendam voluntarium perfectionis debitæ ex lege DEI ad con-

consequendum beatitudinem. Tertiò, qui cum Scoto, Durando, Richardo, Rubeone, Gabriele, Gregorio, Palatio, quorum vestigia ex modernis premit Rodericus ab Arriaga, malitiam peccati negant consistere in oppositione ad legem, sed ponunt in contrarietate ad naturam rationalem.

III.

Continet illud Aversionem à DEO tanquam ultimo fine, & conversionem ad creaturam tanquam finem, ut docet Jeremias cap. 2. v. 19. quoad aversionem ubi hæc leguntur: *Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te*, cap. 8. v. 1. *Hæc dicit Dominus: Nunquid, qui cadit, non resurget, & qui aversus est, non revertetur?* quoad conversionem vero constare potest ex Matth. 10. v. 37. *Qui amat Patrem & Matrem plusquam me, non est me dignus. & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus*, Johan. 12. v. 42. 43. *Et ex principibus crediderunt multi in eum (Iesum:) sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è synagogâ non ejicerentur, dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam DEI.* Aversionem vero à DEO ut ultimo fine explicant Doctores Pontificii ita. Quod sc. sit à DEO ut ultimo fine cujus & cui & ita explicant: Ultimus finis hominis cujus est beatitudo æterna: formalis quidem est beatifica DEI visio ac fruitio: objectiva vero est DEUS, ut summum bonum nostrum, homini super omnia amandum amore concupiscentiæ, ex virtute spei Theologicæ, cujus consequendi gratiâ omnia operari debemus tanquam media ad illum finem, saltem ex præscripto legis divinæ necessaria. Finis vero ultimus hominis cui est idem DEUS Opt. Maximus ut summum & infinitum bonum in se, ex virtute charitatis Theologicæ, super amandum amicitiæ, scil. propter seipsum, ipsamque ejus intrinsecam infinitam bonitatem: cui proinde per charitatem omni actione nostrâ uniri debemus, non quidem semper positive, omnes actiones nostras in ipsum, ejusque in gloriam referendo, quod pro hoc statu impossibile: sed semper saltem negative, nihil unquam agendo contrarium contra legem DEI, cujus observantia necessaria est ad illam charitatis conjunctionem, conservandam conjunctionem cum DEO per charitatem & gratiam, & obtinendam beatitudinem (illam enim tollit, ab hac excludit, uti ex fide constat) ergo omne peccatum mortale continet aversionem à DEO ut ultimo fine cujus & cui, implicitam saltem. Constare putant enim peccatum mortale non semper

continere formalem & expressam à DEO aversionem, hoc enim esse peccatoris desperatissimæ malitiæ, & non posse esse in peccatore invincibiliter ignorante DEUM: sed sat nimium esse, quod semper contineat virtualem & implicitam aversionem à DEO. Ut dum quis peccat mortaliter ex infirmitate, vel etiam malitia, formaliter quidem & directe non velle, sed potius nolle averti à DEO: hoc ipsô tamen, quô libere vult peccatum mortale, quod scit repugnare DEO, convinci virtualiter & implicite velle aversionem à DEO. Et quia etiam transeunte actu peccati, nihilominus malitia peccati in anima habitualiter perseverat, donec per pœnitentiam deleatur, plane sequi aversionem illam à DEO durare, quamdiu homo in statu peccati mortalis perseverat, ut verissime dicatur talem hominem non habere DEUM, pro suo, quæ extrema, & homini viatori incomprehensibilis malitia & miseria est.

IV.

Conversionem ad creaturam ut ultimum finem cujus & cui sic explicant. Ultimus finis cujus universum dicitur illud bonum, quod propter se tantum amatur: & appetitur in operatione, & non in ordine ad aliud, quin omnibus aliis præfertur. Ultimus vero finis cui dicitur persona vel suppositum illud, cui propter se tantum appetitur tale bonum. Atqui omnis peccans mortaliter appetit creaturam propter se, & omnibus aliis anteponit vel eô ipsô, quia anteponit ipsi DEO summo bono omne bonum eminenter continenti. Dum enim ejus legem violat, gratiam & amicitiam respuit amore creaturæ, hoc ipso plus amare creaturam, quam DEUM convincitur. Et sane ipsa aversio à DEO, cum merum malum sit, per se non est appetibilis directe, sed solum indirecte propter aliud bonum appetitum bono divino contrarium, & plus illo dilectum. Unde significantissime Apostolus Ephes. 5. Avaritiam vocat Idolorum servitutem. Et Philipp. 3. De gulosis & carnalibus dicit: Quorum DEUS venter est. Quo spectat acutissimum illud dictum D. Augustini l. 83. Q.Q. quæst. 30. Omnis humana perversio est fruendis uti velle, atque utendis frui. Quæ omnia significant peccatorem, posthabito DEO fruendo, hoc est, propter se tantum appetendo, constituere sibi ultimum finem creaturam, imo DEUM vel potius Idolum quoddam, cum illam appetat propter se, contra, atque adeo supra DEUM; cum tamen creatura, uti tantum debeamus,

non

non scilicet velle vel appetere propter se, sed propter DEUM & in ordine ad DEUM tanquam verum ultimum finem. Ergo omnis peccans mortaliter, aversus à DEO convertit se ad creaturam tanquam ultimum finem cujus & cui. Ultimus finis cujus semper est aliqua voluptas peccandi. Heu, quam momentaneum, quod delectat. Ultimus finis cui ordinarie est ipse homo peccans, qui sibi ipsi, ex improbo amore sui, inordinarie appetit frui illicitâ voluptate creaturæ contra legem DEI: ut patet in omnibus peccatis, maxime luxuriâ, & avaritiâ. Unde amor sui verissime dicitur peccatum capitale generalissimum, fons, origo, radix, omnium omnino peccatorum. Quo sensu pulcherrime Augustin. l. 4. de civit. DEI, cap. 28. dixit. Quod duas civitates fecerunt duo amores. Civitatem Diaboli amor sui usque ad contemptum DEI: Civitatem DEI amor DEI usque ad contemptum sui. Dicunt ordinarie. Contingit enim aliquando, ut homo peccans seipsum, vitam, animam, omnia referat aut referre paratus sit ad creaturam aliam, v. gr. concupitam Venerem, Divitias, liberorum exaltationem, aut etiam ipsum Diabolum more sagarum, &c. ut finem cui. Hi nimirum ne tantum peccent, etiam insaniunt.

V.

Non probare itaque possumus, primò sententiam Tanneri, cujus est hæc Assertio. Specialem ac formalem malitiam offensæ divinæ, prout à malitia disconvenientiæ cum recta ratione distincta est, non habent peccata eorum, qui invincibiliter DEUM ignorant. Advertendum est, sæpe fieri, ut actio quædam humana reipsa offendat ac lædat alium hominem, & tamen rationem ac malitiam formalis offensæ, seu injustitiæ erga alterum, adjunctam non habeat; quia nempe offensio illa præcognita & voluntaria non est, &c. Ita in proposito dico, cum ipsa ratio offensæ divinæ in se ipsa, & prout malitia quædam distincta ab ipsa disconvenientia cum recta ratione, non sit ullo modo voluntaria homini habenti ignorantiam invincibilem ipsius DEI, ideo non potest formalis ac specialis illa malitia offensæ divinæ ejus peccato inesse. Neque existimo, authores pro secunda sententia relatos contrarium sensisse; sed solum juxta mentem primæ & secundæ assertionis esse loquutos: certe plus ipsi nec probant, nec tuentur. Ita ille quem Lugo insequitur & cum illo alii. Secundò sententiam Arriagæ, qui dicit: Illud malum morale cum ignorantiâ DEI invincibili, sive vocetur peccatum, sive

non,

non, non esse condignum pœnâ æternâ: nam licet ex objectis illis agnitis ut contrariis naturæ rationali derivaretur aliqua malitia moralis, nullo tamen modo videtur tanta illa futura, ut actiones illæ haberent eam gravitatem, ex quâ prudenter possent judicari esse dignæ pœnâ æternâ, & naturaliter incompensiabiles per humanam satisfactionem: hæc enim omnia fundantur in ratione offensæ DEI, quæ in infinitate personæ offensæ & vilitate offendentis constituitur, infinitâ (ut multi volunt) vel saltem in altiori ordine supra omnia mala creata; unde D. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 3. docet, si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à DEO, etiamsi esset inordinata, non tamen esset inordinata, non tamen esset peccatum mortale; ergo casu quo ignoretur invincibiliter DEUS, non erit peccatum mortale, seu dignitas pœnæ æternæ, etiamsi sit aliqua malitia moralis in tali actione. Confirmatur: Adhuc admissâ ratione injuriæ seu offensæ divinæ, vix possumus solidâ ratione explicare, cur furtum unius floreni, v. gr. quod est peccatum mortale, non puniatur sufficienter horribili inferni pœnâ, durante per decem aut centum aut bis mille annos, sed necessaria sit ejusdem pœnæ æternitatis; hanc enim veritatem sola fide cognoscimus; quomodo ergo eo fundamento divinæ offensæ cessante, quia jam supponimus, non esse offensam divinam tale furtum, dicere poterimus, tam gravem pœnam æternam illi eo casu responsuram? quod ad satisfactionem attinet, etiam est res manifesta, quia ex eodem capite infinitatis personæ offensæ oritur repugnantia condignæ satisfactionis à puro homine pro mortali; ergo ubi supponitur non offendi DEUM, non potest esse necessitas satisfactionis tam alti ordinis. Explicat hoc argumentum: In homicidio injusto facto contra solam Rempublicam rationalem nullus dicet tantam esse malitiam contra eam Rempublicam, ut non sufficienter puniatur, si occisor etiam ipse gravi supplicio afficiatur, & vitâ privetur; interfecto justissime hoc solo supplicio satisfit pro talibus delictis. Quod si malum moraliter non fuisset nisi furtum unius floreni, audebitne aliquis dicere, attentâ solâ Republicâ rationali, illud furtum non puniri sufficienter, si cogeretur homo reddere mille? vel quod si fur exponeret seipsum evidenti periculo vitæ, pro eo à quo furatus est florenum, adhuc tamen non illi ad æqualitatem satisfaceret, nec reconciliationem promeretur? ergo malum morale, secludendo offensam DEI, nec mereretur

reretur pœnam æternam, nec esset à puro homine incompensabile; quæ duo ad rationem peccati mortalis prout ab illis accipitur, requiruntur; ergo sine transgressione formali legis DEI, & consequenter sine offensâ DEI non potest esse peccatum mortale. Tertiò Tannerus, qui ita philosophatur: in statu puræ naturæ, peccatum grave contineret quidem aliquam aversionem à DEO fine supernaturali; sed non talem, & eo modo, quo nunc. Est ex mente authorum secundæ sententiæ. Probatur & declaratur; quia averteret à fine supernaturali non solum quatenus nemo potest aversus esse à DEO ut fine naturali, nisi etiam consequenter sit ab eodem aliquo modo aversus ut fine ac bono supernaturali; sed etiam quatenus peccatum ejusmodi vere promeretur iram & odium DEI, etiam ut authoris boni supernaturalis; adeoque debitum importaret non habendi gratiam & charitatem supernaturalem qua homo DEO conjungi posset. Differret tamen à peccato in hoc statu commisso; quia peccatum illud in statu puræ naturæ perpetratum, nec specialem illam malitiam aversionis haberet adjunctam, qua nunc per peccatum mortale DEUS etiam ut bonum supernaturale scienter aliquo modo postponitur bono creato; nec etiam contineret negationem seu privationem gratiæ & charitatis tanquam perfectionis debitæ, aut secundum constitutam à DEO legem, reipsa possibilis inesse homini. Quocirca haberet etiam tunc peccatum aversionem à fine supernaturali, quasi implicite & per modum negationis, non autem formaliter, & per modum privationis gratiæ.

VI.

Dividitur peccatum in tale quod est omissionis, & quod est commissionis, quorum prius dicitur privatio actus debiti ex præcepto aliquo DEI affirmativo, quale generaliter dictum est, non amare DEUM vel proximum, cujus utriusque Amor imperatur: *Ait Jesus: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & in totâ mente tuâ. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum sicut te ipsum,* Matth. 22. v. 37. 38. 39. Posterius vero est actus aliquis malus factus contra præceptum negativum, quale quid est omne id quod committitur, contra primam & secundam Tabulam, præcepta illa, quæ obligant semper & pro semper, adeo ut nunquam liceat nec ullo momento tale quid omitere, quod universaliter est prohibitum. Ita dicitur, *non habebis DEOS alios coram vel prater me, non* *assu-*

assumes nomen Domini in vanum, non occides, non mœchaberis, non furaberis, quæ præcepta ita sunt comparata, ut si aliquid de signes contra illa, peccato te polluas commissionis.

VII.

Fatigant sese hic Doctores Pontificii primò in Disputatione hâc disputando, num possit dari pura omissio formaliter libera, ut moraliter mala, ubi quidam cum Zumello, Alvarezio, Martinezio, Gometo, Lorca & Puteano negativam sequuntur, quidam vero affirmativam amplectuntur inter quos Azorius, Meratius, Hurtadus, & Didacus, Ruitz de Montoya, *disp.* 37 *sect.* 1. *num.* 13. Secundò an omnis actus, qui fit eo tempore, quo actus præceptus omittitur, sit peccatum, ubi iterum quidam negativam eligunt, quidam vero in affirmativam propendent, pro qua posteriore sententia laudantur Durandus, Marsilius & Hervæus. Tertiò an omnis actus etiam concomitans incompossibilis, tamen cum ademptione præcepti vitietur malitiâ omissionis, ubi affirmativa placet Granado & Lorcæ, negativa Montesino & Gometo.

VIII.

Ut autem hæc divisio secundum Doctores est peccati secundum materiale considerati, ita secundum intensionem & remissionem, vel etiam conditionem reatus distinguuntur peccata in illa, quæ graviora, minus gravia, nec non in mortalia & venialia, quæ tamen distinctio non coincidit, quædam enim peccata sunt capitalia seu mortalia, quædam quotidianæ incursationis, ut loquitur Tertullianus in libro de pudicitia. Mortale nobis Scriptura proponit: *Qui cum justitiam DEI cognovissent, non intellexerunt, quoniam, qui talia agunt, dignum sunt morte: non solum, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus*, Rom. 1. v. 32. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*, cap 8. v. 13. nec non: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*, Jacobi 1. v. 15. in regenitis autem venialia designantur ex pœnitentia quotidianâ: *Pro remissione peccati orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*, Psalm. 32. v. 6. & Spiritu vincente: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, Gal. 5. v. 24.

IX. Male

IX.

Male vero explicant Pontificii Doctores distinctionem peccati venialis & mortalis, dum scil. propugnant dari peccatum quoddam veniale ex natura sua, quod hominem usque in reatum perpetuæ mortis non gravet, veram tamen pœnam mereatur, sed facile indulgeatur, ut loquitur Lombardus lib. 2. sect. dist. 42. adde Thomam 1. 2. quæst. 77. art. 8. ad 1. & quæst. 88. art. 1. ad 1. Durandum lib. 2. dist. 42. quæst. 7. Bellarminum lib. 1. de Auxiliis Gratiæ cap. 3. de cujus divisione ex Thoma hæc habet Bellarminus, quod scil. triplex sit, unum veniale ex genere suo habens pro Objecto rem malam & inordinatam, sed, quæ charitati DEI vel proximi non repugnat, quale sit verbum otiosum, Risus nimius & alia id genus, alterum ex subreptione, & quod non est perfecte voluntarium, ut subidi Motus cupiditatis, iræ, invidentiæ & alii similes, tertium ex Materiæ parvitate, ut furtum unius oboli, quod neque proximum notabiliter lædit, neque ejusmodi est, ut apud æquos homines amicitiam tollere queat. De hoc ultimo scribit, quod sit quidem perfecte voluntarium, sed non perfecte contra legem. Lex enim non prohibet furtum unius oboli, in specie, sed prohibet furtum in genere. Et quia finis præcepti est charitas, quia prohibet furtum, prohibet injuriam & læsionem proximi. Et furtum quidem rei notabilis, quo simpliciter proximus læditur; Furtum rei minimæ, quo proximus non læditur, nisi secundum quid. Quod autem de lege prohibente furtum exempli causâ diximus, idem de cæteris similibus legibus intelligendum est. Quare peccatum veniale ex imperfectione operis, non est perfecte contra legem, proinde nec perfecte peccatum. Hactenus ille. Nec non secundo suo more philosophantur de differentia à peccato mortali. Peccatum dicunt mortale & veniale communissime differre in hoc: quod mortale avertat à DEO ultimo fine simpliciter, veniale autem non avertat, nisi secundum quid. Differre in hoc, quod mortale simpliciter tollat charitatem, quæ est conjunctio cum DEO ultimo fine: Veniale vero non tollat, sed solum minuat charitatem. Unde peccatum mortale dicitur ipsis mors animæ, veniale vero languor & infirmitas tantum. Et hoc ipsum est dicere: quod peccatum mortale simpliciter sit aversio à DEO, ut ultimo fine, quatenus nimirum ejus gratiam, amicitiam & conjunctionem per charitatem omnino destruit: Veniale vero non sit

aversio à DEO ultimo fine simpliciter: quia illam conjunctionem non destruit, sed solum minuit, faciendo ut homo minus fervide feratur in DEUM ultimum finem per charitatem. Differre in hoc, quod peccatum mortale sit contra praeceptum, simul & finem praecepti, scil. charitatem, quam tollit; (finis enim legis dilectio) peccatum vero veniale sit quidem contra praeceptum aliquod, non tamen contra finem praecepti, scil. charitatem, quia illam non tollit, licet ejus fervorem minuat. Secundum omnes Doctores Pontificios differunt in reatu poenae: quod nimirum peccatum mortale mereatur per se poenam aeternam: veniale vero temporalem tantum. Atqui his omnibus priorem quidam & potiorem assignant, differentiam. Ideo enim peccatum mortale meretur poenam aeternam, quia est aversio simpliciter à DEO: & eatenus est aversio à DEO, quatenus destruit charitatem, seu conjunctionem cum DEO ultimo fine: & ideo destruit charitatem & conjunctionem illam cum DEO, quia est contra legem vel praeceptum, cujus observantia est simpliciter necessaria ad conservandam gratiam, & salutem finalem seu beatitudinem consequendam: non sic peccatum veniale. Denique non satis congrue discurrunt, de Regulis intrinsecis & extrinsecis distinguendi peccatum mortale & veniale, sequentibus Positionibus. I. Omne peccatum cedens in gravem DEI, seu honoris & cultûs DEO debiti injuriam, mortale est. Ut sunt omnia peccata contra virtutes Theologicas, fidem, spem, charitatem, rem contra religionem. II. Omne peccatum graviter laedens charitatem & justitiam erga proximum in bonis animae, corporis, famae, fortunae: seu cedens in grave nocumentum spirituale vel temporale, mortale est: si leve nocumentum, veniale censeri debet. III. Omne peccatum cedens in grave nocumentum salutis propriae spiritualis, vel corporalis, mortale est, ut peccata luxuriae, & ebrietatis perfectae. At vero secluso gravi detrimento salutis spiritualis vel corporalis, omnia peccata commissa contra proprium bonum, per se venialia sunt. Ut inordinata dispositio bonorum temporalium, prodiga profusio, negligens cura: aut nimia sollicitudo, tenacitas, &c. Nimia cura vel neglectus propriae famae & honoris, infamatio sui ipsius, &c. Quae tamen per accidens saepe fieri mortalia, nimis notum est. Ex communi Azorius 16. 1. l. 4. cap. 9. quaest. 8. Sanchez. l. 1. Moral. cap. 24. IV. In his ipsis discernendis semper tria attendenda sunt. 1. Natura actûs peccati. 2. Materia peccati gravis vel levis, tam

ex objecto, quàm ex fine, & circumstantiis. 3. Perfecto & imperfectio actûs. In quo se perspicaciores ostendunt Ignatio Lojolæ, & primis illius Discipulis, qui hîc hærebant, ut notat Ribadeneira in vitâ Lojolæ lib. 1. c. 15.

X.

Male itidem ex Calvinianis quidam cum Ursino parte prima Explicationis Controv. quæst. 3. rejiciunt hos terminos, quasi minus commodos. Ego, inquit, laudatus ille Ursinus pro peccato mortali & veniali malim dicere dicere peccatum regnans, primò quia Scriptura his appellationibus utitur. Secundò quia vocabula illa mortalis & venialis peccati ambigua sunt & obscura. Tertiò propter Pontificios.

XI.

Male denique Edmundus Campianus B. Lutherum accusat quasi omnem distinctionem peccati sustulisset, & omnia delicta paria fecisset, quem errorem tribuunt alias Scriptores Ecclesiastici Joviniano, ex occasione scil. quod omne peccatum mortale suâ naturâ pronunciavit. Ipse enim Bellarminus agnoscit, Lutheranos non dicere virtutes esse pares, aut paria esse peccata, neque negare hominem crescere posse, Spe, dilectione aliisque virtutibus.

XII.

Ratione subjecti peccata dividuntur in interna & externa, cordis, oris, operis, aut enim cogitationibus aut sermone, aut opere peccamus, ut loquitur Hieronymus in Ezech. cap. 43. quanquam, si quis διχοτομίαν præferat, in prima divisione possit subsistere, cum peccatum cordis sit internum, oris autem & sub externum referatur, & in hoc non differant.

XIII.

Probare autem non possumus primò sententiam Pontificiorum de Motibus primò primis, quos statuunt esse sine peccato atq; ita discurrunt. Sunt, qui ex apprehensione objecti convenientis, vel disconvenientis excitantur naturaliter in appetitu sensitivo, vel ipsa voluntate, ante omnem tamen advertentiam, vel deliberationem rationis superioris: Nam

 sicut

ſicut ex imaginatione, ſeu apprehenſione ſenſitiva objecti convenientis, vel diſconvenientis, ob naturalem ſubordinationem potentiarum, ſtatim movetur intellectus ad cognoſcendum vel cogitandum idem objectum ſub eadem ratione convenientis vel diſconvenientis ſenſibilis præciſe, hoc eſt, ſecundum rationem inferiorem: ita etiam ex motu appetitus ſenſitivi, v. gr. delectationis, triſtitiæ, &c. ob eandem ſympathiam potentiarum, ſtatim ſolet moveri voluntas ad ſimiles motus delectationis vel triſtitiæ, circa idem objectum, & ſecundum eandem rationem convenientis vel diſconvenientis ſenſibilis, hoc eſt, ſecundum portionem inferiorem. Quamdiu tamen intellectus non advertit ad eos motus ſecundum rationem ſuperiorem, quatenus ſcilicet ſunt mali, inhoneſti, vel prohibiti, tamdiu manent motus primo-primi. Hi ergo Motus primò-primi, cùm nullo modo ſint voluntarii, ſed omnem voluntatis liberum aſſenſum, omnemque advertentiam ac deliberationem rationis ſuperioris præveniant, nullo modo peccata eſſe poſſunt. Nullo enim modo eſt in poteſtate voluntatis, quæ vel ex actibus ſenſuum externorum, & phantaſiæ, vel ex naturali diſpoſitione qualitatum, vel etiam operante Diabolo in ſenſualitate, & ob naturalem connexionem ac ſympathiam etiam in voluntate ſecundum portionem inferiorem, excitentur, vel continuentur; etiam poſt ad vertentiam vel deliberationem rationis ſuperioris, ipſa voluntate maxime nolente, abhorrente, repugnante, ſecundum portionem ſuperiorem, & rationes æternas: quod etiam viri ſanctiſſimi experti ſunt, & experiuntur. Secundò de motibus ſecundo primis, quos venialis tantum pronunciant, de quibus illi ita. Sunt, qui in appetitu ſenſitivo, vel ipſâ voluntate excitantur, cum aliquali quidem, ſed imperfecta tantum, & ſemiplena advertentiâ, ac deliberatione rationi ſuperioris: qualis fere eſt in ſemidormientibus, ſemiebriis, diſtractis, turbatis variis & vehementibus paſſionibus: qui licet malitiam motûs vel actûs ſui aliquo modo advertant, non tamen poſſunt perfecte attendere ad regulas rectæ rationis & honeſtatis, ut plene ac perfecte judicent eſſe malum vel inhoneſtum, quod agunt, vel quo occupantur. Hi ergo motus ſecundo primi, etſi jam ſubſint aliquali & ſemipleno dominio voluntatis, ut teneatur eos impedire, ne, facta deliberatione, ad plenum conſenſum pertingant; quod licet voluntas negligat, & complaceat vel conſentire videatur, tamen ob imperfectionem advertentiæ & deliberatio-

nis,

siis, non potest esse perfectus & liber consensus in malum, utpote non sufficienter propositum: ideoq; non nisi leviter & venialiter peccare censeri potest. Tertio de motibus deliberatò admissis, quod illi tantum sunt mortales, de quibus ita pronunciant. Motus omninò deliberati dicuntur, qui post plenam deliberationem, intellectû secundum rationem superiorem jam plene advertente ac proponente malitiam eorum, à voluntate pleno ac libero consensu admittuntur, aut etiam, quod deteriùs est, ex proposito & directo imperio excitantur. Hi motus ita admissi vel quæsiti, utpote libere & directe voluntarii in materia mortali, v. gr. odii, vindictæ, libidinis, sine controversia peccata mortalia sunt, quia voluntarie tendunt in objecta mortalia: Quodsi porro ejusmodi motus deliberati sint indirecte tantum vel interpretative voluntarii, scilicet in causâ positâ vel non ablata v. gr. turpia cogitando, aspiciendo, legendo, loquendo, audiendo, tangendo, aliamve actionem exercendo, unde vel jam de facto sentis oriri, vel oriturum prævides motum delectationis inhonestæ, tunc applicanda est generalis doctrina: Nimirum, si causa posita vel non ablata licita, aut venialiter tantùm mala sit, & absit periculum consensus pleni atque directi, etiam motus illi liciti, aut venialiter tantùm mali erunt. Aut ergo exerces talem actionem ob causam honestam necessariam, vel utilem, ut studendo, confessiones audiendo, medendo, naturam sublaxando, &c. tunc motus illi, excluso consensu directo, culpâ vacabunt. Aut 2. exerces talem actionem ex curiositate, levitate, joco, & iterum absit periculum consensus, motus illi venialem culpam non excedent: uti etiam docet Sanchez l. 9. de matrim. disp. 46. Nisi actiones illæ secundum se & ex objecto essent valde turpes, & ad libidinem provocantes, seu notabiliter influentes in commotionem veneream; tunc enim sine justâ causâ exercere, seu non desistere, mortale est, secundum omnes. 4. Si advertis adesse periculum proximum consentiendi in ipsum motum vel opus turpe, & nihilominùs pergis, vel non abrumpis actionem, censeris interpretative omnino consentire in peccatum, & peccare mortaliter, secundum omnes.

XIV.

Nec admittere possumus, quæ de Desideriis & propositis malis docent Doctores Pontificii, primò quod conditionata sint licita

desideria & proposita conditionata, omnesque volitiones, velleitates, simplices complacentiæ, &c. sub conditione revera auferente malitiam actûs propositi per intellectum, etsi reipsa non subsistente. Idque non tantum in iis, quæ solo jure positivo prohibentur, ut vellem hodie comedere carnes, nisi esset dies Veneris, nisi prohibitum, nisi peccatum esset, &c. Cum enim comedere carnes, (sic de cæteris) sit intrinsecè, & secundùm substantiam bonum ac licitum, conditio illa apposita aufert omnem malitiam: Verum etiam de iis, quæ sunt intrinsecè mala, ita tamen, ut in aliquo statu vel casu possint esse licita & bona; si nimirum desiderentur sub conditione talis statûs vel casûs: conditio enim rursus aufert malitiam actûs propositi. Unde culpa saltem graviori vacabunt hujusmodi actus. Vellem prædari, si DEUS permitteret: Vellem hunc suspendere, hunc inimicum bene ita meritum occidere, si judex essem, ducerem hanc atque cognoscerem, nisi antea uxoratus, nisi sacerdos, religiosus, voto astrictus essem, &c. Communis doctrina. Sanchez. l. 1. Moral. c. 2. num. 24. Vasq. disp. 110. c. 2. Layman. l. 1. tract. 3. c. 6. num. 10. Ratio est: Quia actus isti inefficaces tendunt in actum externum, non ut finem vel terminum fiendum à parte rei, sed præcisè, ut in objectum propositum per intellectum, ideoque ab eo non plus malitiæ sumunt, quam proponatur per intellectum: atqui intellectus proponens objectum sub tali conditione auferente omnem malitiam actûs, nullam in actu malitiam proponit; ut patet: ergò nullam inde sumit malitiam ejus desiderium vel volitio conditionata, & inefficax. Unde, quamvis tibi jure naturæ interdicti sint isti actus externi, v. gr. Religioso ducere & cognoscere uxorem: quia tamen non desideras absolutè & efficaciter, sed solùm sub conditione, sufficit tibi matrimonium revera cogitari posse in eo statu, quo tibi interdictum non esset. Secundò, quod scrupulose disputant, quod dupliciter possint illa desideria conditionata sumi. Primò optative, ut significet actualem affectum voluntatis actu volentis, desiderantis, ac optantis talem actum malum, sub dicta conditione: & hoc peccatum esse. Secundò enunciativè tantùm, ut solùm significet propensionem voluntatis ad talem actum, nisi hæc conditio obstaret: & hoc non esse peccatum. Afferamus exempla: Primò, frangerem jejunium, si carnes vel cœnam haberem: Vellem inebriari, scortari, mœchari, si pecunias vel occasionem haberem. Adulterium cum hâc com-

mœ-

mitterem, nisi pœnam, vel infamiam timerem. Hoc scelus patrarem, si nemo me aspiceret. Vellem furari, si scalas, vel instrumenta haberem, &c. In sensu optativo, & actuali affectu in tale peccatum, liquidò peccata mortalia sunt. Secundò vellem fornicari, occidere, me ulcisci, &c. si Sacerdos vel religiosus non essem: aut nisi rationem mei statûs haberem, &c. Similiter mortalia sunt, si efferantur optativè cum actuali affectu in illa peccata, à quibus præcise ob rationem tui statûs te cohibes. At si solum proferantur enunciativè, ut sensus sit: Ego infirmitatem meam agnoscens fateor, nisi ab hoc sancto vel sublimi statu meo reprimerer, me omninò ita peccaturum, &c. nulla suberit culpa. Eadem est ratio, cum aliqui dicere solent: Si hoc mihi antea fecisses, quando adhuc junior, studiosus, secularis, miles fui, vindictam sumerem, occiderem, in duellum provocarem, &c. Item: Si adhuc essem junior, fornicari cum hâc vellem, &c. siquidem adsit vera voluntas fornicandi, ulciscendi, occidendi, dummodò occasio priori tempore accidisset; aut quis ad eum malum finem verè optet adesse modò adhuc prius tempus, verè lethale est; sicut si optares te non esse Sacerdotem, vel religiosum, quo fornicari vel occidere posses. At si sensus iterum sit enunciativus: priori tempore talis eram, ut, accepta tali injuria, omninò vindictam sumerem: oblata tali occasione omninò peccassem, &c. modò autem nullus adest voluntatis consensus, neque culpa ulla aderit. Memini ait quidam Pontificius simplicissimi atque optimi Seniculi, qui subinde à Junioribus irritatus: excussis lachrymis, manum in pugnum contractam ostendens dicere solebat vernacule in hunc sensum. O tu! gratias age DEO, quod non sim, qualis antea eram; quàm vellem tibi modò dare unum rotundum par alaparum? Credo ipsum, ultra morum forte venialem iræ, præterea in quinto præcepto, nihil deliquisse, & solùm enunciativè locutum. Tertiò vellem peccare, furari, carnes comedere, &c. nisi timerem DEUM: optativo sensu, cum actuali affectu peccandi, nisi servilis DEI timor absterreret, lethale est, at, sensu indicativô, significare suam tantùm infirmitatem, & propensionem in peccatum, utpote, credo me omninò peccaturum, nisi timor DEI refrænaret, malum non est: resolvitur enim in hanc causalem; Quia DEUM timeo, nolo peccare, aliàs fortè peccaturus. Et si quidem sit timor filialis ex motivo charitatis, & metu offensæ DEI super omnia amati, sum-

mè

mè meritorius erit; si servilis tantùm ex metu pœnæ, saltem non malus. Atque eadem prorsus ratione dicere: Peccarem non mortaliter, si infernus non esset, &c. optative, volendo peccatum, & quasi optando infernum non esse, ut liberius peccare possis; mortale est sine dubitatione: quia conditio apposita nullo modo aufert malitiam actûs. At enunciative tantum ostendere pronitatem in peccatum, nisi metus pœnæ coërceret: ut sensus iterum sit: Nolo peccare, quia infernus est; alioquin facile peccaturus, nec tentationem præsentem superaturus, &c. culpâ vacat. Rectè enim Castropalaus apud Tamburinum cit. 5. §. n. 4. dicit. Nunquam est peccatum velle relinquere peccatum ob timorem inferni, vel ob amissionem honoris. Ob quemcunque enim finem peccatum relinquatur, peccatum non est. Quin communi doctrinâ Catholicorum, attritio ad Sacramentum pœnitentiæ sufficiens, utique non mala, fundatur in ejusmodi timore. Si DEUS vellet Petrum mori, gauderem? Si significes affectum antecedentem ad divinam voluntatem, quia scil. velles, ut DEUS vellet Petrum mori; idem erit, ac optare ipsam mortem Petri, ideoque, si injuste, peccatum mortale. At vero, si significes affectum solum consequentem ad voluntatem divinam: quod nimirum, postquam DEUS voluisset Petrum mori, cum gaudio velles voluntatem tuam conformare cum divina, de se actus optimus est, secluso omni maligno affectu in Petrum, vel complacentia de malo ipsius: quod securum est, si persona chara sit, suspectum valde, si persona sit alias exosa. Tertiò quod de Delectatione morosa & sensibili proponunt, & sic ratiocinantur: Simplex complacentia voluntaria de re illicita, sine intentione eam opere implendi, ideoque sic dicta: non à mora temporis, cum etiam fieri possit in instanti, sed à mora ac immoratione consensus, quod nim. voluntas libero consensu in solo motu delectationis circa opus cogitatum immoretur & acquiescat, absque intentione ulterius tendendi in opus ipsum. Duplex est: rationalis, & sensibilis. Delectatio morosa rationalis, potius gaudium, vel complacentia dicenda est, quæ exurgit in ipsa voluntate ex cogitatione intellectiva rei illicitæ: & potest esse, aut speculativa, de ipsa cogitatione vel cognitione mali actus, vel modi mirabilis: ut si videns amicum ridicule cadentem ex equo rideas, non lapsum, quem doles, sed solum lepidum vel ridiculum cadendi modum: aut practica, & de ipsa re vel actione illicitâ cogitata, ita ut objectum formale & ratio delectandi sit ipsa res,

vel

vel actio ma'a cogitata, cogitatio verò, seu cognitio sit solum conditio applicans objectum delectationis. Item potest esse, aut absoluta de re cogitata, aut sub conditione aliqua. Delectatio morosa sensibilis, & propriè delectatio dicenda, est, quæ ex imaginatione phantastica rei vel actionis illicitæ delectabilis exurgit in appetitu sensitivo, seu sensualitate; fitque cum aliqua alteratione, vel immutatione corporis, per motum spirituum vitalium circa pectus, & in venereis, per motum spirituum generationi servientium in parte inferiori. Quamvis autem delectationem rationalem & sensibilem de eadem re distinguere sit difficillimum: propter naturalem enim connexionem, & sympathiam voluntatis cum appetitu sensitivo, exurgente delectatione in una potentia, statim movetur & excitatur etiam delectatio in altera: reipsa tamen distingui certissimum est; & sufficit posse distinguere in ratione voluntarii. Constat enim sæpè delectante appetitu, non delectari, sed tristari voluntatem secundùm portionem superiorem; & de multis delectari voluntatem, de quibus non delectatur, sed abhorret appetitus. In delectatione ergò morosâ hic ferè processus esse solet. Primò, voluntas vult vel permittit intellectum cogitare de re illicita, v. g. copula. Secundo, de copula sic cogitata complacet vel gaudet: & hic est delectatio morosa rationalis. Tertiò, Voluntas etiam vult vel permittit phantasiam imaginari illam rem, & per species sensibiles velut præsentem facere, ex quo naturaliter sequitur motus in appetitu sensitivo. Quartò voluntas etiam vult, consentit, vel permittit appetitum sensitivum ita delectari, eamque delectationem accipit, approbat, complacet: & hæc est delectatio morosa sensibilis. Omnis delectatio morosa rationalis, sensibilis, voluntaria ac absoluta de re cogitata formaliter mala, est peccatum, pro ratione materiæ, mortale vel veniale. Communissima doctrina in his terminis. Thomas 1. 2. q. 74. a. 8. act. 3. Navarr. c. 11. num. 13. Lessius l. 4. de justitia c. 3. dub. 15. Sanchez l. 1. Moral. c. 2. Layman. tract. 3. c. 6. Marchant. Tribun. p. 1. tract. 3. tit. 2. q. 4. concl. 4. Regula 2. Diana p. 1. tract. 17. resol. 33. alii apud ipsos.

XV.

Peccatum ex causa est vel Ignorantiæ, vel Scientiæ. Illud est, quod ex caligine Mentis obrepit, de quo David: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me*, Psal. 19. v. 13. hoc verò est, quod cum scientia prævia committitur, de quo Jeremiæ 44. v. 16. *Sermonem, quem locu-*

tus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te. Vel voluntarium vel involuntarium, illud procedit ex προαιρέσει: Consideratur porrò peccatum voluntarium, vel in ordine ad judicium intellectus practici; vel in ordine ad propositum voluntatis. Priori respectu peccatum voluntarium aliud est contra conscientiam rectam, aliud contra conscientiam erroneam, aliud contra conscientiam probabilem, aliud contra conscientiam dubiam. Peccatum contra conscientiam rectam est, quando quis aliquid agit vel omittit, quòd tùm in se, tùm ex ipsiusmet peccantis judicio, cum jure divino aut humano, certò & indubitatò consentit vel pugnat. Peccatum contra conscientiam erroneam est, quâ quis aliquid agit vel omittit, quod agendum vel omittendum non erat, ipse tamen, agendum vel omittendum esse per errorem vincibilem firmiter statuit. Est verò error hic vel de re per se mala, vel de re indifferenti. Si objectum per se malum sit, peccat; tùm qui contra conscientiam vincibiliter errantem agit, tùm qui juxta eam agit. Sin indifferens fuerit, non peccat, qui secundùm conscientiam egit, Rom. 14. v. 6. peccat, qui contra eam agit, cap. 14. v. 14. 15. Peccatum contra conscientiam probabilem est, quando quis aliquid agit, vel omittit, quod judicium intellectus practici hîc & nunc agendum, vel omittendum esse, ob rationes sive probabiliores, sive tutiores statuerat. Peccatum contra conscientiam dubiam est, quando quis aliquid agit, vel omittit, de quo ipse an agendum id, an minus, dubitat. Et talis graviter omninò peccat: nihil enim faciendum, vel omittendum, hæsitante conscientiâ, Rom. 14. v. 23. 1. Corinth. 8. v. 7. In ordine ad propositum voluntatis spectatum peccatum voluntarium, aliud ex mera malitia & voluntate planè libera; aliud ex voluntate vi metuve & circumstantibus periculis inclinata est, ut abnegatio Petrina, Matth. 26. v. 70. 72. 74. Marc. 14. v. 68. 70. 71. Luc. 22. v. 57. 58. 60. Johann. 18. v. 25. 27. Hoc verò, quod non à sciente & volente patratur, sine proposito obrepit ex incogitantia vel præcipitantia oboritur, de quo Gen. 16. v. 5. *Dixitque Sarai ad Abram: Inique agis contra me? ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet.* Rom. 7. v. 15. & seq. *Quod enim operor, non intelligo. Non enim, quod volo, hoc ago, sed quod odi, illud facio. Si autem, quod nolo, illud facio: consentio legis, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum,* nec non Gal. 6. v. 1. *Fratres, etsi praeoccupatus fuerit*

rit homo aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. Distinguunt alii Ignorantiam in simplicem & affectatam. Simplex illis ignorantia est, cùm quis post summam diligentiam adhibitam, maximosque exantlatos labores Ignorans permanet: Hæc ignorantia nullum hominem excusat; siquidem earum rerum sit, quas unusquisque scire tenetur. Ex eo enim, quod Christus Lucæ 12. dicit: *Servus, qui voluntatem Domini sui novit, nec tamen facit, pluribus plagis cædetur*; ritè colligitur: *Servum, qui voluntatem Domini sui non fecerit*, propterea, quod eam ignoraverit, nihilominus tamen *plagis cædendum esse*, licèt paucioribus. Hanc ob caussam ipsimet Ethnici, qui DEUM non noverunt, inexcusabiles sunt, quia eum agnoscere obligantur. Adamus enim perfectam DEI cognitionem, naturæ suæ impressam habuit, eamque propria sua culpa, pro se, & posteris suis perdidit. Est quoque hoc expressum DEI mandatum, cui omnes tenentur obedientiam præstare, DEUM cognoscere, id est, voluntatem & verbum ejus. Ex quo major hæc simplex Ignorantia est, eo minus est peccatum: Hinc enim est, quod Petrus extenuarit, & quodammodo excusarit peccatum Judæorum, qui Christum crucifixerant, propterea quod per Ignorantiam id fecissent. Ita quoque D. Paulus, qui Ecclesiam Christi persequutus fuerat, hoc suum peccatum minuit, & excusat, dum ait: *Nam ignorans id faciebam, fidei expers.* Sed hæc dextrè sunt explicanda: Utut autem istiusmodi peccatum, talibus mediis minui, extenuative possit, nihilominus tamen peccatum, & quidem æterna damnatione dignum permanet. Hinc enim Paulus dicit 1. Corinth. 4. vers. 4. *Nullius enim rei mihi sum conscius, sed per hoc non sum justificatus*, quasi diceret: Etiamsi ex ignorantia peccata mihi obrepserint, nec ea cùm feci, peccata esse expressè & distinctè noverim, non tamen idcircò à damnatione exemptus sum. Hinc etiam Regius Propheta David Psalmo 19. precatur: *Ab occultis libera me Iehovah*, id est, à peccatis, ex ignorantia commissis, quæque notitiam meam fugiunt. Affectata Ignorantia est, cùm quispiam ignorantia sua delectatur, & data operâ ignarus esse vult: non adhibendo, sed contemnendo media, quibus Cognitio & Intelligentia haberi, augerique potest: aut saltem negligenter, & sine cura iis utendo, quia nec peccatum, quo oblectatur, relinquere, nec pravum vitæ cursum, quem amat, deserere cupit. Hoc

eorum est peccatum, qui apud Jobum capite 12. v. 14. dicunt: *Recede à nobis; nam notitia viarum tuarum non delectamur.* Eorum item, de quibus David conqueritur Psalmo 36: v. 24. *Qui blandiuntur sibi in oculis suis, & desiverunt adhibere diligentiam ad benefaciendum.* Hæc Ignorantia planè diabolica est, & execranda: tantumque abest, ut hominem excuset, ut potiùs peccatum aggravet augeatque, imò plurium gravissimarumque enormitatum procreatrix sit, & mater. Ad hæc, Ignorantia duplex est, nimirum vel Legis, vel ejus Rei, quam Lex ipsa postulat. Legis seu Juris Ignorantia est, cùm quis tam Legis DEI scriptæ, quam Legis Naturæ ignarus est. Hæc quidem Ignorantia peccatum aliquantum minuere, sed excusare hominem non potest: Naturalis enim est, ad eamque cognoscendam unusquisque obligatur. Ignorantia Rei, in ipsa Lege requisitæ, est & dicitur ignorantia facti: Eaque est Agentis vel cum culpa vel sine culpa. Ignorantia culpæ, est ignorantia alicujus facti, quod prævenire quis potuisset: e. g. Sit aliquis, qui vino inebriatus, aliam interfecerit: Is, quia in isto facto nescius est quid egerit, simul etiam ignorat, quod offenderit: nihilominus tamen, quia ebrietatem suam prævenire potuisset, culpam habet, peccatique reus est. Ignorantia sine culpa est, cum tale factum est commissum, quod nec præsciri, nec evitari poterat. Exemplum hoc esto: Si alicui, ligna cædenti, ferrum sive securis è manibus excidat, aliquem è prætereuntibus interimat: ibi quidem homicidium est, non tamen destinata, aut voluntaria cædes, quia res est, quam evitare nequibat, neque ejus culpa evenerat. Atque hæc Ignorantia excusari potest.

CAPUT

CAPUT XV.
De VIRTUTE CHRISTIANA.

THESIS I.

VIrtus latinis dicitur à viro, inde Varro L. de LL. Virtus ut viri vis à virilitate, cui consonat Cicero 2. Tuscul. quæst. & Scaliger. Augustinus lib. 4. de Civit. DEI cap. 21. scribens: *Ars ipsa benè rectèque vivendi virtus à veteribus definita est.* Unde ab eo, quod Græce ἀρετή dicitur virtus, ἀρετή vocata fuit ab ἀρέσκω, quod placeat & forma illius si conspiciatur, omnium oculis & animis se insinuet, quanquam alii præferant, quod derivata sit ab ἄρης sive Marte, quasi illa Robur aut fortitudinem primò designet, alii ab ἄρω, congruo, adapto, quia sit convenientia cum recta ratione, alii ab ἄρω, tollo, quod animum erigat, vel ab ἐράω, amo, quod virtus maxime sit amabilis, vel ex ἀεὶ & ῥέω, quod perpetuò fluunt, vel ab αἱρέομαι, eligo, quod maximè eligenda, aut non sine προαιρέσει deducant. Variè accipitur, ut videre est apud Altenstaigium in Lexico pag. 950 951 952. 953. usque ad pag. 959. Hebræis dicitur מדה, Mensura à מדד metiri, & הוד, quod LXX. reddunt quandoque per δόξαν, quandoque per ἀρετήν. Christiana verò, utpote de qua soliciti sumus, vocatur, quia ex inexistentia Christi in mentibus fidelium efflorescit, Christianis adhæret, eosque maximè decet & exornat, quorsum digitum intendit Paulus: *De cætero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate*, Philipp. 4. v. 8.

II.

Non solidè illi disputant, qui primò virtutem volunt dictam à Vigore. Secundò, qui cum Durando illam derivant à Vi sive violentia. Tertio, qui quia ἀρετή ipsis descendit ab ἄρης, propriè virtutem fortitudinem notare volunt.

III.

Illud insuper Religionem sapit semipaganam, quod Johannes Cirellus sive Crellius in Ethica Christiana vult vocem virtutis, quæ Græcè est ἀρετὴ, tribus potissimum modis sumi in sacris literis, primum pro qualitate quâdam excellenti, seu perfectionem quandam ejus, de quo agitur, subjecti, in se condinennte, quo pacto ipsi etiam DEO virtutes adscribantur à Petro 1. Epistola cap. 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Per quas intelligendæ sint insignes illæ DEI proprietates, quas in universo salutis nostri negotio exeruerit. Secundò, strictius pro virtute morum, quo sensu occurrat Philipp. 4. vers. 8. Et 2. Petr. 1. *Quomodo omnia nobis divina virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria & virtute.* Tertiò strictissimè pro fortitudine, nempe 2. Petr. 1. v. 5. *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, &c.* Nam primò absurdum est tribuere DEO qualitates, qui tamen Ens est simplicissimum. Subjectum fingit, & illud, quod inest Subjecto Crellius, quod non nisi in creatis locum habet. Saniora videntur illa Jonæ Schlictingii commentantis ad hæc verba: Ut virtutes, &c. ostendit semen istorum omnium, quæ de illis asseruit. Virtutes, i. e. sapientiam, bonitatem, misericordiam, potentiam, & omnia Virtutum istarum effecta. Annuncietis, i. e. publica confessione & voce quam maximè celebretis. Virtutum vocem per Metaphoram de DEO usurpat, præsertim, quod beneficia ejus in homines collata ex libera illius voluntate proficiscantur. Secundò peccat circa significationem secundam allegando locum ex 2 Petr. 1. v. 3. Supponendo ibi ἀρετὴν notare virtutem in strictiori illa significatione, cum plerique Interpretes per ἀρετὴν hic intelligant vel virtutem divinam, qua nos recuperavit, vel Evangelium, quod est potentia DEI ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. vel φιλανθρωπίαν & misericordiam divinam, ut 1. Pet. 2. v. 9. agnoscente ipso Crellio, quæ deprædicatur, Tit. 3. v. 4. *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri DEI.* Contrarium lege apud Schlichtingium, qui ita: per gloriam ac virtutem, i. e. per gloriosissimam virtutem, nempe iterum ἐν διὰ δυοῖν. Ipsius virtus gloriosissima ipsum impulit, ut nos vocaret. Intelligit autem DEI justitiam,

ſtitiam, quam vers. 1. DEI bonitatem, clementiam, miſericordiam, omni laude, gloria, deprædicatione digniſſimam. Hic & priore Epiſtola DEO virtutes tribuit, nosque populum acquiſitum dicit, ut virtutes deprædicemus ejus, qui nos ex tenebris vocavit in admirabilem ſuam lucem, DEI virtutibus noſtri vocationem ſimiliter tribuens, 1. Petri 2. v. 9. Tertiò reſtringit ſignificationem in acceptione ad fortitudinem contra Mentem Apoſtoli & Interpretes nobiliores: nam per ἀρετὴν illo in loco notatur generaliter virtus in aliis operibus illuſtris, quæ aliàs exponitur per *pietatem*, 1. Tim. 4. vers. 8. per *caſtitatem*, 1. Theſſ. 4. v. 4. per *charitatem*, Gal. 5. v. 6. adde venerabilem Bedam & B. noſtrum Lutherum. Oppoſitum Crellio Commentarium addimus ex Schlichtingio, Virtutem, Id eſt, Juſtitiam, Bonitatem, eodem quo vocem hanc de DEO accepit ſenſu, niſi quod de hominibus agens communi ac populari ſignificatione vocem iſtam hoc loco uſurpet, qua virtute præditi dicantur, qui ea, quæ manifeſte ſunt juſta & bona, & honeſta & recta ſectantur, & his contraria vitant, nec dum ad exactiorem & perfectiorem recti & honeſti notitiam progreſsi. Merito autem fidei addit virtutem. Niſi enim poſt fidem ſuppeditetur virtus quid proderit ipſa fides ſterilis & virtute deſtituta.

IV.

Inſufficienter denique Crellius Chriſtianam Virtutem vult ita dictam in oppoſitione ad Artes & ſcientias generatim omnes, ut prudentiam civilem, & circa terrena tantum occupata: addens inſuper, quædam ſcientiarum, & aliquam etiam prudentiæ civilis particulam ad Chriſtiani hominis perfectionem, & ſic ad virtutem quoque Chriſtianam ſpectare.

V.

Rarius occurrere vocem ἀρετὴ in Scripturâ nolumus negare, frequentius autem nomen Bonorum operum, Matth. 5. v. 16. Eph. 2. v. 10. Jacob. 2. v. 14. 17. 18. 20. 21. 22. 24. 25. 26. quæ aliàs quoque exprimuntur nomine fructuum Spiritus, Gal. 5. v. 22. Eph. 5. v. 9.

VI.

Interim merito dubitamus, an firmiter concluſerit Mareſius, ſcribendo ἀρετὴν dici ab ἄρης, id eſt à Marte, ut virtus à vi, & primam illius ſigni-

significationem ultra virtutem bellicam non protendi. Partim quia supra primam Etymologiam ostendimus esse dubiam, partim quia altera non probatr Viris doctis, sed rejicitur, partim quia, si hæc esset causa, quod virtutis nomine tam infrequenter uteretur Scriptura, plane non debuisset illâ uti, sed in totum à profano & Spiritu S. indigno vocabulo abstinere.

VII.

Causa virtutis Christianæ principalis est, DEUS unus in Essentia, & trinus in personis. *DEUS est, qui operatur & efficit ipsum velle & operari, sive agere pro sua Benevolentia*, Philipp. 2. v. 13. *conditi sumus in Christo Jesu ad opera bnoa, quæ præparavit DEUS, ut in eis ambulemus*, Eph. 2. vers. 10. Fructus Spiritus dicuntur virtutes Christianæ, ab Apostolo Gal. 5. vers. 22. scribente: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, &c.*

VIII.

Non satis commodè Chrysostomus primo putat Mentem Apostoli esse: non ideò istud dixi cum timore & tremore, ut desperes, ut virtutem incomprehensibile quidpiam putes, sed ut attendas, ne te ipsum dissolvas ac remittas; hoc si fuerit, DEUS omnia operabitur, tu bono sis animo; contra scopum Pauli, qui est deprimere, non commendare. Secundò Gregorius Nazianzenus, ut est apud Theophylactum, qui verba illa Eph. 2. ubi conditi dicimur ad bona opera, refert ad primam creationem, cùm tamen dicamur conditi ad illa in Christo. Tertiò Theophylactus, qui censet in loco Pauli ad Galatas bona opera & virtutes dici fructus Spiritus, quia non tantum nostra cura indigeant, verum etiam superna cooperatione, tanquam à nobis detur semen sive propositum, quod autem fructum ferat, in DEO situm sit, contra illud Joh. 3. v. 9. *Quod ex carne natum est, caro est & effatum.* Gen. 6. v. 5. *Videns autem Dominus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, & omne figmentum cogitationum cordis ejus tantummodo malum esset omnibus diebus, & num ex corde nostro, cujus figmentum tantum malum est.* Num autem ex corde nostro, cujus figmentum tantum malum, semen quoddam bonum? num fructus Gloria tantum redundat aliquatenus in DEUM, cum omnis ἱκανότης nostra sit ex illo, 2. Cor. 3. v. 5.

IX. Nec

IX.

Nec ad Mentem Spiritus S. qui cum Leonhardo Lessio lib. de Auxiliis Gratiæ cap. 4. dicunt, sic DEUM operari velle & perficere, ut scil. agat per sanctas inspirationes, illuminationes, affectiones, ostendendo bonum, ad illud alliciendo & trahendo, absque tamen illa Impressione, quæ voluntatem prædeterminet, vicina quippe illi Pelagii Exegesi, scribentis in Commentario: Velle operatur DEUS, suadendo & præmia pollicendo. Secundò, qui cum Pontificiis reprehendunt Erasmum, quod verba Eph. 2. verterit ad opera bona, & non in operibus bonis tanquam Effectibus DEI creantur, adeoque sensum esse voluit: Creati à DEO per meritum Jesu Christi, quantum ad opera bona, quia scil. ipsa opera bona fiunt in nobis à DEO. Tertiò, qui cum Toleto distinguunt inter opera bona, virtutes ipsas, & inter opera bona, sive virtutes frugiferas, quasi illæ possint dari etiam in illis, qui carent Spiritu, hæ verò tantum in illis, qui Spiritu aguntur.

X.

Denique Photiniani à sensu genuino dictorum recedunt, dum primò cum Jona Schlichtingio à Bukowiz dictum ad Philippenses enervant, accipiendo illud de administratione omnium, quæ pertinent ad id, ut aliquid velit, & ut quod velit operetur, duo statuunt efficacissima media, per quæ DEUS in nobis operetur velle & operari, gratiam scil. DEI salutarem & mortem Christi, atque ita explicant, quod nec gratiæ divinæ effectus, id est, æterna Salus, cuiquam contingat, nisi volenti & operanti bona, & morte sua Christus pro nobis & peccatis nostris, non solverit proprie loquendo debita nostra DEO, sed & DEUM ad illa nobis, si sanctè in posterum vivamus, remittenda penitus obstrinxerit, nosque de illorum Remissione sub eadem conditione, plane certos reddat: & vicissim sibi & DEO penitus adduxerit, ac manciparit. Dum secundo cum Crellio & illius Discipulo Jona Schlictingio, ita creatos nos esse contendunt ad bona opera ut in iis ambulemus, tanquam in viâ à DEO præparata, & ad vitam æternam ducente. Tertiò dum fructus Spiritus cum Crellio putant, dici opposite ad opera, ut hâc ipsâ appellatione ostenderetur, hæc opera, quæ ex Spiritu proficiscuntur, esse quippiam bonum, contra cujusmodi non sit lex, nullam habeat vim damnandi hominem, in quo tales virtutes reperiantur: & plus habere has virtutes virium ad hominem ejusmodi absolvendum, quam lex ad damnandum.

 XI. Li-

XI.

Litigant hic Pontificii quoque inter se, quibusdam asserentibus virtutes supernaturales fieri influxu physico gratiæ, ab eaque physice effluere, sicut physice fiunt proprietates naturales à naturâ, secundum Thomam 12. quæst. 110. art. 4. adstr. aliis, utpote Suarezio, Zumello & Curiele negantibus, quorum tamen rationes non sunt solidæ, nempe, quod virtutes supernaturales sint infusæ à DEO, quod habitus fidei & Spei conserventur in Absentia gratiæ, quod gratia justificans angelica & humana sint ejusdem speciei, & quæ sunt aliæ.

XII.

Causa sub DEO virtutis Christianæ est homo regenitus, qui scil. jam habet inexistentem *DEI Spiritum, qui filios DEI agit & impellit*, Rom. 8. v. 14. cum enim regenitus sit *Arbor bona*, ideoque etiam *fructus fert generosos, bonos & indoli sua congruos*, secundum illud Christi, Matth. 7. v. 18. cum sit vivificatus, qui antea mortuus in peccatis, ideoque Motus quoque vitales producit, Eph. 2. vers. 4. & seq *DEUS autem, qui dives est in misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, (cujus gratia estis salvati,) & convesuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus, in Christo Iesu: ut ostenderet in seculis supervenientibus, abundantes divitias gratia sua, in bonitate super nos, in Christo Iesu. Gratia enim estis salvati, per fidem, & hoc non ex vobis. DEI enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, qua praparavit DEUS, ut in illis ambulemus.* Cum sit *non carnalis, sed spiritualis, in quo Spiritus DEI habitat*, ideoque etiam virtutes spirituales spirat, & talem, qualis est, revera se demonstrat, Rom. 8. vers. 9. *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu*, & quidem ita, ut quamvis voluntas ejus sit subordinata DEO, potiores tamen partes sint DEI, quam hominis. Unde Augustinus de Gestis Pelagii, qui liber seorsim editus cum imperfecto opere contra Julianum, Lutetiæ apud Sebastianum Chappellet Anno 1617. ad illud supra allegatum ex Rom. 8. notat: plus est agi, quam regi. Qui enim regit aliquid, agit, & à DEO regitur, ut rectè agat; sed qui agitur, agere aliquid, ipse vix intelligitur; & tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, *quotquot Spiritu DEI aguntur, hi filij DEI.* Nec aliquid in nobis libera

bera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agendam commendet, qui male agere non potest, & hoc cum fecerit, ab illo, se ut faceret adjutam non dubitet, cui dicitur in Psalmo: *DEUS meus, misericordia ejus praeveniet me.*

XIII.

Omnis vera virtus radicatur *in fide, sine qua impossibile est placere DEO*, teste Paulo Ebraeor. 11. v. 6. *quae per charitatem* ἐνεργουμένη, ut idem Apostolus loquitur Gal. 5. v. 6. atque sine qua omnia sordent, quia *quicquid non est ex fide, peccatum est*, secundum illud generale pronunciatum Rom. 14. v. 23.

XIV.

Insulsum autem est primò, quod Martinez de Ripalda Tomo I. de Ente supernaturali lib. I. sect. 22. dicit primò, fidem ad salutem necessariam non esse fidem illam strictam, quae movetur ex revelatione DEI, sed fidem latam, quae sit cognitio supernaturalis & infusa, pertinens ad habitus supernaturales intellectus conferentes integram & perfectam notitiam mysteriorum fidei. Secundò, posito, illam fidem strictam necessariam esse, tamen non esse necessariam in re exhibita, sed aut in re, aut in voto, ut de Baptismo, poenitentia, spe & aliis, similem necessitatem in sacro textu expressam interpretentur Theologi. Tertiò, posito, fidem strictam elicitam ab habitu fidei in re esse necessariam, tamen non improbabiliter posse dici, cognitionem enim DEI in creaturis elicitam esse ab habitu fidei, & habitum fidei non solum ad Revelationem DEI factam per verbum ipsius, sed etiam factam Ministerio creaturarum extendi posse. Perspicuum enim est ex textu, Paulum primò loqui de illa fide, quae inextitit Henocho, per quam placuit DEO, at fides revelationi innixa atque salvifica fuit in Enocho, DEO eundem gratum & acceptum reddidit. Secundò, num sufficit fides in voto, ut aliquis DEO placeat? num non addit Apostolus, *credere oportet accedentem ad DEUM*, ad quem nullus nobis accessus nisi per Christum, *qui via, veritas & vita*, Joh. 14. v. 6. num talis in potentia fides fuit in Enocho? & num fides etiam in Voto datur in gentili, qui extra Ecclesiam constitutus? Tertiò, num cognitio DEI in creaturis elicita ab habitu fidei potest dici, quae tamen fidei contradistinguitur? num habitus fidei ad cognitionem illius Ministerio creaturarum factam extendi potest? Cum haec sit evidens notitia & scientia propriè sic dicta, il-

le autem dicat notitiam inevidentem Testimonio & Authoritate dicentis subnixam, hæc sit in & à natura, ille verò non nisi à Gratia divina medicinali. Gemella habet Amyraldus, duas ut species prædicationis, sic fidei statuens, quarum ut illa fiat Ministerio Apostolorum & istorum, quibus prædicatio commissa est, &c. Altera per solam administrationem providentiæ divinæ, conservantis Mundum, non obstante illius iniquitate, &c. Ita hanc putat esse vel fiduciam de Misericordia DEI manifestatam in magno illo Salvatore, conjunctam cum distincta cognitione Salvatoris illius, vel de Misericordia DEI, destitutam quidem vera & dilucidâ cognitione Redemptoris, de quo Evangelium nobis prædicat: nihilominus tamen sufficientem, ut homines fruantur ea salute, cujus DEUS Author est.

XV.

Malè itidem Pontificii Interpretes vocem ἐνεργουμένη passivè accipiunt, ac si sensus esset, fidem per charitatem animata, acta, mota, incitata ad opus, quasi dicat, quæ per charitatem constituitur in actum, quamque charitas non sinit esse torpentem & otiosam, ut multis contendit quoque Turrianus, cum tamen agnoscentibus ipsis Pontificiis vox ἐνεργουμένη sit verbum medium, non passivum, nec fides perficiatur charitate tanquam forma, sed formale suum habeat in Receptione Salvatoris, Gal. 2. v. 20 *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filÿ DEI, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Nec denique Lex actum justificationis ingrediatur, sed cum omni habitu & operibus illo excludatur, teste Paulo Gal. 2. v. 16. *Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Christo Iesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.*

XVI.

Denique non satis dextrè Pontificii Interpretes, qui locum Pauli Rom. 14. accipiunt de fide conscientiæ, sive dubitante Conscientia exclusive, quasi notaret dictamen tantum mentis, quo quis censeat tale quid sibi hic, nunc & sic licere. Quanquam enim admitti possit ille sensus aliquatenus, & nos ipsi quandoqne in illo cum nostris Theologis illud adhibeamus effatum, non tamen negandum, generalem quandam hic

hic sententiam promi, & loqui Paulum, primò de fide vera & salvifica, non tantum quia vox fidei in Scriptura non usurpatur de Dictamine Conscientiæ, sed etiam quia versus decimus quintus docet, Paulum loqui de illa fide & persuasione, quam fideles habent circa libertatem Christianam, de quo vide Origenem & Augustinum.

XVI.

Liquet, quid de Virtutibus Gentilium & irregenitorum sit habendum, nempe esse simulacra Pietatis & Honestatis, non ipsum Corpus, nec aliter sensit ex Veteribus Origenes, qui ita ad cap. 1. Jobi: Ut breviter dicam, atque audenter, omnia quæcunque fecerunt homines, sive in virginitate, sive in abstinentia, sive in corporis castitate, sive in bonorum suorum Distributione, omnia gratis faciunt, si non in fide fecerint; omnem enim severitatem & omnem justitiam quam fecerit quis foris à vera DEI fide, frustra facit, in perditione facit, non prodest ei, non adjuvat eum in diem Iræ; ad quod testis est Paulus dicens: *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Augustinus, qui satis luculenter de nuptiis & concupiscentiâ cap. 3. postquam probavit pudicitiam esse Donum DEI: Quid ergo dicimus, quando & in quibusdam impiis invenitur pudicitia conjugalis, utrum eo peccare dicendi sint, quod dono DEI male utuntur, non id referentes ad cultum ejus à quo acceperunt, an forte nec dona DEI putanda sunt ista, quando hæc infideles agunt, secundum Apostoli sententiam dicentis, omne quod non est ex fide peccatum est, anima enim & corpus, & quæcunque bona animæ & corporis naturaliter insita, etiam in peccatoribus dona DEI sunt, quoniam Deus non isti ipsa fecerunt. De iis autem quæ faciunt, dictum est, omne quod non est ex fide, peccatum est. Cum igitur faciunt hæc homines sine fide, quæ videntur ad conjugalem pudicitiam pertinere, sive hominibus placere quærentes, vel sibi vel aliis, sive in his rebus quas vitiose concupiscunt, humanas molestias devitantes, sive dæmonibus servientes, non peccata coërcentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur. Absit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter DEUM veram fidem connubii servat uxori. Denique Anshelmus Cantuariensis, cujus sunt sequentia: Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil bonum sine summo bono; ubi deest agnitio veritatis æternæ, falsa virtus est etiam optimis moribus: opera quæ videntur probabilia præter fidem, sic sunt, ut magnæ vires & cursus celerrimus extra viam.

XVIII.

Nihili est omne illud, quod quidam ex Pontificiis reponunt, vocari virtutes gentilium peccata, quia fere omnes fiant ob malum finem ut in cultum falsorum Deorum, vel ad inanem gloriam. Adeoque tribui omnibus, quod maximæ parti convenerit. Præterea intelligi ab Augustino non solum id, quod est proprie peccatum, & cui debeatur pœna; sed illud etiam quod careat omni illâ perfectione, quam habere potuisset, quodque sterile & inutile sit ad veram Beatitudinem consequendam. Partim quia Augustinus non locutus est non particulariter, sed universaliter, partim, quia alibi etiam de eminentioribus strictiuris virtutum in gentilibus ita pronunciat, partim quia illas virtutes & opera elevat non tantum ex aberratione à scopo, sed etiam ex mala radice, quia fiant malè sive malâ voluntate. Præterea peccatum utique est proprie illud etiam, quod caret perfectione debitâ, aut enim est aliqua virtus perfecta & amussitata legi, aut non; si prius, erit propriè virtus & opus bonum, atque quod illi opponitur Malum morale, si non, proprie peccatum erit, & cui debetur pœna; *Maledictus enim, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis*, Deut. 27. v. ult. Unde etiam Augustinus contra Julianum colligentem ab absurdo; Erunt ergò in damnatione sempiterna, in quibus erat justitia, respondet: O vocem impudentia majore præcipitem! Non erat, inquam, in eis vera justitia quia non actibus, sed finibus pensantur officia.

XIX.

Addam locum prolixiorem ex cap. 3. l. 4. contra Julianum: Si gentilis, inquit, nudum operuerit, numquid, quia non est ex fide, peccatum est? Objectio hæc erat Pelagiani. Respondet Augustinus: Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est, non, quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est: sed de tali Opere non in Domino gloriari solus impius negat esse peccatum. Quod ut intelligas, quamvis jam inde fuerit disputatum, tamen, quia magna res est paulisper ausculta. Ecce eadem commemoro, quæ ipse posuisti, si gentilis, qui non vivit ex fide, nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit, divitias honestæ Amicitiæ impenderit, ad testimonium falsum nec tormentis potuerit impelli, quæro abs te, utrum hæc opera bona bene faciat an male? Si enim quamvis bona tamen male facit, negare non potes eum peccare, qui male quodlibet facit. Sed, quia

quia cum non vis, cum facit, ista peccare, profectò dicturus es, & bona facit & bene. Fructus ergò bonos facit arbor mala, quod fieri non posse veritas dicit: Noli præcipitare sententiam, diligenter considera, quid Te respondere conveniat. Tum post pauca, cum disputavit, hominem fidelem non esse arborem bonam. Vide itaque, inquit, utrum infidelem voluntatem audeas dicere bonam voluntatem, sed forte dicturus es, misericors voluntas bona est. Rectè istud diceretur, si quemadmodum fides Christi, i. e. fides, quæ per dilectionem operatur semper est bona. Si autem reperitur & Misericordia mala, qua personæ pauperis accipitur in judicio, propter quam postremo Rex Saul meruit à Domino, utique misericors damnari, quia contra ejus præceptum captivo Regi per humanam pepercit affectum, attentius cogita, ne forte misericordia bona non sit, nisi quæ hujus bonæ fidei fuerit. Imò respondeo, ut hoc sine dubitatione perspicias, utrum bonam misericordiam existimes infidelem. Porrò si vitium est malè misereri, procul dubio vitium est & infideliter misereri. Quod si & ipsa per se ipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono malè utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit, quis autem malè aliquid facit, profectò peccat. Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui bene utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, qui & bona malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli hoc est stulta & noxia faciunt voluntate. Qualis voluntas, nullo Christiano dubitante arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est.

XX.

Habent tamen, quod oggannniant Adversarii, nec deest lusciniæ suus cantus, quanquam non semper ad Regulam. Nam primò, si Scripturam consulimus, testatur illa etiam Ethnicos salutare Fratres, adeoque signa Benevolentiæ erga suos posse ostendere, quæ ad regionem virtutum referenda, Matth. 5. v. 46 47. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex*, Rom. 2. v. 14. Denique DEUM remuneratum fuisse istiusmodi virtutum Exercitia in obstetricibus Ægyptiis, Exod. 1. v. 20. In Exercitu Nabuchodonosoris, qui quia Regi servierit contra Tyrum in præ-

præmium acceperit à DEO spolia Ægypti, Ezech. 29. v. 20. Secundò, planum est opera & virtutes gentilium non proficisci ex odio adversus DEUM, non esse dicta facta vel concupita contra legem, esse potius conformia legi naturali, metum Gehennæ & Iræ DEI in Gentili esse bonum, imo si etiam illud, quod virtutis nomine resplendet in Gentilismo foret peccatum, neminem nec convertendum à peccatis fore, quia per naturalia sua tantum haberet, quod peccat, nec inferni pœnas comprehensibiles fore animo. Tertiò si Patres evolvamus, Græci stant pro virtutibus gentilium, & ex latinis non tantum Hieronymus, sed ipse Augustinus, qui duplex constituat Genus Virtutum & operum, unum cum auxilio speciali DEI, alterum absque illo: de priori agere, contra Julianum lib. 4. cap. 3. de virtutibus Infidelium. Quantò tolerabilius illas, quas dicas, in impiis esse virtutes divino muneri potius, quam eorum tribueris tantummodo voluntati, licet ipsi hoc nesciant, de posteriori in libro, de perfectione Justitiæ contra Celestium.

XXI.

Sed ut virtutes gentilium speciem habent boni, profundius lustrata vanescunt & deprehenduntur, præter nomen nihil haberi reliqui, ita argumenta, quæ pro illis militant vanitate splendent, veritate vero franguntur. Primò enim Scriptura non potest vocari in subsidium, quæ passim corruptionis profunditatem & universalitatem potenter adstruit, ut inprimis videre est apud Paulum: *Sicut scriptum est: Quia non est justus quisquam: ne unus quidem, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. Venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum: & viam pacis non cognoverunt: non est timor DEI ante oculos eorum*, Rom. 3. v. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. adeo quidem ut etiam regenitis sit ingemiscendum cum Paulo: *Novi non habitare in carne meâ bonum*, Rom. 7. v. 18. frustra autem urgetur illud, Matth. 5. nam primò longe aliud est signa Benevolentiæ esse indicia virtutis, aut alicujus boni moralis in se, præscindendo ab operante, & aliud esse virtutes, si fiant à corrupta voluntate, nec reformatâ, ab *arbore mala*, nec reddita bona per Spiritum, quæ Christi *effato non nisi malos producere potest fructus*, aliud officium in se, aliud præstitum

ritum ab impura manu. Secundò illa signa benevolentiæ non tam fuerunt moralis virtutis, quam naturalis affectus, solet enim etiam canis suos amare catulos & fovere. Tertiò, Christus totus est in elevandis illis operibus gentilium & publicanorum, diligunt enim tales non inimicos, sed amicos suos, non propter DEUM, quia aliàs etiam inimicos dilecturi, sed propter se, adeoque vitiosè, & cur quæso, negat Christus istiusmodi operibus mercedem, nisi quia non sunt bona, sive non benè exercentur. Frustra secundò illud Pauli Rom. 2. adducitur. Nam si Vasquezium, Estium & alios vellemus sequi in Interpretatione illius loci, ne speciem quidem pro hac sententia possent obtendere Antimachi. Secundò posito, quod Paulus agat de gentilibus inconversis, & quidem ut nos hunc hunc locum explicavimus potius de opere præcepto quam præstito erit accipiendus, fuerunt enim, qui videbantur strictissimi inter gentiles ordinis Philosophi gravi sententia, sed ignavâ operâ, & illius temporis Politici, qui imponere solebant simplicioribus honestis regulis, intercute vitio profundè laborantes. Tertiò, quid quæso Paulus dicit, num gentes facere *νόμον*, legem ? Planè non, sed *τὰ τοῦ νόμου*, *illa, quæ sunt legis*, adeoque nonnisi materialiter bona, & quoad ipsiùs officii naturam, non autem Executionis modum, quædam externæ honestati congrua, non tamen absque Gloria mundi & recessu à DEO, in quem omnia referenda. Tertiò, Remuneratio illa nihil probat, cum non negemus opera etiam illa, quæ peccata dici merentur, temporalem posse habere Mercedem, scil. si ratione generis & officii in se spectati sint bona, nec non comparatè ad scelera & flagitia. Rectè enim Augustinus libro 5. de Civitate DEi cap. 15. quibus ergò non erat DEUS daturus vitam æternam, si neque hanc eis terrenam Gloriam excellentissimi Imperii concederet, non redderetur Merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam Gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc aliquid boni facere videntur, ut ab hominibus glorificentur, etiam Dominus dicit: *Dico vobis, perceperunt Mercedem suum.* Secundò, si ponamus obstetrices illas, de quibus Exodi 1. fuisse gentiles. Hebræas enim & fideles fuisse volunt, Hieronymus, Rupertus, Thomas, Pererius, Cornelius à Lapide, vel egisse ex supernaturali timore & amore DEI, quid quæso, DEUS remuneratus fuit, nisi officium, quomodo, nisi temporali commodo. Tertiò, num etiam Milites profani in castris Nabuchodonosoris fuerunt virtuti-

eorum est peccatum, qui apud Jobum capite 12. v. 14. dicunt: *Recede à nobis; nam notitia viarum tuarum non delectamur.* Eorum item, de quibus David conqueritur Psalmo 36. v. 24. *Qui blandiuntur sibi in oculis suis, & desiverunt adhibere diligentiam ad benefaciendum.* Hæc Ignorantia planè diabolica est, & execranda: tantumque abest, ut hominem excuset, ut potiùs peccatum aggravet augeatque, imò plurium gravissimarumque enormitatum procreatrix sit, & mater. Ad hæc, Ignorantia duplex est, nimirum vel Legis, vel ejus Rei, quam Lex ipsa postulat. Legis seu Juris Ignorantia est, cùm quis tam Legis DEI scriptæ, quam Legis Naturæ ignarus est. Hæc quidem Ignorantia peccatum aliquantum minuere, sed excusare hominem non potest: Naturalis enim est, ad eamque cognoscendam unusquisque obligatur. Ignorantia Rei, in ipsa Lege requisitæ, est & dicitur ignorantia facti: Eaque est Agentis vel cum culpa vel sine culpa. Ignorantia culpæ, est ignorantia alicujus facti, quod prævenire quis potuisset: e. g. Sit aliquis, qui vino inebriatus, aliam interfecerit: Is, quia in isto facto nescius est quid egerit, simul etiam ignorat, quod offenderit: nihilominus tamen, quia ebrietatem suam prævenire potuisset, culpam habet, peccatique reus est. Ignorantia sine culpa est, cum tale factum est commissum, quod nec præsciri, nec evitari poterat. Exemplum hoc esto: Si alicui, ligna cædenti, ferrum sive securis è manibus excidat, aliquem è prætereuntibus interimat: ibi quidem homicidium est, non tamen destinata, aut voluntaria cædes, quia res est, quam evitare nequibat, neque ejus culpa evenerat. Atque hæc Ignorantia excusari potest.

CAPUT

CAPUT XV.

De VIRTUTE CHRISTIANA.

THESIS I.

Virtus latinis dicitur à viro, inde Varro L. de LL. Virtus ut viri vis à virilitate, cui consonat Cicero 2. Tuscul. quæst. & Scaliger. Augustinus lib. 4. de Civit. DEI cap. 21. scribens: Ars ipsa benè rectéque vivendi virtus à veteribus definita est. Unde ab eo, quod Græce ἀρετὴ dicitur virtus, ἀρετὴ vocata fuit ab ἀρέσκω, quod placeat & forma illius si conspiciatur, omnium oculis & animis se insinuet, quanquam alii præferant, quod derivata sit ab ἄρης sive Marte, quasi illa Robur aut fortitudinem primò designet, alii ab ἄρω, congruo, adapto, quia sit convenientia cum recta ratione, alii ab ἄρω, tollo, quod animum erigat, vel ab ἐράω, amo, quod virtus maxime sit amabilis, vel ex ἀεὶ & ῥέω, quod perpetuò fluunt, vel ab αἱρέομαι, eligo, quod maximè eligenda, aut non sine προαιρέσει deducant. Variè accipitur, ut videre est apud Altenstaigium in Lexico pag. 950 951 952. 953. usque ad pag. 959. Hebræis dicitur מדה, Mensura à מדד metiri, & הוד, quod LXX. reddunt quandoque per δόξαν, quandoque per ἀρετὴν. Christiana verò, utpote de qua soliciti sumus, vocatur, quia ex inexistentia Christi in mentibus fidelium efflorescit, Christianis adhæret, eosque maximè decet & exornat, quorsum digitum intendit Paulus: *De cætero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate,* Philipp. 4. v. 8.

II.

Non solidè illi disputant, qui primò virtutem volunt dictam à Vigore. Secundò, qui cum Durando illam derivant à Vi sive violentia. Tertiò, qui quia ἀρετὴ ipsis descendit ab ἄρης, propriè virtutem fortitudinem notare volunt.

III.

Illud insuper Religionem sapit semipaganam, quod Johannes Cirellus sive Crellius in Ethica Christiana vult vocem virtutis, quæ Græcè est ἀρετὴ, tribus potissimum modis sumi in sacris literis, primum pro qualitate quâdam excellenti, seu perfectionem quandam ejus, de quo agitur, subjecti, in se condinennte, quo pacto ipsi etiam DEO virtutes adscribantur à Petro 1. Epistola cap. 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Per quas intelligendæ sint insignes illæ DEI proprietates, quas in universo salutis nostri negotio exeruerit. Secundò, strictius pro virtute morum, quo sensu occurrat Philipp. 4. vers. 8. Et 2. Petr. 1. *Quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria & virtute.* Tertiò strictissimè pro fortitudine, nempe 2. Petr. 1. v. 5. *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, &c.* Nam primò absurdum est tribuere DEO qualitates, qui tamen Ens est simplicissimum. Subjectum fingit, & illud, quod inest Subjecto Crellius, quod non nisi in creatis locum habet. Saniora videntur illa Jonæ Schlictingii commentantis ad hæc verba: Ut virtutes, &c. ostendit semen istorum omnium, quæ de illis asseruit. Virtutes, i. e. sapientiam, bonitatem, misericordiam, potentiam, & omnia Virtutum istarum effecta. Annuncietis, i. e. publica confessione & voce quam maximè celebretis. Virtutum vocem per Metaphoram de DEO usurpat, præsertim, quod beneficia ejus in homines collata ex libera illius voluntate proficiscantur. Secundò peccat circa significationem secundam allegando locum ex 2 Petr. 1. v. 3. Supponendo ibi ἀρετὴν notare virtutem in strictiori illa significatione, cum plerique Interpretes per ἀρετὴν hic intelligant vel virtutem divinam, qua nos recuperavit, vel Evangelium, quod est potentia DEI ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. vel Φιλανθρωπίαν & misericordiam divinam, ut 1. Pet. 2. v. 9. agnoscente ipso Crellio, quæ deprædicatur, Tit. 3. v. 4. *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri DEI.* Contrarium lege apud Schlichtingium, qui ita: per gloriam ac virtutem, i. e. per gloriosissimam virtutem, nempe iterum ἐν διὰ δυοῖν. Ipsius virtus gloriosissima ipsum impulit, ut nos vocaret. Intelligit autem DEI justitiam,

ftitiam, quam vers. 1. DEI bonitatem, clementiam, misericordiam, omni laude, gloria, deprædicatione dignissimam. Hic & priore Epistola DEO virtutes tribuit, nosque populum acquisitum dicit, ut virtutes deprædicemus ejus, qui nos ex tenebris vocavit in admirabilem suam lucem, DEI virtutibus nostri vocationem similiter tribuens, 1. Petri 2. v. 9. Tertiò restringit significationem in acceptione ad fortitudinem contra Mentem Apostoli & Interpretes nobiliores: nam per ἀρετὴν illo in loco notatur generaliter virtus in aliis operibus illustris, quæ aliàs exponitur per *pietatem*, 1. Tim. 4. vers. 8. per *castitatem*, 1. Theff. 4. v. 4. per *charitatem*, Gal. 5. v. 6. adde venerabilem Bedam & B. nostrum Lutherum. Oppositum Crellio Commentarium addimus ex Schlichtingio, Virtutem, id est, Justitiam, Bonitatem, eodem quo vocem hanc de DEO accepit sensu, nisi quod de hominibus agens communi ac populari significatione vocem istam hoc loco usurpet, qua virtute præditi dicantur, qui ea, quæ manifeste sunt justa & bona, & honesta & recta sectantur, & his contraria vitant, nec dum ad exactiorem & perfectiorem recti & honesti notitiam progresi. Merito autem fidei addit virtutem. Nisi enim post fidem suppeditetur virtus quid proderit ipsa fides sterilis & virtute destituta.

IV.

Insufficienter denique Crellius Christianam Virtutem vult ita dictam in oppositione ad Artes & scientias generatim omnes, ut prudentiam civilem, & circa terrena tantum occupata: addens insuper, quædam Scientiarum, & aliquam etiam prudentiæ civilis particulam ad Christiani hominis perfectionem, & sic ad virtutem quoque Christianam spectare.

V.

Rarius occurrere vocem ἀρετὴ in Scripturâ nolumus negare, frequentius autem nomen Bonorum operum, Matth. 5. v. 16. Eph. 2. v. 10. Jacob. 2. v. 14. 17. 18. 20. 21. 22. 24. 25. 26. quæ aliâs quoque exprimuntur nomine fructuum Spiritus, Gal. 5. v. 22. Eph. 5. v. 9.

VI.

Interim merito dubitamus, an firmiter concluserit Maresius, scribendo ἀρετὴν dici ab ἄρης, id est à Marte, ut virtus à vi, & primam illius signi-

significationem ultra virtutem bellicam non protendi. Partim quia supra primam Etymologiam ostendimus esse dubiam, partim quia altera non probatr Viris doctis, sed rejicitur, partim quia, si hæc esset causa, quod virtutis nomine tam infrequenter uteretur Scriptura, plane non debuisset illâ uti, sed in totum à profano & Spiritu S. indigno vocabulo abstinere.

VII.

Causa virtutis Christianæ principalis est, DEUS unus in Essentia, & trinus in personis. *DEUS est, qui operatur & efficit ipsum velle & operari, sive agere pro sua Benevolentia*, Philipp. 2. v. 13. *conditi sumus in Christo Iesu ad opera bnoa, quæ præparavit DEUS, ut in eis ambulemus*, Eph. 2. vers. 10. Fructus Spiritus dicuntur virtutes Christianæ, ab Apostolo Gal. 5. vers. 22. scribente: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, &c.*

VIII.

Non satis commodè Chrysostomus primo putat Mentem Apostoli esse: non ideò istud dixi cum timore & tremore, ut desperes, ut virtutem incomprehensibile quidpiam putes, sed ut attendas, ne te ipsum dissolvas ac remittas; hoc si fuerit, DEUS omnia operabitur, tu bono sis animo; contra scopum Pauli, qui est deprimere, non commendare. Secundò Gregorius Nazianzenus, ut est apud Theophylactum, qui verba illa Eph. 2. ubi conditi dicimur ad bona opera, refert ad primam creationem, cùm tamen dicamur conditi ad illa in Christo. Tertiò Theophylactus, qui censet in loco Pauli ad Galatas bona opera & virtutes dici fructus Spiritus, quia non tantum nostra cura indigeant, verum etiam superna cooperatione, tanquam à nobis detur semen sive propositum, quod autem fructum ferat, in DEO situm sit, contra illud Joh. 3. v. 9. *Quod ex carne natum est, caro est & effatum.* Gen. 6. v. 5. *Videns autem Dominus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, & omne figmentum cogitationum cordis ejus tantummodo malum esset omnibus diebus, & num ex corde nostro, cujus figmentum tantum malum est.* Num autem ex corde nostro, cujus figmentum tantum malum, semen quoddam bonum? num fructus Gloria tantum redundat aliquatenus in DEUM, cum omnis *ἱκανότης* nostra sit ex illo, 2. Cor. 3. v. 5.

IX. Nec

IX.

Nec ad Mentem Spiritus S. qui cum Leonhardo Lessio lib. de Auxiliis Gratiæ cap. 4. dicunt, sic DEUM operari velle & perficere, ut scil. agat per sanctas inspirationes, illuminationes, affectiones, ostendendo bonum, ad illud alliciendo & trahendo, absque tamen illa Impressione, quæ voluntatem prædeterminet, vicina quippe illi Pelagii Exegesi, scribentis in Commentario: Velle operatur DEUS, suadendo & præmia pollicendo. Secundò, qui cum Pontificiis reprehendunt Erasmum, quod verba Eph. 2. verterit ad opera bona, & non in operibus bonis tanquam Effectibus DEI creantur, adeoque sensum esse voluit: Creati à DEO per meritum Jesu Christi, quantum ad opera bona, quia scil. ipsa opera bona fiunt in nobis à DEO. Tertiò, qui cum Toleto distinguunt inter opera bona, virtutes ipsas, & inter opera bona, sive virtutes frugiferas, quasi illæ possint dari etiam in illis, qui carent Spiritu, hæ verò tantum in illis, qui Spiritu aguntur.

X.

Denique Photiniani à sensu genuino dictorum recedunt, dum primò cum Jona Schlichtingio à Bukowiz dictum ad Philippenses enervant, accipiendo illud de administratione omnium, quæ pertinent ad id, ut aliquid velit, & ut quod velit operetur, duo statuunt efficacissima media, per quæ DEUS in nobis operetur velle & operari, gratiam scil. DEI salutarem & mortem Christi, atque ita explicant, quod nec gratiæ divinæ effectus, id est, æterna Salus, cuiquam contingat, nisi volenti & operanti bona, & morte sua Christus pro nobis & peccatis nostris, non solverit propriè loquendo debita nostra DEO, sed & DEUM ad illa nobis, si sanctè in posterum vivamus, remittenda penitus obstrinxerit, nosque de illorum Remissione sub eadem conditione, planè certos reddat: & vicissim sibi & DEO penitus adduxerit, ac mancipàrit. Dum secundo cum Crellio & illius Discipulo Jona Schlictingio, ita creatos nos esse contendunt ad bona opera ut in iis ambulemus, tanquam in viâ à DEO præparata, & ad vitam æternam ducente. Tertiò dum fructus Spiritus cum Crellio putant, dici opposite ad opera, ut hâc ipsâ appellatione ostenderetur, hæc opera, quæ ex Spiritu proficiscuntur, esse quippiam bonum, contra cujusmodi non sit lex, nullam habeat vim damnandi hominem, in quo tales virtutes reperiantur: & plus habere has virtutes virium ad hominem ejusmodi absolvendum, quam lex ad damnandum.

 XI. Li-

XI.

Litigant hic Pontificii quoque inter se, quibusdam asserentibus virtutes supernaturales fieri influxu physico gratiæ, ab eaque physice effluere, sicut physice fluunt proprietates naturales à naturâ, secundum Thomam 12. quæst. 110. art. 4. adst. aliis, utpote Suarezio, Zumello & Curiele negantibus, quorum tamen rationes non sunt solidæ, nempe, quod virtutes supernaturales sint infusæ à DEO, quod habitus fidei & Spei conserventur in Absentia gratiæ, quod gratia justificans angelica & humana sint ejusdem speciei, & quæ sunt aliæ.

XII.

Causa sub DEO virtutis Christianæ est homo regenitus, qui scil. jam habet inexistentem *DEI Spiritum, qui filios DEI agit & impellit*, Rom. 8. v. 14. cum enim regenitus sit *Arbor bona*, ideoque etiam *fructus fert generosos, bonos & indoli sua congruos*, secundum illud Christi, Matth. 7. v. 18. cum sit vivificatus, qui antea mortuus in peccatis, ideoque Motus quoque vitales producit, Eph. 2. vers. 4. & seq. *DEUS autem, qui dives est in misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, (cujus gratia estis salvati,) & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus, in Christo Iesu: ut ostenderet in seculis supervenientibus, abundantes divitias gratia sua, in bonitate super nos, in Christo Iesu. Gratia enim estis salvati, per fidem, & hoc non ex vobis. DEI enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ preparavit DEVS, ut in illis ambulemus.* Cum sit *non carnalis, sed spiritualis, in quo Spiritus DEI habitat*, ideoque etiam virtutes spirituales spirat, & talem, qualis est, revera se demonstrat, Rom. 8. vers. 9. *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu*, & quidem ita, ut quamvis voluntas ejus sit subordinata DEO, potiores tamen partes sint DEI, quam hominis. Unde Augustinus de Gestis Pelagii, qui liber seorsim editus cum imperfecto opere contra Julianum, Lutetiæ apud Sebastianum Chappellet Anno 1617. ad illud supra allegatum ex Rom. 8. notat: plus est agi, quam regi. Qui enim regit aliquid, agit, & à DEO regitur, ut rectè agat; sed qui agitur, agere aliquid, ipse vix intelligitur; & tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, *quotquot Spiritu DEI aguntur, hi filij DEI.* Nec aliquid in nobis libera

bera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agendam commendet, qui male agere non potest, & hoc cum fecerit, ab illo, se ut faceret adjutam non dubitet, cui dicitur in Psalmo: *DEUS meus, misericordia ejus præveniet me.*

XIII.

Omnis vera virtus radicatur *in fide, sine qua impossibile est placere DEO*, teste Paulo Ebræor. 11. v. 6. *quæ per charitatem* ἐνεργουμένη, ut idem Apostolus loquitur Gal. 5. v. 6. atque sine qua omnia sordent, quia *quicquid non est ex fide, peccatum est*, secundum illud generale pronunciatum Rom. 14. v. 23.

XIV.

Insulsum autem est primò, quod Martinez de Ripalda Tomo 1. de Ente supernaturali lib. 1. sect. 22. dicit primò, fidem ad salutem necessariam non esse fidem illam strictam, quæ movetur ex revelatione DEI, sed fidem latam, quæ sit cognitio supernaturalis & infusa, pertinens ad habitus supernaturales intellectus conferentes integram & perfectam notitiam mysteriorum fidei. Secundò, posito, illam fidem strictam necessariam esse, tamen non esse necessariam in re exhibita, sed aut in re, aut in voto, ut de Baptismo, pœnitentia, spe & aliis, similem necessitatem in sacro textu expressam interpretentur Theologi. Tertiò, posito, fidem strictam elicitam ab habitu fidei in re esse necessariam, tamen non improbabiliter posse dici, cognitionem enim DEI in creaturis elicitam esse ab habitu fidei, & habitum fidei non solum ad Revelationem DEI factam per verbum ipsius, sed etiam factam Ministerio creaturarum extendi posse. Perspicuum enim est ex textu, Paulum primò loqui de illa fide, quæ inextitit Henocho, per quam placuit DEO, at fides revelationi innixa atque salvifica fuit in Enocho, DEO eundem gratum & acceptum reddidit. Secundò, num sufficit fides in voto, ut aliquis DEO placeat? num non addit Apostolus, *credere oportet accedentem ad DEUM*, ad quem nullus nobis accessus nisi per Christum, *qui via, veritas & vita*, Joh. 14. v. 6. num talis in potentia fides fuit in Enocho? & num fides etiam in Voto datur in gentili, qui extra Ecclesiam constitutus? Tertiò, num cognitio DEI in creaturis elicita ab habitu fidei potest dici, quæ tamen fidei contradistinguitur? num habitus fidei ad cognitionem illius Ministerio creaturarum factam extendi potest? Cum hæc sit evidens notitia & scientia propriè sic dicta, ille

hic sententiam promi, & loqui Paulum, primò de fide vera & salvifica, non tantum quia vox fidei in Scriptura non usurpatur de Dictamine Conscientiæ, sed etiam quia versus decimus quintus docet, Paulum loqui de illa fide & persuasione, quam fideles habent circa libertatem Christianam, de quo vide Origenem & Augustinum.

XVI.

Liquet, quid de Virtutibus Gentilium & irregenitorum sit habendum, nempe esse simulacra Pietatis & Honestatis, non ipsum Corpus, nec aliter sensit ex Veteribus Origenes, qui ita ad cap. 1. Jobi: Ut breviter dicam, atque audenter, omnia quæcunque fecerunt homines, sive in virginitate, sive in abstinentia, sive in corporis castitate, sive in bonorum suorum Distributione, omnia gratis faciunt, si non in fide fecerint; omnem enim severitatem & omnem justitiam quam fecerit quis foris à vera DEI fide, frustra facit, in perditione facit, non prodest ei, non adjuvat eum in diem Iræ; ad quod testis est Paulus dicens: *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Augustinus, qui satis luculenter de nuptiis & concupiscentiâ cap. 3. postquam probavit pudicitiam esse Donum DEI: Quid ergo dicimus, quando & in quibusdam impiis invenitur pudicitia conjugalis, utrum eo peccare dicendi sint, quod dono DEI male utuntur, non id referentes ad cultum ejus à quo acceperunt, an forte nec dona DEI putanda sunt ista, quando hæc infideles agunt, secundum Apostoli sententiam dicentis, omne quod non est ex fide peccatum est, anima enim & corpus, & quæcunque bona animæ & corporis naturaliter insita, etiam in peccatoribus dona DEI sunt, quoniam Deus non isti ipsa fecerunt. De iis autem quæ faciunt, dictum est, omne quod non est ex fide, peccatum est. Cum igitur faciunt hæc homines sine fide, quæ videntur ad conjugalem pudicitiam pertinere, sive hominibus placere quærentes, vel sibi vel aliis, sive in his rebus quas vitiose concupiscunt, humanas molestias devitantes, sive dæmonibus servientes, non peccata coërcentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur. Absit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter DEUM veram fidem connubii servat uxori. Denique Anshelmus Cantuariensis, cujus sunt sequentia: Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil bonum sine summo bono; ubi deest agnitio veritatis æternæ, falsa virtus est etiam optimis moribus: opera quæ videntur probabilia præter fidem, sic sunt, ut magnæ vires & cursus celerrimus extra viam.

XVIII.

Nihili est omne illud, quod quidam ex Pontificiis reponunt, vocari virtutes gentilium peccata, quia fere omnes fiant ob malum finem ut in cultum falsorum Deorum, vel ad inanem gloriam. Adeoque tribui omnibus, quod maximæ parti convenerit. Præterea intelligi ab Augustino non solum id, quod est proprie peccatum, & cui debeatur pœna: sed illud etiam quod careat omni illâ perfectione, quam habere potuisset, quodque sterile & inutile sit ad veram Beatitudinem consequendam. Partim quia Augustinus non locutus est non particulariter, sed universaliter, partim, quia alibi etiam de eminentioribus stricturis virtutum in gentilibus ita pronunciat, partim quia illas virtutes & opera elevat non tantum ex aberratione à scopo, sed etiam ex mala radice, quia fiant malè sive malâ voluntate. Præterea peccatum utique est proprie illud etiam, quod caret perfectione debitâ, aut enim est aliqua virtus perfecta & amussitata legi, aut non; si prius, erit propriè virtus & opus bonum, atque quod illi opponitur Malum morale, si non, proprie peccatum erit, & cui debetur pœna; *Maledictus enim, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis*, Deut. 27. v. ult. Unde etiam Augustinus contra Julianum colligentem ab absurdo; Erunt ergò in damnatione sempiterna, in quibus erat justitia, respondet: O vocem impudentia majore præcipitem! Non erat, inquam, in eis vera justitia: quia non actibus, sed finibus pensantur officia.

XIX.

Addam locum prolixiorem ex cap. 3. l. 4. contra Julianum: Si gentilis, inquit, nudum operuerit, numquid, quia non est ex fide, peccatum est? Objectio hæc erat Pelagiani. Respondet Augustinus: Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est, non, quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est: sed de tali Opere non in Domino gloriari solus Impius negat esse peccatum. Quod ut intelligas, quamvis jam inde fuerit disputatum, tamen, quia magna res est paulisper ausculta. Ecce eadem commemoro, quæ ipse posuisti, si gentilis, qui non vivit ex fide, nudum operuerit, periclitantem liberaverit, ægri vulnera foverit, divitias honestæ Amicitiæ impenderit, ad testimonium falsum nec tormentis potuerit impelli, quæro abs te, utrum hæc opera bona bene faciat an male? Si enim quamvis bona tamen male facit, negare non potes eum peccare, qui male quodlibet facit. Sed,

quia

quia cum non vis, cum facit, ista peccare, profectò dicturus es, & bona facit & bene. Fructus ergò bonos facit arbor mala, quod fieri non posse veritas dicit: Noli præcipitare sententiam, diligenter considera, quid Te respondere conveniat. Tum post pauca, cum disputavit, hominem fidelem non esse arborem bonam. Vide itaque, inquit, utrum infidelem voluntatem audeas dicere bonam voluntatem, sed forte dicturus es, misericors voluntas bona est. Rectè istud diceretur, si quemadmodum fides Christi, i. e. fides, quæ per dilectionem operatur semper est bona. Si autem reperitur & Misericordia mala, qua persona pauperis accipitur in judicio, propter quam postremo Rex Saul meruit à Domino, utique misericors damnari, quia contra ejus præceptum captivo Regi per humanam pepercit affectum, attentius cogita, ne forte misericordia bona non sit, nisi quæ hujus bonæ fidei fuerit. Imò respondeo, ut hoc sine dubitatione perspicias, utrum bonam misericordiam existimes infidelem. Porrò si vitium est malè misereri, procul dubio vitium est & infideliter misereri. Quod si & ipsa per se ipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono malè utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit, quia autem malè aliquid facit, profectò peccat. Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui bene utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, qui & bona malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli hoc est stulta & noxia faciunt voluntate. Qualis voluntas, nullo Christiano dubitante arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est.

XX.

Habent tamen, quod ogganniant Adversarii, nec deest lusciniæ suus cantus, quanquam non semper ad Regulam. Nam primò, si Scripturam consulimus, testatur illa etiam Ethnicos salutare Fratres, adeoque signa Benevolentiæ erga suos posse ostendere, quæ ad regionem virtutum referenda, Matth. 5. v. 46 47. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex*, Rom. 2. v. 14. Denique DEUM remuneratum fuisse istiusmodi virtutum Exercitia in obstetricibus Ægyptiis, Exod. 1. v. 20. In Exercitu Nabuchodonosoris, qui quia Regi servierit contra Tyrum in

præ-

ritum ab impura manu. Secundò illa signa benevolentiæ non tam fuerunt moralis virtutis, quam naturalis affectus, solet enim etiam canis suos amare catulos & fovere. Tertiò, Christus totus est in elevandis illis operibus gentilium & publicanorum, diligunt enim tales non inimicos, sed amicos suos, non propter DEUM, quia aliàs etiam inimicos dilecturi, sed propter se, adeoque vitiosè, & cur quæso, negat Christus istiusmodi operibus mercedem, nisi quia non sunt bona, sive non benè exercentur. Frustra secundò illud Pauli Rom. 2. adducitur. Nam si Vasquezium, Estium & alios vellemus sequi in Interpretatione illius loci, ne speciem quidem pro hac sententia possent obtendere Antimachi. Secundò posito, quod Paulus agat de gentilibus inconversis, & quidem ut nos hunc hunc locum explicavimus potius de opere præcepto quam præstito erit accipiendus, fuerunt enim, qui videbantur strictissimi inter gentiles ordinis Philosophi gravi sententia, sed ignavâ operâ, & illius temporis Politici, qui imponere solebant simplicioribus honestis regulis, intercute vitio profundè laborantes. Tertiò, quid quæso Paulus dicit, num gentes facere *νόμον*, legem? Planè non, sed *τὰ τοῦ νόμου*, *illa, quæ sunt legis*, adeoque nonnisi materialiter bona, & quoad ipsiùs officii naturam, non autem Executionis modum, quædam externæ honestati congrua, non tamen absque Gloria mundi & recessu à DEO, in quem omnia referenda. Tertiò, Remuneratio illa nihil probat, cum non negemus opera etiam illa, quæ peccata dici merentur, temporalem posse habere Mercedem, scil. si ratione generis & officii in se spectati sint bona, nec non comparatè ad scelera & flagitia. Rectè enim Augustinus libro 5. de Civitate DEi cap. 15. quibus ergò non erat DEUS daturus vitam æternam, si neque hanc eis terrenam Gloriam excellentissimi Imperii concederet, non redderetur Merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam Gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc aliquid boni facere videntur, ut ab hominibus glorificentur, etiam Dominus dicit: *Dico vobis, perceperunt Mercedem suam.* Secundò, si ponamus obstetrices illas, de quibus Exodi 1. fuisse gentiles. Hebræas enim & fideles fuisse volunt, Hieronymus, Rupertus, Thomas, Pererius, Cornelius à Lapide, vel egisse ex supernaturali timore & amore DEI, quid quæso, DEUS remuneratus fuit, nisi officium, quomodo, nisi temporali commodo. Tertiò, num etiam Milites profani in castris Nabuchodonosoris fuerunt vir-

 tuti-

tutibus inclyti, quas DEUS debuit remunerari. Dicuntur quidem Rex & milites serviisse DEO, verum non ex Animi intentione, aut studio erga DEUM, sed præter Mentem, ut serra servire dicitur ducenti illam, ut virga furoris DEO irato contra gentem, ut Attila, cujus ferocia DEUS usus fuit ad edomandum populum rebellem, adeoque non formaliter, sed tantum materialiter, complendo id, quod DEUS completum optabat & volebat. Dicitur etiam DEUM dedisse spolia Ægypti pro servitio & labore, sed quale servitium, tale præmium; plane Nabuchodonosor libabat suæ ambitioni aggrediendo Tyrum, milites suæ ferociæ indulgebant, Ægyptus itaque illis cessit in mercedem materialiter talem, in quantum voluit DEUS & statuit, ut ipse, qui voluntatem suam in Tyro puniendâ compleverat, ornaretur & honoraretur Regno Ægypti, ut ipse Cornelius à Lapide agnoscit.

XXI.

Rationes non concludunt: ambiguè enim dicitur istiusmodi opera non proficisci ex odio DEI, quod si de directo & formali & explicito dicatur, non negamus, at nihilominus proficiscuntur à concupiscentia dominium obtinente in sensu carnis, de quo Paulus, quod omne *φρόνημα* illius sit *ἔχθρα εἰς Θεόν*. Secundò utique gentilium virtutes & opera, si spectantur, ut actu præsentia possunt dici, facta & concupita contra legem. Sunt enim *θελήματα τῆς σαρκὸς καὶ τῶν διανοιῶν*, Eph. 2. Conformitas cum lege naturali tandem, neque est exacta, neque ipsa Regula, Lex scil. naturalis perfecta, nec in illis absque contaminatione. Tertiò, metus ille gehennæ & iræ DEI comparate bonus dici potest, absolutè nunquam, quia aliàs etiam in Pharisæis fuisset bonus, Matth. 3. v. 7. *Videns autem multos Pharisæorum & Sadducæorum, venientes ad Baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?* & quorsum, quæso, ducit ille Metus, removendo gratiam, nisi in desperationem, pice torrentes, atraque voragine Ripas. Nec homo convertitur naturalibus suis, sed gratia DEI, nec nobis examinandæ sunt pœnæ infernales, sed DEO relinquendum Judici, quod unicuique impiorum assignabit.

XXII.

Denique non negamus primò Patres Græcos ante Certamina cum Pelagio, quandoque securius fuisse locutos. Secundò Augusti-

num

num distinguere opera infidelium, in ea, quæ fiebant cum speciali auxilio, & ea, quæ absque eo, demonstrari nequit, cum omnia illa, quæ boni rationem habent, speciali auxilio DEI deputet. Quod vel ex Exemplo de Polemone adducto evidens. Tertiò apertè Augustinus loco ex libro 4. contra Julianum hæc addit: Licet ipsi hoc nesciant, donec si ex illo sunt prædestinatorum numero, accipiant Spiritum, qui ex DEO est, ut sciant, quæ à DEO donata sunt eis. Sed absit, ut in aliquo vera sit virtus, nisi fuerit justus, absit autem, ut sit justus verè, nisi vivat ex fide: justus enim ex fide vivit.

XXIII.

Subjectum Virtutis Christianæ, si de Denominationis sit sermo, est totus homo, ut principium actionum ex illa prodeuntium, ita tamen ut in Anima sedes sit quærenda illius, & quidem maximè in voluntate, quod satis solidè ostendit Paulus Rom. 7. v. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21, 22. *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obedientiam, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam? Gratias autem ago DEO, quòd fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra, servire justitiæ in sanctificationem. Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergò fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti DEO, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Non excluso penitus appetitu sensitivo, ad quem sese porrigit & extendit. Secundarium autem est corpus & membra illius, quæ animæ divinitus virtute instructæ ad Executionem subserviunt, ut iterum docet Paulus Rom. 6. v. 12. & 13. *Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos DEO, tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ DEO.* Nec non ℣. 19. adde monitum illud Rom. 12. v. 1. *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, DEO placentem, rationabile obsequium vestrum.*

XXIV.

Non subscribimus primò Cajetano & Medinæ, qui existimant virtutes, quæ ad alterum referuntur potissimum esse in voluntate, illas autem, quæ ad ipsum operantem spectent, atque in moderandis passionibus occupantur, sedem habere in solo appetitu sensitivo. Secundò illis, qui cum Gabriele statuunt, omnes virtutes quidem esse in voluntate, quibus tamen in appetitu sensitivo respondeant quidam habitus, qui etiam absolutè possint dici virtutes. Tertiò] denique Piccolomineo Senensi Philosopho, qui Gradu quarto, cap. 10. & 11. contendit virtutes morales residere in appetitu sensitivo. sanè videtur ὕπουλόν τι foveri in hac sententia, à Pontificiis Doctoribus, nempe peccati originalis primarium & principale subjectum esse sensualitatem, intellectu & voluntate melioris conditionis existente, & proinde maximè appetitui sensitivo medendum, perturbationibus in illo & ex illo resultantibus occurrendum.

XXV.

Inter quæstiones itidem potius curiosas, quam fructuosas referimus illam, quam Pontificii operose tractant, an scil. subjectum virtutis supernaturalis sit substantia rationalis sive anima immediate scil. an verò potentia ab anima distincta: qui enim priorem sequuntur sententiam, supponunt animam à potentiis suis realiter non esse diversam, ut tota controversia hæc tandem in litem aliquam philosophicam terminetur, de quo Physici in libris de Anima.

XXVI.

Forma virtutis Christianæ consistit in habitu conformi Legi divinæ; ex eo enim, quod Virtus Christiana virtus est, habitus naturam refert, unde Paulus quoque ab hac voce non abhorruit, sed illam usurpavit, atque Christianos firmiores descripsit tanquam illos, quia διὰ τὴν ἕξιν, *propter habitum sensus habeant exercitatos ad discretionem boni & mali*, Ebræor. 5. v. 14. ex eo verò, quod Christiana est respectum dicit ad Legem, non qualemcunque, naturalem scil. vel aliam, sed divinam in verbo propositam, ad quam Christiani respiciunt, cui unicè *tanquam lucerna lucenti in caliginoso loco attendunt, usque dum Phosphorus oriatur in cordibus illorum*, ut Petrus loquitur 2. Epist. cap. 1. v. 19. & quia in Christianis existit per gratiam renovationis.

XXVIII. Non

XXVII.

Non tamen dissimulandum, virtutem Christianam sic ita dici habitum, ut languor illius etiam sit agnoscendus, adeoque in hac vitâ potius esse dispositionem, quam habitum, ob frequentes insultus concupiscentiæ, quæ non exstirpatur, sed in Dominio tantum refringitur, homine non aliter se habente, quam ægro, qui ex Morte convalescit, in quo nondum Typus perfectæ sanitatis, sed tantum initia, quæ Spiritu desuper dato promovenda.

XXIIX.

Longè à veritatis Scopo Telum jecit primò Bernardinus Telesius, qui statuit virtutem esse passionem sive affectum, quia medium sit ejusdem generis cum extremis. Secundò Joannes Duns Scotus, qui ut aliqui Mentem illius exponunt, negavit virtutem moralem formaliter & essentialiter esse habitum, atque per convenientiæ relationem cum natura rationali descripsit, ita quidem quasi τὸ esse habitus non ad Esse virtutis requiratur formaliter, sed tantum velut subjectum seu fundamentum, cui relatio conformitatis ad rectam rationem adveniat, cum homo utitur illo habitu, ad studiosas actiones exercendas. Tertiò Socratici, qui virtutem esse voluerunt esse scientiam, ut quidem, si fides Aristoteli antesignanus illorum statuit, qui & finem vitæ dicitur constituisse virtutem cognoscere.

XXIX.

Sed quid de sententia communi Peripateticorum habendum, qui statuunt, virtutem consistere formaliter in mediocritate, & cum Aristotele definiunt, quod sit habitus electivus in mediocritate consistens secundum nos definita per Rationem, & ut prudens definierit. Tolerari illam posse quondam in Observationibus ad Grotium, si commodè explicetur, diximus, & relinqui posse Philosophorum Scholis, in quibus quasi sedem fixit, docuimus, verum si de virtute in generali conceptu, aut de Virtute Christiana sit sermo, non facile aptarit, quis istiusmodi Definitionem vel Generi, vel speciei, de qua nobis sermo, quod vidit quoque Guilielmus Amesius in Instit. Theol. lib. 2. cap. 2. Antonius Walæus in Ethica Christiana, quanquam argumenta utriusque non tam firma esse censeamus, ut non aliquid reponi possit. Illud hic maxime observandum, quod Medium dicatur relativè ad extrema, adeoque naturam & Essentiam virtutis non exprimat, sed saltem sub illâ Relatio-

latione describat, quemadmodum aliâs etiam, quæ in medio vel participante de utroque Extremorum, vel negante illa, consistunt, nec definienda propterea formaliter per Medium, quod Ratio constituat, quæ mediocritatem illam definiat, cum post lapsum sit corrupta, quod denique prudentis Judicio vel Arbitrio ipsam subjiciat, tanquam Regulæ, quod tamen admitti nequit, ut taceam alias difficultates, quæ ipsi Philosophi movent, & quibus sese non facile extricant.

XXX.

Denique quamvis Cartesiani existiment, se acu tetigisse virtutis punctum, nihilominus Assensum illis negamus, quia veritati non consona illorum opinio, quam Ludovicus de la Forge ita pingit: Maximum autem & summum omnium bonorum in seipso considerari potest sine relatione ad aliud, ac tum evidens est, DEUM esse summum bonum, aut spectari potest, cum relatione ad unumquemque nostrum, & tum non video aliud esse posse, quam rectum liberi nostri arbitrii usum. Nam inter omnia bona non nisi ea sola sunt, quæ per nos ipsos possidere sine auxilio aliarum creaturarum possumus, quæ nos vera satisfactione interna afficere, & omnino contentos reddere possunt. Quare & bona fortunæ, quæ absolutè à nobis non dependent, sanitas corporis & cognitio mentis, quæ sæpissimè extra hominis potestatem sunt, æstimari non possunt pro maximo omnium bonorum, quo cum homo capax est. Nihil superest nisi nostra voluntas, quæ absolutè nostra est, cujus rectus usus cum omninò à nobis dependeat, maximum esse bonum debet, quod possidere possumus, & solum quod nos vera satisfactione afficere & beatitudinem nostram naturalem efficere potest. Hoc pacto facile est, ut dicit D. Des Cartes, Zenonem cum Epicuro conciliare circa vitæ hujus summum bonum, quoniam revera in recto usu liberi arbitrii consistunt omnes virtutes, in quibus Zeno beatitudinem suam posuit, idemque illud est, ex quo maxima & certissima voluptas resultat, in qua Epicurus suum summum Bonum situm esse prædicabat. Quemadmodum liberum arbitrium nobilissima est Animæ facultas, sic etiam præcipue ipsi debetur, quod imaginem DEI geramus, ejque similes simus. Verum notandum est, quod quemadmodum recto ejus usu virtutem acquirere, nosque beatos efficere possumus, sic etiam per ejus abusum nos ipsos reos & infelices reddamus.

XXXI. Ma-

XXXI.

Materia circa quam Virtutis Christianæ est omne id, quod DEO debetur per modum Cultus & Amoris præcepti, nec non proximo sub ratione charitatis, & illi substratum, ipsa tamen quoque voluntatem & Affectus hominis dirigit, moderatur & ornat, nec non actiones externas illustrat & condecorat.

XXXII.

Unde imperfectionis arguimus Philosophiam practicam Aristotelis, qui Affectus & Actus objecit virtuti, & quidem illos tantum, qui mediocritatem admittant. Non omnis actio, scribit ille 2. Ethic. c. 6. neque omnis affectio mediocritatem admittit. Sunt enim quædam, quæ statim cum ipso nomine vitium connexum habent, ut Malevolentia, Impudentia, Invidia: & in actionibus adulterium, furtum, cædes. Hæc enim omnia, quæque sunt ejusdem generis, quod ipsa per se vitiosa sint, sic dicuntur, non quia Excessus & Defectus eorum mala sunt. Nunquam igitur in iis rectè factum, sed semper peccatum ex istis; nec in talibus benè aut non benè versari licet, &c. Quanquam enim hæc satis sana sint in Philosophia Aristotelica, nimis tamen restrictum illud, quod actiones & affectus illos tantum virtutis constituit Materiam, & quidem illos, qui Mediocritatem admittat.

XXXII.

Finis Virtutis Christianæ est vel ultimus, nempe Gloria DEI, quorsum respexit Salvator noster Matth. 5 v. 16 *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona: & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Vel condecoratio status nostri. Unde etiam Virtuti Christianæ maximè studendum, & opera danda, ut illa Lumina Spiritus è nobis exsplendescant, non tantum quia DEUS præcepit: *De cætero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bona famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.* Phil. 4. v. 8. & 1. Petr. 1. v. 5. *Qui in virtute DEI custodimini, per fidem in salutem, paratum revelari in tempore novissimo.* Sed etiam, quia illæ sunt indicia vivæ fidei: *Sicut enim corpus sine Spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est*, Jacobi 2. v. 26. notæ, ex quibus dignoscuntur beati: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.*

Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes : quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde : quoniam ipsi DEUM videbunt. Beati pacifici : quoniam ipsi filii DEI vocabuntur, Matth. 5. v. 3 4. 5. 6. 7. 8. 9. Documenta justificationis : *Abraham, pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac, filium suum, super Altare? Vides, quoniam fides cooperatur illius : & ex operibus fides consummata est? Et suppleta est Scriptura, dicens : Credit Abraham DEO, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus DEI appellatus est. Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm? Similiter & Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuncios, & alia via ejiciens*, Jacobi 2. v. 21. 22. 23. 24 25. *Si vivimus Spiritu, Spiritu & ambulemus.* Testimonia communionis cum DEO : *Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant, sed secundùm Spiritum. Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu : Si tamen Spiritus DEI habitat in vobis*, Rom. 8. v. 1. & 9. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, &c.* & 1. Joh. 2. v. 6. 7. *Qui dicit, se in ipso (Christo) manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Fratres, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Mandatum vetus, est verbum, quod audistis ab initio.* Imò, quia debemus DEO virtuosum servitium : *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem : ita nunc exhibete membra vestra, de justitia in sanctificationem*, Rom. 6. v. 19. Nec non Christus hîc Exemplo suo prælucet : *Tollite jugum meum super vos, & discite à me : quia mitis sum & humilis corde ; & invenietis requiem animabus vestris*, Matth. 11. v. 29. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*, Joh. 13. v. 15. & 1. Petr. 2. v. 21. *In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis : vobis relinquens exemplum ut, sequamini vestigia ejus.*

XXXIII.

Plus justo tribuunt Virtuti Christianæ primò, qui cum Leonhardo Lessio Beatitudinem dicunt consistere primario in virtutibus divinis seu Theologicis, nempe in fide, spe & charitate ; Secundario in cæteris virtutibus Christianis, quæ ex illis dependent. Secundò, qui cum Joanne Stearne Anglo statuunt, virtutes beare eatenus nos in hac vi-

ta

ta, quatenus sint causæ veri & perfecti gaudii, quod ab ipsis in præsenti vita procreetur: idque duplici ratione. Priorem esse, quoniam optima sit hominis virtutibus supernaturalibus imbuti vita, posteriorem esse, quoniam sint semen & Radix Gaudii futuri maximi, & in æternum duraturi. Tertiò, cum Photinianis, Crellio inprimis Beatitudinis præmium illis assignant, verba illius sunt sequentia; Quia in plerisque hominibus, ne dicam omnibus, amor hic virtutis] nudæ imbecillior est, quam ut hominem ad eam re ipsa colendam, & factis constanter exprimendam adigere queat, ideo DEUS adjecit virtuti præmium, ut ejus desiderio virtutem redderet amabiliorem, & sic hominem ad ejus studium excitaret atque exigeret Ut tamen ita DEUS hanc rem temperavit, ut nemo certam istius præmii spem concipere posset, nisi virtutem per se aliquo amaret, & desiderium istius præmii atque Amor amorem per se consideratæ non extingueret, ita ut altera ex parte imbecillitati humanæ succurreretur, altera verò ex parte virtuti sua constaret Integritas, & ejus, ut ita dicam meritum non prorsus periret, essetque præmio locus, ut in contrario pœnæ. Nam cum perfectæ virtutis præmium in hac vita esse non posset, siquidem perfecta virtus in morte ipsa subeunda cernitur, ejusque officium est, omnium hujus vitæ bonorum jacturam justitiæ causa non detrectare, ac præterea præmium virtutis perfectæ & DEO agonotheta dignum tale esse oporteret, quod desiderium hominis, natura ipsi insitum planè expleret, non poterat id non esse æternum, & à doloribus sejunctum, animique voluptatibus solidis affluens, inter quas jucundissimus DEI aspectus ac contemplatio locum obtinet primum. Nam quodcunque præter hoc constituas virtuti perfectæ præmium, id desiderium hominis naturale, quod frustra illi insitum non est, satiare atque explere penitus nequit. Etenim cum boni desiderium infinitum sit, nisi æternum homini bonum proponas, id illius desiderium explere nequit. Omne finitum intellectus noster, & hinc etiam voluntas, desiderium, transit, & defectum boni aliquando desituri sentit, ac dolet, cum nullum possimus cogitare tempus, quo nobis bene esse non cupiamus. Æternum autem bonum desiderium nostrum & satiat & superat. Nam quicquid ab intellectu capitur, reipsa finitum est. Quod autem præterea superest, infinitum est. Verum tamen ipsa æternitas non sufficit, nisi præterea sit jucunda, nec jucunda simpliciter, nisi etiam jucundissima, nempe pro Naturæ nostræ conditione.

ctione. Jucundissima autem illa demum est, quæ DEI ipsius conspectum habeat conjunctam. Nam ea demum vita est jucundissima, quæ occupatur in actione præstantissimæ nostræ partis excellentissima. Præstantissima autem nostri pars est mens & Intellectus. Hujus porrò Actio excellentissima est contemplatio, quæ per se est expetibilis, & contemplatio ea rursus excellentissima est, quæ est objecti optimi non impedita, objectum autem illud est, non nisi DEUS.

XXXIV.

Generaliter Pontificii hic non incedunt ad Normam verbi divini, qui statuunt, quod finis intrinsecus virtutum infusarum sit vita æterna, esse enim virtutes potissima media, quæ DEUS nobis præviderit ad consecutionem Gloriæ, de quo videndus Martinez de Ripalda disp. 12. sect. 1. §. 2.

XXXV.

Dividuntur alias virtutes ex Mente Aristotelis in morales & dianœticas sive intellectuales, quarum quinque vulgo numerantur, nempe Intelligentia, Scientia, Sapientia, Prudentia & Ars. Secundò à Doctoribus Pontificiis in infusam & acquisitam, Infusa iterum in intellectualem & appetitivam. Tertiò in Theologicam & moralem, illam Fide, Spe & Charitate circumscribunt, hanc aliis, de quibus agitur in Philosophia morali, hancque subdividunt, in illam, quæ respicit alium, ut Justitia, & in eam, quæ versatur circa passiones, ut Temperantia & Fortitudo, nec non in Prudentiam, Justitiam, Temperantiam, Fortitudinem, tanquam in principaliores Differentias, quæ sub se alias plures complectuntur, inde etiam Cardinales appellantur.

XXXVI.

Non tamen satis accuratæ videntur illæ Differentiæ. Non primis, quia Scriptura nunquam nomine virtutis coronat illos habitus dianœticos, quos Philosophi virtutes intellectuales appellant, & cum quis illis uti vel etiam abuti possit, non erunt essentialiter boni, quemadmodum virtus, quæ in oppositum flecti nequit, nec beatum semper reddunt hominem, in quo existunt, ubi enim deficit pietas, omne id, quod speciem habet alicujus perfectionis vanescit, & collabascit. Quia secundò virtutes dianœticæ morales secundum Philosophos distinguuntur subjectis, ita ut dianœticæ sint in Intellectu, morales verò in Appetitu

situ sensitivo, verum ostendimus subjectum virtutum moralium non esse appetitum sensitivum, sed voluntatem, nec absurdum videtur ipsas quoque aliquatenus docere in existere intellectui, inprimis si attendatur, quod fides statuatur virtus Theologica, quæ sane est quoque in Intellectu, & prudentia, quæ sub dianœticis comprehenditur, semper habeat voluntatem directum & eligentem. Tertiò, quia longè aliud est facultas quædam sive habitus, aliud virtus, quæ benè affectum reddit & opus ornat atque perpolit, ut ipse loquitur Aristoteles Ethic. II. v. 6. Non itaque nisi ἀκύρως dianœtici habitus virtutes dicuntur, & potius ex recepto usu atque consuetudine, quam fundamento solido significationis nativæ.

XXXVII.

Secunda Divisio etiam aliquid habet, quod redolet Pontificiam Theologiam. Nam primò in ipso vocabulo infusum magna est ambiguitas, tum quia Pontificii volunt ita infundi ipsas virtutes, ut non proximè & causaliter ex verbi prædicatione existant, tum quia dicunt illas infundi cum gratia justificante, adeoque justificationem in infusione Gratiæ, & harum virtutum collocant. Quanquam disputent, an habitus illi infusi antecedant primam infusionem Gratiæ, in affirmativam inclinante Lorca, Bannesio, Medina, Pesantio. Oppositam verò sententiam amplectente Almaino, Alberto & Vega, tum quia explicant distinctionem virtutis infusæ ab acquisita, quod illa eliciat actus meritorios, acquisita verò non meritorios, quod tamen impugnat Vasquez disp. 86. cap. 4. statuens etiam actus virtutum acquisitarum esse meritorios in justo, & impetratorias in peccatore.

XXXVIII.

Tertia Divisio itidem laborat. Nam primò Fides, Spes, Charitas utique in Decalogo comprehenduntur, à DEO in illo nobis imperantur, in prima & secunda Tabula proponuntur, quæ nobis præscribunt, quid faciendum obligant, & obstringunt; Est autem Decalogus Regula morum, cur itaque non possint quoque Fides, Spes & Charitas dici virtutes morales, rationem nullam videmus. Secundò, cum Charitas se diffundat per omnia præcepta virtutum moralium, quomodo potest tanquam virtus quædam Theologica distincta à virtutibus moralibus accenseri fidei & spei, atq; ab illis dividi, annon aliæ quædam vir-

tutes recenseri possunt, quæ Theologicæ vocandæ, atque ad cultum divinum referendæ, de quibus vide sequentia in Expositione Decalogi? Annon commodius forsan diceretur, si charitas de Amore DEI accipitur, fidem, spem, charitatem esse virtutes Tabulæ primæ, reliquas autem e. g. temperantiam, liberalitatem, justitiam esse referendas ad Tabulam secundam. Tertiò, cur illæ virtutes, quæ morales dicuntur Pontificiis, non possint dici quoque Theologicæ nullam omnino rationem invenio. Annon enim Theologia moralis quoque de illis agit? Annon illæ æquè ex Gratiæ renovationis, ut spes, charitas & fides efflorescunt? An non ipsi Pontificii statuunt, illas morales virtutes esse per se infusas. Videantur Tanner, Granadus, Conink, Vega, Perez, Curiel, Lorca & alii? Annon ipse Prosper contra Collatorem cap. 19. promiscue virtutes recenset, dicendo: Perdidit primus homo primitus fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem, spoliatus est sapientiâ & intellectu; Caruit consilio & fortitudine, & impiè altiora sectandi in veritatis scientiâ, & obedientia ac pietate dejectus est. Divisio autem virtutum in Cardinales & non Cardinales similis nobis videtur divisioni personarum Ecclesiasticarum in Cardinales & Episcopos titulares.

XXXIX.

Expendendam autem relinquimus Pontificiis sententiam Augustini, qui omnem virtutem circumscribit Amore DEI, quam luculenter explicavit Cornelius Jansenius T. 3. lib. 5. de Gratia Christi cap. 3. productis enim Testimoniis B. Patris ex libro de Moribus Ecclesiæ cap. 15. dicentis: Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omninò esse virtutem affirmaverim, nisi summum Amorem DEI. Ex Epistolis, Epist. 29. scribentis: Ut generaliter breviterque complectar, quam de virtutibus habeam notionem, quod ad rectè vivendum attinet, virtus est charitas, quâ id, quod diligendum est, diligitur. Hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est. Denique in Epistola ad Macedonium, quæ est 52. concludentis: quanquam & in hac vita virtus non est nisi diligere, quod diligendum est. Quid autem eligamus, quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius invenimus: Hoc DEUS est, cui si diligendo aliquid vel proponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando. Fundamenta ponit sequentia, quia virtus sit in proposito voluntatis, unde ne-

necesse sit, ut per eam aliquid diligatur. Virtus itaque secundum Augustinum est propositum seu dilectio, qua id, quod diligendum est, diligitur. Quid verò Christiano rationali diligendum, nisi unus & solus DEUS. Quia secundò virtus non sit aliud, nisi voluntas bona, utpote quæ reddat animam optimam, bona autem voluntas nihil aliud est, nisi DEI charitas, quam Scriptura nobis clamat esse ex Deo, quia tertiò, quisquis rectè vivere constituit, quod virtutis officium ei necessum sit, animum Regulis quibusdam incommutabilibus, in quibus videat, quid cavendum & faciendum sit, adhibeat, easque dirigat & sequatur. Tales autem Regulæ & quasi Lumina virtutum immutabilia, & sempiterna non sunt aliud, quam lex æterna, qua in ipsa æterna DEI veritate splendet, quam proinde diligendo, non aliud diligit, nisi ipsum DEUM, seu veritatem & justitiam illius incommutabilem à quo promanat, & ex ejus refulgentia lucis fulget, quicquid velut justum & rectum approbamus, sive facimus. Omnis itaque virtus secundum B. Patrem in DEI ipsius, tanquam veritatis & justitiæ incommutabilis dilectione versatur, & ex illa rationem virtutis trahit. Voluntas, inquit, cùm inhæret incommutabili bono, eique communi non proprio, sicuti est illa, de qua multum locuti sumus, & nihil indignè diximus, Veritas, tenet homo beatam vitam: eaque ipsa vita beata, id est animi affectio inhærentis incommutabili bono proprium & primum est hominis bonum. In eo sunt etiam virtutes omnes, quibus malè uti nemo potest. Et statim adjecit homines fieri prudentes, fortes, temperantes, justos, coaptando animum illis incommutabilibus Regulis, luminibusque virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate, Sapientiaque communi, quibus & ille coaptavit & rexit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit. Et porrò: Itaque ad rei definitionem accedens; An illud, quod vident, veritas est interior præsens animo, qui eam valet intueri, nec omnes valent? Et qui intueri valent hoc etiam, quod intuentur, non omnes sunt; hoc est, non sunt etiam ipsi justi animi, sicut possunt videre ac dicere, quid sit justus animus. Quod unde esse potuerunt nisi inhærendo eidem ipsi formæ quam intuentur, ut inde formeatur, & sint justi animi, non tantum cernentes aut dicentes justum esse animum, qui scientia atque ratione in vita ac moribus sua cuique distribuit, sed etiam ut ipsi justè vivant, justeque morati sint sua cuique distribuendo, ut nemini quicquam debeant, nisi ut invicem diligant,

ligant? Et unde inhæretur illi formæ nisi amando? Cur ergo alium diligimus, quem credimus justum, & non diligimus ipsam Formam, ubi videmus, quid sit justus animus, ut & nos justi esse possumus? An verò nisi & istam diligeremus, nullo modo eum diligeremus quem diligimus ex ista? Unde respondet Augustinus ergo contingit, quod non sumus etiam justi, si justum animum non nisi ex ista diligimus? Sed dum justi non sumus, minus eam diligimus, quam ut justi esse valeamus. Homo ergo, qui creditur justus, ex ea forma & veritate diligitur, quam cernit & intelligit apud se ille, qui diligit: Ipsa verò forma & veritas non est, quomodo aliunde diligatur. Neque enim invenimus aliquid tale præter ipsam, ut eam, cum incognita est, credendo diligamus ex eo, quod jam tale aliquid novimus. Quicquid enim tale aliquid perspexeris ipsa est; & non est quicquam tale, quoniam sola ipsa talis est, qualis ipsa est. Denique quia virtus non est aliud, quam Affectio animæ bona, cum itaque affectio amoris erga creaturam non possit esse bona, necesse esse concludit, virtutem esse affectionem animæ erga Creatorem. Sic enim ipse virtutem aliquoties in operibus suis circumloquitur, ut libro duodecimo de Genesi ad literam: *Propter animæ affectionem bonam, quæ desiderio meliore mundata multas interficit cupiditates*, &c. Propter illam ergo affectionem animæ bonam, etiam in somnis quædam ejus merita clarent. Hanc verò affectionem virtutem esse declarat inferius, quando dicit: Omnis animæ affectio bona, cui contraria sunt ejus vitia, quæ rectè culpantur, atque damnantur in hominibus. Jam verò affectio amoris erga creaturam non potest esse bona, sed potius est mala, & magnum animæ vitium: necesse est igitur virtutem esse affectionem animæ erga Creatorem. Nam propter malitiam affectionis animæ erga creaturas generaliter Augustinus tradit: Amor inferioris pulchritudinis animam polluit, non quasi inferior quæcunque pulchritudo sive substantiarum, sive qualitatum, sive actionum passionumve mala sit, sed quia illius dilectione affici malum est, sicut Augustinus ibidem docet: Quod illam sordidat, non est malum, quia etiam corpus creatura DEI est, & specie suâ, quamvis infima decoratur; sed præ animæ dignitate contemnitur; sicut auri dignitas etiam purgatissimi argenti commixtione sordescit. Res enim bona amari potest, amore non bono. Affectio igitur animæ erga creaturam non est bona, & ideò virtus hominis postquam in creaturarum affectiones per peccatum primi hominis præcipi-

cipitati sumus, non est aliud nisi perpetua quædam istius affectionis mundatio per affectionem ergà creatorem. Hac quippe dilectionis virtute inferiora ordinat, nec ab inferioribus sordidatur. Itaque S. Augustinus gradus & actus percurriens, quibus anima pertingit ad summam sapientiam, de actu quartò dicit: Quartus virtus dicatur, quem in eo constituit, ut sese abstrahat à sordibus, totamque emaculet, ac mundissimam reddat. Et in lib. 6. Musicæ, postquam exposuerat inquinationem & aggravationem animæ, quam creaturarum affectionibus contraxerat: liquidissimè docet, non aliter emundari posse, nisi per dilectionem DEI. Videamus, inquit, quænam illi actio divinitus imperetur, qua purgata & exonerata revolet ad quietem, &c. Et illam actionem afferens: Quid me putas hinc diutius debere dicere, cùm divinæ Scripturæ tot voluminibus, & tantâ auctoritate & sanctitate præditi, nihil nobiscum aliud agant, nisi ut diligamus DEUM, &c. Cùm igitur virtus sit affectio animæ bona; affectio vera erga creaturam non sit bona, sed unicum ejus vitium, quo sordida polluitur, à qua pollutione per dilectionem DEI mundatur, perspicuum est, virtutem non aliud esse; aut esse posse, nisi amorem DEI.

XL.

Nihil itaque causæ rationabilis fuit primò Pontifici Romano damnanti propositiones Michaelis Bay, consonas Doctrinæ Augustinianæ in Bullâ, & quidem trigesimam nonam *hoc fulmine*, quæ ita concepta: omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Johanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusa DEUS amatur, & vigesimam sextam: omnia opera infidelium sunt peccata & virtutes philosophorum sunt vitia, nec non decimam septimam, quæ ita se habet: non est vera Obedientia legis, quæ fit sine charitate. Secundò illis Doctoribus Pontificiis, qui impugnant sententiam hanc, quod scil. virtutes morales non distinguat ex objectis formalibus, sed materialibus tantum, quatenus scil. eadem charitas variis officiis virtutum propter DEUM prosequendi incumbat. Tertiò, qui cum Thoma, Magistro, Rivalda & aliis colligunt hoc modo: Dantur veræ virtutes morales Justitiæ, misericordiæ, temperantiæ, fortitudinis, obedientiæ, Religionis & similes à charitate distinctæ. Ergo sunt virtuosi affectus à charitate non eliciti. Quia virtutes distinctæ à charitate eliciant virtuosos

Affe-

Affectus absque concursu charitatis, quia ut distinctæ à charitate vim obtineant elicitivam suorum actuum.

XLI.

Conformiter hisce principiis Charitas dicitur Justitia, prout servat æqualitatem propter DEUM, misericordia prout subvenit alienæ miseriæ propter eandem bonitatem divinam, patientia, quia propter DEUM sustinet mala, Religio, quia ex eodem motivo exhibet cultum DEO. Obedientia, quia propter DEUM legibus & præceptis paret & sic de reliquis virtutibus, quæ charitatem in variis officiis repræsentant, & huc referimus illud Augustini tomo primo de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap 15. scribentis: Temperantiam esse amorem DEO sese integrum, incorruptumque servantem; fortitudinem amorem omnia propter DEUM facile perferentem, Justitiam Amorem DEO tantum servientem, ut & hoc bene imperantem, quæ homini subjecta sunt: prudentiam amorem bene discernentem ea, quibus adjuvetur in DEUM, ab his, quibus impediri potest.

XLII.

Milium terebrant primò Philosophi morales, qui prolixe disputant, num virtus possit distribui in species, adeoque differat virtus à virtute specie, quorum plerique illud propugnant, quibus tamen ex veteribus adversantur Menedemus, Ariston, Zeno & alii, quos laudat Foxius, Marzillus Hispalensis; qui cum Platone distinguunt in purgatorias, civiles & exemplares, qui denique aliis pro arbitrio utuntur distinctionibus. Secundò insulse colligunt Pontificii Doctores: quot sunt virtutes & peccata, tot sunt Sacramenta, utpote remedia contra peccata, at septem sunt virtutes, fides cui Baptismus, Spes cui confirmatio, charitas cui Eucharistia, Justitia cui pœnitentia, fortitudo, cui extrema Unctio, Prudentia cui Ordo, & temperantia cui Matrimoniorum inservit. Totidem sunt peccata, originale, cui Baptismus; actuale mortale, cui pœnitentia, veniale cui extrema unctio, Ignorantia cui Ordo, infirmitas cui Confirmatio, malitia cui Eucharistia, concupiscentia, cui matrimonium tanquam remedium opponitur. Eja plusquam Seraphicam sapientiam, eja Nexum elegantissimum ubi omnia cohærent, ut in pallio mendici centones. Tertiò frustra se fatigant Philosophi in numero virtutum moralium assignando, quibusdam cum Ari-

Aristotele undecimum numerantibus, nempe Fortitudinem, Temperantiam, Liberalitatem, Magnificentiam, Magnanimitatem, Modestiam, Mansuetudinem, Comitatem, Veracitatem, Urbanitatem, Justitiam, aliis mirificè illum Numerum augentibus, ut videre est apud Keckermannum, Thomam, Campanellam & alios.

XLIII.

Regula virtutis est Lex divina Moralis, ad quam Moses imo DEUS nos alligavit: *Quod pracipio tibi, hoc facito, nec addas quicquam, nec minuas ex eo*, Deut. 12. v. 32. quæ imperat Amorem DEI & proximi, atque hanc unice urget Deut. 6. v. 4 5. *Audi Israël, Dominus DEUS noster unus est. Diliges Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Repetente ipso Christo illam Legis divinæ summam Matth. 22. v. 37. 38. 39. 40. *Diliges Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.* Quorsum referenda illa Pauli Rom. 13. v. 9. 1. Johan. 2. v. 10. 11. cap. 3. v. 14. 15. & cap. 4. v. 7. 8. Quæ denique ubique regnare debet dicente Paulo, *finem præcepti esse charitatem ex puro corde & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ*, 1. Timoth. 1. v. 5.

XLIV.

Patet quoque ex hoc puncto quanta sit Differentia inter Virtutem, prout tractatur ab Ethicis, & quæ aliàs attribuitur quoque Gentilibus & inter virtutem Christianam, quam Theologia considerat. A veritatis enim Tramite aberrant illi Philosophi, qui specificam utriusque diversitatem negant, cum Danæo, Keckermanno, Timplero opinantur, moralem Christianâ tantum gradibus perfectionis differre, non secus ac lucem matutinam à luce meridiana, aut teporem à fervore, cum tamen etiam habeat virtus Christiana Normam, nempe Legem moralem revelatam, aliud principium, nempe Spiritum Sanctum, aliam Formam, nempe congruentiam cum sanctitate divina, alium Finem, nempe DEI Gloriam, virtute gentilium in propria terminata, & proinde Aversionem à DEO, & Conversionem ad creaturam indicante.

XLVI.

Attributa Virtutis Christianæ variæ possunt constitui. Nos breviter ponimus primò officiorum Affinitatem. Ita enim illa connexa sunt, ut qui charitatem habet, in aliis non deficiat, quod vidit Thomas, & ante illum Ambrosius 5. lib. in Lucam, Augustinus l. 6. de Trin. c. 4. Hieronymus super Esaiam c. 16. & 56. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 1. Secundò intensio & Remissio. Languet sæpè virtus etiam in Christiano homine, nec in eodem semper est statu & colore, ut opus sit stimulo: *Solicitudine, non pigri: Spiritu ferventes, Domino servientes*, Rom. 12. v. 11. Effulget quandoque & robora capit, ex spiritu in habitante, ut simus in Domino validi, secundum illud Eph. 6. v. 10. & seq. *De cætero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite armaturam DEI; ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem: sed adversus principes, potestates, adversus mundi rectores tenebrarum, contra spiritualia nequitia in cœlestibus. Propterea accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, & omnibus perfectis stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ & calceati pedes, in præparationem Evangelij pacis: in omnibus, super omnia autem sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est verbum DEI.* Tertiò Amissibilitas; de virtute quidem Gentiles ita senserunt, quod sit inter cætera Bona maximè constans, quod nec eripi possit, unquam, nec naufragio, nec incendio amitti, nec tempestate, nec temporum vicissitudine transmutari, at aliter loquendum de illa, si ex sacris paginis sapere volumus, unde Paulus: *Itaque, qui se existimat stare, videat, ne cadat*, 1. Corinth. 10. v. 12. & tristia Exempla satis docent, quam facilis sit descensus Averni, quam nemo insistat cubo in hac montalitate, ut non possit concupiscentia frangi, Tempestatibus dimoveri.

XLVII.

Ipsis itaque etiam Pontificiis improbatur Scoti Opinio asserentis, virtutes non esse connexas, quem consecuti sunt Gabriel, Ocham & Almain, Tract. 3. cap. 7. quos meliora potuisset docere Chrysippus apud Diogenem Laërtium, Plato in Protagora, & Cicero lib. 2. quæst. Tusc. Secundò displicet Philosophis illud Stoicorum, qui ad Mentem Senecæ Epistolæ 67. asserunt. Nihil recto rectius, non magis, quam verius

verius

tius vero, quam temperato temperatius? Omnis in modo est virtus, modus certe mensura est, quid accedere perfecto potest? Nihil: aut perfectum non erit, cui accessit. Ergone virtuti quidem, cui, si quid adjici potest, defuit. Crescere posse imperfectæ rei signum est. Et iterum nihil est divino divinius, cœlesti cœlestius, mortalia minuuntur, cadunt, deteruntur, crescunt, exhauriuntur, implentur, itaque illis in tam incerta sorte Inæqualitas est, divinorum una natura est. Tertiò non admittuntur à nobis, qui cum Joviniano negant hominem semel justificatum per Christi lavacrum à Dæmone posse subverti, ut Hieronymus nos docet libro 1. contra Jovinianum, vel fidem & spem semel habitam posse amitti.

XLVIII.

Virtuti opponitur vitium morale, quod omnino fugiendum, tum propter DEUM, qui prohibet & vult ut declinemus ab illo: *Propter quæ venit ira DEI, super filios incredulitatis: in quibus & vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis,* Colost. 3. v. 5. *Dico autem in Christo: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis,* Gal. 5. v. 16. tum propter statum nostrum quem dedecet omne illud sordidum: *Vos autem non ita didicistis Christum: si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu. Et nolite contristare Spiritum Sanctum DEI, in quo signati estis in diem redemtionis,* cap. 5. v. 7. *Nolite ergo effici participes eorum. Confitentur, se nosse DEUM: factis autem negant, cum sint abominati & incredibiles, abominabiles & inobedientes, & ad omne opus bonum reprobi,* Tit. 1. v. 16. tum propter pœnas: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est,* Rom. 6. vers. 21. *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum DEI possidebunt,* 1. Corinth. 6. v. 10. *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt adulterium, fornicatio, immunditia, pudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ. Fructus autem est charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, longanimitas,* Gal. 5. v. 19. 20. 22. *Hoc enim scitote, intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, qui est Idolorum servus, non habet hereditatem in regno Christi & DEI,* Eph. 5. v. 5. *Nunc autem depo-*

nite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro, Coloss. 3. v. 6. 8. *Timidis autem & incredulis, & exsecratis, & homicidis, & fonricatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno, ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda*, Apoc. 21. v. 8. Et cap. 22. v. 15. *Foris autem canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium.* Nec non simulata virtus, qualis est hypocritarum, de quibus Christus: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis: quæ à foris apparent (hominibus) speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & vos à foris quidem apparetis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate*, Matth. 23. v. 27. 28. *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita*, 2. Timoth. 3. v. 5. Denique virtus gentilium & irregenitorum, de qua illud Pauli accipe: *Confitentur, se nosse DEUM: factis autem negant, cùm sint abominati & incredibiles, abominabiles & obedientes, & ad omne opus bonum reprobi*, Tit. 1. v. 16.

XLXIX.

Liquet ex disputatis primò quid censendum, de definitione virtutis & vitii quam adornavit Crellius in Ethica Christiana scribens: Virtus Christiana est habitus animi ad hominis perfectionem in Christi Doctrina descriptam spectans, & vitium ei contrarium est habitus animi cum Doctrina Christi pugnans. Secundò quid de Ethica prout tractatur in scholis, nempe illam esse mancam & mutilam, adeoque optandum ut in Scholis Christianorum elaboratius quid proponeretur Juventuti Scholasticæ, quæ si Ethicam audivit, tantum scit, quantum, qui per compendium aliquis alicui in deambulatione narrare potest, tractaretur Ethica Christiana, quæ virtutis Christianæ naturam indolem & attributa exponeret, ageretur de istiusmodi argumentis, quæ etiam in hoc genere difficilia jucunda & utilia, qualia sane permulta, nondum ne tacta quidem, multo minus absoluta. Non male Dn. Felden in Elementis Juris parte tertia cap. 1. dum hæc scribo, venit mihi in mentem tot numero in papatu esse Clericos, totque quotannis non auri tonnas, sed milliones absumere, nec hactenus in facultates animi melius penetrasse. Agnovit illam imperfectionem Guilielmus Amesius scribens. Ethica Philosophia primò, Civilitatem tantum quandam morum externorum,

rum, in sua perfectione requirit; non penetrat ipsa cordis penetralia, quemadmodum Ethica Christiana in Scripturis tradita. Secundò, Moralis Philosophia non rapit hominem extra semetipsum, sed tantum invitat ad bona nostra recognoscenda, quibus inaniter confisi ad facilitatem contendamus, unde fit, (ut observat Calv.) quod inani fiducia homo intumescat, & superbia inficiatur. Theologia nobis inspiciendam proponit paupertatem, ignominiam, turpitudinem, imbecillitatem nostram. Tertiò, Philosophia illa nobis subsistendum esse docet in nuda virtutum actione nulla habita ratione principii & finis omnium actionum, fidei nempe aut gloriæ divinæ. Unde factum est, ut nonnemo Theologorum dixerit, virtutes Ethnicorum nihil esse, quam splendida peccata. Longè alias Proprietates Practici suæ morum doctrinæ solent tribuere, quæ tamen in solidum morum doctrinæ in Scripturis traditæ conveniunt. Dicunt e. gr. Ethicæ finem esse legi Naturæ & rationi rectæ congruenter vivere, id est, (ut ego interpretor) congruenter Decalogo; seu legi Naturæ in hominum cordibus scriptæ, quæ sine dubio in Scripturis est explicata. Secundò tradunt Subjectum Ethicæ esse moderari hominum actiones & passiones, non repugno, modo eadem æquitate & mihi concedant, Scripturam esse omnium actionum nostrarum (cujuscunque tandem generis sint) quatenus vitam nostram respiciunt) unicam regulam ac normam. Tertiò, Ethicam volunt tradere omnium actionum humanarum, qua tales ve- ra principia, id est principia sine fundamento, actiones sine fide, præterea quidquid tandem tradunt de istiusmodi principiis, illud plerunque solent ex Physicis describere Tautologia satis onerosa. Quartò, pollicetur etiam eadem nobis felicitatem, plumbeam aut ligneam credo: sola Theologia veram describit. Quintò, ultimò Ethicam dicunt tradere omnium civilium Virtutum naturas ac descriptiones. Quod etsi falsum, cogentur tamen vel inviti concedere Scripturam illas ipsas Virtutes & multo plures tradere. Quod ut pateat obiter percurramus Aristotelicarum virtutum formulas. Aristoteles igitur & qui ipsum κατὰ πόδας sequuntur, has decem virtutum formulas habent. 1. Fortitudinem. 2. Temperantiam. 3. Liberalitatem, Magnificentiam. 4. Magnanimitatem. 5. Mansuetudinem, Clementiam. 6. Affabilitatem. 7. Veracitatem. 8. Comitatem. 9. Verecundiam, Nemesin. 10. Justitiam. Quorum 1. 3. 4. prout ab Aristotele describuntur, omni-

omnibus nequaquam conveniunt, nonnisi bellicosis, divitibus, aut ambitiosis. 6. 7. 8. 9. ab ipso Aristotele pro virtutibus propriè dictis vix videntur censeri. Has igitur virtutes omnes, & multò plures, si manifestissimis Scripturæ testimoniis non evicero in Codice exstare, digitum tollam. Cum igitur omnium prædictarum virtutum infinita existent in Scripturis doctrinalia exempla (ex quibus ad imitationem nostram præcepta sint exstruenda) nemo debebit ægrè ferre, quod in subjecta Scripturarum enumeratione intermiscentur. Antonius Walæus, qui in Ethica Christiana ostendit Legis moralis, ita enim loquitur præcepta imperfectè hic tradi, de præceptis primæ Tabulæ parum aut nihil agi, nonnullas quoque virtutes secundæ Tabulæ præteriri utpote, misericordiam, obedientiam superioribus debitam, &c. Imo quædam vitia virtutum loco haberi, ut vindictam aliquam sui ipsius, primos etiam affectus inter vitia non poni, denique Aristotelem verum principium & verum finem verarum virtutum ignorasse. Denique, Franciscus Baro de Verulamio, Vice Comes Sancti Albani, summi quondam Angliæ Cancellarii & magni sigilli custodis, qui ita: In hujus Scientiæ pertractatione, qui de ea scripserunt perinde mihi fecisse videntur, ac si quis scribendi artem tradere pollicitus, pulchra tantum exhibeat exemplaria literarum tàm simplicium quàm copulatarum de calamo vero ducendo, aut modis characteres efformandi, nihil præcipiat. Ita isti proposuerunt nobis exemplaria bella & luculenta atque descriptiones sive imagines accuratas boni, virtutis, officiorum, felicitatis, tanquam vera objecta & scopos voluntatis & appetitus humani. Verum quomodo quis possit ad hos scopos (excellentes sane & bene ab illis positos) collimare, hoc est, quibus institutis animus ad illa assequenda subigi & componi possit aut nihil præcipiunt, aut perfunctoriè & minus utiliter. Disseramus quantum libuerit, virtutes morales in animo humano esse habitualiter, non naturaliter. Distinguamus solenniter inter spiritus generosos & vulgus ignobile, quod illi rationum momentis, hi præmio aut pœna ducantur. Præcipiamus ingeniosè animum humanum, ut rectificetur instar bacilli in contrariam partem inclinationis suæ flecti oportere, aliaque insuper hujusmodi hinc inde spargamus, longe tamen abest, ut hæc & alia id genus absentiam rei excusent, quam modo requirimus.

L.


Liquet tertiò quid de Theologica morali Pontificiorum sit habendum, de quo supra: Christophorus Haunoldus Lojolita inter argumenta præcipua convincentia Religionem suam esse, quæ omnibus aliis præferatur, etiam hoc ponit & quidem secundò loco; evidens scil. esse nullam Religionem nominare posse, tot egregios & sinceros virtutum moralium sectatores, quot possit numerare & probare Religio Pontificia. At si neque in Ethica aliquid moliti sunt ultra Aristotelem, quem etiam hic Tubingæ ex Ambone Sacro voluerunt prælegere populo, neque in Theologia morali, nisi illud quod passim prostat, non tam moralium virtutum verarum & sincerarum, quam umbrarum sectatores numerabit Ecclesia Pontificia, & si qui fuerunt honestioris vitæ, non vi principiorum, quæ inter Jesuitas vigent, quam Gratiæ divino Beneficio tales extiterunt.

LI.


Cessabit omne vitium, omnis languor in alterâ vitâ, & in eâ demum omnis virtus nostra, quæ hic in semine, æternum florebit & perennabit in fructu. Ut quod *vidimus per Speculum in ænigmate, coram intuebimur*, 1. Cor. 13. v. 12. Ut mortale induet immortale & complebitur in corpore nostro illud Pauli: *Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, & est spirituale*, 1. Cor. 15. v. 42. 43. 44. ita vel maxime Virtus animæ tunc erit perfecta, consummata, & immutabilis, DEUM quippe dilecturi ex corde, Sanctis Angelis & fratribus nostris adhæsuri illimi affectu, & *sicut portavimus imaginem terreni, ita portabimus imaginem cœlestis*, 1. Cor. 15. v. 49. interea dum hîc peregrinamur luctandum, cum peccato, agnoscendum, id quod deest bono in nobis ex insultibus mali illius adhærentis, de quo Ebræor. 12. vers. 1. *deponentes omne pondus & circumstans nos, tenaciter inhærens peccatum, per patientiam curramus ad propositum*

nobis

nobis certamen, in proposito nobis certamine. Cum Hydra peccatorum agendum & caput, post caput amputandum, depugnandum secundum illud Tertulliani lib. ad Martyr. c.3. Vocati sumus ad militiam DEI vivi, jam tunc, cum in sacramenti verba respondemus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis & substrictis, ubi omnis duritia & imbonitas consistit. Etiam in pace labore & incommodis bellum pati jam ediscunt. In armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem desiccando. Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expavescant. De umbra ad Solem de Sole ad cœlum, de Tunica ad Loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos benedictæ quodcunque hoc durum est, ad exercitationem, virtutem animi & corporis deputate. Bonum agonem subituræ estis, in quo Agonothetes DEUS vivus est, Xystarches Spiritus Sanctus, corona æternitatis brabeum, Angelicæ Substantiæ politia in cœlis, gloria in secula seculorum.



PARS SPE-



PARS SPECIALIS
De
THEOLOGIA MORALI.

PRÆLOQUIUM.

INter prærogativas populi Ebræi non minima fuit Legis Divinæ possessio. Manifestaverat enim DEUS præ cæteris huic genti, tanquam peculio suo, voluntatem suam, &, quid faciendum vel omittendum, luculenter exposuit, nec tantum formam cultus ad tempus duraturam præscripsit, Justitiam forensem in Republica illustri stabilivit, sed & totum hominem, secundum omnes facultates & vires, ubi ubi ageret, quocunque temporum ordine viveret, informare voluit solenni illa decem verborum promulgatione. Unde ipse Moses, *Deuteronomij quarto, versiculo septimo*: *Quæ est alia Gens sic inclyta, ut habeat Caremonias, justaque judicia, & universam Legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros.* Ipse Apollo Delphicus ex Tripode, utut putamina Mendacii miscens baccis, populos extraneos jungens peculio Dei:



Μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ ἑβραῖοι.

Cùm itaque *generatim* spectaverimus Naturam & Indolem Legis moralis, nunc, *per singula præcepta* ambulaturi, primùm semitam veritatis signabimus, & dein devia Heterodoxiæ ostendemus; scrupis etiam ex viâ, quæ remo-

rari possent Conscientiam, remotis. Affulgeat cœptis Divina Gratia, & benedicat è Cœlo Meditationibus nostris, qui docet nos facere voluntatem suam, & cujus Spiritus bonus deducit nos in Viâ rectâ.

VERBA TEXTUS.

אָנֹכִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֲשֶׁר הוֹצֵאתִיךָ מֵאֶרֶץ מִצְרַיִם מִבֵּית עֲבָדִים׃

Ego. Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terrâ Ægypti, è domo servorum.

THESIS I.

IN limine verborum, quæ Deus locutus est ad populum Judaicum, liticula mota fuit inter eruditos: Sunt, qui volunt hæc verba, *Ego sum Dominus Deus tuus*, esse præceptum, & quidem primum in ordine Legis Divinæ: Sunt, qui existimant, hæc verba non præceptivè esse accipienda, sed esse præfamen ad illud, *Non habebis Deos alienos coram me. Primam* sententiam amplectuntur ex recentioribus Philo & Josephus; ille quidem *in libro de Decalogo pag. mihi 472.* scribens: Decem cum sint præcepta, in quina dividuntur, inscripta duabus tabulis, *prior* quinarius habetur potior, *secundus* inferior, utraque bona sunt & ad vitam utilia, vias latas in unum finem competentes sternentia, per quas anima, summi Boni cupida, inoffensum iter faciat. Ille igitur potior quinarius de Monarchia loquitur, qua Mundus regitur, de statuis simulacrisque & id genus manufactis operibus, de non assumendo in vanum Dei nomine, de observatione religiosa diei septimi, de honorandis parentibus & ambobus & singulis. Hic verò *lib. 3. Antiquitatum c. 4.* Docet nos *primum præceptum*, Deum esse unum & hunc solum colendum, *secundum* nullius animalis simulacrum adorandum, *tertium* non temerè jurandum, *quartum* septimi diei ferias nullo opere profanandas, *quintum* parentes &c. Ex junioribus Maimonides, qui fundamentum primum Religionis ponit *Existentiam Creatoris* excelsi, quod nimirum existat ibi perfectus omni modo perfectionis, & sit supra quælibet existentia, atque ab eo perpetui-

tatem

tatem eorum esse. Et, si concipias, *scribit*, illum non existere, cessabit existentia cujuslibet Entis: Sin verò tibi imagineris, nulla inveniri existentia præter illum solum, tum ille solus existet, neque desinet aut deficiet existentia Dei, quia ipse in Existentia sua non opus habet alio præter seipsum, sed quicquid præter illum est, sive sint Intelligentiæ separatæ, sive orbes, aut quod infra illos, istud necessario dependet ab ejus Existentia. Hoc autem primum fundamentum discimus ex dicto, *Ego sum Dominus Deus tuus*, & hoc est præceptum affirmativum, cui paria ferè promunt & hunc sequuntur certatim alii ex Ebræis, observante Tostato Episcopo Abulensi, *Tom. 2. quæst. 2. pag. 269.* Ex Christianis accesserunt huic Opinioni partim Patres Irenæus *lib. 2. cap. 42.* Athanasius *Tomo 2. pag. 67.* Hieronymus *in caput 10. Oseæ*; Pontificiorum ex ordine Cajetanus, cui non planè adversari vult Lorinus; Calvinianorum ex nomine Martyr, Sohnius & Musculus, qui *Locorum communium parte de Legibus pag. mihi 55.* hæc habet: Primum hoc præceptum non solùm ordine primum est, sed & tale, ut sine illius observantia reliqua omnia sint irrita. Comprehendit enim, quod caput est veræ religionis, veræ pietatis, & omnis justitiæ. Propositio illius hæc est: Me unum habebis Israel, ac solum adorabis & coles, Dominum Deum tuum. Hujus duo sunt membra. Unum, quòd se Deum Israelis esse dicit: alterum, quòd ab illo requirit, ut se unicum ac solum Deum suum sincero ac fideli corde complectatur, observet, colat & adoret. Ad primum pertinet, quod dicit, Ego sum Dominus Deus tuus: ad alterum, quod adjungit: Non habebis deos alienos coram me. Spiritus horum verborum est: Ero tibi solus & unicus Deus: Me solum & unicè coles & adorabis: à me solo pendebis: mihi soli adhærebis. Etenim si verba urgeas, fieri potest, ut nequeas de eo accusari, quòd deos alienos coram vero & unico Deo habeas, & interea tamen me verum & unicum Deum observes & colas: perinde atque mulier reperiri potest, quæ nec legitimo suo marito fideliter adhæreat & obediat, nec adulterii cum alienis perpetrati convinci queat. Quare mens hujus præcepti non hoc tantum ab Israële requirit, ut abstineat à diis alienis, sed ut illud, unico ac vero Domino Deo suo adhærendo, faciat.

I I.

Alteram ſequuntur Toſtatus Epiſcopus Abulenſis, Caniſius in opere Catechiſtico, B. Brentius, & Oſiander in Commentariis, Polanus & Voſſius in Diſputationibus de hac Materia; cui ſententiæ nos quoque ſubſcribimus. Nam *primò* illa verba præmittuntur à Deo tantùm, ut exprimant Objectum cultus genuini: ut authoritas præceptis ſequentibus concilietur: ut Beneficiorum repræſentatione ad attentionem populus animetur. Unde rectè B. Brentius noſter: Principio ait: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terrâ Ægypti, de domo ſervitutis. Hæc eſt præfatio Decalogi, qua Deus commendat præcepta, quæ ſequuntur, ſua ipſius authoritate. Solennis enim conſuetudo magiſtratus eſt, ut mandaturus aliquid ſubditis ſuis publicè, commemoret in exordio Authoritatem & Majeſtatem ſuam, quò ſubditi mandatum reverenter excipiant. Sic Imperator Carolus in mandatis & edictis ſuis ita præfari ſolet: Nos Carolus, Dei gratia Rom. Imperator, ſemper Auguſtus &c. Hunc morem obſervat etiam Dominus Deus noſter in promulgando Decalogo, ut majeſtate nominis ſui commendet obſervationem Decalogi. Aſſumit autem Deus hoc epitheton: Qui te eduxi de terra Ægypti, quod optimo jure, veluti Victor quiſpiam ac Triumphator, ſibi vendicat: quia, ut Scriptura loquitur, liberavit Iſraelîtas ex Ægypto, brachio excelſo, & judiciis magnis. Atque hoc epitheto breviter complectitur non ſolùm omnia beneficia, quæ exhibuit Iſraelitis in liberatione ex Ægypto, verùmetiam omnia miracula, quibus hactenus Majeſtatem nominis ſui illuſtravit. Maluit autem hoc epitheton uſurpare, quàm dici Deus, qui eſt immenſæ & imperſcrutabilis Majeſtatis, ut avocet nos à ſcrutanda eſſentia ſua, & aſſuefaciat nos cognoſcere ipſum ex operibus ſuis. Sic apud Patriarchas, qui præceſſerunt Abrahamum, dictus eſt Deus, qui creavit cœlum & terram. Sic apud poſteros Patriarcharum dictus eſt Deus, qui apparuit Patribus. Poſtea autem, quum Iſraelitæ ex Ægypto liberati ſunt, dictus eſt Deus, qui eduxit Iſraël ex Ægypto. Sic poſtquam miſit Deus filium ſuum Chriſtum, & liberavit nos à morte per Chriſtum, dicitur Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui redemit nos ab omnibus malis. Avocemus igitur nos à curioſa inveſtigatione divinæ Majeſtatis, & meditemur opera ejus revela-

ta, &

ta, & ad cognoſcendum propoſita. Sic enim fiet, ut ad veram cognitionem Dei perveniamus. Deinde ſequuntur præcepta Decalogi. Horum ſunt decem. Unde Hebræi vocant ea עשרת הדברים, hoc eſt, decem verba. Et Græci δεκάλογον. *Secundò* modus proponendi hæc verba non redolet naturam præcepti, quaſi hiſce verbis aliquid imperaretur populo Judaico, ſed aſſertionem refert; affirmat enim Deus de ſe, quòd ſit Dominus Deus, populi Iſraelitici præſes ſupremus, qui eduxerit illos ex Ægypto. *Tertiò* nihil practici oſtendi poteſt in his verbis, quod aut mandatum aut prohibitum; ubi autem ceſſat morale quoddam, vel mandatum vel prohibitum, ibi ſanè etiam ipſa ratio præcepti & vinculi obligatorii ceſſabit.

III.

Nititur autem prima Sententia falſa Hypotheſi illa, de diviſione præceptorum, ut ex Joſepho & Philone videre eſt, quam *in Diſputationibus de Lege morali* excuſſimus, Burgenſis refutavit, nec non alii abſurdis preſſerunt, addito quoque hoc, quod cum priora præcepta pluribus verbis tradita ſint, & non videatur prætermiſſum ullum verbum eorum, quæ in monte recitata fuerunt, commodius fuiſſe, tria priora tabulam unam occupare, reliqua ſeptem alteram. Nec obſtat *Primò*, quod dici poſſet, quamvis in primis illis verbis non præcipiatur aliquid explicitè, implicitè tamen aliquid mandari, cum enim Deus aſſerat Majeſtatem ſuam, ſeq; DEUM verum & Dominum dicat, eo ipſo imperare cultum, quem ſervus debet Domino, Creatura DEO, cum nonniſi huic debeatur cultus & adoratio; *ſecundò*, quia tantundem Deus dixiſſe videatur, ac volo & jubeo, ut credatis, me eſſe Dominum Deum veſtrum; quia *denique*, Beneficium eductionis ex Ægypto adducatur & verbis hiſce jungatur, ut intelligerent Judæi, obſtrictos ſeſe eſſe ad præſtandum Deo omnia, quæ ab ipſo præcepta & injuncta. Nam *primum* non ſtringit, cum longe *aliud* ſit, fundamentum Cultus ponere, *aliud*, præceptum formale edere: *prius* fit repræſentatione Majeſtatis Divinæ thetica, *poſterius* figuratione verborum ad modum præceptionis vel prohibitionis, neque ab illo ſaltus conſequentiæ admittitur ad hoc. Et, ſi dicendo, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, dicere voluiſſet Deus, Ego ſum colendus & adorandus; etiam dici poſſet, eum voluiſſe indicare, non eſſe alienos Deos colendos coram ſe, cum ad Deum verum ſpectet, ne ullus a-

lius, nisi ipse colatur. *Alterum* non concludit; qui enim dicit, *Ego sum Dominus Deus tuus*, is, si primore conceptu inhæreamus verbis illius, non hoc vult, ut credamus: ipsum esse Dominum Deum nostrum, licet fides nostra consequens esse debeat ad illud verbum Numinis. *Tertium* denique non convincit, quia longe *aliud*, motivum inducens ad submissionem, *aliud*, præceptum submissionem exigens.

IV.

Quapropter meritò opponimus Judæis & Maimonidi Rabbi Chaldæi Effatum, qui ita pronuntiavit: Crassum erravit, qui statuit, *Ego Dominus Deus tuus* esse præceptum, quia præceptum est ex relatis, nec absque Deo præcipiente potest concipi, atque ideò cum statuitur fides Existentiæ Dei esse præceptum, jam constituatur fides Existentiæ Dei ante fidem Existentiæ Dei, atque sic procederetur in infinitum, ac erit aliquod Principium sui ipsius, quod omne est valde vanum atq; absurdum. Pontificiis Johannem Lorinum, qui, utut concedi posse existimet, pertinere hæc verba ad primũ præceptum, exsertè tamen statuit, præfationem esse quodammodo ad sequentia Decalogi præcepta. Calvinianis Amandum Polanum, qui scribit: Exordium Decalogi continetur his verbis, *Ego sum Jehova Deus tuus, qui eduxi te è terra Ægypti, è domo servorum.* Hoc Exordium est vice proœmii cujusdam in totum Decalogum, continens descriptionem Legislatoris, ut ne vagemur hinc inde mentibus nostris in quærendo Legislatore, & Deo, quem colamus, neve nobis temere fingamus novum aliquem Deum, derelicto Deo vero, sed ut certò sciamus, quis sit verus ille Deus: tum ut sciamus perfectæ justitiæ regulam à Deo nobis traditam, nec præcepta cultus Dei & morum alia quærenda, quàm quæ à Deo ipso emanârunt; tum ut æterna concilietur Decalogo autoritas, quæ nos ad perpetuum obsequium validè permoveat. Quatuor autem argumentis Legislator se describit, quæ totidem sunt obligationes ad obedientiam & observationem Decalogi: *Primum* est, quòd sit JEHOVA, id est, qui solus verè & propriè est, qui ab æterno in æternum est, à quo omnia quæ sunt, habent quòd sunt, à quo proinde & nos habemus, quòd sumus, qui facit, ut fit, quicquid dicit, promittit, comminatur, ac propterea jus & potestatem habet præcipiendi nobis, & leges præscribendi, & cui

& cui à nobis, ut Domino à servis, necessariò obedientia debetur. *Secundum* est, quòd sit Deus, id est, essentia ac natura suprema, quæ omnia condidit & providentiâ suâ gubernat: ac proinde tanquam supremus Gubernator & Judex mundi condere legem & prævaricatores punire possit; cui idcirco nos, velut subditi Judici, parêre tenemur. *Tertium* est, quòd sit Deus noster, id est, qui nobiscum fœdus iniit, qui nobis æternam beatitudinem promisit, & nos peculiariter delegit, ut populus ipsius essemus & mandata ejus observaremus. Sic ratione pacti ulteriùs Deo ad obtemperandum obligati sumus. *Quartum* est, quòd populum Israeliticum de terra Ægypti è terra servitutis eduxerit; cui proinde obtemperandum, ad gratitudinem pro beneficio redemptionis declarandam, & evitandum detestabile ingratitudinis flagitium. Ita ad alias obligationes, etiam hæc obligatio gratitudinis accedit. Adstipulatur Grotius, scribens: Quod hoc loco dicitur, non est Lex, sed Legis præfatio; Subsistimus itaque in B. Proavi paraphrasi & Epicrisi in hæc verba. Hæc est præfatio, quæ Authoritatem conciliat mandatis sequentibus, utpote profectis, non à Monarcha aliquo hujus mundi; sed à Domino, qui educendis Israelitis ex Ægypto (editis priùs magnis & stupendis miraculis) & liberando eosdem ex tristissimâ servitute, Omnipotentiam & Majestatem atque Bonitatem suam Israelitis declaraverat, pro quibus Beneficiis æquum erat, ut Israelitæ obedienti observatione mandatorum ipsius, gratos se exhiberent.

V.

His in antecessum discussis, ipsa verba expendimus. Occurrit autem *primò* vox אנכי *Ego*; qua notatur ille, ad quem antea Moyses ascenderat; qui Israelitas in peculium elegerat, atque mandaverat præparationem solennem ad excipiendam Legem; qui denique loqui instituebat & Voluntatem suam exponere populo præsenti; indicat vero hac ipsa voce præfixa Unitatem suam summam, qua indivisus in se, divisus vero à quolibet alio; Majestatem suam, qua solus omnibus eminet: Personarum Trinitatem, quâ Pater Filius & Spiritus S. designantur. *Primum* patet, quia non loquitur Numen quoddam ἀόριστον, sed Deus Israëlis, ille qui dicitur *εἷς νομοθέτης, Jacob 4. v. 12.* *Alterum*, quia loquitur modo eminenti & ad-

& admirando. Loquitur ille, qui dicitur אֲנִי אֲנִי הוּא *Ego sum*, sc. Deus solus, extra quem omne illud, quod videtur habere esse, non tam habet, quam caret, non habet esse ex se, sed à me, non necessario, sed contingenter existit. Undè Augustinus: suspexi cætera infra Te, & vidi, nec omnino non Esse, nec omnino Esse. Esse quidem, quoniam à te sunt, non esse autem, quoniam id, quod Tu, non sunt; id enim verè est, quod incommunicabiliter manet. *Tertium* denique liquet, quia non loquitur Numen aliquod, quale sibi gentiles ex proprio confinxerunt cerebro, sed ille Deus, qui se revelavit in Verbo, eduxit potenter Israelitas ex Ægypto, qui & Pater & Filius & Spiritus S. juxta illa verba, *Esaiæ 63. v. 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14.*

VI.

Explicatiùs hæc pandunt sequentia, quæ prædicati rationem habent. Legitur enim *secundo loco* vox יהוה quæ à Radice הָיָה descendit, Rabbinis nomen est Substantiæ; Nomen est explicatum sive separatum; Nomen denique est quatuor literarum, propriumque esse soli Deo, quotquot dextrè sentiunt, pronuntiant. *Primum* stabilit interpretatio Johannæa *Apoc. 1. v. 4.* cum Theologus ille, ad originem respiciens, ait, εἰρήνη ἀπὸ τοῦ, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐρχόμενος; ut frustrà fuerit Hieronymus ab Oleastro, qui ex radice הוה ærumna, natales venerandi Nominis ducere voluit; *Alterum* docet ipsa *Inspectio* illius, de quo audire juvat Johannem Melchiorem Maderum, qui *in Oratione de Ternario*, scribit: τετραγράμματον apud quatuor gentes, Hebræos *Jehovah*, Arabes *Allaho*, Americanos *Zimi*, Bohemos *Buoh*; apud reliquas plerasque itidem τετραγράμματον, sed non essentiale. Syriacè *Aloho*, Chaldaicè *Aloha*, Æthiopicè *Emlach*, Assyriacè *Adad*, Abyssinicè *Ogzio*, Persicè *Coda*, (convenit cum nostro GOTT/ ut alia multa Persicè,) Turcicè *Alla*, Africanicè *Alba*, Punicè *Ille*, Armenicè *Asuz*, Æpyptiacè *Tout*, Saracenicè *Abgd*, Japanicè *Cogi*, Græcè Θεὸς, Doricè Σεὸς, Æolicè Σιὸς, Tyrrhenicè Ε'σαὶρ, Latinè *DEUS*, Antiquè *Dius*, Hispanicè *Dios*, Gallicè *Dieu*, Germanicè GOTT/ Belgicè *Godt*, Angiicè *Good*, Dalmaticè *Bogh*, Valachicè *Zeul*, Zingennis *Odel*, Magis *Orse*, Rothwelsch *Adon*, Cambricè *Duvv*, & quæ sunt aliæ gentes ejusmodi. Hebræorum tamen præ reliquis, ratione Unitatis & Trinitatis, confide-

ſiderandum arbitror. Quanquam non omnia hic ſint probæ Monetæ, nec rectè tinniant, nec dextrè diſtinguantur, quæ avarâ Manu, ex diverſis linguis fuerunt corraſa. *Ultimum denique* oſtendit Grammatica & Scriptura, *illa* quidem, dum requiſita Nominis propria ponit, quæ huic commode poſſunt aptari; incipit enim non ab He demonſtrativo, quod alias communia figit & determinat, neque à fine recipit pronomina affixa, nec aptum eſt ſtatui regiminis, aut Numero plurali, ut ludibrium debuerit doctis Matthæus Döring, qui contra Burgenſem, Tetragammaton non deſtitui plurali, aſſeruit, quem non ſine indignatione caſtigat Sixtinus Amama *Diſſertatione de nomine Jehova, Th. 17. pag. mihi 300. hæc* vero, dum Deum loquentem introducit: *Hoc eſt nomen meum in ſeculum, & hoc memoriale meum in omnem ætatem. Exod. 3. v. 5.* dum appropriat ſoli Deo *Pſalmo 83. v. 19.* dum Deum loquentem ſiſtit & dicentem: *Ego ſum Jehovah, illud eſt Nomen meum, Eſaiæ 42. v. 8.*

VII.

Significatio hujus Nominis ex dictis colligi poteſt; Notat enim Ens independenter exiſtens. Quanquam enim pelagus ſit perfectionum divinarum, *primò* tamen independentẽ Exiſtentiam arbitramur eô notari. Demõſtrat id *1. Origo vocis* de qua ſupra; eſt enĩ illa vox ab הָוָה *fuit*, pro qua Ebræi nunc adhibent verbum הָיָה, ut Latini pro antiquo *Fuo* nunc utuntur verbo *Sum*, quo ipſo notatur *Eſſentia ὑσία αὐτοφυής*, Eſſentia Independenter Eſſe ſuum habens, hinc Altingius: Origo, quæ ex literis ſemper petenda, certa eſt, videlicet הָוָה *fuit*, ut denominationem ab eſſendo vel exiſtendo ſortiatur. Quæ tamen ſignificatio concinnè & cum emphaſi quadam variatur, juxta varietatem punctorum, quæ literis illis legitimè adſcribi queunt. Non minus enim ex Hiphil formatio derivari poteſt, quam ex Kal, & priori modo tranſitivam vim habebit, poſteriori intranſitivam. Ex Hiphil quidem dicetur יַהְוֶה vel יַהְוֶה *eſſe faciet*, (quomodo nonnullos olim legiſſe, quæ apud Græcorum aliquos occurrunt Ἰαῶ & Ἰαβὲ, teſtatum reddunt:) deſignabiturque hoc pacto, quod ſit Eſſentiator, ut ſic loquar, ſive Eſſentiæ largitor & productor, quia ab ipſo cum alia omnia eſſe ſuum habent, Act. 17. v. 24. 25. 28. cum ſigillatim promiſſiones ipſius conſequuntur eſſentiam & com-

plementum : quo ſuum iſtud nomen referendum docuit Deus ipſe Exod. 6. ỳ. 2. Ex Kal autem mutatâ punctatione, & præteritum & præſens & futurum exhibebitur, הָיָה *fuit*, הֹוֶה *exiſtens*, & יִהְיֶה *erit :* quocirca omnes temporum differentias complecti non immeritò aſſeritur : quemadmodum & huic, & alteri אֶהְיֶה eas vendicat R. Bechai *in Legem fol. 65. col. 4.* & ſic exprimitur in quâdam Judæorum precatiunculâ : מעחר באהיה אשר אהיה הוא היה והוא הווה והוא יהי׳ה : *qui propriiſſimè ſignificatur pro Ero qui ero, ipſe fuit, & ipſe eſt, & ipſe erit.* Atque hoc pacto explicatum quoque eſt à Johanne *Apoc. 16. v. 4.* ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐσόμενος qui eſt, & qui erat, & qui futurus eſt, vel ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, *Apoc. 1. v. 4. 8. cap. 11. verſ. 17.* 2. Scripturæ V. & N. T. Harmonia; Notanter enim ipſe Deus *Eſaiæ 43. v. 10, & 11.* ut ſciatis & intelligatis quia אֲנִי הוּא *Ego ipſe ſum, ante me non eſt formatus Deus, & poſt me* לֹא יִהְיֶה *Non erit, Ego Ego ſum* יְהוָה nec non *Apocalypſeos cap. 1. v. 4.* ibi gratiam precatur Johannes ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν fruſtra Eraſmo ſoloeciſmum arguente, nec obſervante Alluſionem ad Locum *Exod. 3.* Judæorum & Patrum conſenſus; *illis* enim dicitur hoc Nomen, *Nomen Subſtantiæ*, quia denotat Ens à ſe exiſtens ab æterno & in æternum, *hiſce* vero *Ens*, Ipſe ſui Origo ſuæque Cauſa Subſtantiæ.

VIII.

Audiamus Amſtelodamenſem Compilatorem, Menaſſeh Ben-Iſrael, qui teſtimonia ſuorum adducit & ſcribit : R. Jehuda Levita in Cuzari, de divinis attributis tractans, hunc in modum ſcribit : cætera nomina quidem ſunt attributa Deo, pro variis actionibus, quibus vim ſuam in homines exſerit. Sed nomen המפורש *a-meforas*, id eſt: explicatum, nimirum ineffabile Tetragrammaton, proprium eſt Dei nomen, & naturam ejus explicat : Idem ſentiens R. Moſes in Directore ſuo ait, quando Dominus Moſem juſſit populo denuntiare ſe ab אהיה *Ehjè* miſſum eſſe, non voluit eum ſolum nomen indicare Iſraelitis. Etenim ſi jam illud ante audierant, nihil novi dicturus erat; ſin ignorabant, certum erat, non ſatisfacturum iis Moſem, dicendo, tale nomen me miſit. Quin penitus ſibi perſuaſuri erant, eum ſubdolo apud ſe commento uti. Itaque ne nu-

ne nudum iis nomen diceret, latius naturam ac significationem ejus illis exponit. Quoniam autem illis temporibus universi gentiles erant, & idolorum cultui addicti, qui nescirent, esse aliquid incorporeum, eoque cogitationibus suis cœlum non transcenderent? Deus, cupiens populo suo hunc errorem eximere, dixit Mosi: abi & dic illis: Ero qui ero misit me ad vos, quæ vox Ehie (Ero) existentiam denotat, & ab היה *fuit* deducitur: perinde ac si dixisset: monstra illis, contra qui sentiunt, & validis argumentis proba, me esse, qui sum; hoc est, meam essentiam à se ipsa subsistere, nec ab alio dependere, ut cætera omnia, quæ existunt, quia à me provenerunt; & ita sunt, ut potuerunt, & adhuc possint non esse. Adeo ut vox אהיה *Ero* denotet ipsam divinam existentiam; quâ non solum Deus ei nomen revelavit, verum & certissimas rationes, ex quibus colligeretur, eum esse fontem omnium eorum, quæ existunt: id enim hoc vocabulum denotat, uti & Tetragrammaton: quod eam ob caussam, testante eodem R. Moseh *in Sipbre & Guemarâ Sota*, appellatur שם המפורש *nomen explicatum*, nimirum quoniam eo exprimitur divina essentia. Etiam appellatur שם המיוחד *Sem hameiuchad* (nomen proprium) quia, diversum à cæteris nominibus, soli divinitati proprium est, nec quidquam nisi necessitatem existentiæ divinæ significat. Quod & R. Joseph Albus affirmat *in Icarim*, apud quem aliam quoque etymologiam vocis המפורש *hameforas* legere est. Nam deducit eam à פרוש *Parus*, id est, separatus, segregatus, unde colligit, solum hoc nomen verè primæ caussæ competere. Unde probat R. Jehuda Levita, si quis quærat, quis Deus colendus sit; Sol, Luna, cœli, stellæ, planetæ, signa, ignis, aër, an genii, aut similia, quia cuique horum suum imperium & sua vis sit in generatione & corruptione rerum? respondendum esse: Domino Tetragrammato; perinde atque Rubenem, ac Simhonem, & mortalium alios propriis nominibus à cæteris distinguimus. Quamvis autem non videatur, ex nomine cognosci posse is, cujus natura occultata & incomprehensibilis est, ut rectè observat R. Moses, dictitans faciem Domini, id est, substantiam ejus, videri aut cognosci non posse; nihilominus ei vocabulum imponitur, nequaquam ex cognitione aut scientiâ naturæ ejus, quod fieri nequit, sed quod nobis revelatum est. Etenim Dominus cum Adamo collo-

cutus, præcepta ſua, & poſtea ſanctum nomen ſuum ei; ille Caino & Habelo, tradidit: à quibus ad poſteros ipſumque tandem Noachum, à Noacho ad Abrahamum, Ishacum, Jacobum, denique & Moſem, ac poſteritatem reliquam pervenit. Adeoque & hi revelatione, illi traditione acceperunt, potueruntque tribuere Primæ Cauſſæ nomen, quod eam denotaret. Etiam R. Joſeph Chequitilla in Guinat Egoz, eandem fovens opinionem, pluribus locis demonſtrat, hoc vocabulum non niſi ipſam eſſentiam divinitatis denotare, cum cætera nomina pro variis effectibus Deo tribuantur. Ideoque primo cap. Geneſeos אלהים *Eloim*, non ineffabile illud nomen uſurpari, quia reliqua nomina novata ſint cum operibus Bereſit, excepto hoc uno, quod æternitatem & exiſtentiam Dei ſignificans, ante creatum mundum fuerit. Quò reſpexiſſe veteres noſtros ſapientes putat, cum dixerunt, ante creatum mundum Deum & nomen ejus tantum exſtitiſſe. Nimirum hoc nomen, eos non dicere, quia ſolum vocabulum Tetragrammaton in creatione univerſi non acceperit, (idque etiam obſervavit R. Moſeh) quippe quod nequaquam ab effectibus impoſitum ſit, ut ſupra monuimus. Hinc etiam Lex ait; ſacrificans Eloim exſcindetur; tantum Adonai illi ſoli: nam nomen Eloim etiam aliis tribuitur, ſacrificium autem non niſi illi nomini offerri debet, quod Primam Cauſſam, nec præterea quidquam ſignificat: quomodo etiam interpretatus eſt Ishac Abravanel, qui in Miſalot Eloim ait: in opere ſuo Laacat a-nebihim ſe id probaſſe variis argumentis, atque autoritatibus; quin eadem quoque in opinione fuerunt R. Ishac Arama, & Philo Judæus. Etiam Hobat a-Lebabot, & R. Abraham Salon ſtatuunt: Ehie, & Tetragrammaton Divinæ eſſentiæ vocabula eſſe: quod eſſe clariſſime demonſtrat doctus Aben Ezra *ad III. cap. Exodi, & VII. Eccleſ.* dicens eſſe שם העצם nomen ſubſtantiæ. Et quia tale juxta regulam Grammaticæ (ut recte obſervat in libro ſuo Mozne Laſſon a-codes) non admittit הא הידיעה *He demonſtrativum*; etenim non dicamus הישראל *Iſrael*, nec האברהם *Abraham;* ideo & hoc vocabulum non recipit He demonſtrativum: quod tamen in cæteris nominibus ſæpe uſurpatur, ut cum dicimus האלהים *Deus &c.*

IX.

Ex Christianis verò Justinum Martyrem in Paræneſi ad Gentes, qui ita: Deus ſe nominavit participio quodam, quod ſe unum ſolumque Deum ſignificaret, dicens, Ego ſum ens ille, videlicet ad differentiam eorum, qui vocantur, nec ſunt Dii, ut ſcirent, qui per idololatriam ſeducti fuerant, ſe non veris Deis fuiſſe deditos, ſed iis, qui non ſunt. Gregorius Nazianzenus illud אהיה אשר אהיה ita explicat oration. de Nativ. Dom. Deus & erat ſemper, & eſt, & erit, vel ut rectius loquar, ſemper eſt. Nam erat & erit, noſtri temporis, fluxæque naturæ ſegmenta ſunt. Ille autem ſemper eſt, atque hoc modo ſeipſum nominat, cum in monte miraculum Moſi edidit. Univerſum enim id, quod eſt, in ſe complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum, quaſi pelagus quoddam eſſentiæ immenſum, & interminum, omnem tùm temporis tùm naturæ cogitationem ſuperans. Aug. *in Pſal. 9. v. 11.* Dominus dixit ad Moſen, Ego ſum, qui ſum; ſperent igitur in te, qui cognoſcunt hoc nomen tuum, ne ſperent in rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes, niſi erit, & fuit. Quoniam quod in illis futurum eſt, cum venerit, fit ſtatim præteritum, & expectatur cum cupiditate, amittitur autem cum dolore. In Dei autem natura non erit aliquid, quod nondum ſit, nec fuit aliquid, quaſi jam non ſit, ſed eſt tantùm id, quod eſt, & ipſa eſt æternitas. Hieronymus de illo, Ego ſum, qui ſum, *in cap. 3. ad Epheſ.* ita differit: Quomodo nomen commune ſubſtantiæ ſibi proprium vindicat Deus? Ob eam profectò cauſam, quod cætera, quod ſint, Dei ſumſere beneficio, Deus verò, qui ſemper eſt, nec habet aliunde principium, & ipſe ſui origo eſt, ſuæque cauſa ſubſtantiæ, non poteſt intelligi aliunde habere, quod ſubſiſtit.

X.

Convenit hæc expoſitio non tantum cum veritate, ſed & Pontificiorum Doctorum nobiliorum Sententia, qui obſervant primum conceptum quidditativum ſcil. Dei in ratione Eſſentiæ, eſſe Ens à ſe, *tum* quia in illo conſtituenda ſit Eſſentia Dei, noſtro concipiendi modo, ex quo jam aliunde cognito & affirmato deducuntur cæteræ perfectiones. Eſſe autem Ens *Eſſe* à ſe ſive independenter exiſtere, eſt tale prædicatum, ex quo ſuppoſita Exiſtentia omnes cæteræ per-

fectiones deriventur E. *tum* quia hoc prædicatum radix cæterorum in Deo, adeoq; constitutivum, ut sic loquamur, Essentiæ Divinæ, quod immediatè & formaliter illi prædicato, quod in creaturis est radix omnium imperfectionum, opponitur: *Radix* autem *omnium imperfectionum in Creaturis* est, quod sit Ens dependens, cum hæc dependentia formaliter dicat, quod creatura ex se nihil sit, unde omnes defectus, *tum* quia prædicatum Intellectionis actualis vel actus primi, quem Vasquez, Molina, Mæratius, Granado, Arriaga, Comptonus pro quidditativo vindicant conceptu, suas patitur difficultates, à modernis rejicitur, nec non Sententia Cardinalis Sfortiæ Pallavicini, qui conceptum metaphysicum & quidditativum Essentiæ Divinæ exprimit Ens, quod continet æquivalenter Omne Ens, singularis est, vero dissona, & à sociis refutata. Unde Martinus Esparza ab Artieda *quæst. 5. Art. 9. pag. 20.* existimat, non posse admitti ex eo hanc sententiam, quia hic conceptus sit comparativus Dei cum omni alio ente, ideòque sit posterior; quàm quilibet alius conceptus comparativus, cum quolibet ente, aut cum quolibet particulari entium genere, seu determinatè, seu vagè considerato. Quandoquidem quodvis totum, & quævis collectio est posterior quibuslibet ejus partibus. Unde istiusmodi conceptus distat plus à conceptu essentiali Dei, quàm quilibet alius proprius, & distinctivus ipsius Dei.

XI.

Sunt tamen quidam, qui non tam Independentiam putant expressam primò per Nomen illud JEHOVAH, quam Gratiam & Veritatem, nec tam *αὐταυτὸν*, ut Scaliger Deum vocat, immediatè & formaliter esse designatum illo, quam constantem in promissis & opere ipso adimplentem verborum vel promissorum vim. Placuit illa sententia Johanni Coccejo, qui jucunda quidem promit, nec simpliciter rejicienda, non tamen satis solida, dum ita scribit in Lexico: Quod ad vim ejus attinet, plerique existimant Nominis hujus rationem esse æternitatem. Nec caret ea cogitatio fundamento. Attamen, quia *Exod. 6. v. 3.* ipse Deus dicit, se non cognitum esse patribus nomine suo יהוה (quum tamen vocabulum hoc & *ἀΐδιϰ δυύαμις αὐτῦ* ipsis incognita non fuerint) iccircò putamus, aliam insuper rationem nominis hujus esse, quæ æternum illud ens faciat

faciat amabile, etiam peccatori, & reverendum maximè. Ea est gratia & veritas, quibus maximè triumphat. Ideò dicit *Exod. 34. v. 6. 7.* Jehovah, Jehovah, Deus (potens) misericors & gratiosus, longanimis & amplus gratia ac veritate: custodiens gratiam millibus, condonans pravitatem & defectionem & peccatum: & non impunè sinens abire, &c. Id dicit Mosi, volens ei declarare nomen suum, ut est *c. 33. v. 19. Esa. 45. v. 20.* Nonne ego sum Jehovah, & non est præter me Elohim, Deus? El, Deus justus & salvans. Esa. 43. v. 11. solo *salvans* contentus est.

XII.

At quamvis insigni Viro in Philologia sacra, nolimus detrahere, utrum tamen hic incesserit pede recto, meritò dubitamus, sæpius enim intricare se solet, & confundere distincta, quod & hic animadvertimus. Nam *primò* dicit, plerosque existimare nominis hujus rationem esse æternitatem, at si hoc formaliter accipiat, videtur falli, *aliud* ostendunt Testimonia Rabbinorum suprà allegata, *aliud* explicatio Patrum ibidem observata, *aliud* denique nostrorum Theologorum concentus, qui Divinam Essentiam independentem hoc nomine exprimi censent, cum qua identificatur æternitas; verum *aliud* est ipse conceptus primus, formaliter conformis huic Nomini, *aliud* negotiatio mentis consequens. *Primus conceptus*, qui fertur in hoc nomen, haurit ex illo independentem essendi rationem, quam barbarè *Aseitatem* dicunt, cum verò impossibile sit Ens aliquod à se Esse, ut non sit necessarium in ratione existendi & æternum, ut careat essendi initio & fine, ideoque concepto Ente Independente, etiam Ens æternum concipitur, ita ut *primus* conceptus se habeat formaliter, *alter* connotativè: sed respexit forsan ad gregales suos Philologus, cum Sixtinus Amama scripserit, optime dici nomen illud denotare Dei æternitatem & veracitatem: illum enim verè esse, qui æternus est, qui est primus & ultimus, *Apoc. 1. v. 9.* pro quo *Apoc. 16. v. 5.* ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐσόμενος, quomodo istum locum restituit Beza. Quam æternitatem simili periphrasi Gentiles suo quoque Jovi adscripserunt; Illi enim, teste Pausania, hoc versu accinuisse Vatem

Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἐστι, Ζεὺς ἔσσεται, ὦ μεγάλε Ζεύς.

XIII.

Secundò dicit, aliam insuper rationem hujus Nominis esse,

quæ

quæ æternum illud Ens faciat amabile peccatori & reverendum maximè. Eam autem esse Gratiam & Veritatem, quibus maximè triumphat: Verum an plures sint rationes hujus Nominis & quidem formales vix videtur ἐξαγώνιον esse. Sanè unitas signi unam formam innuit, *aut* igitur de ratione hujus nominis formali, *aut* virtuali est sermo, *si primum* hujus Nominis unam tantum rationem formalem esse asserimus, *si secundum*, largiter conceditur, hoc Nomen ob perfectionem suam & signati rationem ita esse comparatum, ut ad omnia attributa & perfectiones divinas possit extendi: quod enim notat Ens à se sive independens, illud quoque notat Ens æternum, Infinitæ Gratiæ & Veritatis. *Præterea* necessariam esse præter significationem formalem, aliam, quæ faciat Ens illud amabile, non evincitur, imo ipsa Eminentia Aseitatis sive Independentiæ, ex qua cætera omnia in Deo derivantur, sufficiens fundamentum amabilitatis exhibet; & si dicamus, non tantum hoc indicari voce JEHOVAH, sed & *relatè*, quod sit Essentiator, sive tale Principium, quod omnibus rebus Esse largiatur: annon amabilitas eo ipso stabilita erit? non potest enim non amabile esse illud Ens illi, quod ab eo ipsum Esse & quæ illud consequuntur, adeoque omnia habet & possidet. *Tandem* qui probabitur, rationem talem esse quærendam in Nomine JEHOVAH, quæ illud faciat etiam amabile peccatori, & venerandum maximè, qui se per peccatum ab illo divisit, cum *libertatis* Divinæ sit, misereri peccatoris; *Necessitatis* verò à seipso & independenter existere, ut Deus sit maneatque JEHOVAH, perennet tanquam Ens quoddam maximè reverendum, posito quod peccatorem non admittat nec gratiam velit dispensare illi, qui suo vitio ab incommunicabili BONO recessit imò hoc nomen illi competat ante ullius peccatoris existentiam & relationem ad illum, etiam fuerit Deus Jehova, primis hominibus integris.

XIV.

Tertiò fundamenta quidem substernere laborat suæ sententiæ, sed quæ non sustinent, quod Manus Doctoris ejusdem superstruit; Nam *primò* dicit quidem, Deum non cognitum fuisse Patribus Israelitarum, in Ægypto gementium nomine suo JEHOVAH. Sed quo sensu hæc verba accipienda sint, adhuc inter Eruditos controvertitur: ut plures prætereamus sensus, sive planè confusos sive quocun-

que

que modo aptatos; *ſunt* qui de ipſo nomine hoc accipiunt, ut ſenſus ſit, Patriarchis quidem obvia fuiſſe Nomina El Schaddai, Adonai, Elohim & ſimilia, verum hoc nomen τετραγράμματον hactenus fuiſſe occultum. *Sunt* qui de publico uſu hujus nominis & gradu manifeſtationis hæc verba exponunt, quaſi hoc innuat Moſes, non ita frequentatum fuiſſe hoc Nomen, ut cætera in anterioribus temporibus, vel nondum claram & perſpicuam habuiſſe Patres Numinis notitiam, quam quæ nunc revelatur hoc ipſo nomine. *Sunt* denique, qui de ipſo Effectu & experimentali notitia interpretantur hæc verba, ut mens ſit, promiſi quidem patribus ſplendida, & in omnibus dixi ad eos: Ego ſum Deus omnipotens, atque ita docui me poſſe ipſis præſtare promiſſionem Terræ Chanaan, at in Nomine יהוה non innotui illis, nondum præſtiti ipſis quod promiſi, nunc demum cognoſcetis vim hujus Nominis, videlicet, cognoſcetis me non ſolum ὄντα, ſed & ποιοῦντα quod promiſi, quod mihi factu poſſibile eſſe Abrahamo declaravi, jam tandem faciam ut exiſtat, jam præſtabo. At ſi *prima* ſtet Sententia, quæ eſt Cornelii à Lapide & Wolffgangi Franzii, nihil accedit Coccejo, quia ipſe addit hoc vocabulum & τὴν ἀΐδιον δύναμιν αὐτοῦ pluribus non fuiſſe incognitam. Si *altera* præferatur, itidem nihil lucrabitur Vir eruditus, quia à rariore & frequentiore uſu vocis graduque Manifeſtationis ad aliam rationem ſignificandi nulla fluit conſequentia. Si denique *tertia* allubeſcat, videtur quidem favere, ſed revera non favet; conceſſo enim, quòd Deus patribus potentiam ſuam manifeſtarit Nomine El Schaddai, veritatem autem promiſſionis nomine JEHOVAH, plus non ſequitur, quam Veritatem & Conſtantiam in promiſſis hoc nomine fuiſſe indicatam, quô verò modò, qua conceptuum ſerie, quo perfectionum Ordine, nondum eſt in liquido, cum verba hæc, ſtante etiam hoc ſenſu, quem tamen univerſaliter noſtri non probant, poſſint ita accipi: Apparui quidem Abrahamo, Iſaaco & Jacobo nomine El Schaddai, id eſt, Dei Omnipotentis, at in Nomine JEHOVAH non innotui illis, nondum præſtiti quod promiſi, cum hoc Nomen JEHOVAH, ab Eſſe derivatum, ſit Baſis quoque & fundamentum omnis exiſtentiæ in Creaturis, veritatis in promiſſionibus; at longè *aliud* eſt Ens à ſe ipſo hoc ipſo fundare etiam alia extra ſe exiſtentia, & veritatem oſtendere Numinis, *a-*

liud Nomen ipſum ita formaliter exprimi per veritatem & gratiam contradiſtinctè ad potentiam.

XV.

Non autem opus eſſe exiſtimamus, ut tantum largiamur diſſentienti, cum expeditior nobis ſit via, quam ſi inſiſtamus, ſcrupulus omnis ceſſabit, & oppoſitum potius erit concludendum, ſi ſc. particulam לא non negativè accipiamus, ſed affirmativè pro Nonne, ut ſenſus ſit: Ego in Infallibilitatis Indicium Patriarchis allegavi Nomina mea El Schaddai, cum promitterem Terram Chanaan, imò, ut nil deeſſet ad tantarum rerum plenam fidem, apparui in nomine Dei fortis & ſibi ſufficientis, & in nomine meo JEHOVAH nonne ſum cognitus illis? Sane militare videntur omnia in textu pro hoc ſenſu; nam *primò* cum antecedentia & conſequentia verba affirmativè ſint concepta, qui hæc intermedia commodè exponi poterunt negativè? *Secundò* Deus totus eſt in deprædicandis beneficiis, quæ Patribus præſtitit, & conſolidandis Iſraelitis, illorumq; poſteris, repræſentatione illorum cum Favore continuandi, qui autem commodè hæc verba intelligerentur inſerta, ſi negativè eſſent exponenda, cum dicant ſuſpenſionem revelationis & defectum quendam inter Patriarchas anteriores illis? *tertiò* diſtinguit ipſe Deus fœdus gratioſum ab hoc nomine, Eductionis futuræ Beneficium *verſiculo quarto, quinto & ſexto*, quomodo itaque dici poterit, hoc nomine voluiſſe illa maximè ſignare & non immutabilitatem in promiſſionibus generaliter eodem connotare & præmittere? quod ſi Deus reſpiceret ad verba illa *Gen. 15. v. 7.* cum dicit Abrahamo, *Ego JEHOVAH, qui Te ex Chaldæa eduxi, ut ſemini tuo hancce Terram poſſidendam darem*, annon affirmativus ſenſus præmittendus foret negativo? Nec obſtat vox לא, percurrantur enim Concordantiæ, & patebit ex illis, ſæpius eam uſurpari etiam affirmativè, ſufficiat in præſentiarum ex hoc ipſo libro *Exod. 8. verſiculus vigeſimus ſextus*, ubi וְלֹא יִסְקְלֻנוּ *non lapidabunt nos*, quæ non poſſunt aliter accipi quam affirmativè, & explicari niſi hoc modo: *Nonne lapidabunt nos*, quo etiam reſpexerunt LXX. Interpretes, licet citra interrogationem.

XVI.

Secundum fundamentum ex *Exod. 34. v. 6. & 7.* petitum pingit

git quidem nobis Deum JEHOVAH Deum potentem & misericordem; verum de hoc non disputatur. Nam *primò* quæritur, quid Nomen JEHOVAH designet, non quid res hoc Nomine signata comprehendat. Quis enim neget Deum essentiale Ens, quod infinito perfectionum ornamento undique resplendet? *Secundò* potius oppositum videtur posse colligi, cum JEHOVAH præponatur, Radix sc. Essentiæ Independentis, atque submittantur attributa, & ab illa distinguantur. *Tertiò* si sequentia se habent exegeticè ad nomen JEHOVAH, etiam vox El, quam ille exponit potens, sese ita habebit; qui itaque supra potuit distinguere Nomen El Schaddai à Nomine JEHOVAH, quod illud notet potentiam, hoc verò Gratiam & Veritatem intimet, quibus Deus maximè triumphat; Neque obstat, quod addit, id dicere Mosi, Deum declarare volentem Nomen suum *Exod. 33. v. 19.* cum enim Deus dicit: *Ego ostendam omne bonum Tibi & vocabo in Nomine Domini coram te*; *aliud* enim est nomen quod Deus inclamaturus, *aliud* omne Bonum, quod attributorum recensione aliqua ex parte est adumbratum, quod notavit non malè Religionis Socius Andreas Rivetus scribens: Quod autem dicit, se inclamaturum nomen Domini coram Mose, rectè etiam explicant Septuaginta, ut sit sensus; cùm transiero, clamabo Dominus, id est, Jehova, est coram te, subaudiendo, qui transit: Hoc volunt eorum verba: καὶ καλέσω ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, κύριος ἐναντίον σου; Et vocabo in nomine meo, Dominus coram te. Hoc igitur statuendum, quæcumque habentur v.6. & 7. esse verba ipsius Jehovæ, de quo id dicitur, quod invocavit, vel clamavit, in nomine Jehova; quemadmodum promiserat, præcedenti capite; Et clamabo in nomine Jehova coram te. Quomodo autem id factum fuerit, vers. 6. indicatur, Et transivit Jehovah super facies ejus, id est, coram Mose; Et clamavit, nempe idem qui transivit, Jehova Jehova; ubi repetitur nomen tetragrammaton, quod hic Interpres Latinus vertit, Dominatorem Dominum, cùm debuisset pro more suo vertere, Dominus Dominus; ut LXX. κύριος κύριος ὁ θεός. Clamavit (ait Oleastrius) quasi indicans transitum suum Mosi, & bis clamavit, ut attentum eum redderet; ut sensus sit, Jehova Jehova, scilicet, ego sum; vel transit.

XVII.

Tertium denique fundamentum Divinitatis filii non ſtabilit Nominis ſignificationem prætenſam; largimur enim *primò*, in Chriſto fuiſſe Nomen JEHOVAH, quia ſcil. ejusdem Eſſentiæ & Majeſtatis Independentis cum Patre, neque enim refugimus dicere Chriſtum *αὐτόθεον*, contra Bellarminum & Arimninum, ſi *Αὐτοθεότης* opponitur dependentiæ, & Nomen JEHOVAH eſſe in Angelo illo ſive Salvatore noſtro, non præcisè de attributione Nominis ſecundum formale ſignificatum, ſed de Inexiſtentia omnium perfectionum divinarum, quæ hoc Nomen de ſe fundit, eſt accipiendum. Concedimus *ſecundò*, Chriſtum fuiſſe plenum gratiæ & veritatis, non tantum quatenus in ipſius carne habitabat Divinitas, tanquam in proprio Templo, ſed & quatenus fons & origo omnis Gratiæ & Veritatis atque Perfectionis Evangelicæ; ſed *aliud* eſt dicere, quid in Chriſto fuerit, quid ſignatum Nomine JEHOVAH ipſi tributo complexum fuerit, *aliud* quid ipſum Nomen formaliter primò menti noſtræ ſiſtat, quæ diverſæ quæſtiones non confundendæ nec miſcenda conchylia turdis. *Denique* liberaliter admittimus, gloriam unigeniti à Patre eſſe illam, quam Deus Moſi oſtendit, *Exod.* 33 *v.* 18. 19. Sed hæc eſt gloria Divinitatis, quam Nomen JEHOVAH ſubminiſtrat, figendo talem conceptum, qui infinitæ Gloriæ radix & origo.

XVIII.

Cætera, quæ Coccejus adjicit, ſatis ſana ſunt, ſi ut conſequenter deducta dextrè exponantur & accipiantur; quanquam ſint qui præferant interpretationem illam, qua notat Ens Independenter exiſtens technicè Eriturus, de quo nolumus ſerram contentionis cum quoquam reciprocare: inſtitimus autem tenaciter huic tramiti vel ideo maximè, quia Crellius Photinianorum facilè Princeps in devia ducere nititur, & de origine & ſignificatione ἀναλόγως ſuperius excuſſis diſſerit, cujus verba haud pigrabor adſcribere, ut cuivis de ſenſu illius conſtare poſſit. Ita autem ille: Origo & ſignificatio vocis hujus genuina rectè à viris quibusdam doctiſſimis eruitur ex tertio Exodi capite: cauſſa verò, ob quam id nomen ſibi Deus impoſuerit, ex ejusdem libri capite ſexto. In priori enim loco Deus quærenti Moſi, quid reſpondere debeat Iſraelitis interrogantibus

tibus, quodnam sit nomen Dei illius, à quo se missum assereret, ita, si ex Hebræo locum vertas, respondet: Ero qui Ero: quibus subjicit: Sic dices filiis Israël, Ero misit me ad vos; & iterum: Sic dices filiis Israël: Jehova Deus Patrum vestrorum, Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Jacobi, misit me ad vos: hoc est nomen meum in seculum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem. Ubi vides, cùm primùm sese appellasset Deus, Ero qui ero, deinde concisiùs Ero; eundem postea verba, quibus Moses ad populares suos uti debeat, formantem, & sic in tertia persona de se loquentem, pro Ero ponere vocem Jehova. Satis autem liquet, Deum in sequentibus verbis non aliud prorsus nomen pro eo, quod priùs sibi indiderat, reponere, sed idem, pro personæ loquentis ratione, diversimodè formatum repetere. Cùm ergò in prima persona de se loquens, sese vocarit Ero qui ero, vel una voce Ero: certè nunc in tertia persona de se ipso per Mimesin loquens, & simplici voce utens, Erit seipsum appellasse censendus est. Id autem Hebræis est Jehoveh, vel Jihveh, in qua voce sunt quatuor illæ literæ, ex quibus id, de quo agimus, nomen apud Hebræos constat: Puncta vocalia, quæ mutata esse suprà diximus, alia sunt; sed ea, ut notum est, in literarum censum apud illos non veniunt. Hoc ut fiat planius, nonnihil adhuc addendum est, sed ita, ut quantum ejus fieri potest, etiam iis consulamus, qui Hebrææ linguæ prorsus sunt ignari. Cùm Deus seipsum appellavit Ero, Hebraicè dixit Ehieh. Hujus tertia persona singularis, masculini generis, si & literas & puncta vocalia nostro more efferas, est Jihieh, id est, Erit. Verùm quia hæc vox Hebraica in familiari usu magis versatur, ideò, ne Dei ipsius nomen promiscuo usu quodammodo profanaretur, sed à verbo illo vulgari faciliùs discerneretur; cognatum Jeheveh vel Jihveh ejus loco fuit substitutum, quod & minùs esset frequens, & ejusdem tamen cum illo significationis, ac unâ tantùm ab illo literâ distaret. Nam loco penultimæ literæ Jod est v. quæ quidem literæ apud Hebræos nec figurâ multùm distant, & inter se facilè commutantur. Tantum autem videtur effecisse nominis divini reverentia, ut Jeheveh in vulgari etiam ac genuina significatione frequentari desierit. Neque enim hucusque ullum videre locum in sacris literis memini, ubi ea vox, literæve illius omnes extent, nisi ubi Deum, aut qui ejus



personam sustinet, designat. Observatur à viris doctis locus apud Ecclesiasten, (*Eccles. 11. v. 3.*) ubi reperiatur tertia futuri persona singularis masculina verbi Havah, quæ debebat esse Jeheveh vel Jiheveh; sed iidem notant, formam ejus prorsus ibi esse anomalam, non modò punctis vocalibus, sed & literâ ultimâ mutatâ. Quod non alia de caussa factum videtur, quàm ne cum divino nomine conveniret; legitur enim ibi Jehu. Quare nihil dubitamus, veram istius vocabuli pronunciationem esse Jeheveh vel Jihveh, idque suâ naturâ Grammaticis verbum esse, quod significet Erit: usu autem nominis induisse naturam. Qua ratione etiam prima hujus verbi persona Ehieh id est Ero, aut integra oratio Ero qui Ero, quâ se appellavit Deus, in nomen quoddam migrat. Verumtamen non ita vox illa, qua de agimus, nominis æmulatur ingenium, ut non suum etiam magna ex parte retineat. Nam nec variationem aliis nominibus usitatam admittit, nec particulas sibi affigi patitur, quas idem istud verbum aliàs respueret. Eo tamen etiam appellativorum, quæ vocant, nominum indolem imitatur, quòd sæpè vocem Zebaoth, id est, exercituum, regere deprehenditur. Hoc enim illud est, quod in sacris literis, præsertim apud Prophetas, frequenter occurrit, Dominus, vel, cum vox Adonai præcedit, Deus exercituum. Inventa origine, & propria hujus vocis significatione; videndum nunc porrò est, cur id nominis sibi Deus imposuerit? Id verò nobis aperiet alter Exodi locus, quem capite 6. extare diximus. In eo Deus sic in Hebræo alloquitur Mosen: Ego sum Jehova: apparuique Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, in [nomine] Dei omnipotentis: at [in] nomine meo Jehova non sum cognitus illis. Et etiam (vel etenim) statui pactum meum cum eis, quòd daturus essem eis terram Canaan, terram peregrinationum ipsorum, in qua peregrinati sunt: & etiam (vel porrò autem) audivi clamorem filiorum Israel, quos Ægyptii servitute premunt: & recordatus sum pacti mei. Idcircò dic filiis Israël: Ego sum Jehova, & educam vos ab oneribus Ægypti, & eruam vos è servitute ipsorum, & redimam vos brachio extenso, & judiciis magnis: accipiamque vos mihi in populum, & ero vobis in Deum: ac scietis, quòd ego sim Jehova Deus vester, qui educo vos ab oneribus Ægypti. Introducam quoque vos in terram, pro qua levavi manum meam, me daturum illam Abrahamo,

mo, Isaaco & Jacobo; daboque eam vobis in hæreditatem: Ego Jehova. Ex quibus verbis satis apparet, ideo Deum sese appellare Jehova, vel potiùs Jihveh aut Ieheveh, id est, Erit, quia id præstiturus sit Israelitis, quod ipsorum patribus olim promiserit. Unde futurum sit, ut experimento ipso cognoscant, eum esse Jeheveh seu Erit; id quod patres ipsorum nondum, præsertim plenè, fuerint experti. Hoc enim esse videtur, quod ait, se iis in nomine suo Jehova non fuisse cognitum. Illud ergo Erit, vel Ero, quod pleniùs antea dixerat, Ero qui Ero, nihil significat aliud, quàm reipsa is ero, quem me futurum dixi; seu, reipsa eum me præstabo, quem præstiturum promisi. Paulò enim aliter atque aliter vox Ero bis posita, in eadem oratione sumitur per antanaclasin, figuram & frequentem satis, & elegantem: priùs de facto ipso; posteriùs de jure, seu, si mavis, de obligatione. Fidem nempe suam ac Constantiam in servandis promissis, eo nomine potissimùm declarat Deus: simul tamen etiam Potentiam, quâ res promissas, licèt alioqui difficillimas, præstat, quamque impedire nulla vis, quantumcunque renitatur, possit. Quia verò tanta Potentia non nisi in eum cadit, qui summus sit rerum omnium Dominus ac Monarcha; ideò eadem vox vim nonnunquam habere videtur nominis Elohim, id est, Dei, aut Adonai, Domini, cùm id κατ' ἐξοχὴν Deo summo tribuitur. Hoc pacto sumitur, cum nomen exercituum regit. Unde idem explicatiùs interdum dicitur, Jehova Deus (Hebr. Elohe) exercituum (2. *Sam.* 5. *v.* 10. 1. *Reg.* 19. *v.* 10. 14.) Significatur enim, eum esse Dominum rerum omnium, quæ copiarum instar ad nutum ipsius adsint, & pro ipso veluti militent: vel, eum legionum angelicarum summum esse Ducem atque Imperatorem. Cui autem angelici parent exercitus, si huic non parent? Quare nomen hoc unum Deum ita significat, ut diversa ejus attributa, naturæ vinculo inter se colligata, animis nostris insinuet; quodnam verò eorum potissimùm, ex ipsorum locorum ratione cognoscendum est.

XIX.

Sed progredimur ad tertium, quod in hoc Aphorismo apparet Vocabulum, Nomen scil. Elohim; circa quod observamus disceptari inter Philologos de origine illius. *Quidam* illam deducunt à radice אָלָה *juravit, execratus est, vel* quod per solius Dei nomen juran-

randum, *vel* quod solus Deus possit benedicere & execrari, *vel denique* quod in juramentis, adjurationibus & execrationibus nominis divini mentio fiat. *Quidam* malunt illam esse surculum vocis אַל quæ *Fortitudinem* indicat, quia revera Deus potentissimum Numen, ad quem omnis virtus creata mera impotentia. *Quidam denique* illam petunt ex obsoleto verbo Arabico אָלַהּ quod notat *colere, revereri, adorare*, quò referunt illa Beidavii ad verba Suratæ 2. *vers.* 159. *Et Deus vester Deus unicus est*, scribentis, *qui coli à vobis meretur, unus est fine socio, convenit etiam, ut colatur, appellaturque Deus.* nec non consensum linguæ Æthiopicæ, de quo audire juvat *Ludovicum de Dieu*, qui in Appendice ad Evangelium Matthæi, sequentia habet: Alterum nomen est אַמְלָךְ de quo idem Caninius, Emlac ὁβασιλεὺς Rex ille: quod mihi ab Hebræis mutuati fuisse videntur, qui Meléch vocant, qui Aethiopicè vocatur נְגוּשׁ *Négus*. Hæc rursus ille; quibus addo, אַמְלָךְ pro Θεὸς usurpari, & id ipsum significare; non ab Hebræo מֶלֶךְ, *rex*, sed ab Æthiopico מָלַךְ quod *colere* significat, ut ex eodem hoc versu liquet; plane ut apud Hebræos *Deus* dicitur אֱלָהּ, apud Syros אֱלָהָא, apud Arabes אִלָהּ, ab Arabico אָלַהּ, *coluit, adoravit.* Subscribit huic ultimæ recentior Philologus Altingius, qui hæc habet: Originem vocum Eloah & Elohim arcessimus non ab אֵל *fortis*, & κατ' ἐξοχὴν Deus fortis; nam hujus tzeri tolli nequit, quia est compensativum quiescentis Jod ex אֱיָל *fortitudo*: ast in illis sub Aleph est chatephsægol. Non ab אָלָה *exsecratus est, juravit*; nam hujus He quiescens est, in illis verò occurrit mobile, quod non ejusdem cum isto est ordinis. Sed ab אָלַהּ inusitato hodiè apud Hebræos, cujus tamen usus adhuc obtinet apud Arabes. His significat אָלַהּ *adoravit, coluit*, unde אלה sive אלאה Iláhon quod colitur, Numen, Deus, & cum articulo אללה Allaho pro אלאלה Alilaho Ὁ Θεὸς Deus ille Opt. Max. Nomen igitur אֱלוֹהַּ notat objectum religiosi cultûs, sive illum, cui cultus adorationis debetur, præposterove hominum affectu defertur: & pluralis אֱלֹהִים plures eodem religioso adorationis cultu prosequendos. Quo sensu tribuitur sæpissimè Diis gentilium idololatrarum, infinitis propemodum numero, queis

cunctis

cunctis cultum divinum præstabant adorationis, sacrificiorum, festorum, templorum, &c. Debetur autem uni soli Deo, qui solus adorandus, *Deuteron. 6. v. 13. cap. 10. v. 20. Matth. 4. v. 10.* adeoque solus אֱלוֹהַּ Nomen adorandum: debetur pluribus personis in eâdem illâ subsistentibus, quas & plures esse, & singulas adorandas, plurali אֱלֹהִים significatur. Juxta illud *Joh. 5. v. 23. ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem: qui Filium non honorat, neque honorat Patrem, qui eum misit.* Quòd verò etiam Angeli dicuntur אֱלֹהִים *Psalm. 8. v. 6.* & *Psalm. 97. v. 7.* collatis cum *Hebr. 2. v. 7. 9.* & *cap. 1. v. 6, 7.* nec non Judices *Exod. 21. v. 6. cap. 22. v. 9.* item *Psalm. 82. v. 1, 6.* collatis cum *Joh. 10. v. 34. seq.* fit id per κατάχρησιν, connotando cultum, non religiosum vel adorationis, sed qualis debetur iis, qui aut vice Dei funguntur in terris, quod Magistratuum est *2. Chron. 19. v. 6.* aut nomine Dei legationem obeunt, quod convenit Angelis *Hebr. 1. v. 14.* Nam isti dicuntur ab ipso Deo אלהים, ex interpretatione Christi, *Joh. 10. v. 35. ad quos sermo Dei factus est:* communicatione appellationis, ut autoritas conciliaretur legationibus muneribusve per istos obeundis; sic tamen, ut jam nomen illud homonymum fiat, eam differentiam honoris connotans, quæ verbo הִשְׁתַּחֲוָה, de civili non minus quam religioso cultu usurpato, continetur. *Prima opinio* impugnatur ex eo, quia הּ Mappicatum servile esse nequit; *altera* ex eo rejicitur (utut Marcus Marinus in Arca Noe illam probarit, nec alienus sit Isaac Abarbanel,) quia itidem natales genuini ostendi nequeunt & deductio sincera, nec non in priori ה Heemanticum esse potest. *Tertia denique* displicet Coccejo crisim adornanti atque primam sententiam ultimæ præferenti: תָּאֲלָה inquit: Exsecratio, Fluch/ *ἀρὰ*, cum aff. אָלָתִי. Plurale in utroque statu אָלוֹת. Id notat verbum, quo maledictus declaratur, qui hoc aut illud fecerit. Quod verbum est solius Dei principaliter. Nam is est unicus legislator, & solus judex. Igitur id verbum significat naturam Dei, quæ est hæc, ut, qui est opus ejus ad imaginem ejus factum, si non servet in omnibus ipsius similitudinem, vel Sacerdotium & sacrificium, in quo & per quod peccator possit habere pacem cum Deo, ut justus, atque ita justitiam Dei, negligat, non possit esse particeps

Dei & bonorum ejus, sitque sub execratione. אָלָה ist das Wort Gottes/ wormit er bezeuget/ daß der/ der sein Ebenbild nicht bewahret/ oder in dem wahren Priesterthum und Opffer / damit Gott versöhnet wird/ die Gerechtigkeit Gottes nicht suchet/ mit jhme kein Theil haben könne/ darumb daß er sich selbst nicht verleugnen kan. Ita *Deut. 29 v. 14.* Non tantùm vobiscum ego pango fœdus hoc & הָאָלָה הַזֹּאת exsecrationem hanc, h. e. hoc fœdus exsecratione sancitum. Diesen Bund und diesen Fluch/ das ist/ diesen Bund/ welcher mit dem Fluch befestigt ist. & *vers. 19.* Quum audierit vocem הָאָלָה hujus execrationis, & dixerit in corde suo, Pax mihi erit, quum in duritie cordis mei ambulabo, ad adaugendum sitim sitienti, &, cùm satietatem & πλείωσιν abnegandum, tum servitutem satiatis imponendum, & fideles satiatos & gratias agentes persequendum. (De satietate vide *Jer. 31. v. 14. 25.*) *vers. 20. 21.* Et incumbet in illum omnis execratio scripta in hoc libro, juxta omnes exsecrationes fœderis. *Zach. 5. v. 2, 3.* זֹאת הָאָלָה. Hæc (nempe volumen volans) est exsecratio, quæ erit in faciem totius terræ. h. e. Ira, quæ manet infideles. *Esa. 24. v. 6.* Idcirco אָלָה adjuratio vel exsecratio denunciata infidelibus consumsit terram. *Jer. 23. v. 10.* מִפְּנֵי אָלָה propter adjurationem luget terra. *Levit. 5. v. 1.* Si quis audierit vocem הָאָלָה adjurationis, h. e. Exsecrationis legalis justè in nomine Dei propositæ; atque is testis rei alicujus fuerit, sive viderit, sive resciverit; si non indicaverit, secundùm legem Dei exsecratione sancitam. confer *Prov. 29. vers. 23.* Hinc Deus vocat exsecrationem suam. *Deut. 29. v. 12. Ezech. 17. v. 29.* Sed & dicitur execratio ejus, qui eam proponit sive fert in aliquem. *Ez. 17. v. 16. Gen. 24. v. 21.* Animam alicujus petere in exsecratione est alicui impecari dira, *Job 31. vers. 30.* Jemands Seele fordern mit dem Fluch. Inter quos est fœdus, inter eos est אָלָה exsecratio, in casum perfidiæ. *Gen. 26. v. 28.* Intrare in execrationem & juramentum est se juramento obligare sub pœna execrationis, sich mit einem Eid verbinden unter der Straffe deß Fluchs / *Neh. 10. v. 30.* שְׁבוּעַת הָאָלָה *Num. 5. v. 21.* juramentum exsecrationis, est approbatio exsecrationis legis, quæ fit dicendo Amen *ibid. v. 22.*

XX. Est

XX.

Est etiam ex nostris Non nemo, cui Arabia displicet & Criticos remeare jubet in Terram Ebræorum; verba illius sunt: Radix nominis Divini frustra arcessitur ex Arabiâ: supponitur enim omnium vocum verbale Thema, nec dari Nomina radicalia, quod falsum; igitur nec שמים nec ארץ: nec huic ipsi אלוה radicem damus in Arabicâ: quin potius אלה Arabicum, (eadem ratio superiorum) ut בסם Syriacum בהק Chaldæū אדנא Arabicum, vel ab hoc אלוה vel à concipiendo in foro Hebraico Themate arcessimus.

XXI.

Divisit hæc circa Originem hujus Nominis Controversia eruditos quoque quoad significationis vim & proprietatem. Dum *alii* volunt illam notare eum, qui execrari possit & soleat, unde Coccejus propriè inquit: Notat eum, cujus est אָלָה, h. e. cujus est exsecrationem pronunciare, atque ita obligare conscientiam ad sui quæstionem sub comminatione judicii. Id ei tantùm competit, in quo est vita & bonum hominis, & est Dominus hominis, & judex. Atque ita est nomen auctoritatis divinæ. Quæ non nisi una est. Ideò Deus unus esse dicitur, & vetantur plures haberi dii, &, quibus tribuitur hoc nomen præter Deum verum, qui unus est, iis ita attribuitur, ut appâreat metaphora. veluti *Exodi 7. v. 1.* date Pharaoni in Deum. sive pro Deo. Ideoque tales ab eo, qui est Deus, distinguuntur, ut λεγόμενοι θεοὶ appellati Dii, q. d. solo nominetenus dii. Non igitur vox אֱלֹהִים est communis multis in proprio significatu. אֱלֹהַּ wird eigentlich genennt der / dem da zukompt die אָלָה den Fluch zu erklären über dem / der jhn nicht suchet: und daß man bey jhme schwere / seinem Fluch und Gerichte zustimme / seinen Namen nenne / als deß HErren / und in dem unser Gut / unsere Hoffnung und Ruhm ist. Quando à peccatore hæc Dei dignitas consideratur, necesse est in eo exsistere timorem & exspectationem iræ: ita tamen, ut non possit negare, Deum, propter divitias suas, posse fieri Deum etiam peccatoris, salva אָלָה execratione fœderis. Quum peccatori dicit, Fiam tibi לֵאלֹהִים Deus, vel se Deum illius, qui peccator est, appellat, significat, se, salvâ execratione fœderis violati,

lati, velle habere fœdus cum peccatore, h. e. ſe velle fieri juſtitiam ejus, eumque juſtificare & ſanctificare, & ſic pacem, amicitiam & communionem cum ipſo habere, ut in ipſo deliciari, gloriari, & ei gratias agere poſſit. Hoc tantundem valet, ac ſi diceret; Opere demonſtrabo, me tibi poſſe & velle, ut Deum, benefacere, ut credas in me, omnia bona à me exſpectes; & mihi, legem gratitudinis dicenti, Amen, h. e. fiat, dicas. Hoc verbum explicat Teſtamentum, ſive Decretum hæreditatis dandæ, quod fœderis more fit ratum. ibid. & *verſ. 9. v. 10.* Conſequens autem eſt, ut peccator, audito ſermone Teſtamenti, & ſtipulationis ſub אָלָה execratione, Deum, qui talia de ſe dicit, pro Deo habeat, h. e. ei attibuat ſufficientiam hanc & divitias, ſecundùm quas poteſt peccatori fieri in Deum (atque hoc eſt, credere, Deum eſſe, *Hebr. 11. v. 6.* ſive credere attributa Dei omnia, & nominatim ſufficientiam juſtificandi improbum) deinde, ut credat, verbum hoc Dei verum eſſe, & eum quærat, & ad eum accedat, ut talem, ſive ut eſuriat juſtitiam, & Deum amet ac glorificet, ut dignus eſt, qui divitias ſuas peccatori propoſuit; & ſic deniquein ipſo glorietur. Non poteſt autem hoc de ſe promittere, neque talem promiſſionem præſtare, niſi ſummus & unus Deus. Solus Deus poteſt benedicere & maledicere, ſive execrationi ſubjicere. Solus Deus poteſt petere, ut ſibi Amen dicatur, quando verbum vel benedictionis ad gratiarum actionem, vel execrationis ad timorem proponit. Quare & Dacalogus cavet ante omnia, ne Iſrael alium unquam Deum habeat, h. e. ne ullas divinas proprietates, præcellentias, & nominatim divitias gratiæ & ſanctificationem ulli non Deo det. *Exod. 30. v. 3.* Non erit tibi Deus alius. Igitur Idololatria eſt, etiam viribus ſuis aut operi ſuo attribuere id, quod ſolus Deus efficit aut præſtat ac donat. *Alii* volunt notare eum, qui omnia poſſit, quò vergit quoque illa Abarbanelis ſententia, hoc nomen attribui Deo ut productori omnium, & primũ ſignificare Authorem omnipotentem, probatque ex illis Scripturæ locis, in quibus frequenter, ubi ut prima Cauſa deſcribitur, hoc titulo inſignitur; explicat vero ita mentem ſuam: Deus ſub duplici notione à nobis conſideratur מצדנו reſpectu nempe noſtri, ואם אם אחת מצדו cùm non niſi una ſit ex parte Dei; primò מצד עצמותו ומהותו Reſpectu Eſſentiæ & quidditatis ejus ſimpliciſſimæ &

mæ & perfectissimæ, שהוא בלתי מושג לזולתו quæ incomprehensibilis est aliis, prout in se est. De hac docet Nomen Tetragrammaton יהוה deinde מצד השפעתו לכל זולתו Respectu Influentiæ (activè seu transitivè, ut Philosophi quandoque Verbum influere, & Nomen Influentiæ sumunt, pro Immissione seu Communicatione influentiarum) omnibus aliis, quæ influentiam ab ipso accipiunt secundum perfectionem ejus. De hac docet Nomen אלהים ELOHIM; quia scil. hæc Influentia fit secundum potentiam ejus infinitã: Nomen hoc אלהים significat המשפיע והממציא כל הדברים בכח גדול ועצום Influentem & Existere facientẽ (h. e. Producentem, Efficientem) omnia per potentiam suam magnam & immensam, juxta id quod Propheta Esaias dicit, אלהי עולם יי' בורא קצות הארץ ELOHE Deus (i. e. ex ejus mente, Effector, Creator) mundi, Deus creans fines terræ, *Jesa. 40. v. 28.* Item; Ego sum primus, & ego ultimus, & præter me non est אלהים ELOHIM (q. d. Influens; Efficiens per Influxum) *Jesa. 44. v. 6.* Item; Scitote, quòd DOMINUS ipse sit ELOHIM Deus, ipse fecit nos, *Psalm. 100. v. 3.* In his enim & aliis similibus locis plurimis Deo attribuitur Nomen אל & אלהים sensu Effectionis, Productionis & Creationis. *Alii denique* volunt notare adorandum & colendum illum, cui devotio debetur & Reverentia, & eo sensu tribui sæpissimè Diis gentilium Idololatrarum infinitis propemodum Numero, queis cunctis cultum Divinum præstabant adorationis, sacrificiorum, festorum, Templorum &c.

XXII.

Omnium verò longissimè à Scopo Telum jecit Crellius, qui ita Philosophari voluit ad mentem Ebræorum &c. Cæcos cæcorum Ductores sequi: Nomen Eloah & ejus plurale Elohim, propriè Judicis & Vindicis habere significationem, & potestatis atque imperii esse nomen: quanquam illius potissimùm est, quod naturæ limites supergreditur, & illis, qui ei se subjiciunt, est salutare. Observârunt ex iis nonnulli, doctissimum Hebræorum (R. David Kimchi) ad Illa Davidis verba, Deus justitiæ meæ; (*Psalm. 4. v. 1.*) ubi extat vox Elohim, annotasse: Omne Elohim significationem Judicis habere: ita ut Deus justitiæ alicujus, sit judex ac vindex justitiæ, vindex justæ, quam quis habeat, caussæ. Et hinc est, quòd

 judices

judices aliique principes, qui ſanè omnes judicandi poteſtatem habent, Elohîm ſeu Dii in ſacris litteris appellantur: (*Exod. 21. v. 6. c. 22. v. 8, 9, 21. Pſalm. 82. v. 1. 6. Job. 10, v. 34, 35. 1. Sam 28. v. 13. 14.*) & cui in alterum poteſtas quædam ſublimis eſt, Elohim ſeu Deus ipſius eſſe dicatur, ut Moſes Pharaonis; (*Exod. 7. v. 1.*) & Deus ſummus, (*Gen. 24. v. 3, 7.*) Elohim cœli, & Elohim terræ, ob ſummam, non in ipſum tantum cœlum & terram, ſed etiam in omnia, quæ illorum amplexu continentur, poteſtatem. quo ſenſu alibi Dominus cœli & terræ appellatur. (*Gen. 14. v. 19. 32. Matth. 11. v. 25. Act. 17. v. 24.*) Quanquam enim ideo interdum quispiam alicujus Deus eſſe dicitur, vel quia ſingularis ipſius ſit benefactor, vel quia ab eo colatur, ut in explicatione nominis θεῦ dicetur: (*infr. c. 13.*) in illis tamen locis poteſtatis habetur ratio, quæ hoc nomine præcipuè ſignificatur. Non deſunt tamen, qui id nominis, perinde ut El, virium ac potentiæ ſignificationem habere cenſeant. Nos prius illud verius exiſtimamus: ita tamen, ut haud negemus, id robur etiam ac vires interdum deſignare, & ſic vim obtinere vocis El: quemadmodum vice verſa El, nonunquam vim habere videtur nominis Elohim, & principatum atque imperium denotare. Græci ſane interpretes Elim nonnunquam ἄρχοντες (*Exod. 15. v. 15. Ezech. 31. v. 11.*) aut ἡγέμενοι (*Ezech 17. v. 12.*) reddiderunt. Accidere id videtur ob rerum, quæ iis nominibus propriè deſignantur, conjunctionem quandam. Vires enim imperio adſunt; & tantò quidem majores, quantò ipſum eſt majus. Unde & δυνάςαι dicuntur, qui poteſtate atque imperio pollent: quin & illi, qui præcipui ſunt imperiorum alienorum Adminiſtri. Contrà etiam viribus, ſaltem iis, quæ naturalium rerum vim excedunt, aliqua adhæret poteſtas ſublimior.

XXIII.

Protrivit hanc ſententiam ipſe Abarbanel, ſequentes eidem admovens arietes. Quomodo admittere poteſt Intellectus, ut Nomen אלהים Elohim בעצם וראשונה propriè & primò dicatur de Judicibus, ואדרך חשאלה & metaphoricè de Deo Benedicto; cùm ſtatim in initio Legis aliquoties de Deo dicatur, & poſtea per univerſam Scripturam multis millenis vicibus; è contra autem de Judicibus rariſſimè & pauciſſimis in locis? וידע הוא שמה שהוא על הרוב

הרוב ושנמצא בכתוב תחלה הוא הנחה הראשונה לא מה שיאמר על המעט ובאחרונה Constat enim, id quod in Scriptura frequentiùs, & statim ab initio reperitur, pro propriâ significatione esse habendum, non quod rariùs occurrit & posterius. Si Scripturas accuratè examinare & considerare velimus, deprehendemus, hoc Nomen fortassis de Judicibus planè non reperiri; saltem maximoperè hoc apud me est dubium; Quamvis enim Onkelos, & plurimi cum ipso Interpretes, hanc vocem ita acceperint & interpretati sint; tamen mihi videtur, secus se rem habere; Nam Scriptura semper, quando de Judicibus loquitur, eos vocat nomine שופטים Judicum, aut זקנים Senum, *Deut. 16. v. 18. Deut. 17. v. 9. Deut. 19. v. 18. Deut. 21. v. 2. &c.* Quod verò ista loca attinet; Quem condemnaverunt אלהים Elohim, עד אלהים ad Elohim, *Exod. 22. v. 8. 9. &c.* Responderi potest, non esse in illis mentem & intentionem Scripturæ, Judices Nomine אלהים Elohim designare; sed indicare, quòd omnia judicare debeant בדין האלהי Judicio Dei, quod Judicium, quia Dei est seu Divinum, secundum Legem & Præcepta, Scriptura vocat אלהים Elohim, juxta id quod scriptum est; Elohim Deus stat in congregatione Dei, in medio Elohim judicat, *Psalm. 82. v. 1.* Etenim sic inter alios quoque populos usitatum & consuetum est, ut de Judicibus regionis ac provinciæ alicujus, quando jus dicunt secundum Leges regni, dicatur, quòd Rex hoc mandaverit, vel hunc puniverit: quinimò Locus quoque Judicii, seu Dicasterium ipsorum vocatur חצר המלך Camera regia vel Imperialis, licet Rex non illic præsens sit. Eodem ergò modo explicari potest illud; Tunc adducet eum herus suus ad האלהים Haëlohim, *Exod. 21. v. 6.* & similia; nempe, למשפט האלהים Ad Judicium Elohim Dei. Evidens hujus rei testimonium est *Deuter. 19. v. 17.* ubi legimus; Tunc stabunt duo illi homines, quibus est lis coram יהוה Domino. Num enim hîc quoque dicemus, quòd Sacerdotes atque Judices Scriptura vocet Nomine Dei proprio Tetragrammato? Sanè hoc in rei veritate dici nequit. Quid obstabit ergò, quo minus dicamus, eandem esse superiorum locorum & similium, quæ hujus, rationem? Certè Onkelos hic nomen יי intactum reliquit, neque per Judicem, ut reliqua, transtulit. Optimo autem jure sic vocatum fuit Judicium; quia Judicium Dei est, ut Moses loquitur

Deut.

Deut. 1. v. 17. In quem sensum etiam Josaphat Judicibus dicit; Videte quid faciatis: non enim Homini judicatis, sed ליהוה Domino, & vobiscum est in negotio Judicii, nempe Deus, 2. *Paralip. 19. v. 6.* Ex quibus apparet, quando Scriptura de negotio Judicii usurpat Nomen אלהים Elohim, per hoc Nomen intelligi Deum ipsum, non Judices. Quod si verò quis omninò statuere velit, Judices vocari Elohim, dicendum est, ut multi faciunt, hanc tamen nequaquam esse propriam & primam vocis istius significationem, sed metaphoricam, quia scil. Judices Dei loco sunt, ad judicium ejus judicandum in terra, quemadmodum Legatus nomen Principalis sui accipit: Et quia Judicium & regimen ipsorum fit, aut certè fieri debet secundum Legem Divinam, hinc vocantur Elohim, q. d. Influentes gubernationem Divinam è manu Dei Benedicti. Huc respexisse videtur AbenEsra *Exod. 21. v. 6.* vocem אלהים Elohim explicans per מקימי מצוות אלהים בארץ Stabilientes præcepta Dei in terra. Sic igitur hoc quoque modo evertitur sententia Majemonidis, quòd Nomen hoc significet primò & propriè Judicem; metaphoricè verò ad Deum transferatur. Sic iterum Abarbenel, quibus hoc addit Buxtorfius, cum ipso consentire alicubi Septuaginta Græcos; Nam illi *Exod. 21. v. 6.* pro אל אלהים Ad Elohim (Deum) habent, πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ Θεοῦ Ad Tribunal Dei. *Exod. 22. v. 8.* Ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ Coram Deo, sic *v. 9.* ibidem. Meritò enim dubitari posset, an Judices Numero singulari Θεοῦ Dei indigitare voluerint.

XXIV.

Quicquid autem sit de tribus primis Sententiis, de quibus litigent Grammaticorum filii, liquet ex omnibus, Nomen hoc non esse *commune*, sed *proprium* illi, qui omnes creaturas transcendit; nam & solus Deus execrari potest, atque ita obligare conscientiam ad sui Quæstionem sub comminatione judicii, & solus Deus est Omnipotens, qui ut omnia ex nihilo produxit, ita potenti Manu quoque conservat & in nihilum redigere potest, & solus est objectum cultus Religiosi, juxta illud *Deuteronomii 6. v. 15. 10. cap. v. 20. & Matth. 4. v. 10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, cumque in plurali hic occurrat, nec singulari destituatur, ut docent loca *Deuter. 32. v. 13. & 17. Job. 3. v. 4. Psalm. 18. v. 22.* & imprudentia

prudenter Abarbanel contra Prædecessores suos, qui Christianis non litem moverunt de pluralitate hujus nominis Elohim, sed varias tantum conquisiverunt rationes minus congruas pro Explicatione illius, illud defendere ausus fuerit, quapropter Deum unum hic notari existimamus ita, ut tamen pluralitatem personarum non excludat, quæ quousque sese extendat vel restringat, ex verbo revelato & collatione locorum Scripturæ facile dignosci poterit, ubi Anagnostes pius ea, qua potest dexteritate & solertia attenderit.

XXV.

Liquet ex dictis, quid sentiendum sit de illa Grotii Paraphrasi: Respondet κύριος Dominus, in Hebræo יהוה, ut plerumq; ob eam quam diximus causam. θεός σου, Deus tuus autem in Hebræo אלהיך. Ubicunque est אלהים in Hebræo, significatur imperium. Est vox attributa & Angelis ut *Psalm. 82. v. 2.* & magistratibus eximiis ut *Exod. 21. v. 6. c. 22. v. 26* ita ut in *Psalm. 82. v. 1. & 81. v. 1.* dubium sit inter Hebræorum doctissimos, per Angelos an magistratus intelligantur? At quoties cum singulari conjungitur plurale κατὰ σύνθεσιν per appositionem, sed ἐπιθετικῶς, defectivam, non dubium est, eum intelligi, qui & Angelis & Magistratibus cunctis præsidet summo cum imperio. Solet autem ei voci addi sæpè casus possessivus, quo significatur, ei summo Deo, præter jus quod in cunctos habet, jus aliquod peculiare in hos aut illos competere per beneficia non communia. Est enim ea beneficiorum natura, ut semper in eum, qui beneficium accepit, det aliquid novi juris ei, qui beneficium præstitit. Et hæc causa est, cur hic non conditi humani generis fiat mentio, sed earum rerum, quæ Jacobi posteros proprie spectabant, & quidem maxime recentium, quorum memoria firmius & efficacius animis inhæret. Confer causam servandæ legis, quam parentes tradere filiis jubentur *Deut. 26. v. 20. & seqq.* Est autem quod hoc loco dicitur, non lex, sed legis præfatio. Seneca non probat legem cum prologo, quod imperare ea nata sit, non suadere. At aliter censuere Philosophi, Zaleucus, Charondas, Plato, Philo; media via optima est, ut breve sit, quod præmittitur, auctoritatem non disputationem præferens. Numerus denarius gentibus ferme cunctis numerandi finis est, qui enim sequuntur numeri, composita habent nomina, aut sono, ut undecim, duodecim,

aut significatu, ut centum, mille. Nimirum per digitos numerare mos antiquissimus, qui homini decem. Quare & in his præceptis, quæ supra cætera memoriæ infigenda erant, hunc numerum elegit Deus, in quo omnes numerorum diversitates, omnes ἀναλογίαι, omnes, quæ ad numeros referuntur, figuras geometricas reperiri, latè ostendit Philo de decem præceptis, & Martianus Capella: Decas verò ultra omnes habenda, quæ omnes numeros diversæ virtutis ac perfectionis intra se habet. Neque alia de causa, in decem classes, quæ vulgo Categoriæ vocantur, rerum genera Pythagorici & eos secuti Peripatetici retulere. Tum verò non in lege tantum, sed & ante legem Decimæ Deo votæ, qui mos ad gentes etiam transiit. Vide Livii & Plutarchi historiam de Camillo; meminit ejus moris ut antiquissimi & Herodotus. Data autem lex in locis incultis, ut & remotus ab urbium contagio populus, & rebus duris purgatus, & per miracula doctus à Deo, non à rebus conditis penderet, ac ad eam, quam Deus moliebatur, rempublicam præpararetur. Dicit autem lex σὺ, tuus, & deinceps imperans ac vetans unitatis numero singulos alloquitur, ut ostendat, non aliam hic esse viri principis, quam minimi de plebe Hebræi conditionem.

XXVI.

Quartum, quod expendi meretur in hoc præfamine, est illud appropriativum Tuus; dicit enim Deus: *Ego sum JEHOVAH, Elohecha Deus tuus*, quæ loquendi ratio sua non caret Emphasi, quam paucis quoque expediemus. Deus Tuus autem consideratur *vel Objectivè*, adeoque notat id, quod nobis supra omne amabile, desiderabile, honorabile; id enim nobis Deus est, in quod vota nostra & desideria propendent, quod supra omnia colimus & amamus, Scopus Cordis & virium nostrarum, *vel Effectivè*, in quantum mediis & motivis agit, nosque sibi nectit, & ita notat illum, qui nos creavit, conservat & concursu jugi dignatur; *speciatim* autem illum, qui redemit, in fœdus gratiæ recepit & æternæ Beatitudini consecravit, *vel* denique *correlativè*, qui exigit à nobis fiduciam unicè huic Basi inhærentem, Affectum indivisum, qualem Sponsa Sponso debet, spem radicatam, flantibus & reflantibus quibuscunq; etiam adversitatum ventis.

XXVII.

XXVII.

Agnovit hoc aliqualiter Wolffgangus Musculus, qui in locis p. 55. scribit: Tertiò, nec illud transeundum est, quod vox pluralis אלהיך, id est, si propriè reddas, Dii tui, cum pronomine singulari, Ego, conjungitur. Usurpatur quidem hæc vox in forma pluralis numeri pro singulari, ac legitur, Ego sum Dominus Deus tuus. Verùm interea pulcherrimè convenit ista loquutio mysterio tàm unitatis, quàm Triadis in vera divinitate. Quoniam quod essentiam attinet, unus tantùm est Dominus ac Deus verus Jehovah. Rectè non dicit, Nos sumus Domini: sed Ego sum Dominus. Rursus, quoniam tres sunt veræ divinitatis hypostases ac personæ, omnium commodissimè non dicit, Ego sum Jehovah אלך, id est, Deus vel fortis tuus: sed, Ego sum Jehovah אלהיך, id est, Dii tui, vel fortes tui. Ne dicas, sic plures deos constitui: obstat quod in singulari dicit, Ego Jehovah. Iterum ne si unam unius Dei essentiam statuas, ut Triadem personarum neges, occurrit quod in plurali dicit אלהיך.

XXVIII.

Quintum, quod præfatio hæc complectitur, est Beneficii memoria, dicit enim, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te è Terrâ Ægypti, è domo Servitutis.* Terra hæc, è qua eduxit Israelitas, vocatur Terra Mizraim à Deo, per quam Ægyptum intelligi tam clarum est, quam solet esse in Meridie, sic Josephus *lib. 1. Antiq. cap. 7.* Ægyptum Messen & Messæos Ægyptios vocamus, quotquot eam Regionem incolunt. Eusebius *lib. 1. Chronici* Metsre, unde Ægyptii. Hieronymus de nominibus Ebræis, sciendum quod Misraim Ægyptus appelletur: succinunt laudatis Doctoribus Epiphanius, Isidorus, Zonaras, Constantinus, Manasses, Suidas, Cedrenus, imo Johannes Leo in Descriptione Africæ *lib. 8.* disertè docet, ipsam Ægyptum Mesrem, incolas Chibth, tam Arabum, quam suâ lingua adhuc hodie dici. Adde præter Bodinum Ariam Montanum, Martinum Delrio, Cornelium à Lapide, Fungerum, etiam Benjamin Tudelensem, qui in Itinerario in Misraim inquit, unde quatuor itinera conficiuntur in urbem magnã juxta Nili ripas sitam, ex qua toti Regioni nomen factum, in qua Judæi bis mille sunt. Comprobat ipsa Historia Sacra; unde enim quæso educti sunt Israëlitæ, nisi ex Ægypto, quæ fuit domus servitutis, quam periphra-

 sin

sin hic addere Deus voluit, nisi Terræ Cham, ut alias dicitur *Psalm. 106. v. 23. & 27.*

XXIX.

Dictam autem existimant hanc Regionem à Mitsrajim Filio Cham, Nepote Noe, eumque *Osirin* fuisse, quidam conjiciunt; at non hæc omnibus sapiunt, *partim* quia Misrajim non sit nomen hominis, cùm non patiatur id forma dualis, & propterea quando filius secundus Chami dicitur Misrajim, aliquid subaudiunt & nomine hoc intelligunt partem Incolarum Terræ Misrajim, id est Ægypti, cujus Metropolim Alcairo hodieque Arabes מצר *Meser* vocant, unde Mensem etiam in Anno primum Ægyptii dixerunt μεσωρὴ *Mesori* scil. vetustiores, *partim* quia significatio minùs congruit personæ, melius loco aptatur, ut constabit ex sequentibus, *partim* quia Osiris juxta quosdam fuit Josephus σιτάρχης & Ædilis Ægypti, quod videtur posse colligi *tum* ex nomine Serapis, quod Bovem notat, *tum* ex titulo Arsaphr, quo Osiris vocabatur, teste Plutarcho, levi commutatione ex Joseph facta, *tum* ex Hieroglyphicis, quibus Osiridem designarunt, figura scil. vituli, notis Lunæ & Solis insigniti, juvenisque imberbis cum Modio & Calatho in Capite, quæ in Josephi Ætatem Boves & Spicas & Astrologiæ peritiam examussim quadrant. Quicquid itaque Annius Viterbiensis, Genebrardus, Reineccius, Chytræus & alii dicant, nominum nititur mera similitudine, quibus prævalent dicta, & ex nostra parte stantes, Clemens Alexandrinus, Ruffinus, Augustinus, Julius Firmicus. Videatur Baronius ad Annum *362. & 389.* Gerhardus Vossius *lib. 1. de Idol. cap. 29.* qui ita: Nostra ea est opinio, Apim Ægyptium fuisse symbolum Josephi Patriarchæ: uti Μηνῶν regis Menis sive Menæ, de quo capite dictum superiori. Ac primùm moveor veterum quorundam autoritate, qui ad hanc sententiam præiverunt, sive particulatim nominando, sive universè sic describendo, ut non alter melius intelligatur. Quippe Julius Maternus, qui temporibus Constantini M. & liberorum ejus vixit, clarè ait, Apim fuisse symbolum Josephi. Favet quoque Rufinus lib. 11. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23 ubi de Serapidis templo agens, Quidam, inquit, in honorem nostri Joseph, formatum perhibent simulacrum, ob divisionem frumenti, qua famis tempore subvenit Ægyptiis. Subjungit

git deinde quædam,prompta ex gentili historia; quæ etsi in aliquibus exorbitent, multum tamen ex vero trahunt: Alii, inquit, repertum in historiis Græcorum veteribus ferunt, Apim quendam patremfamilias seu regem in Ægypto Memphis positum, cum famis tempore frumenta apud Alexandriam defecissent, ex proprio affatim civibus alimenta præbuisse. Quo defuncto, in honorem ejus instituerint apud Memphim templum, in quo bos quasi indicium optimi agricolæ nutritur, habens quædam honoris insignia, qui ex nomine ejus Apis appelletur. Ubi spissus ille est error, quòd Alexandriæ ait fuisse frumenti penuriam: cùm ea urbs sit opus Alexandri Magni: Apis autem ab Ægyptiis millenis, & multò amplius annis ante Alexandrum, cultus fuerit ab Ægyptiis. Quod verò dubitat, num paterfamilias, an rex, populum paverit, hoc fortasse inde est, quia ex granariis regiis populus aleretur; sed omne hoc post Deum Josephi deberetur providentiæ: cujus nomen, ut solent, immutarint in sacris, quo augustius videretur numen. B. quoque Augustinus, sive, quisquis ille auctor libri de mirabilibus Scripturæ, prodit, Ægyptios, juxta sepulchrum Josephi, ob caussam quam diximus, bovem statuisse. Deniq; apud Suidam etiam, in voce Σάραπις, legas, traditum nonnullis, Apim fuisse symbolum Josephi, vel alterius hominis opulenti, aut Memphitici regis, qui in fame maxima de frumento prospexerit Ægyptiis: mortuo verò templum exstructum, ἐν ᾧ βοῦς ἐτρέφετο, σύμβολον φέρων τοῦ γεωργοῦ· in quo bos nutriretur, symbolum agricolæ præferens. Quod verò idem famem illam fuisse ait Alexandriæ, facilè diluitur ex iis, quæ dixi de Rufino.

XXIX.

Significationem quod attinet, putavit Hieronymus esse *Hostes*, sive *Mensuram*, nisi legendum *pressura*; communis est sententia notare *angustias* sive *tribulationes*, & carpit Bodinus in Methodo historica Melanchthonem, quod rebellem fuerit Interpretatus, cum *Misrim* sint *angusti*; Nondum tamen assensum universalem impetravit hæc sententia, aliis Misraim ex singulari מצור *Masor* deducentibus, quod munitum notat locum, nulla enim Regio Naturali situ tutior; habet illa ab occasu desertum inaccessum, à Meridie Nili Cataractas, & montes, ab ortu item Eremum & barathra & paludem Serbonidis, ab aquilone Mare propè importuosum; nam à Joppe Phœni-

ciæ usque ad Parætonium Libyæ nullus est portus præter Pharum; *Quamvis* ergò quidam volunt, Deum adhibita hac descriptione voluisse alludere ad tribulationes, quas sustinuerunt Israelitæ, ad angustias in quas fuerunt arctati, *non tamen* censemus, hoc esse necessarium, cum terram Mizraim potuerit ita dicere, à Munitione illa Naturæ, quam adstruunt quoque Diodorus *lib. 1. & 15.* nec non Strabo *lib. 16.* adfirmat ipsa Scriptura, alibi Ægyptum sub nomine *Masor* exhibens, 2. *Reg. 19 v. 24. Esaiæ 19. v 6. Michæ 7. v. 12. præterea* si concedamus, dictam esse Ægyptum מצור *Masor* ab angustiis quia צור Tzur notat *coarctari*, non confestim id accipiendum erit de angustiis, in quas compressi sunt Israelitæ, sed de naturali conditione loci; angusta est enim Ægyptus & à mari Syenem usque tota patet in longitudinem, quò respexit quoque *Esaias 18. v. 2. Denique* sufficienter exprimatur status Israelitarum in terra Misraim additione illa, quæ hanc ipsam Regionem relate ad Incolas Israëlitas, ut Domum servitutis, repræsentat. unde etiam Ravanella nobis accedens scribit: Ægyptus est Regio media inter Africam & Asiam, Hebr. dicitur מצרים, à *Mitzrajim*, filio Chami, nepote Noe (ut testatur Joseph. antiq. l. 1. c. 5. & consentiunt ferè omnes alii) à quo Ægyptii perhibentur exorti, ait Isidorus Orig. l. 9. c. 2. ubi etiam dicit, Ægyptios lingua Hebraica interpretari affligentes: & verò, vox illa Hebræa, qua Ægyptus & Ægyptii appellantur, atque adeo, qua appellatus fuit nepos ille Noe, derivari potest à radice צור, quod est affligere seu angustiis afficere, sed non est tamen recipiendum, quod Isidorus subjungit, Ægyptios sc. lingua Hebraica affligentes esse dictos, eò quòd affixerint Dei populum, priusquam Israelitæ divino auxilio liberarentur, cùm constet Ægyptios Matzrajim fuisse vocatos, etiam antequam populum Dei affligerent: itaque videtur Isidorus potiùs alludere ad illam etymologiam, quàm veram illius rationem tradere, sed & ad eam videtur, secundùm quosdam, alludi, *Esa. 30. v. 6.* cùm ibi Ægyptus paraphrasticè denotatur per terram oppressionis (Hebr. צרה) & angustiæ, quia pro auxilio, quod ex ea sperabant Judæi, oppressionem & angustiam, justo Dei judicio, eis esset allatura. Nostro tempore Ægypti regnum Turcico Imperatori paret, ac à Selymo, patre Solymanni primùm occupatum est, cæso Campsone Sultano & Singam Fr. in Syria,

ria, anno 1516. die 26. Augusti, & paulò pòst Tomumbejo, qui Campsoni successerat, ad portam urbis Alcairi, strangulato, anno 1517. die 13. Aprilis. Ægypti metropolis est Alcair, seu Memphis, in qua, ut Jovius scribit, hodierno die templum & crypta ostenditur, ubi Maria virgo, Herodis sævitiam effugiens, cum infante Christo latuerit, *Matth. 2.* Abest autem Memphis, (cujus longitudo 61. 50. latit. 29. 50.) ab oppido Bethlehem, circiter 54. miliaria germanica. In hac profectione Mariam & Josephum, decem aut duodecim dies consumere, & per Idumeam, seu Arabiam Petræam plenam latronum, iter facere oportuit, in quo tamen mirabiliter eos Filius Dei comes itineris defendit, sicut ante annos 1510. populum Israel per eadem loca iter facientem, nube & flamma protexerat, & sicut eodem tempore, quo Maria in Ægyptum concessit, sanctam anum Elizabeth, cum Johanne Baptista infante fugientem trans Jordanem, in spelunca montis aliquantisper abscondit, & umbra manus suæ protexit.

XXX.

Describitur hæc Terra *hic loci*, tq. domus servitutis sive servorum juxta Textum primigenium. ut enim, Interprete aliquô, servi tenentur in una domo, ut ibi operentur, & postea noctu clauduntur in carceres, ne effugere possint, ita omnes Ebræi videbantur teneri in tota Ægypto, quasi in una domo, in qua servirent, *alibi* dicitur ferrea fornax, *Deut. 4. v. 20.* *vel* quia, ut vult Oleaster, ibi Israelitæ decoqui simul cum lateribus, quos decoquebant, videbantur, *vel* quia ita confracti erant, ut lateres in fornace, *vel* quia gravior erat illorum afflictio, quo pacto apud *Esaiam, cap. 48. v. 10.* dicitur Caminus paupertatis vel afflictionis. Fornax autem audit non ratione *Materiæ* sed *duritiei*, ut indicetur, durissimè fuisse habitos Israelitas & afflictos, *tandem* describitur sub figura Catenarum, cervicibus inhærentium, *Levit. 26. v. 13.* ductâ metaphorâ *vel* à jumentis juga ferentibus, & ab illis ligaminibus, quibus duo parva ligna jugi ligantur, *vel* à virgis, quibus jugata animantia cædi solent & pungi; nec difficile est colligere, quam dura fuerit servitus Israëlitarum, non tantum ex descriptione Ægypti, operum impositorum Mole, sed & ex Ingenio ipsorum Ægyptiorum, qui male audiunt etiam apud profanos; Vopisco illos vocante furibundos & injuriosos,

ſos, Ammiano genus hominum controverſum & aſſuetudine perplexius litigandi ſemper lætiſſimum, Curtio gentem vanam, novandisque quam gerendis rebus aptiorem.

XXXI.

Deprædicat jure itaque Deus hoc beneficium, quod eduxerit Iſraelitas ex Ægypto è domo ſervorum, quòd grande fuit *ratione termini à quo*, cum duriſſimæ hactenus ſervituti fuerint ſubjecti, *ratione termini ad quem*, quia in libertatem fuerunt perducti perpetuam, quæ eminebat illi, qua gaviſi fuerunt quondam Patriarchæ, qui in terris, quibus immorabantur, Regum] Imperio erant ſubjecti, *ratione* denique *Objecti*, nec enim unum & alterum hâc calamitate eripuit, & ad pileum vocavit, ſed ingentem multitudinem, totum populum, tot millia hominum, cum antea beneficia fuerint exhibita ſingularibus perſonis, Abrahamo, Iſaaco, Jaacobo, vel familiis illorum non adeo amplis.

XXXII.

Quamvis verò hoc beneficium videatur reſpicere tantum Iſraelitas, nihilominus etiam ad nos referri debere, præter Theodoretum, qui adumbraſſe Deum per ea, quæ Iſraelitis acciderunt, omnium hominum ſalutem, aſſerit; ex noſtris docet B. Oſiander, ſcribens ad hæc Verba: Dominus Deus, qui educendis Iſraelitis ex Ægypto (editis priùs magnis & ſtupendis Miraculis) & liberando eosdem è triſtiſſimâ ſervitute, Omnipotentiam & Majeſtatem atque Bonitatem ſuam Iſraelitis declaraverat, pro quibus beneficiis æquum erat, ut Iſraelitæ obedienti obſervatione mandatorum ipſius, gratos ſe exhiberent. Idem Deus miſit nobis unigenitum Filium, nosq; à faucibus Diaboli & Inferni eduxit, quo nomine non minorem illi obedientiã, quàm Iſraelitæ debemus. Ex Calvinianis Muſculus, cujus ſunt ſequentia: Quoniam ad nos, qui ex Gentibus in Chriſtum credimus, particula iſta non pertinet, qua dicit: Qui eduxi te de Ægypto, de domo ſervitutis: videndum eſt, quid nobis hoc ſit loco cogitandum, quærendumque, an non & nos ex aliqua ſimus ſervitute liberati, cujus figura in Ægyptiaca captivitate præceſſerit? Duplicem hic ſervitutem invenio: peccati unam, Satanæ alteram. Utraque ſanè Ægyptiacam gravitate ſua multis nominibus excellit. De ſervitute peccati extat teſtimonium Chriſti *Johan. 8.* Qui facit peccatum, inquit, ſervus eſt peccati. De ſervitute Satanæ meminit *Paulus*

lus 2. Tim. 2. cum dicit, Nequando det illis Deus resipiscentiam ad cognoscendā veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Et *Ephes. 2.* in principio capitis: Ab utraque servitute liberati sumus à Deo per filium ejus Christum Jesum, Servatorem ac Dominum nostrum. De liberatione à peccato dixit angelus ad Joseph *Matth. 1.* Ipse liberabit populum suum à peccatis eorum. Et *Joan. 8.* Christus ipse: Si vos filius liberavit, verè liberi eritis. De liberatione à regno Satanæ dixit Christus *Luc. 11.* Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. Cum autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, & spolia ejus distribuet. Et Apostolus *Coloss. 1.* Qui eripuit nos, inquit, de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ. Quare non debemus cogitare, non esse tàm luculento experimento declaratum erga nos, Dominum esse Deum ac Redemptorem nostrum, quàm est declaratum erga Judæos. Quanto enim durior est peccati & Satanæ servitus, quàm fuit servitus Ægypti: tanto illustriori argumento nobis constat, habere nos Deum Redemptorem ac Servatorem. Quapropter & nobis proposita sunt liberationis nostræ monumenta, non solùm in verbo Evangelii, sed & publica Dominicæ cœnæ cæremonia, ne tanti beneficii obliviscamur: deinde ut liberatoris nostri voluntati ac cultui perpetuò simus addicti: tertiò, ne unquam revertamur in Ægyptum, hoc est, ne spreto tantæ liberationis beneficio, ad contumeliam Servatoris ac sanguinis pro nobis effusi ad regnum peccati & Satanæ relabamur. Etenim si relapsi fuerimus, & cœlesti gratiæ contumeliam tam detestandam & inexpiabilem intulerimus, non accidet nobis, quod Judæis contigit, ut dicere possimus: Vivit Dominus, qui eduxit nos de gehenna & igne inextinguibili, sicuti Judæi dicere potuerunt: Vivit Dominus, qui eduxit nos de terra Aquilonis. Vide *Ebr. 6. & 10.* sed absque omni spe secundæ redemptionis, perpetua Satanæ servitute & captivitate detinebimur.

XXXIII.

Summatim itaque Deus hoc vult in hac præfatione, *Ego* qui loquor Tibi, *sum JEHOVAH*, illud Ens primum & Independens, à

quo cætera ſuum eſſe habent, *Deus Tuus* & Summum Bonum, qui te è terra Ægypti à Servitute duriſſima liberavit, quæ non male expoſuit Polanus *pag. 1126.* Cujus Verba ſuprà produximus.

CAPUT I.

VERBA PRÆCEPTI PRIMI.

לֹא־יִהְיֶה־לְךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים עַל־פָּנָיַ׃ *Non habebis Deos alienos coram facie meâ.*

Th. I.

Singula verba hic ſunt pondera, quapropter probè exponenda. proponuntur enim *primò* אלהים אחרים *Elohim Acherim*, *Dii alieni*. De voce *Elohim*, alibi egimus, & paulo ante in præfamine; vox vero אחרים *acherim* diverſimodè accipitur. Pagninus vertit *alii*, quidam malunt *alieni*, quia major ſit emphaſis in voce latina alieni, cum in aliis rebus aliquid ponat eſſe aliud, quod tamen alienum dici non debeat; nobis perinde eſt ſive vertas *alieni* ſive *alii*, quanquam poſteriorem verſionem probet ipſa vox אחר *acher*, quæ notat *alium* vel *alterum*, ἄλλον ἕτερον, qui non ipſe. & LXX. Interpretũ conſenſus, qui adhibuerunt vocem ἑτέρους. Præterea Teſtimonium Doctiſſimorũ Interpretum & Philologorum, Pagnini, Merceri, Buxtorfii, Cocceji, quid quod diſtinguantur aliâs in Ebræo vox אחר & זר *zar*, excludatur omnis Deus, qui non eſt ipſe, ſc. JEHOVAH. Potuit quis habere Deum coram JEHOVAH alium, qui tamen non ſit alienus, hoc eſt à populis extraneis pro Deo habitus, ut ſerpens æneus à Moſe factus, cui populus Iſraeliticus adolere ceperat, agnoſcentibus ipſis Calvinianis.

II.

Secundo dicitur לא־יהיה *lojijeh* quod Vulgatus vertit: *non habebis*, ex hebræo alii reddunt ad literam: *Non erit*; ubi obſervandum genus loquendi Syllepticum, q. d. non erit aliquis Deorum aliorum ſive alienorum, non erit ullus Tibi ex alienis Diis, non peregrinum aſſumes, aut ulla ratione perſuaderi Tibi patieris alium, ut à me ad illum declines. Et quidem hic modus loquendi in Scri-

pturis

pturis frequenter occurrit; ita *Gen. 1. v. 14.* dicitur יְהִי מְאֹרֹת *Jehi meoròth* ut Luminaria præſint, ſive fiat unumquodque Luminarium, quo ſenſu etiam quidam accipiunt prima verba capitis primi *γενέσεως*, ubi dicit: *in Principio* ברא אלהים *creavit Elohim*, hoc eſt, unusquisque, ſeu una quævis Deitatis Perſona creavit. Lutherus reddidit, du ſolt nicht haben, ad genium ſcil linguæ vernaculæ, quæ vix admittit aliam phraſin, quanquam Chaldæus Ebræo proximius verterit: non erit tibi, & LXX. Interpretes quoque, οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι maluerint εἶναι, quam verbum ἔχομαι adhibere.

III.

Tertiò prohibetur τὸ habere Deos alienos עַל-פָּנָי *alpanai, ſuper facies* vel coram faciebus Domini. Quidam exponunt hanc phraſin *præter me*, idque juxta verſionem LXX. Interpretum, qui exponunt Ebræam πλὴν ἐμοῦ, ut ſcil. prohibeatur alius undecunque aſcitus Deus, & lateri junctus; favet etiam Chaldæa paraphraſis: quanquam autem illam non plane rejiciamus, neque negare velimus, prohiberi hic omnem cultum collateralem, tamen quia ſtante hac pleonaſmus admittendus, cum voce *alius* omnis excludatur Deus præter Deum, phraſis etiam עַל-פָּנָי hebræa non prematur, & notanter LXX. Interpretes adhibuerint phraſin πρὸ προσώπου μου, ideoque malumus præferre illorum ſententiam, qui vertunt *coram*, ſpectante ſcil. me, adeo ut Deus ad profunda cordis humani reſpiciat, officinam illam, in qua Idola fabricantur primùm, & *vel* intra receſſus illius manent, *vel* etiam in exteriora ſimulacra ſe effundunt, & cum Deus maximè deteſtetur illud adulterium ſpirituale, illum cultum alieni Dei, ut oſtenderet, quam ſibi diſpliceat illa interna effigiatio, adhibere voluit phraſin *coram me*, in præſentia mea, in conſpectu meo, in radiis meorum oculorum, qui omnia luſtrant, atq; eâ prohibere, ne è regione collocentur eidem adverſi, conſulantur in confirmationem loca *1. Sam. 2. v. 35. Pſ. 54. v. 14 Jobi 6. v. 21.* Dextrè B. noſter Chemnitius *locorum Theol. part. 2 p. 88.* Significat Deus per על פני ſe in primo præcepto accuſare non tantùm externam idololatriam, quæ exercetur coram mundo, quam etiam Philoſophi riſerunt: ſed præcipuè interiorem cordis idololatriam, quæ ſæpè ſummæ pietatis ſpeciem habet in oculis hominum, coram Deo autem abominatio eſt. Hæc Grammatica enarratio vocabulorum magnum habet uſum, ſicut jam videbimus.

IV.

Hoc itaque vult Deus in hoc primo Decalogi membro: Tu homo, quisquis es, *non habebis Deos alios coram me*, non agnosces alium, non confides ulli, non coles quenquam extra me Deum, scil. patefactum, non subjicies te ulli, non amabis ullum, non sperabis ab ullo bonorum liberalitatem, & quidem non tantum tibi nullus erit Deus alius, quem in hominum conspectu externo opere gestibus & verbis venereris; sed & in animo tuo, intra Mentis tuæ penetralia, cùm omnia mihi pateant, omnia sint denudata coram me, sed unum solum verum Deum, qui sese omnibus opponit, agnosces, amabis, coles, & te illi totum mancipabis. *Deorum* aliorum meminit, non quòd revera sint Dii extra ipsum, sed quod effingantur tales; *alium* sive *alienum Deum* vocat id omne, in quo præter Deum homo animi sui fiduciam, & cor suum fixum habet, ut loquitur B. Lutherus, cui attributa & opera divina, utut non conveniant, nec debeantur, adscribuntur. Dicit: *non erit Tibi*, quia talis Deus revera non est Deus, sed tantùm illi, qui in ipso confidit, illum colit, eidem se submittit. Et loquitur quidem in futuro; Verùm non per modum *prædictionis*, sed *severæ prohibitionis*, obligationem intimans, ab omni Deastro fugiendum, & solum verum Deum colendum, prout alias concipi solent ab Ebræis præcepta in futuro, & in sequentibus Decalogi verbis stylus Spiritus S. sese consimiliter habet. Tandem addit: *coram me*, ante faciem meam, seu coram facie mea, ne scil. vel minima cogitatione aut molimine conceptus alium edolare Deum desideret, ante oculos meos, quibus etiam intima cordium sunt perspecta & explicata.

V.

Ut constet, quid de nostra expositione sit sentiendum, subjicimus Explanationem Catechismi Romani, qui ad quæstionem, *Quid complectitur in se primum præceptum?* Priorem in Decalogo locum obtinere, quæ ad Deum pertinent; posteriorem verò, quæ ad proximum, docebit Parochus, quia eorum, quæ proximo præstamus, causa Deus est, tum enim ex Dei præcepto proximum diligimus, tum propter Deum diligimus: ea verò sunt in priori tabula descripta. Secundo loco in verbis iis, quæ proposita sunt, duplex contineri præceptum ostendet: quorum alterum jubendi, alterum prohi-

prohibendi vim habet. Nam quod dicitur: [Non habebis Deos alienos coram me,] eam habet ſententiam conjunctam: Me verum Deum coles, alienis diis cultum non adhibebis. Ita reſpondet, prohibet ac damnat Idololatriā &c. Deinde Interpretationem B. Lutheri, qui breviter melius & nervosè ita: Debemus Deum ſupra omnia timere, diligere, & illi confidere; denique Exegeſin Catechiſmi Palatini adornatam ab Urſino, qui ſequentia ſubjicit, Præceptum eſt: non habebis Deos alienos in conſpectu meo. Finis hujus præcepti eſt cultus Dei immediatus internus, hoc eſt, ut ſolum verum Deum in Eccleſiæ patefactum agnoſcamus, eique debitum honorem mente, voluntate & corde tribuamus. Porrò hoc præceptum ita negativum eſt, ut contineat in ſe affirmativum: *non habebis Deos alienos: ſed me Jehovam illum in Eccleſia patefactum, ſolum habebis Deum.* Eſt autem *habere Deum*, agnoſcere, quòd ſit Deus, quòd ſit unus, quòd ſit talis, qualem ſe in Eccleſia patefecit, & quòd etiam erga nos ſit talis: proinde ipſi ſoli fidere, ſumma humilitate & patientia, timore ac reverentia ſe illi ſubjicere, ipſum amare, & ab eo ſolo omnia bona expectare. In his conſiſtit obedientia hujus præcepti, cujus partes ſunt virtutes, quæ mox ſequuntur. *Deus alienus* eſt res omnis, cui propria attributa & opera veri Dei tribuuntur, cùm tamen illa non habeat, neque ei conveniant. *Habere Deos alienos*, eſt non habere verum Deum, hoc eſt, aut nullum, aut plures, aut alium, quàm patefactum Deum habere, aut Deum non agnoſcere talem erga ſe, qualem ſe patefecit, aut non fidere Deo, nec ſe Deo ſubjicere vera humilitate & patientia, non ab ipſo ſolo omnia bona ſperare, ipſum non amare aut revereri. Hujus impietatis partes ſunt vitia virtutibus, quæ mox ſequentur, oppoſita. *Coram me vel in conſpectu meo*, quaſi dicat: non tantùm in conſpectu hominum geſtibus vel verbis; ſed ne quidem intus in arcano receſſu cordis tui: quia coram facie mea nihil eſt occultum, ſed mihi cordium & renum ſcrutatori omnia patent, & prorſus ſunt manifeſta.

VI.

Si autem inquiramus, cur Deus ſtatim in primordio Decalogi hoc verbum voluerit extare, *hanc Legem tabulis fœderis in frontiſpicio inſerere*, non absque ratione factum eſſe Theologi pronunciant, & quidem ſequentes Wolffgangus Muſculus voluit colligere, qui

 ita ſcri-

ita scribit: Prima est, quod in hac fidei integritate situm est fœderis caput, quo rupto, rupta sunt omnia. Eadem enim est fœderis, quæ conjugii ratio. Nam sicuti caput & primarium est in lege conjugii, quod ab uxore ante omnia requiritur, ut marito suo hanc fidem servet, ne alios coram illo viros admittat, nisi tanquam adultera repudiari velit: ita & in fœdere Dei hoc caput est, ut uni ac soli adhæreamus, alioqui prorsus è fœdere abjiciendi. Et sicuti mulier adultera nihil juris habet amplius erga maritum, & quæ mariti sunt, propter primariæ legis hujus transgressionem, & connubialis fidei prævaricationem: ita revera nihil juris habent amplius in fœdus Dei, qui, quod primum illius caput est, per cultum alienorum deorum violarunt, & fidem, uni Deo debitam, fregerunt. Quare nec tabulæ istæ fœderis ad eos pertinent, quæ non nisi ei sunt populo præscriptæ, qui sincera & illibata fide unico suo Deo constanter adhæret. Secunda causa ingenium populi hujus concernit, quo mirum in modum ad cultum alienorum deorum propendebat: id quod & postea reipsa sæpenumero declaravit. Tertia ad præcedentem consuetudinem referenda est, qua Israelitæ in Ægypto alienorum deorum cultui fuerant assuefacti, unde & proclivis erat ad consueta & inolita relapsus. Quare mihi perinde à Deo factum hac in re videtur, atque si quisquam è medio prostibulo prostitutam mulierculam eximat, in conjugem accipiat, & ad hunc illi modum cum primis præscribat: Si vis in hac conjugii nostri societate permanere, cum primis necesse est, ut ab omnibus aliis viris abstineas, ac mihi uni conjugii fidem sinceram & infractam serves. Alioqui non poteris mihi esse conjunx, neque ero tibi maritus, si juxta me admiseris alios, & ad consuetam scortandi fœditatem recurreris. Quòd autem Israël diis alienis servierit in Ægypto, Josuæ ultimo videre est, ubi sic legimus: Auferte deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto, ac servite Domino. Itaque ob has causas non est lex ista temerè mox in principio Decalogi posita, quam utinam ii, qui primores sunt in Ecclesia Christi, penitius introspicerent: & ad illam non solùm cultus illos externos, sed & fidem, quam hodie Catholicam vocant, ritè conferrent.

CAPUT

Caput I.

De Atheismo.

Th. I.

UT granum exiguæ quidem molis eſt, virtutis verò non contemnendæ, quæ in plures fructus luxuriat; ita verba Legis hujus concepta ſunt quidem conciſè, ſed ambitu ſuo multa complectuntur, & quidem improbant *primùm* & prohibent Atheiſmum. *Qui* enim dicit, *non habebis Deos alienos coram me*, *ille* eo ipſo oſtendit ſe eſſe Deum, illud Numen & Bonum ſummum omnibus præponendum, & conſequenter agnoſcendum, colendum; *Qui* ſibi opponit omne id, quod eſt extra ſuam Eſſentiam, & removet ab illo cultum & venerationem, *ille* eo ipſo ſolus vult agnoſci, coli & pro vero Deo haberi; *qui* coram ſe non patitur ullum Deaſtrum, etiam in corde fabricatum & fictum, *ille* eo ipſo ſe exhibet Omniſcium, Cardiognoſten, Ens perſpicaciſſimi Intellectus, & conſequenter venerabile, amabile, ſancta cordis reſpondentis devotione timendum; unde eo ipſo exigit, ut agnoſcatur illius *Exiſtentia*, *quòd* ſcil. non ſit figmentum cerebri maleſani, ſed verè exiſtat, citra omnem noſtræ mentis operationem illius ſupereminens Eſſentia, *quòd* ſcil. omnes Deos, quicunque ſint extra ipſum, deſpiciat, longo intervallo poſt ſe relinquat, incomparabiliter tanquam creaturas & figmenta tranſcendat; illius *Majeſtas*, *quòd* ſcil. polleat infinitâ potentiâ, qui hominem tanquam creaturam ſuam à ſe ex nihilo productam poſſit obligare ad indiviſibilem ſui cultum; nobiliſſimum in univerſo corporum Ens, tanquam in ſolidum ab ipſo dependens, ſibi mancipare, & ſicubi à cultu ſuo remittat vel deviet, punire pro merito; infinitâ Bonitate, qui non tantùm ita gratioſè ſeſe revelarit ſuæ creaturæ, patefecerit eidem ſuam voluntatem de decenti & debito obſequio, ſed etiam ab omnibus peregrinis Diis, qui meræ vanitates, quorum cultus nihil niſi mœrores gignit, cujusque extremum æterna occupat ſcabies, revocare ad ſe tanquam ſummum Bonum, tanquam illum, qui Cultores ſuos æternum præmiare poſſit & velit, &, ſi quis fecerit hæc, quæ in

Deca-

Decalogo ſcripta, vita æterna beare, felicitate perenni coronare intendat; infinitâ Sapientiâ & perſpicaciâ, qui etiam occulta cordis molimina penetret, prima conceptuum lineamenta pervideat, initiales deſideriorum motus in alium præter ſe penitiſſimè cognoſcat, nec tantum hoc, ſed & quod omne id, quod extra ipſum ex creaturis in Idolum edolatur, ſive interiori & occulto, ſive exteriori Inſtrumento & Manu, ſit Deus Stercoreus, βδέλυγμα abominandum, vànitas omnibus vanitatibus contemtibilior, Mali Corvi malum ovum, & venenatæ radicis fructus peſtifer, Deus contradictorius, qui colatur corde, cum tamen ex illo fluxerit, dependeat, adeoque eo ipſo propter illam dependentiam non Deus, ſed Monſtrum, ſed figmentum cordis humani, quod tantum malum à pueritia. *Gen. 6. v. 5.*

II.

Vox ἄθεος non niſi ſemel legitur in Scripturis N. T. Paulus quippe deſcribens ſtatum miſeriæ, in quo Epheſii ante Converſionem, ita loquitur, *mementote, vos quondam gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea, quæ vocabatur circumciſio in carne, & quæ manibus fit, vos* inquam *illo tempore fuiſſe absque Chriſto, alienos à Republica Iſraelis, & extraneos à pactis promiſſionis, ſpem non habentes, καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ.* Ubi gentiles dicuntur ἄθεοι & ſpeciatim Epheſii, *non tam ratione ſimplicis abnegationis*, quaſi inficias irent, eſſe aliquod Numen in orbe, *quàm ratione Ignorantiæ* veri ſcil. Dei; qui enim filium non honorat, non honorat patrem, *1. Johan. 2. v. 23. & incompetentis cultus;* quem enim debuerunt vero Deo, illum traduxerunt ſiniſtrè in Dianam Epheſinam. Unde omnes homines propter Naturæ corruptionem, cùm non ſint meliores Epheſiis ante converſionem, dici poſſunt Athei, quia pariter ignorant verum Deum, aliud σέβασμα ſubſtituunt, & Creaturæ ſerviunt præ Creatore, *qui eſt Deus benedictus in ſecula, Rom. 1. v. 25.* quia præterea Apoſtolus diſertè de gentibus dicit *1. Theſ. 4. v. 5. ſciat unusquisque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione cupiditatis, ſicut gentes, quæ non norunt Deum;* quanquam enim gentibus attribuatur aliqua Dei notitia, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερὸν εἶναι in illis dicatur, & inviſibilia Dei à vel ex Mundo condito perſpici poſſe, æterna ſcil. Potentia & Divinitas, adeò ut ſint inexcuſabiles, afferatur ab

tur ab eodem Apostolo, *Rom. 1. v. 20.* nihilominùs firmum manet, gentiles omnes esse Atheos; quanquam enim impressum sit, firmiter esse Deum, nec ex corde hominis eradicari possit hæc πρόληψις, quanquam etiam Creaturæ jugiter suscitent & adspirent sensum de Deo Conditore universi; nihilominùs ab irregenito sibi relicto, & extra Revelationis Lumen in tenebris constituto, omnis illa anticipatio torquetur, & ad Numen, quod sibi fingit Gentilis, sinistrè & perversè obliquatur, flectitur.

III.

Gerhardus, Johannes Vossius, in opere erudito de origine & progressu Idololatriæ *cap. 3. pag. 17.* ita disserit: ἀθεότης dicitur nobis, quandocunque non agnoscitur Deus, & providentia ejus erga singulos, & in hac vita, & futura. Ita quadruplex est ἀθεότητος genus, aliud alio nequius. Primùm committitur illo, siquis eò furoris deveniat, ut, ad tempus saltem, quia non videt Deum, eò in animum suum inducere possit, nec esse Deum. Deinde si non colitur, vel saltem nonnisi ob naturam præstantem; non verò, quia quis opem ab eo, vel gratiam exspectet; quippe qui neminem amet, neminem curet, unde ἄθεοι dicti; qualis Epicureus omnis,

Parcus Deorum cultor & infrequens,

ut Horatio describitur. Exinde si existimetur, uti summates viri summorum curam gerunt; imis & minutis, alios præficiunt: ita Deos cœlestes de Procerum rebus laborare, non sperare illas homullorum: quod Cæsar tumultuanti ait militi apud Lucanum in quinto belli civilis. Semiepicureos, puto, non incommodè dixeris. Denique si Deus solùm colatur, ut remunerator in hac vita: quæ Sadducæorum mens erat; ut ostendimus in dissertatione de Rabbinorum temporibus.

IV.

An autem dentur Athei, non illius generis communis, quos Paulus arguit, sed speciatim tales, qui non esse Deum pronuntient, inter eruditos disquiritur; *practicè* quidem tales esse, vix dubitari potest, si attendatur, Religionem degenerasse in umbram, pietatem in Schema, Honestatem in prætextum libidinis, imò si ad scelera respiciatur, quæ passim grassantur, etiam inter illos, qui in Christianorum volunt esse numero & censu, quò referunt illa *Psal.*

14. v. 1. & 2. Timoth. 3. v. 4. 5. nam in allegato loco Psalmi eò nos ducit *primum* vox *Nabal*, quæ juxta Augustinum notat *imprudentem*, juxta Chaldæum *pinguem*, *obesum & crassum*, adeoque talem, qui non speculando excutiat sensum de Deo, sed imprudentiâ & defixo animo ad terrena, ventrem habens pro Deo suo; *Secundò* nomen Elohim; non enim adhibuit Essentiale Jehovah David, quod Ens Entium, sive Primum ratione suæ Essentiæ sistit, sed אלהים *Elohim*, quod Deum sub ratione Judicis repræsentat, ut intelligatur, non quidem tales negare Deum existentem, sed peccaminoso motu versari circa illius providentiam, & dicere, non esse Elohim; unde etiam paraphrasis Chaldaica: *non est potestas Dei in terra. Tertiò* verbum *dixit* אמר *Amar*, quod non tantùm notat conceptus alicujus effigiationem, sed & affectum præprimis connexum, cum corde, sede desideriorum, ita ut dicere, non esse Deum, idem sit, atque optare, velle, desiderare non esse Deum, qui videat, quæ patrant impii, qui curet res humanas, qui puniat & vindicet, videantur loca *Exodi 2. v. 1. 4. 2. Sam. 21. v. 16. 1. Reg. 7. v. 12.* Accedit, quòd nisi accipiatur de Atheis *practicè talibus*, cùm procedat Psaltes ad corruptionem universalem, nec non Paulus eò referat verba hæc, *Rom. 3. v. 10. & 11.* consequens sit, omnes homines in statu corruptionis fore Atheos *speculativè tales*, qui sensum de Deo non habeant, persuasi sint, nullum esse in Orbe Numen; quod oppidò absurdum! In loco autem allegato & laudato, *ex 2. Timoth. 3.* præter evidentiam verborum, pro nostra sententia militat catalogus vitiorum moralium ab Apostolo recensitus, descriptio illorum quos incusat, qui φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι; & si Gnostici notantur, ut volunt Interpretes, planum est, non notari Atheos speculativè tales, sed practicos Borboritas, & in omni cœno voluptatum sese volutantes, atque eo ipso ostendentes, sese à cœlo esse averso animo; Expressio *denique* Typi præscripti sufficientis, non tantum ad notitiam Dei qualemcunque, sed etiam salutarem. Dicit enim Apostolus, illos habere μόρφωσιν εὐσεβείας, Formam & Normam præscriptam Veritatis, Scripturam scil., prout de Hypocritis dicitur, *Rom 2. v. 19. & 20.* quòd habeant μόρφωσιν τῆς γνώσεως, & vim nihilominùs & valorem ejus abnegent. Vel, si placet μόρφωσιν accipere de specie pietatis, Apostolus hoc intendet, tales quidem ludere

dere ſpecie virtutis & umbrâ, prætexere titulum ſpecioſum pietatis actionibus ſuis, opere verò eſſe perverſiſſimos , atque ita vim illius ipſo facto abnegare & evertere.

V.

Num verò *ſpeculativè tales* dentur aut dari poſſint, majoris videtur eſſe difficultatis. Nam *primò* Notitia Dei Naturalis tum inſita tum acquiſita, cum ſit in ordine accidentium, habitus cujusdam ſuperadditi potentiæ, vel etiam diſpoſitionis rationem habeat, videtur poſſe excuti & aboleri, prout multa in mente poſſunt deleri , obliterari, *vel* neglectu exercitii , *vel* mora temporis & oblivionis, ſomno *vel* alio aliquo caſu extraordinario, *aut* violentia. De Beza ſanè refert Thuanus, Eum, antequam moreretur, præſentium memoriam debilitata mente amiſiſſe. *Secundò* cum nemo ſciat, quid ſit in homine , præter Spiritum illius, qui eſt in ipſo, nemo profundos illos receſſus cordis humani penetrare valeat , ἀκμὴν illam impietatis ex corruptione illa univerſali perſpicere, præter ſolum Deum, non videtur eſſe negandum, eousque figmentum cordis humani, quod tantum malum à pueritiâ, poſſe aſſurgere, ut etiam Deum eſſe non credat, neget, imò impugnet , aut ad minimum in ſuſpenſo relinquendum hoc ζήτημα cenſeat, propter defectum fundamenti, & temeritatis poſſe argui illum , qui hic ſimpliciter definit , imprimis quia Empectæ, qui forſan aliquandiu, aut per annos integros , de Deo non cogitant, niſi per ludibrium, ita in Malo hujus impietatis per Imprudentiam confirmari poſſint. *Tertiò*, quis neſcit *fuiſſe* quam plurimos, omnì ferè ævo hoc vitio infames; Diagoram Molium Poetam, Prodicum Coum, Euhemerum Tegeatem, Critiam, Theodorum Cyrenæum , Protagoram, Abderitam, Epicurum, & alios , quis neſcit *eſſe* noſtrô tempore Aretinos, Rableſios, Vaninos, & alios iſtius furfuris homines, Machiavelliſtas ex Politicis, Scepticos ſpinoſos ex Philoſophis, tepidos ex Theologis. Julius Cæſar Scaliger, qui in Galliâ vixit, infinitum penè numerum Atheorum ſe noviſſe teſtatur, Merſennus verò in Lutetia, anno hujus ſeculi vigeſimo tertio, 50000 numerari ſcripſit , vocanturque tales in Regno illo Deiſtæ & Degrues. Priori quidem nomine inſigniuntur , quia præferunt aliquam notitiam Numinis, Providentiam verò & Juſtitiam Divinam negant, poſteriori verò indicant, ſe non eſſe grues,

G. 2 unde

unde etiam dicuntur Esprite forts, confirmati scil. ad nihil credendum, nè forsan fallantur, sed animum à periculo omnis illius erroris præmuniant.

VI.

Ex adverso militare videtur iterum unum atque alterum argumentum; nam *primò* γνῶσιν τῦ Θεῦ omni homini venienti in hunc Mundum est per Naturam insitum, teste Paulo *Rom. 1.* Occursu creaturarum jugiter excitatur, quæ nihil aliud sunt, quam vestigia Numinis Sapientissimi, potentissimi, optimi Maximi. Prostitutione Universi stimulatur, quæ Musicum Dei organum. Operum Propositione roboratur, quæ semper, plusquam porticus Olympia ἐπίφωνος, reboant Deus, Deus, Deus. *Secundò*, si ad illum gradum Impietatis homo pervenire posset, posset etiam excutere legem Naturæ, prima principia practica & theoretica evertere, & abolere conscientiam, imò talis homo esset pejor ipsis Diabolis, qui credunt esse Deum, sed contremiscunt. *Iacobi 2. v. 19. Denique* ut opponitur Experientia, quæ testatur, aliquot fuisse Atheos, ita Experientia Consensum gentium universalem ostendit, quæ in hoc conspirant, esse Deum, esse Authorem quendam omnium, esse Rectorem universi; omnes enim, ut Aristoteles testatur, de Deo ὑπόληψιν, seu, ut Cicero ex Epicuro loquitur, quandam sine doctrinâ anticipationem Dei sive prænotionem habent in animo, nec ulla gens tam fera, nemo omnium tam immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Legatur ex profanis Seneca, *Epistola 117.* Maximus Tyrius, *Dissert. 38.* Plutarchus *in Colote*, ex Christianis verò Clemens Alexandrinus, Lactantius, Arnobius & alii.

VII.

Tantum autem non est distantiæ inter has Sententias, ut nullo medio coire queant, nullo veritatis glutine adhibito ita temperari, ut, quod unaquæque habet sinceri, in alterum conspiret. *Prima* hoc tantum evincit, posse dari Speculative Atheos, qui scil. ad tempus sensum illum reprimant, in argumentis quibusdam confictis contra Existentiam Numinis hæreant, & vel negent, vel etiam impugnent illud principium de Existentia primæ Causæ; nec argumenta satis sunt solida, si ultra concessionem nostram extendantur. *Primum* enim non concludit, quia *primò* etiam illud, quod habet

habet rationem Accidentis vel superadditi, ita potest esse infixum, ut naturaliter separari non possit, quod liquidum in illorum Sententia, qui Intellectum & Voluntatem ab Anima rationali distinguunt. *Secundò*, quid fiet de primis principiis theoreticis & practicis stante hac sententia, de Conscientia & Judicio tum antecedente tum subsequente actuum moralium? neque par ratio habituum acquisitorum, & potentiæ superadditorum studio & industria hominum, & illorum, qui primitus concrediti, infixi, cum facultatibus naturalibus insiti. *Tertiò* homo non debet tantum considerari, ut Ens quoddam Naturale, sed etiam, ut ita loquamur, tanquam Ens morale, quamvis enim non repugnet, extingui notitiam naturalem in illo, in quantum spectatur secundum esse Naturale, cum non implicet; tamen si consideretur secundum esse morale, in quantum præ cæteris creaturis irrationalibus in ipsa creatione & à primordio sui esse in illum deductus est statum, ut nexu indissolubili obligatus fuerit ad agnitionem & cultum Dei, instructus iis præsidiis, quæ faciunt ad finem, superiorem fini omnium aliorum animantium, impossibile censemus, hoc sese nexu posse exsolvere, vel illa, quæ faciunt ad illum, penitus excutere & delere, &, ut de Beza refert Thuanus *lib. 134.* præsentium memoriam debilitata mente amisisse; ita præteritorum, dum valebat ingenio, impressam servasse, unà testatur. *Alterum* Argumentum itidem nervis caret & robore. Nam *primò* si ex eo, quòd nemo scit, quid sit in homine, concludi poterit, dari Atheos Speculativè tales, sive dari posse, pariter concludi poterit, dari vel ad minimum dari posse homines, qui careant etiam primorum principiorum theoreticorum vel practicorum notitia, & quæ ab omnibus circumfertur conscientiâ. *Secundò* si nemo scit, quid sit in homine præter Spiritum hominis, potiùs concludendum ex hoc principio, occultum esse, quod Atheismus Speculativus niduletur, aut foveri possit in Corde humano, vel ad minimum relinqui hoc ex utraque parte in suspenso, attendendo ad hoc præcisè principium. *Tertiò* utut non possimus scire, quid in homine, Cor illius inspiciendo, latebras Mentis perscrutando, possumus tamen pronuntiare de illo *partim* ex Revelatione Divina, *partim* à posteriori ex indiciis & vestigiis, quæ ad occultos recessus viam parant & ostendunt; cùm itaque Scriptura urgeat τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, illud firmiter fixum indicet,

cet, cum Creaturarum Speculum semper reflectat, cum Conscientia nunquam non, si non vivida, tn. languens, hominem comitetur, cum insuper nulla gens adeò extra leges moresq; projecta, teste Seneca, ut non aliquos Deos credat, ideoq; partim Scripturæ præsidio, partim Consensus illius Universalis adminiculo, ducimur ad anatomiam cordis humani, quod, ut Ignatii per Spiritu habuit inscriptū JESUM crucifixum, ita per digitum Dei, esse Deum, inscriptum habet, quicquid exterius dicatur, agatur, simuletur, justitia in injustitia detentâ, nec temerarium illud effatum, quod Scriptura & ratione nititur, & in solido fundatum subsistit; quemadmodum nullius temeritatis argui potest, qui dicit: *omne figmentum Cordis humani tantum esse malum à pueritia*, etsi nullus alterius cor inspexerit, cum sufficiat, Deum hoc dixisse, nec experientiam abnuere, quæ de abominandis fructibus luculenter testari potest. *Tertium* non obest; nam *primò* posito, recensitos fuisse Atheos speculative tales; non tn. fuerunt tales per Naturam, sed per excæcationem, nec per omne tempus, sed secundum intervalla, nec fixo conceptu, cum abolitione omnimoda oppositi, sed volatico dubio aut etiam interciso. *Secundò* non unius ejusdemq; generis fuerunt recensiti; quidam enim mitiores, quidam rigidiores fuerunt, & num pauxillos illos tanti æstimabimus, ut aliquo eos loco habeamus, præ infinitâ illorum copia, qui contrarium docuerunt? præsertim cum quanto quisq; vir melior fuit, tanto minus de eo dubitarit. *Deniq;* credibile potius, illos Philophos fuisse Idolorū contemtores, quàm Atheos; Socrates sanè Deastros Atheniensium sprevit, plus Divinitatis tribuens suo Hirco, quàm Jovi lapideo, Diagoras contra Herculis statuam sæviit, & illâ in ignem conjectâ dixit, hunc quoq;, post tot tantosq; exantlatos, laborem eidem esse subeundum. Euhemerus Deorum genealogias risit, & demonstravit, illos, quos colerent ut Numina, fuisse homines & ex mortalium censu. legatur Philippus Mornæus de Veritate Religionis Christianæ *cap. 1. p. 12.* qui sequentia habet: Inter doctos, etsi sectarum olim non erat modus, Atheos nominavit Antiquitas Diagoram Melium poëtam, Theodorum Cyrenæum, Euhemerum Tegeatem, & alios perpaucos. Quos sanè, si accuratiùs examines, idola & gentilitios Deos risisse potiùs, quàm Deum negasse videas. Novimus verò & ejus generis multos, in vestigando mendacio, retegendáve superstitione,

ne, ſagaces & argutos; veritatis interim perquirendæ parum ſtudioſos, & in religione examinanda aut obſervanda hebetes & ſupinos. De Diagora ſcitum eſt illud, cùm Herculis ſtatuam foco apponeret: In hoc decimotertio agone, ut quondam Euryſtheo, mihi inſervias oportet. Sic in ligneum Deum jocabatur. At idem poëma ſuum ſic orditur: Quod à Numine ſummo reguntur omnia. Narratur alius quidam, Ægyptios his verbis increpaſſe, ſi dii ſunt, cur plangitis? Si mortui, cur adoratis? Et hic quoque vanitatem idolorum arguebat. Ad Euhemerum Tegeatem quod attinet, conſtat Atheum cognominatum, quòd gentilitiorum deorum hiſtoriam, genus, originem verè ſcripſiſſet; nimirum Reges, Magnates, Heroas fuiſſe, quorum ſtatuæ in idola, res geſtæ in ludos annuos, honores tandem in divinum cultum, tractu temporis & gliſcente poſterorum adulatione aut ambitione, degeneraſſent. Ecquis verò non idem hodie & credat & profiteatur? Objicientur Sceptici; qui non tam negarunt, quàm aſſenſum, ut in omnibus, ſuſtinuerunt. Convellunt verò hi ex profeſſo omnes diſciplinas, etiam quæ in demonſtratione conſiſtunt, & ſenſuum judicium ſuſpectum habent; quin etiam, exiſtant ipſi necne, pronuntiare verentur. Audiamus tamen, quid hoc inſipientiæ genus adverſus hanc fidem, quam Mundus prædicat, Populi adorant, Sapientes venerantur, comminiſci tandem poſſit. In ſumma, ajunt iſti: Qua ratione Deum credere debeamus, quem non videmus? Stulte, quicunque hanc ſectam aut ſequeris aut imitaris; & eò magis, quod tibi ipſe ſapiens videris; credis Solem in ergaſtulo, in imo barathro, quia radios per rimulas ſpargit: Deum, cujus ſplendor in Solem, in Lunam, in aſtra diffunditur, quo aër, terra, mare collucent, quo ipſe tu & vides & videris, non vides, non credis, non aſſeris? Arborem nunc primùm videris; te ſtatim mens tua ad radicem ducit, quæ terræ ſubeſt. Amnem ſpectes; raperis continuò ad ſcaturiginem; & hæc fortè longiſſimè diſſita eſt. Homuncio, ut te arbor à ramis ad radicem duxit, non te & radix ad nucleum ducet, & nucleus ipſe ad eum, qui nucleo vim dedit? Ut te amnis ad ſcaturiginem, non te ſcaturigo ad originem ſuam evehet; præſertim cùm quicquid fluit, capite principioque carere non poſſit? Cogitate in Indiam, in oram aliquam incultam & ſylveſtrem appellere, occurrit tibi caſula ex avulſo

ceſpite.

cespite. Quid illico tibi in mentem venit? Insula hæc, ais, non caret incolis; hac domo aliquis transiit: progrediendum ulterius, num aliquem invenire possimus, nimirum vestigia humani ingenii vides, etsi pedum nulla apparent. Scis autem, ibices, quos obiter de rupibus pendentes vidisti, nihil ejusmodi aut facere aut excogitare posse. Jam prodis tu in hanc lucem: obvia sunt passim, quæ non potest homo fecisse, non toto vitæ tempore aut intelligere aut cognoscere. An non statim concludere debes, an non vel ab ipso limine in hæc verba mirabundus erumpere? Hac spiritus Domini transiit, hac Deus iter fecit; aliquid homine superius, homine præstantius sit, necesse est. Legimus, quibusdam, qui non nisi visa crederent, arte magicâ dæmonas exhibitos: his conspectis, Deum etiam credidisse. Præposterum erat, diaboli manu ad Deum deduci. At ex his, quæso, quæ credis, quantula vides, quantula conspicua sunt? Stirpes anima præditas credis (quis enim diffiteatur?) facultate, inquam, qua vigeant, augescant, virescant. Stirpes vides, in stirpibus hos effectus: hanc animam, hanc facultatem, & ubi sit, non vides, &, ubi lateat, ignoras. Credis & animalia animâ prædita, qua moventur, qua sentiunt; nihilo magis eam vides. Credis denique te mente pollere, excellentiori inquam, qua de animalibus, de homine, de teipso ratiocineris & disseras. Excute vita functum, nil mutatum in partibus, nil exemtum toti corpori animadvertes. Agedum, ubinam latebat hæc facultas, & ubi tandem animam vidisti? Si credis, quia effectus vides, quos causam præcedere necesse sit; & ego te per effectus obtestor. Sin oculos tantùm testes habere vis; nec absente animâ quicquam oculi vident; nec præsentem, qua omnia vident, videre possunt. Denique faciem tibi esse credis, quam non nisi in speculo cernis; Deum, cujus vultum vel in minimis splendentem vides, aut negas, aut ambigis, aut asserere cunctaris? Quidam, ut argutuli videantur, sic disputant: Si Deus est, anima est: alioqui sensibus non frueretur: & si sensibus fruitur, mutatur; & si mutatur, corrumpitur: & si corrumpitur, perit. Bruta vero animalia, quæ præter brutum, nil concipere possunt. Alii: Si Deus corpore caret, caret & anima: si anima, & proinde actione. Sin corporeus est, etiam corporis mutationibus obnoxius est. Quasi non anima sola agat, non sola actio-

nis

nis compos sit in corpore. Corpus autem quid, nisi moles, quæ animæ impulsu nutuve agitur & movetur? Rursum: Si Deus est, beatus est: si beatus, virtutibus certè, inprimis continentiâ. Quòd si continens est, appetit, & appetitu tentatur: quod de Deo cogitare absurdum est. His absurdis, ad absurdissimum illud, quòd Deus non sit, imperitos deducere volunt, qui aut non advertunt, aut certè advertere nolunt, quod rectè Plutarchus docuit, non esse propriè virtutem, Continentiam, sed iter ad virtutem, nimirum Temperantiam. Continens enim qui dicitur, affectus suos fræno compescit; Temperans nutu regit, & dicto audientes habet. Est verò in Deo longè sublimius quid, cùm & Deus ipsa Ratio sit, & extra Deum Ratio nusquam verè esse possit. Itaque elegantissimè de ejusmodi hominibus Xenophanes, si animalibus, inquit, pingere daretur, Deum procul dubio sibi similem fingerent: quia scil. nihil animal animali superius cogitare potest. Sunt hæc Scepticorum argumenta vel pueris ridicula: at qualia adversus tam apertam & manifestam veritatem cogitari & fingi poterant: Nec asserere verentur, suos sibi elenchos & paralogismos satis notos fuisse; verùm his, de omnibus ambigere, ac nihil planè certi habere, religio quodammodo erat.

VIII.

Facile his expeditis judicatu est, quid de posterioris ordinis Argumentis sit censendum; *si* enim eousque urgeantur, quasi hominum Impietas non possit eousque progredi, ut neget esse Deum, ut ad aliquod tempus, etiam intus in ipso Animo, à sensu divinitatis cesset, rationes contra Existentiam vel Providentiam, partim pravitatis abundantia, partim Diaboli potentia conquirat, illis inhæreat, illas non admittimus, *sin* verò eum in finem producantur, ut hominem accusent de Divinitatis sensu, contra tot stimulos neglecto, contemptim habito, & per vim ad tempus represso, intendantque non dari tales Atheos, qui figere possint mentem in hoc conceptu: *Non est Deus*, omnem abolere notitiam & sensum, habitu plane opposito se obfirmare, manum jungimus. Quicquid enim homo moliatur, non poterit excutere sensum de Deo simpliciter, quicquid dicat exterius & blasphemet, non poterit rudera residua evertere, quicquid obstrepat vel Scripturæ vel Experientiæ & communi con-

ſenſui populorum, non poterit Conſcientiæ fibras evellere & negare Deum; præprimis ſi digitum illius ſentiat pulſantem in foculis animi, præſidentem huic tribunali, atque ad rationes vocantem, judicantem & condemnantem, de quo Paulus *Rom. cap. ſecundo*.

IX.

Patet *primò* ex diſputatis hactenus, impium & temerarium ſeſe exhibuiſſe Caramuelem, qui *lib. 2. Theologiæ moralis, numero 1301*. ſententias ſuorum retulit, quod ſcil. quidam aſſerant, poſſe dari invincibilem Dei Ignorantiam, quoad aliquod Tempus ſaltem breve, & illi ferè ſint Scholaſtici omnes; paucos verò qui admittant, poſſe dari hominem bono judicio præditum, qui invincibiliter tota vita Atheus ſit; pauciores verò qui concedant, dari poſſe Rempublicam, quæ invincibiliter Deum ignoret, & non ſubobſcurè ſubſcripſit, addens, ſanè multas Reſpublicas fuiſſe, & quidem bene gubernatas, à quibus omnis Deorum cultus proſcriptus, apud excellentiſſimos Authores videri, Exemplo petito à Veteribus Hiſpaniarum Galleciæ & noviter ſubactis Indiarum aliquot populis. *At primò*, quomodo potuit vel unius alicujus hominis, nedum integræ Reipublicæ Ignorantia eſſe invincibilis? *cùm* γνωςὸν τȣ̃ Θεȣ̃ Paulus aſſerat manifeſtum eſſe in Gentibus, radium hunc de Dei exiſtentia micare etiam in tenebris, prima inter Principia principatum obtinere; *cùm* univerſum hoc omnibus proponat, tanquam Speculum ſummi Architecti, nec Creaturam occurrere velit, niſi cum veſtigio Divinitatis. *Secundò* quomodo probabit, abſque Numinis ſenſu Reſpublicas illas fuiſſe benè gubernatas, expunge ſenſum omnem de Deo, & attende, num non confeſtim nexus ille, qui eſt inter ſuperiores & inferiores, ordo Imperantium & parentium laxetur, quomodo benè gubernabuntur Reſpublicæ, ſi fulcra Regiminis ſubtrahantur? Qui ad felicitatem contendet Civis, cujus Rector nihil de felicitate novit, nec illum eo deſtinat, nec quam optimum reddere geſtit? *Tandem* qui ſunt illi Excentiſſimi Authores, qui teſtantur multas Reſpublicas, & quidem benè gubernatas, à quibus omnis Deorum cultus proſcriptus? contrarium docent ipſi ſocii ex profanis & Sacris Scriptoribus, Plutarcho, Cypriano, Tertulliano, quorum ille ita contradicit: Peregrinantibus multas contingit occurrere abſque mœnibus urbes, abſque ſtudiis litterarum, abſque Regibus, abſque auri argentique

uſu,

usu; quibus ignota prorsùs theatra, & gymnasticæ omnes exercitationes: quinetiam quibus nullæ sint domus, sed tuguria duntaxat, & mapalia. Nusquam autem extat urbs aut oppidum, quibus nullus sit Deus, nulla juramenta, nullæ preces, nulla sacrificia ad bona curanda, & mala impendentia prævertenda. Talem urbem nemo unquam vidit, aut verò videre potuit: potiusque sine Sole, quàm sine Deo ac religione, urbem quis conspexerit. Hi enim sunt nervi totius humanæ societatis, & fundamenta, sine quibus nullæ leges vigere, nulla politia consistere queat. Iste ita: Vulgus, inquit Cyprianus, in multis Deum naturaliter confitetur, cùm mens & anima sui Authoris & Principis admonetur. Dici frequenter audimus, ô Deus, &, Deus videt, &, Deo commendo, &, Deus mihi reddet, &, quod vult Deus, &, si Deus dederit. Atque hæc est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis. Hic vero in Apologetico *cap. 17.* Quod immensum est, inquit, soli sibi notum est: hoc quod est, Deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita eum vis magnitudinis & notum hominibus objecit, & ignotum. Et hæc est summa delicti nolentium cognoscere, quem ignorare non possunt.

X.

Liquet *secundò* minus dextrè sese gessisse Renatum de Cartes, & qui illum sequuntur, dum scilicet permiserunt homini Dubitationem de Existentia Dei; nam *ita* licitè agetur contra id, quod de Deo manifestum est in nobis, & veritas in injustitia detinetur, quod Paulus detestatur & reprehendit; *Ita* Menti nostræ, quæ aliâs prona est in dubitationem post lapsum, frigida suffundetur, ut intendat excutere sensum divinitatis, diaboli tentationibus sese subjiciat, ut tandem in consummatum quasi Atheismum ruat. *Ita denique* contra obligationem primi præcepti permittetur, id quod tam sanctè exigit Legislator, tam severè præcipit, tam studiosè commendat. Neque commodè effugium quæritur, si dicatur, suaderi dubitationem, ut ad certitudinis Metam hac viâ contendatur, & liquidiùs innotescat, quod hactenus confusum, tenebrisque circumseptum; Non enim finis à dubitante intentus ipsi operi, quod in se putidum, adflabit Bonitatem, colores & Lumina dispensabit, *cùm*, quæ benè intenduntur, etiam debeant bonis procurari mediis, nec facienda

ſint mala,ut eveniant bona, præſertim in tali caſu, ubi vis infertur ipſi Naturæ, ipſi lumini divinitùs inſito.

XI.

Conſtat *Tertiò*, injuriam paſſos Chriſtianos veteris Eccleſiæ, dum accuſati fuerunt Atheiſmi, ut conſtat ex Arnobio, *lib.* 1, 2, 3, 4. Verùm *primò*, qui Athei illi, qui agnoverunt Deum Legislatorem, attenderunt ad illud: *Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me? Secundò* Athei ne ſint illi, qui neque ædes ſacras ad officia conſtruunt, nec Deorum ſimulacra conſtituunt, nec altaria fabricant & aras, nec cæſorum animantium ſanguinem aut thura frugesque ſalſas, non denique vinum liquens paterarum infuſionibus inferunt? num illi Athei, qui Templa Deorum, fana gentilium, ut buſta, deſpexerunt? Num illi Athei, qui Deos deſpuerunt, Jovis aut Apollinis ſimulacro aſſiſtentes maledixerunt illi: ex quibus quidem cauſis conſtat Chriſtianos habitos fuiſſe ἀθέους. *Tertiò* vanum fuiſſe id omne, quod objectum Chriſtianis, dilucide oſtendit Juſtinus Martyr in Apologia ad Antonium ſcribens: Ὁμολογοῦμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων Θεῶν ἄθεοι εἶναι, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ ἀληθεστάτου, καὶ πατρὸς δικαιοσύνης, καὶ σωφροσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτου τε κακίας Θεοῦ. ἀλλ' ἐκεῖνόν τε, καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα, καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν, Profitemur, nos iſtos, qui pro talibus vulgo habentur, Deos haud agnoſcere, eorumque intuitu Atheos eſſe; at non reſpectu veriſſimi illius Dei, Patris videlicet Juſtitiæ, caſtitatis, aliarumque virtutum, ab omni vitiorum admixtione alieni. Sed hunc ipſum, & qui ab eo venit, atque iſta nos docuit, Filium, Spiritumque Propheticum, colimus & adoramus.

XII.

Secundò incuſant hæc verba Polytheiſmum; nam ſi non ſunt habendi Dii alii vel alieni, eo ipſo excluſi erunt Dii omnes, præter unum; ſi non alii vel alieni, omnis is, qui alius, qui non Deus Iſraelis, non erit σέβασμα divinum; ſi non habendi Dii alii, vel alieni, nulli præter quam uni deferendus erit cultus, nullus niſi verus Deus agnoſcendus, amandus, amplectendus erit; adde, quod hæc verba ſequuntur illud illuſtre procemium, *Ego ſum JEHOVAH Deus tuus, qui eduxi te è Terra Ægypti, è domo ſervorum;* qui itaque non eſt JEHO-

JEHOVAH, Ens quoddam Independens, omnibus Esse tribuens; qui non est Deus populi Israelitici, Bonum suæ Ecclesiæ; qui non eduxit brachio potenti è terrâ Ægypti, è domo Servitutis, ille eo ipso submovetur ab illa Eminentia, quæ Deum sistit, cultus religiosi objectum fundat, cumque ut ipse Deus Israëlis loquitur: *Dominus Deus hujus populi sit JEHOVAH unus Deut. 6. v. 4.* multitudo cum illa unitate indivisa indivisibili erit incompossibilis. Inde rectè Athanasius in Oratione contra Idola: Multitudo Numinum Nullitas est Numinum.

XIII.

Latissimè autem hoc malum grassatum fuit, & olim & hodie, atque *ut* ipse Atheismus certa ratione cœpit in Paradiso, Protoplastis à vero Deo deficientibus, *ita* Polytheismum illi connexum eodem tempore invexit Diaboli versutia; *Primò* enim calumniatus fuit Serpens, ut loquitur Cyrillus Alexandrinus, supremam atque ineffabilem Naturam, & multitudinis Deorum doctrinam animis primorum hominum immisit; *tùm* promovit sese in familia Caini, quæ ut separavit sese ab Ecclesia vera, ita à vero unius Dei cultu dilapsa fuit, ad Mentis propriæ Phantasma; *Denique* post diluvium ad Idololatriam etiam externam progressus, vires acquisivit in posteritate Chami, præsertim verò Sabæis, qui tempore Serugi emergere cœperunt; imò ipse Cham, per multa secula cultus fuit sub nomine Jovis Ham seu Hammonis; unde Herodotus in Euterpe, Ammon Ægyptii Jovem vocant, & Lucanus *lib. 9.*

Quamvis Æthiopum populis Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis unus sit Juppiter Ammon.

XIV.

Percurramus autem Catalogum Deastrorum, quem partim ipsa Scriptura, partim Historia profana etiam suppeditat. Apud Assyrios in veneratione fuerunt A S I M A, quem *quidam* voluerunt, cum Esra Levimin Tischbi, expositum sub forma Simiæ vel Cercopitheci; *quidam* verò cum cæteris Ebræis & Grotio, sub Imagine Hirci; *quidam* denique cum Seldeno ἱππόχυον. A D R A M E L E C H, qui *vel* Muli habuit speciem, juxta Thalmud Babylonicum; *vel* Pavonis, secundum Hiersolymitanum, atque cum Molocho Deastro Ammonitarum summam habuit cognationem, utut figura fuerit illi diversa, qui, ut vult Grotius, fuit Saturnus, cui præluserunt Mor-

næus & Drusius, secundũ alios Mars, quò inclinat Kircherus. ANAMELECH, quem *quidam* asserunt fuisse ipsum Molochum, *alii* cum Grotio Jovis Stellam, quibusdam nubes sive protectio contra Molochum, benignum sydus maligno oppositum; cultus autem fuit ille *vel* sub specie Phasiani, ut docet Thalmud Hierosolymitanum, *vel* coturnicis *vel* Equi, Martis Vectoris. NERGAL, qui *vel* splendida Solis imago, *vel* figura Galli, secundum Kircherum; denique NISROCH, de cujus forma nihil pronunciare vuit Seldenus, Kircherus verò statuit, Naviculæ fuisse Imaginem, in memoriam Arcæ, quæ quondam vexit Noachum cum suis, quanquam alii malunt Aquilam notari, vel Avem Noachi; nec negari potest, Assyrios in ὀρνιθολατρείαν fuisse pronos. Denique inveniuntur, qui Nisrochum provinciarum Regem sive Heliogabalum interpretantur. legatur *cap. decimum septimum. 2. Regum. à versiculo vigesimo septimo usque ad versiculum trigesimum primum & Commentatores ad illum locum.*

XV.

Pergimus ad Ægyptum, in quo, si unquam alibi, vilis fuit annona Deorum. Occurrit autem hîc primùm REMPHAN, de quo variæ veterum conjecturæ. *Quidam* suspicati sunt illum Lunam notare, *alii* Syrium, quo cum Sole Oriente Nilus exundat; Græca enim vox Κύων canem designat, à cujus exortu cosmico annum Ægyptii inchoabant; *alii* Jovem altitonantem. Capellus vult, fuisse Remphim Regem, qui Josephum Ægypto Regem præfecit, & pro Deo cultum eundem cum Api, quem bovis figura, ob somnium vaccarum, adoratum asserit. Ludovicus de Dieu originem vocis quærit in Arabia, atque exponit virtutem, quæ movendo & agitando super omnes res, eas quasi excludit & existere facit. Præferenda verò videtur omnibus Sententia Salmasii, de quo ipse Ludovicus uno verbo nos expedit, docens vocem esse Ægyptiam, in eâ enim linguâ Saturnum significat, quod ostendit Alphabetum Ægyptiacum; consulatur Lucas in Actis Apostolorum, *cap. 7. v. 43.* Succedit THAMUZ, cujus mentio fit Ezechielis *cap. 8. v. 15.* hunc verò fuisse Osiridem Ægyptiorum, qui vicina voce Ammuz Herodoto, & Plutarcho; Maimonides & Kimchi conjiciunt, fuisse illum Magum insignem & PseudoProphetam, Hieronymus Adonidem. Videantur Junius, Seldenus, Grotius, Kircherus. Fuit autem Idolum,

lum, quod intrinſecus calefecerunt, cujus oculi plumbei, qui calore ita liquefacti ſunt, ut viſi fuerint lachrymare, tunc dicentibus Mulieribus; *Ecce, Munus poſtulat!* ſi fides Salomoni Jarchi. Sequitur APIS, qui Bovis retulit Imaginem, & ex auro fuit fabrefactus; quanquam Ægyptii etiam vivos Boves coluerint, de quo videndi Euſebius, Strabo, Plutarchus, & præprimis Plinius *lib. 8. cap. 46.* Quidam confundunt hoc cum Thamutz; quidam ſtatuunt, fuiſſe Numen averruncum à Magis Pharaonis, ad conſtellationem certam cœli fabrefactum, quo terrerentur Iſraelitæ, & remearent in Ægyptum, de quo videatur Athanaſius Kircherus in Oedipo.

XVI.

Moabitarum Regio, ut pinguis, ita nec ſterilis in Deorum cultu; venerati quippe ſunt hi Lothigenæ BAALPEOR, cujus meminit Moſes *Num. 25.* quique dictus ita à diſtenſione *vel* ipſius Idoli, quod hiantis oris, *vel* cultorum, qui aut plane nudi illud acceſſerunt, diſtentis atque revelatis veſtimentis ſacra celebrarunt nefanda, *aut* diductis faucibus oſcula fixerunt, *aut* coram illo foramen podicis diſtenderunt; neque alius fuit, quam Priapus, quod docere poteſt locus allegatus ex *Numer. c. 25. v. 1. & ſeq.* nec non *Joſuæ c. 22. v. 17.* adde *Apoc. c. 2. v. 14.* præter hoc cultus fuit quoque CAMOS ſive Cemoſch, de quo *Jeremiæ c. 48. v. 13.* *quidam* volunt notare palpantem, *quidam* abſconditum, *quidam* properantem; ex occaſione etiam derivationis in diverſa abeunt; probabile autem eſt, notatum fuiſſe hoc nomine Saturnum vel tetricum vel abſconditum. Hûc referunt Idolum ASTAROTH, cujus derivatio eſt in ambiguo, *quibusdam* à gregibus, *quibusdam* ab imaginibus factis ad formam Ovium, *quibusdam* à victimarum multitudine, *aliis* à fœmina Regina Aſtharoth, *aliis* à loco ſeu urbe Aſteroth in dimidia tribu Manaſſe, in qua reperti fuerint fabricatores hujus Idoli, deducentibus. Præferunt tamen moderni Kircheri ſententiam, qui *vel* ab Arabum Phænicio זהרה id eſt Venere *vel* ab Ægyptiaco *σεγωτ* hanc vocem derivat, de quo *Judic. 2. v. 13. 1. Sam. 7. verſ. 4. 3. Reg. 11. v. 5.* Lunam verò ſive Venerem ſub hoc nomine cultam fuiſſe eruditi conjiciunt, nec tantùm apud unum populum, ſed quamplures, Ægyptios ſcil. Zidonios, & Philiſtæos, ad quorum Deaſtros properamus, ſubmittentes illud Plauti in Mercatore.

Diva

Diva Astarte hominum deorumque vis, vita, salus, rursus eadem quæ est
Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, cœlum, sydera
Jovis, quæcunque templa colimus, ejus dicuntur nutu, illi obtemperant,
Eam spectant: quod illi displicet, facilè excludunt cæteri.
Quicquid complacitum, id sequuntur quæ vivunt omnia, atq; sentiunt.
Alios enecat, extinguit, alios suo lacte fovet, atq; erigit, sed quos enecat,
Hi vivunt, & sapiunt: quos properat alere, ac rigere,
Hi quidem confestim pereunt, atque male sapiunt miseri &c.

XVII.

Philistæorum Numina fuerunt: BAALSEBIIB, qui in Scripturis Accaronitis tribuitur 2. *Reg.* 1. & à Musca fuit dictum, *vel* quòd illas abigere sit solitus, *vel* quod hac sub imagine diabolus fuerit cultus, ab Accaronitis, *vel* quod ita dictus à Judæis in contemtum. In N. T. eidem respondet nomen Baalzebul, sive Deus stercoreus, *Matth.* 12. *v.* 24. DAGON, 1. *Sam.* 5. *v.* 4. Azotensium fuit Deaster, cujus nominis origo vel est דגן, quod frumentum significat, vel דג piscis; quamvis autem aliqua propriore sententia videantur militare argumenta, præfertur tamen posterior derivatio, quia ipsa figura illius desiit in piscem, in quo conspirant Kircherus, Abarbanel.

XVIII.

Syri in Deum sibi legerunt GAD, quæ vox occurrit *Gen.* 30. *v.* 11. quam *quidam* accipiunt de sidere Fortunæ, *quidam* de stella Jovis, *quidam* de Marte, qui victoriam largiatur, & præcinctis militibus spolia dividat: allegato autem in loco eò respexisse Leam doceri nequit, nec admittunt promiscuè Interpretes illam versionem: venit Fortuna, sed præferunt quidam illam: venit Turma scil. filiorum. Interim non negandum, *Esaiæ cap.* 65. *v.* 11. sub ratione cujusdam Idoli usurpari hoc Nomen, cui jungitur MENI. De quibus ita Grotius in Commentario: QUI PONITIS FORTUNÆ MENSAM] גד in Oriente, id est, Hebræis, Chaldæis, Arabibus, fortunam significat, sive bonam, sive malam, sed sæpiùs bonam. Inde factum est nomen idolo, quod Idumæi maximè, si Hebræis credimus, coluerunt. Vide, si libet, Beresith Rabba ad Genes. 27. v. 31. & adde quæ multi interpretes dixêre ad Genes. 30. v. 11. Hieronymus

ronymus ad hunc locum. Eſt autem in cunctis urbibus, & maximè in Ægypto, & in Alexandria idololatriæ vetus conſuetudo, ut ultimo die anni & menſis eorum, qui extremus eſt, ponant menſam refertam varii generis epulis, & poculum mulſo miſtum, vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auſpicantes. Hoc autem faciebant & Iſraëlitæ, omnium ſimulachrorum portenta venerantes. ET LIBATIS SUPER EAM] In Hebræo: Et impletis Meni libamen. Id eſt, θεῷ Μηνὶ, quem deum cultum in Armenia & Phrygia diſcimus ex Strabone: meminit ejus & Jamblichus in vita Pythagoræ, quia autem id nomen proximè accedit ad מנה, quod eſt *numerare*, ideò hic ſequitur. Jungimus hiſce illud Idolum, cujus mentio fit, *2. Reg. 5. v. 18.* RIMNON dictum, quod Scaliger de Jove tonante accepit, alii de Saturno.

XIX.

Huc referimus TERAPHIM in Domo Labanis Syri, de quibus *Gen. 31. v. 20.* Simulacra ſive Imagunculæ, quæ ad certum ſtellarum poſitum factæ, ut apud Arabes *Talisman.* Merſennus ex Ebræis refert, quod caput fuerit acceptum alicujus pueri Idolis ſacrificati, & ſale & aromatibus conditum, atque ſuper linguam ejus lamina aurea Dæmonis nomine inſignita poſita, ſicque conſulentibus reſponſa fuiſſe data; quæ tamen fabuloſa videntur. Quanquam enim Laban non ab omni labe ſuperſtitionis fuerit immunis, eousque tamen impietatem in illius familiâ proceſſiſſe, in quâ ſibi Jacobus Conjuges legit duas, vix videtur probabile.

XX.

Monſtroſum verò planè fuit Ammonitarum σέβασμα, MOLOCHIS ſcil., Milchom, aliâs dictus Rex devaſtationis, quem *quidā* pro Saturno, *quidā* cum Voſſio pro Sole, *quidam* pro Marte habēt, cui pueri mactati & cremandi oblati, de quo *Levit. 18. v. 21. cap. 20. v. 2. & 3. & 2. Reg. 23. v. 10.* nec tantùm februâſſe filios ſuos, quò vergunt illa Maimonidis dicentis: accensô igne magno partem ſui ſeminis accipiebant, quam dein ſacerdotibus ignem ſervantibus tradebant. At ſacerdotes, ubi filium accepiſſent, eum patri reſtituebant, quo ipſe ex ſententiâ ſuâ per ignem traduceret. Igitur pater filium permiſſu ſacerdotum per ignem agebat. Pedibus autem jubebat tranſire, donec, flamæ quicquid erat, emenſus foret, ſed & ad minimū quosdā flamis

ustulatos tamdiu fuisse, donec expirarent, alii ex Rabbinis asserunt, maximè Nachmanides; Ita enim ille: Volunt R. Salomo Jarchi & R. Moses filius Maimon: quod illum (pater) non combusserit, sed quod cultus in hoc constiterit, ut traduceret eum tantùm; & quod, postquam eum more illorum traduxisset, reatum contraxerit. Sed R. Moses filius Naahman statuit, quod per ignis flammam tamdiu eum traduxerit, usque dum egressa fuerit anima ejus. Rationes ejus extant in comment. Pentateuchi, quæ adornavit. Patet hoc tum ex *Psalm. 106.* tum ex ritu Idololatriæ hujus, de quo ita Hebræi: Pater tradebat eum, filium, sacrificulis, nomine Idoli, eo modo, quo scriptum est de legitimis sacrificiis: Et dabit ea sacerdoti, *Lev. 15. vers. 14.* Fieri autem potest, ut vel ventilent illam vel adducant Molocho, posteaque reducant Patri. Tunc ignem accendunt magnum, coram Molocho, acceptumque filium suum pater traducit per flammam ignis. Unde dicunt in Hierosolym. Non reus fit, usque dum tradiderit eum sacrificulis, eumque projectum traduxerit; Sed & ustulandos exhibuisse asserunt, tum ex origine hujus Cultus, fuit enim illa κακοζηλία ex Exemplo Abrahami detorto, de quo Eusebius *lib. 1. & 4.* non tantum autem traducendos, nec non Brentium in Caput *Exod. 24.* adde illud Christi *Matth. 5. v. 21, 22.*

XXI.

Transimus ad Deastros cæterarum nationum, Græcorum, Romanorum, Germanorum; Græci sanè tàm dediti fuerunt superstitioni, ut etiam idololatra gentilis ἕλλην sive Græcus dicatur, oppositè ad Judæum, verum Dei cultorem, *Gal. 2. v. 28.* Romani tàm insani fuerunt in cultu Deorum, ut etiam Cicero, in tribus de Natura Deorum libris, contra Gentiles suos agat, atque Deum Epicuræorum, Deos Stoicorum planetas scil. & alios, & tandem Deos populares oppugnare laboret. Germani non tantùm quædam propria Numina coluerunt, sed & aliundè asciverunt, nè inopia laborarent, Eusebius *lib. 5. præparationis Evangelicæ*, τὴν πᾶσαν θεομιλίαν turbam omnium Deorum in septem classes dispescit, *primò* recensens sidera, *secundò* & *tertiò* homines demortuos, *quartò* Affectus & Facultates hominis, *quintò*, quæ hominibus in usu vitæ sunt,

sunt, *sextò* & *septimò* Dæmones bonos & malos. Quid Gentium Apostolus desiderârit in Atheniensibus, liquet *ex Act. 15. v. 22.* quid accusârit, culpârit, reprehenderit in Gentilibus, patet ex *Rom. 1. v. 23.*

XXII.

Non tantùm autem Hesiodus in Theogonia triginta millia Deorum in Theatrum produxit, sed & Romani suos habebant Deos electos majorum Gentium, & populares Indigetes, Semones & minorum Gentium Deos selectos, quos Consentes vocabant, quia abæthere usque ad Lunam descenderint duodecim Numero, quos hisce complexus est versiculis Ennius:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Hisce juncti fuerunt octo illi populares, quorum cultus ab antiquo populo notus & frequens, Janus scilicet, Saturnus, Orcus, Liber; Indigetes dicebantur ab honore invocationis publico, & fuére tales juxta Ciceronem, qui *aut* fortes, *aut* clari, *aut* potentes, & post mortem ad Deos pervenerunt, quosque precari & venerari solebant Gentiles *vel* ob partam victoriam, *vel* Inventum quoddam hominibus utile, habitantes inter terras Lunæque meatus

Semidei, quos ignea virtus
Innocuos vitæ patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animum collegit in orbes.

Quibus addendi Semones, infra cœlum depressi, & Genii apparitores Deorum. JUNO Cretensium fuit Regina, Jovis maximi soror & uxor, de qua videatur Polydorus Virgilius *lib. 10. & 12.* Favit hæc conjugio, unde Jugatina dicta & Pronuba, Cinxia & Domiduca, Fluonia, Muneta, Lucina, Levuna, Cunina, Rumina, Nundina, Fabulina, Matrona, Sospita, Marturna, cui Iris fidissima Nuncia vocis; alterum *σέβασμα* ex prima Classe fuit VESTA, quæ *vel* Saturni Conjugem *vel* filiam illius designavit, *prior* erat Tellus, & quod vi staret, Vesta dicta, *altera* Domina Ignis & majori in veneratione. MINERVA è cerebro Jovis oriunda, Inventrix oleæ & Lanificii Magistra fuit. CERES Jovis ibidem Soror & Pellex, quæ, secundùm Virgilium:

Prima olim ferro mortales vertere terram
Instituit, cum jam glandes, atque arbuta sacra
Deficerent, Sylvæ & victum Dodona negaret.

Filiam habuit Proserpinam, quæ compressa à Plutone & mersa ingentis tristitiæ notas animo matris impressit. Et hæc est ipsa quæ etiam DIANA, & præses inferorum cum Raptore suo venationum Dea credita fuit, quia viva sylvas secuta & *inhospita tesqua ferarum*: Vicaria etiam in partu ipsius Junonis, & aliis Muniis, quam diversam fuisse volunt ab illa, quæ in tota Asia culta, in templo Ephesi structo, & 127. Columnis sustentato; de quo *Actor. 19. v. 28.* Non enim *hæc* venatrix, armata Arcu & sagittis, ut Hieronymus monet *in proœmio Epistolæ ad Ephesios*, sed *illa*, quam Græci Multimammiam vocabant. Sequitur VENUS, Jovis filia, quæ è mari dicebatur nata tanquam matre; unde Ausonius

Concursum pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin Apellæi cerne laboris opus,
Ut complexa manu madidos salis æquore crines
Humidulis spumas pingit utraque comas.

Hæc fœcunditatis parens, Spumarum fons, Myrto digna, stipata filio, ex Mercurio suscepto, Cupidine, qui sagittis instructus & Igne, quo pectora hominum succendit & perurit. MARS, Gradivus pater aliàs dictus, Jovis Filius, & ad exemplum patris impuris amoribus & homicidio infamis. MERCURIUS itidem Jovis famosi fuit filius, è Maja genitus, versatilis ingenii, dictus Cyllenia proles, Deorum Interpres, furum præsidium, Mendaciorum & Mercatorum patronus. JUPITER Cretensium Monstrum, Rex quondam, in sidera post mortem relatus, educatus in partibus Montium Cretæ, quos Dicte dicebant, pluribus, ut Juno Uxor, nominibus insignitus, pluribusque cultus à populis. Videatur Bochartus *in Phaleg. partè prima de Jove Ammonio.* NEPTUNUS, Jovis fuit frater, Maris Domitor & Piratarum princeps. VULCANUS, Junonis fuit filius, Lemnum occupavit & Maris Tyrrhenii vicinas Insulas, officinas ferrarias construxit, arma & alia instrumenta parare docuit. APOLLO, Jovis & Latonæ filius, Musica se commendavit Arcadibus, divinationibus credulæ Turbæ, Medicinâ, carminum inven-

inventione, & Regimine pecudum; nec non jaculandi peritia, ferturque cum Vulcano Mœnia Trojæ exædificâsse.

XXIII.

Dii verò populares fuerunt JANUS Filius Cœli, quem Noachum conjiciunt, profectum ex Oriente in Italiam, quanquam Vossius Janum non tàm hominem, quam Solem designâsse existimet; Bochartus autem *in Phaleg. lib. 1. cap.* Saturnum demonstrari velit fuisse Noachum sequentibus: Quia 1. Omnium qui post diluvium vixerunt, communis parens sit Noe. Ita Saturnus in Orphei hymnis παγγενέτωρ & γενάρχης appellatur. Et ejus uxor Rhea,

Μήτηρ μὲν τε θεῶν ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων.

2. Noe non justus modò, sed & justitiæ præco sedulus, cum eo vixerit sæculo, quo hominum mores erant perditissimi, nihil non egerit, ut illos ad veræ pietatis normam verbo & exemplo reduceret. Saturnum itidem regem justissimum fuisse volunt, adeoque pro virili homines sui temporis ex agresti vita ad humaniorem cultum transtulisse, & propterea magnos honores consecutum, multa orbis loca peragrasse, & omnes ad justitiam & animi simplicitatem induxisse: Diodori verba sunt lib. 5. Bibliothecæ. Neque aliter Aurelius Victor in libro de origine gentis Romanæ: Feros homines & rapto vivere assuetos ad compositam vitam traduxit. Quibus hæc summi poëtæ consona Aet. lib. 8.

Is genus indocile & dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit.

3. Inter diluvii tempus & Phalegi nativitatem anni centum intercesserunt, per quos, orbe nondum diviso, Noe in universum genus hominum, ut pater in liberos, naturale habuerit imperium. Hæc est scribit Poëtarum ætas aurea sub regno Saturni, qua homines, ut fabulantur, omnia in commune possidebant: Rex Saturnus (inquit Trogus apud Justinum lib. 43.) Tantæ justitiæ fuisse fertur, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quicquam privatæ rei habuerit, sed omnia communia & indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset. Et Virgil 1. Georgic.

Nec signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat.

Et Ovidius lib. 3. Amorum Eleg. 7.

Signabat nullo limite fossor humum.

Quod de eadem ætate habetur in Hesiodo,

Cælorum imperium dum Rex Saturnus habebat,
Diis similes summâ degebant pace, nec ullus
His labor aut ærumna fuit.

Id, inquam, videtur sumptum ex vaticinio Lamechi de Noâ *Gen. 5. v. 19.* Iste consolabitur nos de labore nostro, & de dolore manuum nostrarum, de maledictione, quâ dominus terræ maledixit: Eodem pertinent hæc Teleclidis apud Athenæum lib. 6.

Primum quidem omnibus pax fuit, ut manibus aqua,
Nec quæ metum afferrent, nec quæ morbum terra generent.

Et quæ de Saturno habet Martialis lib. 12. Eigr. 63.

Antiqui Rex magne poli, mundique prioris,
Sub quô pigra quies nec labor ullus erat.

5. In eodem sæculo terra tota unius erat sermonis, teste Prophetâ *Gen. 11. v. 1.* Quod fabularum consarcinatores extendunt usque ad bestias. Inde est, quod sub Saturno volunt communem aliquam fuisse linguam homini & brutis. Plato in Politico: Saturni alumni tanto otio & facultate non solum cum hominibus, sed & cum bestiis colloquendi, hisce omnibus ad philosophiam utebantur. 6. Noe *Gen. 9. v. 20.* appellatur איש האדמה vir terræ, id est agricola. *Tale* vir belli, pro milite *Jos. 5. v. 4.* vir brachii pro robusto *Job. 22 v. 8.* vir sanguinis, pro sicario vel homicidâ, *2. Sam. 16. v. 7.* vir pecoris, pro opilione *Gen. 46. v. 23.* vir verborum, pro diserto, *Exod. 4. v. 10.* vir labiorum, pro multiloquo, *Job. 2. v. 2.* vir linguæ, pro maledico, *Ps. 140. v. 12.* Nulla phrasis usitatior. Tamen de Noâ, vir terræ, sic fuit sumptum à Mythologis, ac si terram sive Tellurem Deam duxisset in uxorem: Tellus enim eadem, quæ Rhea Saturni uxor. 7. Sed cum alios non lateret ad agricolæ & vinitoris descriptionem hæc pertinere, Noe cœpit esse vir terræ, & plantavit vineam, Saturno etiam agrorum & vitium cultus tribuerunt. Aurelius Victor suprà: Isque primus agriculturam edocuit. Plutarchus in Ῥωμαικοῖς *quæst.* 42. fructuum virtuti aut agriculturæ Deus ille præest, hoc enim falx significat. Et in ejusdem parallelis Saturnus Icarium docuisse legitur vini usum & vitis cultum. Sic apud

apud Macrobium Saturnal. *lib. 1. cap. 6.* Huic Deo insitiones surculorum, pomorumque educationes, & omnium ejuscemodi fertilium tribuunt disciplinas, Et Janus ibidem à Saturno edoctus peritiam ruris, ejus simulachro falcem insigne messis adjecit. Ita de Jano Servius in 8. Æneid. Quem cum docuisset Saturnus usum vinearum & falcis &c. 8. Quinetiam quia vir sanctus vino succubuit semel, fortasse nondum expertus ejus vires, in ejus facti memoriam, Saturnalibus more receptum erat, multo mero se ingurgitare, & Saturnus ebrietati præesse credebatur. Proinde in Luciano dicit Saturnus, sibi curam esse commissam plausus, cantûs & ebrietatis: Et Saturnalium septem diebus sibi non licere serium quicquam aggredi, sed inebriari & bibere & vociferari. 9. Eodem Saturni festo, ut refert Athenæus *lib. 14.* Romanis in more fuit, ut servos convivio exciperent, & servilia ministeria ipsi obirent. Quod ipsum non Romæ solùm & in Græciâ, sed & Babylone usurpatum, docet ibidem Athenæus ex Beroso. Noe videlicet Chamum execratus prædixerat, fore ut ejus posteri servi essent servorum: Atque id impletum in Chananæis, tum cum subire coacti sunt Israelitarum jugum, qui Ægyptiis diu servierant. Sed Chami posteri, quos Græci postmodum & Romani imitati sunt, seriam maledictionem convertere conati sunt in rem ludicram, quasi oraculum impleturi, aut elusuri verius, hâc servitutis imagine. 10. Occasio anathematis à Noâ in Chamum contorti hæc fuit; quod vidisset את ערות אביו *patris sui verenda nuda*, atque oculos suos hoc spectaculo pavisset. Fuit id ex parte notum Poëtis, qui latam à Saturno legem esse fingunt, quâ sancitur, ne quis Deos nudos impunè contempletur. Proinde in Callimachi hymnis Minerva, cum Tiresiam occæcasset, qui lavantem illam viderat, apud Tiresiæ matrem factum ita excusat.

——non per me perdidit ille oculos.
Nec mihi luminibus pueros orbare voluptas;
Ast à falcigero lex sene lata jubet,
Ut pœnâ graviore luat temeraria, quisquis
Audet in invitos lumina ferre Deos.

11. Etiam id notandum, quod in Timæo Platonis, Saturnus & uxor Rhea, & qui cũ eo fuerunt, ex Oceano & Thetide nati dicuntur, Noe scilicet cum suis ex aquis diluvii tanquam ex matrice emersit. 12. Itaque

Itaque navem prisci Romani Saturni symbolum esse voluerunt. Quò quidem recentiores navim illam significari statuunt, quâ in Italiam scilicet advectus est. Ovidius lib. 1. Fastorum:

Et bona posteritas puppim signavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

Macrobius ubi de Jano: Quum primus quoque ære signaret, servavit & in hoc Saturni reverentiam; ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex alterâ verò navis exprimeretur: quo Saturni memoriam etiam in posteros propagaret. Æs ita fuisse signatum hodieque intelligitur in aleæ lusu, cum pueri denarios in sublime jactantes, capita aut navim (Gall. croix ou pile) lusu teste vetustatis exclamant. Eadem legere est in Aurelii Victoris libello, quem citavimus de origine gentis Romanæ. Plutarchus ita in Ῥωμαϊκοῖς ad quæstionem: cur nummi veteres ab unâ parte habuerint Jani bifrontem imaginem, ab alterâ, navigii puppim aut proram insculptam? à plerisque asseri dicit, id fieri, in Saturni honorem, qui navi in Italiam trajecerit. Quod tamen docet post modum, à se non probari satis, quia cum multis aliis Saturno commune id fuit: Janus etiam & Evander, Æneas mari in Italiam appulerunt. Itaque videntur veteres symbolo navis aliud significasse, nempe arcam Noe, quâ cum suis servatus est ab universali Cataclysmo. 13. Neque id Assyrios prorsus latuit, quamvis facti veritatem commentis suis obscuraverint, ut gloriæ uni Saturno, id est, Noæ debitæ portionem aliquam Regi suo Xisuthro tribuerent. Sub illo nimirum narrat Alexander Polyhistor, magnum fuisse diluvium, & servatum fuisse Xisuthrum, cum ei, quid futurum erat, Saturnus prædixisset, fabricandam ipsi arcam, & in eâ cum volucribus, reptilibus atque jumentis esse navigandum. Ita etiam in Abydeno, Saturnus quidem præsignificat magnam imbrium vim futuram. Sed Xisuthrus Rex in Armeniam navigavit, ut cum eò contenderet, vera esse deprehendit, quæ Deus prædixerat. Tertia autem die, postquam remiserat tempestas, aves quasdam emisit, experimentum capturus, an eæ terræ aliquid visuræ essent ex mari extans: illæ verò ab immenso pelago exceptæ, cum deesset locus ubi considerent, ad Xisuthrum retro rediere, & post eas

aliæ.

aliæ. Ita uterque ſcriptor diluvii vatem Saturnum ab eo diſtinguit, qui implevit vaticinium, cum in Scripturâ idem Noe, qui à Deo monitus dilivium prædixerat, etiam arcam fabricaverit. Sub Xiſuthro veriſimile eſt, Tigrim & Euphratem in Babyloniâ aliquanto plus ſolito exundaſſe, atque huic inundationi ea tribuiſſe Aſſyrios, quæ contigerant ſub generali diluvio. Sic in particulari Theſſaliæ diluvio Deucalionem etiam in arcâ evaſiſſe, & ex eâ columbam emiſiſſe, tradunt Græci ſcriptores. In his ita Plutarchus: columbam ajunt ex arcâ emiſſam Deucalioni indicem fuiſſe, cum rediret, tempeſtatis, cum avolaret, ſereni cœli. Quod pænè omiſeram, ad diluvium id quoque pertinere puto, quod Saturnum Poëtæ voraſſe omnes liberos, præter tres illos πολυθρυλλήτους, Jovem inquam, Neptunum & Plutonem, qui ſoli ſuperſtites orbem univerſum inter ſe diviſerint finxerunt. Noe quatenus Propheta & Paſtor aliquomodo pars fuit etiam mundi prioris: quem damnaſſe legitur *Hebr. 11. v. 8.* quia vaticinio ſuo diluvii pœnis addixit. Quippe ex Scripturæ phraſi Prophetæ dicuntur id facere, quod futurum prænuntiant. Sic *Gen. 49. v. 7.* Diviſi eos in Jacob, & diſperſi in Iſrael: Diviſi & diſperſi, id eſt prædixi dividendos & diſpergendos. *Ezech. 43. v. 3.* Quando veni ad perdendum civitatem, id eſt ad prænuntiandum perdendam, ut rectè Junius. Hinc Deus legitur cædere per Prophetas *Oſ. 6. v. 5.* & præfeciſſe Jeremiam gentibus & regnis ad extirpandum & deſtruendum & diſperdendum & diſſipandum. Eo ſenſu Noe conſumpſit omnes homines, id eſt prædixit conſumendos. Tres ſolum ſuperfuere, nimirum Sem, Cham & Japhet, qui orbis imperium inter ſe diſtribuerunt. Hi ſunt tres Saturni liberi quos habuit in regno ſucceſſores. SATURNUS itidem cœli filius dictus à ſatu, ſecundum Feſtum & Macrobium, qui Cretam incoluiſſe dicitur, & victimis humanis Aras cruentâſſe; cum Adamo, primo parente Generis humani, quidam illum confundunt, & nomine סתר quod latêre ſignificat, Imperii conditionem, agriculturæ ſtudium & alia urgent; Juſtinus illum Regem Italiæ facit, cujus tempore omnia fuerunt communia omnibus, veluti unum cunctis patrimonium eſſet. GENIUS quem à prima origine homini, & quidem maſculo, aſſiſtere finxit cœca Gentilium ratio, de quo Tibullus *lib. 2. Elog. 2.*

Ipse suos adsit Genius visurus honores,
Cui decorant comptas mollia serta comas;
Illius puro destillent tempora Nardo,
Atque satur libo sit madeatque mero.

& ut hominibus associavit Genios, ita & Regionibus, Montibus, Vallibus, Aquis & cæteris locorum generibus. SOL, qui Mithra Persis, Orcus sive Jupiter stygius, Bacchus sive Liber pater, Filius Noctis ac Erebi, vel potius Jovis è Semele De quo consulendus Natalis Comes, Ægypti Princeps & Victor Indorum, jucundæ Consitor Uvæ. TELLUS Saturni Uxor, cum qua in Cretam ex Oriente movit, & Latium deinde, cui servierunt Ambubajarum collegia, Nolæ, Cymbala, Tibiæ, Tympana, Tubæ. LUNA, quam cum Junone quidam confundunt, quidam eandem volunt cum Diana & Proserpina, non videtur multum diversa ab Astarthe Dea Phœnicum; credita fuit à Plutone post mortem in mæroris temperamentum ad reditum sollicitata, sed frustra, & in ordinem syderum relata.

XXIV.

Succedunt Indigetes & Semones, quorum illi fuére HERCULES, Jovis & Alcumenæ filius, Lustrator Orbis, purgator terrarum, Gentium domitor, Princeps ἡρώων; CASTOR & POLLUX fratres è Leda, socii Herculis & commilitones. Meminit illorum Lucas in Actis. Hodie duo Ignes sive flammæ, adhærentes antennis navium tempestate desæviente, ita appellantur, oppositi Syderi Helenæ, quæ ut Græciæ excidium attulit, ita infortunii indicium à Nautis habetur, & signum imminentis periculi; illis vero post Cœlum & Mare confusum apparentibus, Spes affulget serenæ tranquillitatis post nubila emersuræ, de quo videatur Illustris Radzewil, *in scripto Germanico de suscepta peregrinatione in Terram sanctam.* ÆSCULAPIUS Apollinis filius, Nepos Latonæ, qui à Patre edoctus Medicinam, professione inclaruit, primum hanc Artem exercuit Epidauri, postea ulterius ad Græcos & Insulanos progressus mira præstitit, relatus tandem inter Sydera & Serpentario signatus. QUIRINUS à Quiri sive hasta ita dictus, qua se armavit, ille credebatur Martis pullus, quem Julius Proculus juvit, affirmando, se vidisse forma illustri in Cœlum receptum, & armatum in Deo-

rum

rum numerum assumptum, cùm Consensu Senatus fuisset occisus, de quo Liv. *lib. 1.* Hi verò, VERTUMNUS, ex Hetruscis oriundus, qui condente Romam Quirino, multitudine hominum auxit Poniropolim, Vinearum & Hortorum culturam curavit, & Mercimonia instauravit, quo Beneficii genere ita devinxit suos, ut etiam illi inter Deastros aliquem locum facerent. PRIAPUS Bacchi proles & Veneris, ut quidam volunt, Hortulanus & custos furum, atque avium cùm falce saligna; Portumnus alias quoque dictus, & eruditus ostendere navigantibus portus contra injurias maris & cœli, qui meticulosos exciperent. CABIRI & CURETES Deorum fabri, periculorum ex procellis & fulminibus oriundorum Averrunci, ut hodie Dæmones, quorum periapta sibi aptant milites contra ictus ensium & globos bombardarum; addimus GANYMEDEN, egregium Deorum pocillatorem,

quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis,

Trois Phrygiæ Regis filium, quem piratæ subduxerunt, & Jovi donaverunt.

XXV.

Supersunt Dii rusticani, Satyri scilicet & Sileni, Magorum colluvies & appendix Turbæ Liberi patris, Nymphæ aquarum præsides & incolæ, nec non Montium Numina, Spectra & Dæmonum imagines, Faunique, originem ducentes à FAUNO Mercurii filio, Satyris affines. Unde Poëta:

Cornipedes Satyri, sylvestria Numina Fauni,

in Sylvis & aliis quandoque locis apparentes, unde Silvani nomen, de quo Virgilius,

Silvano, fama est, veteres sacrâsse Pelasgos
Arvorum pecorumque Deo lucum.

Tritones Aquis innatabant, quorum Dux PROTEUS & NEREUS Oceani filii; referebat TRITON hominis hirsuti faciem ad inferiora, quæ desinebant in piscem, cærulâ conchâ exterrens fretum; In rei veritate autem nihil erant illi Tritones, quam spectra marina, Diaboli sub figura descripta apparentes, homines terrentes, & sui cultum affectantes. PAN, Deus Arcadiæ, Filius Mercurii, *sanguineis ebuli baccis minioque rubens:* Utricularius, pater tibiarum

rum, quibus ludere solent & tempus fallere pecudum Custodes, hic Syrma habuit & satellitium hispidum Faunorum & Satyrorum, qui agminatim ipsum insequebantur. Memorabile est, quod Eusebius recenset *lib. 5. præparationis Evangelicæ cap. 9.* Thrannum quondam, cum tempestate pulsus appulisset Insulam Paxas, audivisse vocem: quando juxta paludem fueris, annuncia tunc, Pana magnum mortuum esse, quod relatum ab illo, ingentem mortem & dolorem cum lachrymis in Italia concitaverit.

XXVI.

Germani veteres, qui quondam quoque peregrini & extra Rempublicam Israelis sacram, destituti promissionibus Testamentorum, ut solent homines sibi relicti, ad Numina conficta animum applicuerunt, & nunc hoc, nunc aliud Idolum, vel in mente, vel etiam extra illam in signo exteriori sibi fabricarunt. Julius Cæsar, *lib. 6. de Bello Gallico*, Germani, *inquit*, Deorum numero illos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur, Solem & Vulcanum & Lunam, reliquos ne famâ acceperunt. Collegit Cluverius, priscos Germanos unum verum æternum Deum in Trinitate coluisse sub Solis Lunæ atque Ignis nominibus. Tacitus, *libro de Germanorum moribus*, scribit, Germani Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem & Martem concessis animalibus placant; pars Suevorum & Isidi sacrificat. In commune ERTHAM, id est, terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis, arbitrantur. Quanquam verò Cæsar Mercurii non meminerit, tamen de Gallis vicinis refert, Deum maximè Mercurium colere, hujus esse plurima simulacra, hunc omnium inventorem artium dicere, hunc viarum atque itinerum Ducem, hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim, maximè arbitrari.

XXVII.

Coluerunt itaque Germani Solem, quem alii Apollinem dixerunt, Plato enim, Macrobio teste, Solem ἀπόλλωνα cognominatum scribit ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὰς ἀκτῖνας, id est, à jactu radiorum. Vulcanum sive Martem Armorum inventorem & fabrum, qui, secundum Homerum, hominum occisor, Urbium populator, & Geticis præ-

præſidere arvis creditus, qui Celtarum Taran, cujus Lucanus meminit *lib. 1. Pharſ.*

Et Tharanis Scythicæ non mitior arca Dianæ

Germanorum DONNER/ unde Donnerſtag/ Latinorum Jupiter. Lunam denique, unde quidam Julium Cæſarem propè Lunæburgam montem vicinum per amica ſilentia Lunæ inveſtigantem & Arcem ſuperſtruentem ſtatua poſita aſininis auribus veſtita, & Lunæ imaginem manu tenente, cultum illius in iſtis locis ſtabiliviſſe opinantur, quod tamen in medio relinquimus.

XXVIII.

Nec negari poteſt, in cultum Mercurii illos quoque pronos, & vel maximè illi honorem divinum detuliſſe. Nam, ſi Ægyptii & Græci, quem Romani dixerunt Mercurium, vocarunt Θεὺθ, *Theuth* vel *Teutatem*, ut conſtat ex Platone, Cicerone & Lucano, nomen inde duxerunt Teutones, ſive ἑρμῆς Græcis dictus, ſanè inde erunt nomina Germanorum Herminones, Arminii, Irmiues, Hermanni, Irminfridi, Irmingarii, Irmingildi, &c. Deniq; eſt GODAN, qui præcipuus fuit DEUS, unde adhuc vocabulum GOTT / *Godan*, unde Godanus ſinus, Godanum ſive Dantiſcum: conſulantur Lactantius *lib. 1. cap. 21.* Minucius Felix, Adam Bremenſis, Abbas Urſpergenſis, Evedius *in ſermone quodam de Antonio Valeriano, ad ripam Danubii Cive.* Ardentes fuerunt in hoc cultu Franci Orientales & Heruli, proceſſit quoque hoc malum & latè ſerpſit, arâ erectâ Mercurio in Galliis, quam Maternus demum evertit, in Hiſpania deprehenſo Tumulo Mercurii Teutatis à Scipione, de quo Livius *Lib. 26.* Addam quædam de Toth ſive Taauto Phœnicum & Ægyptiorum Doctore, à quo in cultu inſtituti ſunt, qui ad Græcos à Cadmo Agenoris filio delatus, ex Sanchuniatone, qui ita ſcribit: Natus eſt Miſore, Scriba Saturni fuit, Cœlo geniti &, quia artibus magicis præſtabat, earum ope juvit Saturnum cum patre belligerantem. Nam Hermes ille artibus magicis Saturnios milites inſtruit, ut commiſſo prælio victoriam reportaverint, fugatoque Urano, id eſt cœlo, Saturno vacuam poſſeſſionem regni fecerint. Is regno ſuſcepto Byblum condidit, & triginta duobus annis cum Urano exule bella geſſit, tum parentem per inſidias cepit, eique virilia exſecuit in ultionem ejus rei, quod Terræ matris Saturni conjugio dehoneſtato

ſtato è multis pellicibus genuerit. Durante bello Saturnus Atlantem fratrem in foveam ingentem demiſſum terra injecta vivum obruit. In quo facinore Taauti hujus conſilio uſus eſſe dicitur. Hæc in Phœnice geſta ſunt, quæ deinde gentiũ Theologi & Poëtæ ænigmatis involverunt. Hæc ſunt Saturni ſecula, de quibus Poeta: *Aurea (ſic perhibent) illo ſub rege fuerunt Secula.* Divina in illum vindicta ſæviit, cum Jupiter Belus hunc Saturnum parentem ſuum regno ejecit & in Italiam uſque perſecutus eſt. Sceleratiſſimi regis ſervus impiiſſimus Hermes ille Triſmegiſtus erat, ut quidam conjiciunt, unde meritò inſcitiam aut incogitantiam detegimus eorum, qui ipſum divinum hominem fuiſſe & Moſi prope parem ſcribunt. Sit ſane peritus Phyſiologicæ, fuerit homo verſutiſſimus, fuerit ingenio magno & multiplicis ſapientiæ; At magus, Satanæ mancipium, Apoſtaſiæ præceptor, ſcelerum denique officina fuit. Concedam eum Diabolicæ Aſtrologices, quæ ſignis & characteribus virtutes ſiderum evocare & in idola illigare profitetur, inſignem fuiſſe artificem, ſed hanc à Satana magiſtro hauſit. Verum eſt, à patribus illi multa adſignari, quæ omnem admirationem ſuperant. Ea ferè ſunt ſuppoſititia. Nam ſuperfuêre quidem illis temporibus, cum dæmonum cultui ſeſe tradiderant, inſignes reliquiæ Patriarchicæ doctrinæ, quia prima idololatria non mera, ſed junctim cum Summi Dei cultu, ab illis ſuſcepta erat. At nemo credat, Hermetem illum ſimilem fuiſſe Balaami, qui quamvis prophetiæ donum haberet, tamen idolis & dæmoniis ſimul cum Deo vero ſervivit. Nihil enim ſani ſuperfuiſſe in profano homine Sanchuniatho abunde teſtis eſt.

XXIX.

Martem quoque in precio fuiſſe, Hiſtoria docet. Teſtis eſſe poteſt è Sacris Scriptoribus Lactantius, ex profanis Cæſar *lib. 4. Comment. Bell. Gall.* qui de Celtis ſcribit, illos Martem bella gerere arbitrari. Tacitus *in lib. de Moribus Germanorum* Martem conceſſis animalibus placant, addit illi Herculem, qui forſan ille ALEMANNICUS, Pharaoni ſubmergenti Ebræorum pueros σύγχρονος, qui è vivis excedens inter Deos relatus & cultus fuit, conditor cenſetur eſſe Bojorum, cujus inſigne Leo fuit æreum ſignum, in Reichauw Cœnobio Sueviæ hactenus ſervatum Lucanus *lib. 1. Pharſal.*

Et qui-

Et quibus immitis placatur sanguine cæso
Teutates horrensque feris altaribus Hesus.

Ex junioribus Scriptoribus Petrus Albinus refert, cives Urbis Mersburg usque ad tempora Caroli Magni duos veneratos fuisse Deastros, Martem scil. & ZUTTIBERUM, cui posteriori Lucum consecrarunt sive Quercetum, ex quo nemini ne ramum quidem decerpere fas fuerat, singulisque annis stato die ingentem copiam hominum ad hunc locum & Lucum confluxisse, duravitque hæc nefanda idololatria usque ad tempora Wigberti tertii Episcopi hujus Urbis, Henrico Imperatore circa annum Christi 1007. exscindente Dæmonolatriæ dicatam sedem: ipsum sanè oppidum, à Marso Rege Germanorum extructum, cognationem aliquam cum Marte insinuat sive vocem Mars sive Ἄρης consideres; vestigia hujus Cultus adhuc deprehendunt in nomine Dinstag/ quam Dani Thindag, alii Dingestag vocant. Ding verò sive Ting forum judicum & litem significavit priscis.

XXX.

Nec suffecit etiam Gradivus, sed addidere Venerem Mersburgenses, unde adhuc Mons Veneris in viciniâ; Magdeburgenses maximè illam sibi voluerunt esse propriam; unde referunt Historici ex Crantzio & Albino, quod propè Arcem fuerit Templum Veneris, quod vel Julius vel Drusus, qui illam suam Partheniam vocavit, extruxerit, in quo steterit super currum nuda fœmina: huc respexisse videtur Tacitus scribens: pars Suevorum & Isidi sacrificat; quamvis enim quidam de Luna vel Minerva vel etiam Diana hoc accipiant, commodius tamen dicitur, illam designasse Venerem. Culta fuit illa maximè à Vindelicis, unde forsan insigne Urbis Augustanæ nux pinea; cui Isis habita sit magna Deum Mater, cui pinus sacra; supersunt quoq; vocabula, quæ FREAM vel Fredam à Germanis dictam arguant scil: Freyen/ Fryen/ Freyden. addimus ea, quæ habet Lindebrogius *in Vitâ Caroli Magni pag 68.* scribens: Die Annales oder Jahr-Bücher der Statt Magdeburg berichten/ daß diese Abgöttin zu Magdeburg in dem alten Römischen Schlosse/ so deß Burggrafen Schloß hernach geheissen / an der Elbe/ dahin nachmals S. Marien Magdalenen Closter gebauet worden/ auff dem alten runden Ziegelsteinern Thurn gestanden sey/ den man sonst

auch

auch den hohen Thurn heist / und noch heut zu Tage stehet / und für den alten Schloß-oder Burgthurn / so allda vom Druso erbauet worden / gehalten wird. Andere / wie auch Brotuff / schreiben / daß die Abgöttin Venus etwas weiter von der Burg hinauff nach der Elbe warts / in einem besonderen Tempel gestanden / welcher auch hernach / da gleich der Flecken und die Burg Magdeburg von den Hunnen und Wenden zerstöret / dennoch umb der Göttin Veneris willen / stehend geblieben. Denn auch die Heyden der Tempel / umb jhrer Götter willen / in den Kriegen verschonet / und sie unbeschädigt gelassen / daß demnach auch der Tempel Veneris allda übergeblieben / und die Venus darinn von den Völckern und Sachsen / so zwischen der Elbe und Saale gewohnet / geehret worden / biß zur Zeit Caroli Magni, der diesen Tempel mit der Venere zerstöret / und stadt desselben eine Kirche in die ehre S. Stephani erbawet haben soll. Es soll auch ein Fanum Veneris zu Siburg oder Sigeburg in Westphalen gewesen sein / derwegen es etliche von Syba der Abgöttin verstehen / und das Wörtlein daher deriviren, da es vielleicht besser castellum victoriæ heißt; wie auch unter Werben in der alten Marck dergleichen Name sein soll.

XXXI.

Non alieni etiam fuerunt à cultu Saturni, qui Crodo Saxonibus: in Arce enim Hartesburg ad Sylvam Herciniam juxta montem Meliboci den Brocksberg / & Urbem Goslariensem Incolæ loci & vicinarum partium illam coluerunt, qui à Lindebrogio ita describitur: Des Bildnus in eines alten Mannes Gestalt auff einer Seul gestanden / in einem Hembde / Barfuß / und auff einer Perseke oder Parsfisch / mit einem leinen Schurtz gegürtet / hat in der lincken Hand ein Rad gehalten / in der Rechten einen Eymer voll Wassers / darinnen Rosen / Item allerley Früchte / als Epffel / Birn / etc. geschwommen. Durch die Blösse deß Hauptes und Hertzens / haben sie dem Bilde und Gottesdienst Saturni nachgeschlachtet / und zugleich daneben anzeigen wollen / daß jhm / als einem Gotte / mit entblöstem Haupte und aller Reverentz / auch unverdeckten und unverholenen Hertzen / gedienet werden solle.

Durch

Durch die freyschwebende Kleidung und Fechel/ erinnerten sie sich jhrer Freyheit/ dafür sie mit Darstreckung Leibs und Gutes streiten/ und sich wider jhre Feinde/ gleich wie der Barsch gegen dem Hecht streuben/ und wehren solten. Dazu dann von nöten/ daß sie gleich wie ein Rad sich miteinander fölgerden / in einen bund schlossen / und für einen Mann zu hauff hielten / wie durch das Rad in der lincken erinnert ward. So vermante sie auch das weisse/ und mit den Fechel oder Bande umbschurtzte Kleid / das sie in jhrem Verbundniß und Freundschafft / rein/ ohne Flecken/ Betrug und Falsch seyn/ und unaufflöslich zu hauff halten sollen. Der Eymer aber mit Wasser / Rosen und andern Blumen und Früchten gefüllet/ bedeutete daß Saturnus und Crodo, wol ein Ursach der Kälte :/: wie dann der Planet Saturnus gemeiniglich Kälte bringt :/: aber dennoch ein Gott der Fruchtbarkeit wäre/ der die blüende Rosen und andere Früchte wachsen liesse / darumb man jhn umb gut Gedeyen aller Früchte / und für Abwendung schädlicher Kälte anruffen solte. Der Ort da der Crodo gestanden/ soll noch heutigs Tags gesehen werden im Eingang deß Schlosses / wann man zur rechten hinauff steigt. Also ist dieser Abgott Crodo auch von den Sachsen und Hartzländern/ so zwischen der Saale/ Unstrut/ Bode und Oker gesessen / für einen Gott gehalten worden. In der altmärckischen Chronicken wird berichtet/ daß man diesen Abgott Crodo auch zu Garleben neben der Isis angebetet / und die Statt davon Crodonsleben/ genant habe. Welcher Name unrecht / dann es von der Garde oder custodia bellica den Namen hat/ und wird von Saturno verstanden. Woher der Name Crodo komme/ kan man eigentlich nicht wissen/ allein weil die Sachsen damit dem Saturno nachgeahmet / welcher Griechisch Κρόνος heist / daher dann seine Festa die Griechen Chronia / die Lateiner Saturnalia nennen/ ist vermuthlich/ daß von diesem wort Κρόνος der Name Crodo durch Wandlung deß n. in d. und Wegwerffung deß letzten Buchstabens gekommen sey. Unde alii quoq; observant, quod locus, in quo stetit illud Idolum, adhuc ostendatur in aditu arcis ad dextram: forsan dictus est illis ita, quia Saturnus græcè vocatur κρόνος, unde facilis, exemto n. & substituto d. adjectâ etiam litera finali, delapsus in Crodo: à Saturno antiquum, Satertag/hodie

Sambstag. Sublatus est Crodo à Carolo M. nomine adhuc superstite & in detestationem adhibito rei pessimæ.

XXXII.

TRIGLA Vandalorum & Stetinensium fuit Idolum, cui Templum in Monte Harlingorum dedicatum. Pirnensis refert, suo adhuc Tempore *circa Annum Christi 1526.* Idolum illud, cui caput erat tribus Imaginibus formatũ & Luna curvata in manibus, stetisse, cujus Ideam exhibuit Lindenbruch, addens: Trigla ist fürnemlich der Wenden umb Brandenburg Abgott gewesen/ dem sie auch auff der Harlungerberg einen Tempel gebauet/ da hernach ein Kloster/ Præmonstrantz-Ordens/ daraus gemacht worden. Pirnensis schreibt / daß man noch zu seiner Zeit/ als umb das 1526. Jahr / ein Bild daselbst geweiset/ so empor in einem Winckel gestanden/ welches ein Haupt und drey Angesichte/ Item/ wie wir sonsten berichtet werden/ einen halben Monden in der Hand gehabt. Justus nennet die Kirche zu unser lieben Frawen / so von Primislao der Wenden König/ kurtz vor desselben Tod gestifftet/ und darinnen er begraben. Wie der Brotuff meynet/ daß aller Wendischen Abgott Tempel daselbst in der Burg von Brandone gebauet/ da jetzt der Thum stehet/ gewesen sey/ wiewol er anders wo solcher Götzen auch auff dem Berge gedencket. Sabinus thut diesen Bericht davon / in dem Büchlein de *Brandeburgo Marchiæ Metropoli:* Sed nihil perinde ornat utranque civitatem, ut illud templum Beatæ Virginis, quod Imperator Henricus Auceps extruxit, &c. Eo in fano stabat triceps Idolum Trigla dictum, quod olim Venedi summa veneratione coluerunt. Id Dianæ fuit simulachrum. Aber nichts zieret die Statt so sehr/ als der Jungfraw Marien Kirchen/ welche Keyser HENRICUS AUCEPS, zum Gedächtnis seines Sieges wider die Wenden / auff der Harlunger Berge fundirt und gestifftet ꝛc. Vorzeiten war in dieser Kirchen ein Dreyköpffiger Abgott TRIGLA genant/ den die Wenden höchst geehret haben. Es war aber ein Bildnus der Abgöttin Dianæ. Dann der Griechische Scribent Eustathius meldet/ daß Diana ehmals Trigla sey genant worden. Darzu dann der Mond/ so dieses Bild/ wie jetzo gemeldet/ für sich soll gehalten haben/ klärlich stimmet. So haben die Wenden sonsten auch einen Monden in ihren Wapen geführt/ wie Enzelius schreibt.

schreibt. Warumb aber die Diana mit dreyen Köpffen gemahlet worden/ wird von etlichen diese ratio fürgebracht/ daß eben dieselbe Göttin am Himmel Luna genennet worden/ auff Erden Diana, in der Hölle Proserpina. Dem Herzn M. Petro Albino gibt es die Gedancken/ wie er schreibt: Weil/ wie wir zuvor erwehnet/ so wol der Suevorum Isis, als der Slavorum Trigla, von der Diana außgelegt wird / ob sie einerley gewesen/ und die Wenden jhre Triglam von den Suevis, in derer Lande sie zwischen der Elbe und Oder kommen/ bekommen haben. Sabinus schreibt/ daß Christiern König in Dennemarck/ als derselbe im Elende herumb gezogen/ dieses Idolum von Brandenburg mit sich hinweg genommen. Designata fuit hac Imagine Diana in terra, Luna in Cœlo, Proserpina in inferno. Triglam hanc putat Albinus fuisse eandem cum Germanorum Iside. Sustulit illud Idolum Christiernus Rex Daniæ, cum esset in exilio; nec tantum Brandeburgi, Stetini & Venedorum in tractu triceps hoc monstrum fuit adoratum, sed & in Misnia non obscura repræhenduntur vestigia illius cultus, & inventi sunt lapides, quibus consimilis forma trium capitũ fuit insculpta. Præter Triglam Venedi venerabantur FLINZIUM, cujus Imago lapidi institit instar cadaveris pallio amicti prolixo, alterâ manu ferens baculum, cujus superior pars ardebat, alterâ verò Leonem humero sinistro incumbentem; crediderunt autem Leonem hunc suscitaturum demortuos. Lotharius Imperator & Adelgottus, Episcopus Magdeburgensis, aboleverunt. Flinß ein ander Abgott der Wenden/ wird also beschriben/ daß er auff einem Stein/ welchen Pirnensis und die Sachsen-Chronick ein Flynsstein nennet/ sonsten gestanden/ wie ein todter Cörper/ mit einem langen Mantel/ in seiner Hand ein Stab mit einer brennenden Blaß/ und auff der lincken Schulter ein auffgerichter Löw. Welches Pirnensis und die Sachsen-Chronick also außlegen/ daß sie geglaubt/ der Löw solte sie/ wann sie gestorben/ vom Tod wider aufferwecken. Disen Abgott haben Keyser Lotharius und Bischoff Adelgotto zu Magdeburg/ bey den Lausnitzer Wenden zerstöret/ da sie zur selbē Zeit die Christliche Religion von sich geworffen/ und disen alten Abgott wider auffgerichtet und angebetet hättē. Fuit insuper Idolum vicinis Aldenburgensibus Sclavis PRONE sive Prono, de quo referunt, quod probè auritum fuerit, ut Asini, & Coronam habuerit in Capite, cujus Nomen deducunt quidam à græcâ voce

ποιήσεια. Folenzii & Rhedarii in tractu Winutorũ, præprimis in Urbe Kathre, coluêre RADEGASTUM, cujus simulacrum ex auro, Lectus ex ostro, Clypeo habuit munitum pectus, in Manu bipennem, in Capite avem, quem etiã alii adierunt & adorarunt, de quo Helmoldus *lib. 1. cap. 63.* Adamus Bremensis *lib. 2. & 4.* Albertus Crantzius *lib. 2. cap. 20.* Polabis Herulorum Genti in veneratione fuit SIEBA sive Syba, altera manuum, quas tergo impositas gerebat, aureum malum, alterâ uvas, virenti pampino adhærentes, gestabat, Coma ad suras usque dependebat. Sanguine Christianorum litabatur huic Monstro. Destruxit illud Vicelinus Episcopus Lubeccensis, ut & Radegastum. Apud Rugianos, populos Maris Balthici ad littus, SUANTEVITUS sive Schwantenitz fuit, teste Emsero, Deus Deorum, ad cujus responsa totos se composuerunt, quibusdam videtur fuisse Sanctus Vitus; Emserus verò aliter exponit, atque in Sclavonica Linguâ vult notare sanctum: Schwantenitz soll/ wie Emserus bezeuget/ den Vorzug unter allen Slavonischen Abgöttern gehabt haben/ also daß sie jhn einen Gott der Götter genennet/ und nach seinen oraculis alle Ding angefangen. Ist also jhr höchster guter Gott gewesen/ dann sie auch etliche böse Götter geehret / derhalben daß sie jhnen nicht schaden solten / gleich wie sie von den guten aller Wolthat und Gutes gewärtig waren. Sie sollen jhm jährlich einen Menschen geopffert haben / da etliche hinzu thun / Es hab ein Christenmensch seyn müssen. Wie dann Emserus auch hievon schreibt. Cumque Magorum constans sit sententia, dæmonia sanguine invitari: Sacerdos tamen Swantewizi persuadebat suis, hunc nisi Christiano cruore placari non posse: Unde quotannis illi hominem Christianum, quemcunque sors objecit, litare consuevêrũt. Auch wird dieses Abgotts gedacht beym Helmoldo. Bocerus setzt den Ursprung aus demselben lib. 1. cap. 6. Item lib. 2. c. 12. also: Es soll dieser gar alte Abgott der Wenden auch bey den Ranis oder Rugianis, in der Insul Rügen bey Pommern/ fürnemlich und anfänglich seyn geehret worden / und daher entstanden/ daß zur Zeit Ludovici deß Caroli Magni Sohn/ S. Veit von Corbeya zu denselben Rugianis gezogen / sie in dem Christlichen Glauben unterwisen. Da sie aber von der Religion wider abgefallen / sollen sie denselben Märterer S. Veit für einen Gott auffgeworffen/

sen/ und angebetet haben/ und jhn also Schwantenitz/ für Sanctus Vitus oder S. Veit/ genennet. Besihe Cranzium lib. 2. cap. 25. in Vandalia. Aber Emlerus legt diesen Namen in der Slavischen Sprach auß/ und sagt zwar auch/ Swante sey so vil/ als Sanctus heilig/ Witz so vil/ als Lumen, wie dann solches nicht ungläublich/ weil sonsten solcher Wendischen Namen sehr vil/ so auff das Witz außgehen/ als Carlwitz/ Caroli lumen, Hugwitz/ so vil als Hugonis lumen, Wolckwitz/ Volconis, oder Volcardi lumen, Gorsewitz/ Gregorii lumen, Zernewitz/ nigrum lumen, Belwitz/ album lumen, Starewitz/ vetus lumen, Janewitz/ Jani lumen, Doberwitz/ bonum lumen, Schlawitz/ gloriosum lumen. Wiewol andere das Wörtlein Witz außlegen/ es soll so vil heissen/ als ein Grund/ in welcher Bedeutung Schwantewitz so vil wäre/ als ein heiliger Grund/ gleich wie etliche die Stadt Zerbst oder Zerbitz interpretirn/ Schwartzer Grund/ Zernewitz/ davon der Herr M. Petrus Albinus anderswo weitläufftiger zu handlen verheissen. Dieser Abgott war ein sehr groß Menschen-Bild/ mit vier Angesichtern/ deren zwey vorn hinauß und zwey hintersich hinauß sahen/ doch auff die rechte und lincke Seiten gekrummet/ das hätte in der rechten Hand ein Horn voll Weins/ und in der lincken ein Bogen an die Seit angezogen/ es war jhm der Bart abgeschoren/ und die Haar etwas abgenommen/ daß du sehen möchtest/ daß der Meister auß Fleiß die Kleidung und Gestalt deß Volcks habe wollen vorbilden/ nicht fern davon war ein Zaum mit einem Sattel/ Stiffeln und Schwerdt/ nicht allein groß/ sondern auch von Silber ansehenlich auffgehencket. Ein mal im Jahr/ nemlich nach der Erndte/ hielt das Volck ein grosse Wirtschafft vor diesem Abgöttischen Tempel/ so in der Rügen fürnehmsten Stadt Archon auff einem grossen Platz stund. Wann der Abgöttische Priester in Tempel gieng/ und machet alle Ding zurecht/ must er dieweil verhalten seinen Athem/ und wann er dann Lufft schöpffen wolt/ gieng er zu der Thür/ damit er den Abgott mit seinem Athem nicht erzürnet. Wann aber das Volck vor dem Tempel zusammen kam/ so gieng der Priester am ersten Morgen darein/ besahe vor allen Dingen das Horn/ war es noch voll/ wie er es gefüllt hat/ so verkündte er ein reiche/ zukünfftige Erndte/ war etwas minder im

Horn/ vermahnete er das Volck/ daß man die Frucht zusammen hielt/ dann es war ein Korntheẅrung vorhanden. Er schütt auch den Wein auß zu deß Abgotts Füssen/ und füllet das Horn widerumb mit neẅem Wein. Er macht auch solche grosse runde Kuchen/ die mit Mett angerühret waren/ daß ein Mensch sich dahinder hätt mögen verbergen. Fanum primarium & statua illius fuit in Metropoli Arcona, quam describit Saxo Grammaticus *Lib. 14. Historiæ Danicæ*, quotannis Christianus ibi fuit sacrificandus, de quo Lindebrogius ita: Anno Christi 1186. richt Waldmarus König zu Dennemarck ein gewaltigen Zug zu/ wider die Rügen/ und belägert Archonam jhre Hauptstatt/ drang sie dahin/ daß sie sich jhm müßten ergeben. Da fiel das Kriegsvolck mit grosser Ungestümmigkeit in Tempel/ warffen den Abgott zu boden/ und verbrandten jhn/ lerneten das Volck/ und beredten es zum Christlichen Tauff. Die Stadt Archon/ von deren man doch jetzt nichts mehr findet/ war gelegen auff einem gehen Meer-Gebürg/ und stieß das Meer von Orient und Mittag daran/ war so hoch hinauff/ daß ein Armbrustschuß kaum sein Höhe mocht erzeichen/ aber von Occident hätte sie sonst grosse und hohe Munition, dadurch sie beschützt ward. Innwendig in der Stadt war ein grosser Platz/ und darauff stund/ wie gemelt/ ein Abgöttischer Tempel/ der deß Abgotts halben weit und breit berühmet war.

XXXIII.

Accensendi huic veniunt RUGIENUS sive Rudianot, in cujus capite septem facies, humanæ similitudinis, conspiciebantur & totidem gladii lateri adjuncti evaginato octavo, quem in Manu gestabat, quidam Martis effigiem fuisse volunt. POREVITUS quatuor capitibus sub pileolo effigiatus, quinto eminente ex pectore. HASEBUNDIUM alii pro Porevito substituunt, quem Regem Boreanum, Anthyrii primi Vandalorum & Obotritarum Regis filium fuisse conjiciunt. ZEDUTT verò sive Jedutte multâ antiquitate illustre Idolum, de cujus origine referunt sequentia: Zedut oder Jedutte ist also auffkommen. An dem Ort/ da Hertzog Lotharius zu Sachsen den Keyser Henricum V. geschlagen/ derenthalben daß er jhme die Churfürstliche Würde/ so jhm von Henrico dem Vierten war gelihen worden/ wider nemmen/ und Graf

Hoyern

Hoyern von Manßfeld geben wollen/ welches bey dem Welphes-holtz geschehen/ auff dem Lerchenfeld/ da in die 45 tausend Menschen bliben/ ist hernach ein Sieges-Zeichen und Säul von den Sachsen auffgerichtet/ auch ein Cappell zum Gedächtnus solcher That gebauet worden/ wie dann zur selben Zeit nach der alten Gewonheit/ nach welcher auch Harminio ein Säul in Westphalen gesetzt worden/ davon droben/ im brauch gewesen/ und wird also beschrieben: Auff der Säul ist gestanden ein geharnischt Bild/ welches in der rechten Hand eine Keul gehabt mit eisern Zacken/ in der lincken Hand aber einen Schildt/ darauff das Sächsische Wappen/ nemlich ein weisser Hengst im roten Felde. Spalatinus schreibt aus Cranzio, es sey das Sächsische Wappen zu beyden Seiten gewesen. Darnach über etliche Jahr haben die Bawersleut solch Bild angebetet/ in meinung/ daß die Schlacht von den Sachsen mit Hülff solches Abgottes/ den sie Zedut oder Fedutte/ wie Brotuff darzu setzt/ genennet/ gewonnen worden. Dabey zu mercken/ daß es eigentlich das teutsche Wörtlein Gedutte oder Gedeute/ quasi signum, monumentum oder significatio rei gestæ, ein Ding so darzu auffgerichtet/ daß es etwas bedeuten soll/ seyn kan. Aus welchen nachmals Jodutt und Godut worden. Dann daß etliche das Wörtlein Zeter/ und das man auch ein Zetergeschrey sagt/ dannenher ziehen wollen/ können die Gelehrten nit probieren. Dann sie solches Zeter vil lieber von dem Lateinischen/ citiren, her deriviren wollen/ dannen man das Zetergeschrey genennt/ in welchen die Rei oder beklagten/ gleich als zur Verantwortung oder Entschuldigung citirt werden/ von welchem Wort villeicht nachmals/ weil es ein abscheulicher Actus ist/ und die Leute auff Leib und Leben angeklagt werden/ herkommen ist/ daß man breuchlich gesagt/ Er hat Zeter über jhn geschryen. Welches wir allhie obiter anziehen. Es hat aber diese Abgötterey gewähret/ biß es Bischoff Werner zu Mersburg verstöret/ wie Fabricius schreibt/ welches doch nicht recht/ dann die Schlacht unter jhm geschehen. Aber ein Bischoff von Halberstatt hat solchen Mißbrauch und Abgötterey abgethan/ Hievon besihe das Büchlein Spangenbergii, so er im Jahr 1555. hievon außgehen lassen. Reinerus hälts aber darfür/ daß Zedutte eines seyn soll mit dem

Abgott

Abgott S. Jodutte, und setzt einen andern/ auch dieses Namens/ darzu/ so in dem Ländlein Delbrück geehret worden / daselbst man ein sonderlich Lied von ihm gedichtet / dessen Anfang: S. Jodutte war ein heiliger Mann/ wie der Feind kam/ gieng er vorn an/ N. Daher erachtet/ daß dieses Götzens Namen gewesen/ und dann in gedachte Liede auch Heiliger Jo/ auff Oberteutsch Mord Jo / soll außgeredet werden/ und ist zwar das Geschrey: Zeter/ Mordio/ bey den Meißnern sehr im Brauch/ daß aber das Zeter von Zedut seyn soll / und das Zedotte von Jodutte herkommen / kan man wegen jetzo eingeführter Etymologia nicht glauben. Nur weil sonderlich bey den Weibern in exclamationibus noch im Brauch ist Zedaute, Zedaute, haben wir dieses Geschreyes Ursprung also hiemit setzen müssen. Duravit hujus cultus usque ad tempora Werneri Episcopi Marsburgensis, vel, quod Chronologiæ conventius, alicujus Episcopi Halberstadiensis, qui sustulit abominationes illas.

XXXIV.

Non prætereundus quoque Hammonius, unde quidam du unt Nomen Urbis celeberrimæ & Emporii nobilissimi Hamburg, cujus honori ædificata, verùm fabulosa; aliam quippe originem & Nominis & Urbis hujus produnt Historici. Interim negare nolumus, devenisse Idolum Jovis ad Saxones, quod ex Chronico Saxoniæ, Alberto Cranzio *lib. 2. cap. 16.* Petro Albino & Entzelio, ita describitur: Er ist gesessen in Gestalt eines Königs auff einem Stul/ hat in der lincken Hand einen Scepter/ in der rechten ein bloß Schwerdt gehabt / umb welchen rings herumb zwölff Götter gesessen/ nemlich/ sechs zu der Rechten/ als Neptunus, Pluto, Vulcanus, Mars, Mercurius, Apollo, und sechs zur Lincken/ als Juno, Ceres, Vesta, Pallas, Diana, Venus. Auß Hammonis Munde ist zur Rechten Hand ein gräßlicher Blitz gangen / zur Lincken ein Donner mit fewrigen Funcken/ auff dem Haupt hat er einen güldenen Adler gehabt/ unter den Füssen einen Teuffel. Es gehet aber dieses alles auch darauff/ daß der Nam der Stadt Hamburg von diesem Hammone von etlichen hergeführet wird/ da doch sonsten der Warheit ähnlich ist / daß diese Stadt von einem nahen Wald/ der Hamm genant/ so noch vorhanden / und einer alten

Burg

Burg genennet worden/ daß man also nicht Ursach haben würde/ die Etymologiam so fern aus der antiquitate her zuholen/ wie gleichfalls darfür gehalten wird / daß dieser Stadt Namen/ sey das corrupt Gambrivium von den Gambriviis, so auch für einerley mit den Cimbris und Sicambris gehalten werden. In der alten Marck bey dem Dorff Kotzebw/ ist auch eine Kirche/ die Hammon Clause genant/ darinn man Hammonem soll angebet haben/ wie Enzelius schreibt/ daselbst wird auch angezeigt/ daß ein Wald und Wässerlein/die Hammey genant/ vom Gott Hammago, oder Jove Hammonio, vel à Jove cum Maia den Namen habe. Welches wir aber auch an seinen Ort wollen gestellet haben. Nec tantum cultus fuit apud Saxones, sed & Hassos. In ditione Schönbergensi, ubi nunc est Geismaria, inferioris Hassiæ oppidum, ingentem quercum, quam Jovis Arborem appellarunt, deprehendere licuit, quam teste Baronio exscindi curavit Bonifacius. SOLIS quoque imaginem fuisse venerabilem in Marchiâ, unde Urbs Soldtweil denominata, nisi malimus illam dictam Soltquell à salinis, cum fontes hic salis abundent; de Forma hujus Idoli hæc prodit Albinus: Sein Form ist gewesen eines Menschen/ so für seiner Brust mit beyden Händen ein Rad gehalten / und ein breiten Schein mit Stralen gehabt. Aus welchem nicht übel abzunemmen/ daß es auff Solem gedeutet worden. Dann Wedel sonsten ein Schwantz oder zötiges Ende eines Schwantz/ als am Löwen und andern Thieren / in der teutschen Sprach genennet wird / derowegen villeicht die Sonne also wegen der Stralen / propter radios circumfusos in pictura, genennet worden. Die Gelehrten aber achten/ es sey Soltwell so vil als ein Saltzhauß / wie dann Weel und Wedel in der alten teutschen Sprach so vil ist als Hauß/ und wird sonderlich von einem Hauß aus Leimen gebawet verstanden. Daher auch noch Weller/ so vil heist als ein Kleber/ in der alten teutschen Sprach. Sie lesen auch eines theils Soltquell/ und verstehen es von Saltzbrunnen oder Quellen / so etwan daselbst sollen gewesen seyn.

XXXV.

CASTOR & POLLUX sacri fuerunt Naharvalis, de quibus Tacitus: Apud Naharvalos, inquit, antiquæ Religionis lucus ostenditur

ditur. Præſidet Sacerdos muliebri ornatu, ſed Deos interpretatione Romani Caſtorem Pollucemque memorant. Ejus numinis nomen Alces. Nulla ſimulacra, nullum peregrinæ ſuperſtitionis veſtigium, ut fratres tamen, ut juvenes venerantur. Unde origo peregrini ſacri, non facile patet; cum ipſe Tacitus, accuratiſſimus alias ſcriptor hæſitet, & ſilentio rem involvat. Lindenbrogius de hoc hæc habet: Bey den Ettlingern iſt deß Neptuni Bildnus gefunden worden/ ſo jetzo unter der Ertzhertzogen zu Oeſterreich alten monumentis ſeyn ſoll. Deß Alemanni, dahin ſich villeicht deß Taciti Hercules gezeucht/ Bildnus oder ſtatua iſt bey Conſtens zuſehen geweſen/ wie Irenicus ſchreibt. Von der Loſung/ ſo bey den teutſchen Weibern gebräuchig geweſen/ ſchreibt Cæſar lib. 1. de Arioviſto, ſo Strabo lib. 7. von der Cimbrorum Weiber in ſpecie referirt und erzehlet/ Welcher Sortium auch andere gedencken / als Middendorpius &c. ſo ſie auß geſcheleten Stäben zugerichtet. So iſt im Alexandro Sardo und andern zufinden / daß die alte Teutſchen in jhren heiligen Wälden/ derer zuvor gedacht/ ſonderlich heilige Pferdte gehabt / auß derer Geſchrey ſie geweiſſaget / als durch welche ſie glaubten/ daß die Götter mit jhnen redeten. TIBULINUS, cujus meminit Tertullianus *in Apol. cap. 23.* qui quibusdam der Teuffel / Noricis in pretio fuit, quanquam alii malint Belenum, qui olim placuit Celtis ſeu Gallis, unde Cæſar *lib. 6. de Bello Gallico*, Apollinem colunt, quem morbos depellere arbitrantur. KRUTZMANNUS, cujus effigiem exhibet Schadæus, Treboccorum fuit Idolum, quod religiosè coluerunt & ut quidam conjiciunt Mars fuit.

XXXVI.

Numina quoq; fuerunt vel fatidicæ Mulieres, aut etiam Reginæ: Irmenſeul, Velleda, Aurinia, Lunica, Hera, Zera, Getza, Vechta, Baſana, Byſa, Hortella, Ova. De prima hæc legimus: Irmenſul wird von etlichen auch Armeſul außgeſprochen/ von andern auch Hermeſſul, alſo daß es teutſch wäre/ und entweder Hermetis, das iſt/ Mercurii Säul oder vilmehr Hermans, darzu dann ſtimmet/ wann man Armeſul liſet: Dann auff ſolche weis verſtehen es etliche/ es ſey ein Heydniſch Tempel und ſolche Columna dem fürtrefflichen Helden Hertzog Arminio zu Ehren/ nach dem er der Teutſchen Freyheit

ge-

gerettet/ und der Römer bestes Kriegsvolck unter Augusto erschlagen/ auch er selbs endtlich durch Verrätherey der seinen umbkommen / zu Heresburg oder Eresburg / welches die Thüringische Chronick Hertzberg / Crantzius Merßburg oder Martzburg nennet / in Westphalen an der Lippe gelegen / von den Sachsen / damit man seiner nicht vergessen / gebauet / auffgerichtet und gesetzt worden / zu welchem groß Zulauff und Wahlfarten der Sachsen gewesen/ darumb auch Carolus Magnus als er dahin gekommen ein trefflich Gut am Gold und Silber und andern / so die Sachsen dahin gelobt und gegeben hatten/ gefunden / es weggenommen / und den Tempel angezündt und verbrandt hat. Consimilia alii quoque produnt: quidam hanc Vocem ab ἑρμῆς derivant, quidam Armesul pronunciant, quidam Hermessul, quidam in diversa abeunt & volunt fuisse vel Hermetis adeoque Mercurii statuam, vel Hermanni, quod confirmat pronunciatio Armesul, quidam Irmensul retinent, quasi Jedermanssful commune Asylum, sive quod ab omnibus cultum fuerit hoc Idolum; Non displicet crisis Vossii, qui hæc habet *lib. 2. cap. 32. p. 476.* Quid si, quæ Georgii Spalitini erat conjectura, statua hæc fuerit constituta Hermanno, sive, ut Romani vocitabant, Arminio, inclyto, ac fortissimo Germaniæ Heroi? Potuit ea statua primitus esse posita heroici honoris ergo, quæ postea cesserit in divinum: qualia superiori libro aliquot retulimus exempla. Magis saltem hoc placet, quàm ut dicatur, quasi irmen-stal; atque hoc sonet Luci Dei stabulum: prout derivat, ac exponit, magnum Hornæ suæ, ac totius Hollandiæ, ornamentum, Hadrianus Junius, Bataviæ suæ cap. 8. Quod si de Arminio placet, mixto cultu in Arminio venerati sint Martem, vel Herculem: cujus cultum esse Arminio vetustiorem, ex Cæsare, & Tacito, non obscurè cognoscimus. Vide, quæ diximus lib. 1. cap. 37. Sed esto sanè, ut, quemadmodum communior est opinio, Irmen-suul/ sit Irmi, sive Hermæ, hoc est, Mercurii statua, vel asylum: non tamen hoc loco tam Mercurii stellam intellexerint, quàm Solem: cujus rei caussæ ex illis petendæ, quæ primo dicebamus libro. Atque ex his itidem dilucet, quid judicii quoq; ferri debeat de ara Mercurii à Gandavensibus, postquam eos S. Amandus converterat, dejecta: ut in S. Bavonis Vita refert Theodoricus.

doricus, abbas S. Trudonis. Item liquet inde, quid statui debeat de Mercurii simulachro in Walachria, quod S. Wilibrodus sive Clemens destruxit; ut est apud Bekam in ejus vita: ac rei ejusce meminit quoque Alcuinus in vita ejusdem; sed contentus est vocare antiqui erroris idolum. Id simulachrum fuisse Westcapellæ Walachriæ in Zelandia pago, constat ex Chronico vetusto, Belgicis rhythmis conscripto: item Chronico eâdem linguâ Gandæ in Batavia excuso, anno cIↄ cccc LXXXVIII. Uterque autem eorum ait, Mercurii fuisse. Jacobus Eindius, Haemstedæ dominus, in Chronico Zelandiæ lib. II. meminit Chronici MS! in bibliotheca Corbejensi, interque libros indice Expurgatorio prohibitos adservati. Unde hæc verba adducit: *Testes quoque sunt Ecclesiæ, quas per singula loca construxit. Et sicut Walacriæ idolum Mercurii, Walcher, nomine, rejecit, Ecclesiam Dei consecravit; ut illic Westcapellis, ubi idolum adhuc ostenditur, patet.* Ubi videmus, ut in Walachria idolum Mercurii Walcher nominatum dicat. In quo si non fallit, rectè conjectat Eindius, Mercurio id nomen fuisse ex eo, quia tutela illi insulæ sive litorum esset commissa. Nam quid Walcher aliud ac Wal-heer, hoc est, litorum potens, sive dominus litoralis? Quippe walle est agger aquis oppositus; item litus, ripa, sive crepido aquæ. Ipsum simulacrum exhibet Chronica Saxonum Lindebrogius & alii. Erat autem armati toto corpore effigies, cujus in dextra signum militare, nostri vexillum vocant, præferens rosam; cujus ut breve momentum, & facilis ortus & interitus: ita eventus præliorum. In sinistra libram expandit, dubiam pugnantium sortem facile huc aut illuc inclinantem. Pectus inerme ursum præferebat, internum bellatorum animum insinuans. In clypeo Leo, qui bestiis imperitat, invictum ad fortia facta impetum monstrat. Floribus consito campo, in quo stabat: quod nihil jucundius solet videri fortibus, quam in acie virtutem ostendere. De loco Crantzius & Ditmarus non conveniunt, ille enim vult in Westphalia prope Lippam Hermopoli, Heresburg, Herzberg/ sive ut ipse exprimit, Mersburg positum ibidem, ut &, à Saxonibus cultum fuisse; hic verò Mersburgi ad Salam; quidam volunt Corbeii, inventum esse simulacrum cum hac subscriptione: *Dux ego gentis Saxonum victoriam certam polliceor me venerantibus.* Et re-

ctè

ctè quidem. Quippe in honorem Harminii columna hæc erecta fuit; Hermans-säul priscis vocata; quod vocabulum postea corruptum, & ab ignaris hujus rei posteris Irmans-säul dicta; Hic enim Harminius, Dux Cheruscorum fuit, vir fortis bello & consilio promptus, qui Romanos gravi cæde affecit. Quidam volunt etiam in Franconia olim fuisse tale Idolum, unde Lindenbrogius: Andere wollen aus etlichen antiquitatibus und alten Dingen berichten/ daß die alte Sachsen / sonderlich was Kriegsleute gewesen/ haben geharnischt / oder mit einem Küriß angethan / mit einem Schwerdt begürtet / und in der Hand einen Streit-Kolben mit langen Zacken führende / für dem Bild Irmensul auff sonderliche Tag und Fest / wechselweise umb und umb reiten/ etliche auch wol dafür in jhrer Rüstung nider knien müssen / daher endtlich die Wahlfarten und Abgötterey gekommen/ und Irmenseule zum Abgott worden. Und daß auch für etlichen hundert Jahren/ in Franconia ein Bild solcherley Art gestanden.

XXXVII.

De VELLEDA & AURINIA hæc habet Tacitus: Vidimus sub divo Vespasiano Velledam diu apud plerosque numinis loco habitam, sed & olim Auriniam, & complures alias, venerati sunt, non adulatione, nec tanquã facerent Deas; prioris etiam meminit Statius *lib.1.* Non vacat Arctoas acies Rhenumq; rebellem, Captivæque preces Veledæ, cui maxima nuper Gloria. Forsan sacerdotii partes subiit, quas fæmineo sexui deputarunt Veteres Germani: de Vaticinandi facultate sese probavit; subvenit hic Reinerus Reineccius *parte 2. Hist. Jul.* scribens: per idem tempus, belli scilicet civilis Batavici, floruit Velleda, Bructeræ nationis virgo fatidica. Cujus indè potissimùm auctoritas crevit, quòd cùm prosperas res popularibus, adversas Romanis legionibus prædixisset, eventus responderet. Quare & ipsa majestatem sibi augere, & cum in editam turrim se abdidisset, per delectos è propinquis responsa dare. Permansit in hoc statu, usque ad Petilii Cerealis victorias. Nec constat, quid porrò eâ factum. Nisi quòd à Cereali solicitata est, ut belli adversam fortunam, opportuno erga populum Romanum merito mutaret. Sustulit illud Idolum Carolus Anno 772. qui Saxoniam aggressus Eresburgum castrum cepit & Idolum Saxonum, quod vo-

cabatur Irmensul destruxit. De Aurinia disputant Critici, num locus Taciti non sit corruptus, quam alii malunt pronunciare Fluriniam, alii Altermunam, vel Altrunam, quasi dicas Sagam vetulam, & murmurantem ad similitudinem vocis Kerunam susurrare, alii Hellerunam, cum Inferno & Diabolis secreto murmurantem, alii Aliitumam ab opinione sanctitatis, cum Halii veterum lingua sanctum indicet. Denique sunt qui Alironia censeant dicendum, cum Alironiæ fœminæ dictæ fuerint, quæ Vaticinia procurarunt, & de futurorum Eventu prospexerunt.

XXXVIII.

Non immunis etiam fuit ille Tractus, qui hodie Wirtenbergia dicitur, ab hoc fœdo cultu & Deastrorum prostitutione. Prope Tubingam, ad extrema pagi Messingen in Colliculo, Fanum adhuc conspicitur, in quo quondam Diabolus fuit cultus; vidimus ipsi in facie illius supra portam figuram hominis, divaricatis cruribus insidentem tripodi & circumcirca amputata capita vitulorum & boum, quæ in Sacrificium cesserunt, Locus dicitur Belsen, ni conjectura nos fallit, ἀναλόγως ad vocem Beelsamen, qui Phœnicibus fuit Sol, unde Eusebius de illis, cum siccitas obtigisset, sustulisse eos manus in Cœlum ad Solem. Hunc enim solum Deum existimabant, eum vocantes Cœli Dominum Beelsamen. In vicina Urbe Imperiali Reuttlinga abominandum simulacrum apud Nosodochium Marti simile expressum, & cultum quondam ab Incolis illius loci, cum adhuc Gentilismo deditі, sub quo hæc verba.

Da man zahlt 1111. Jahr
War diese Figur gemacht fürwahr.
Mars G. M. C. XI.
Vor Zeiten war diß ein Abgott/
Jetz ist bey den Christen ein Spott.

Consimilis figura in lapide invenitur Kuppingæ prope Herebergam.

XXXXIX.

Pauca, antequam ad alia progrediamur, circa recensita notamus. Et *primò* quidem, quòd sæpè uni Deastro plura Nomina fuerint imposita, & sub diversis idem Numen cultum, de quo ita Schedius: Et hæc de Πολυωνυμίᾳ Deæ adducere visum fuit: cujus intricata enodatio, minus tunc temporis cognita, authores quandoque

que coëgit, ut minus certi ſacrorum, variis nominibus, & quidem ſibimet notioribus, Deam appellarent, & venerarentur. Hinc hactenus Iſis, & Ertha, & Luna, à quibusdam Germanarum rerum ſcriptoribus diverſæ creditæ: quas tamen unum numen eſſe, noſtra diſſertatio probat. Venus ſiquidem, Urania, Veſta, Minerva, Mater magna Deum, Aſtarte, Erthus, Iſis, Luna, Diana, Juno, Lucina, Hecate, unum numen ſunt, pro diverſis virtutibus poſitum. Et hoc ita certum eſt, ut idcircò Iſis illa μυριώνυμα dicta ſit. Præſertim cum & omnia numina gentilia maſculorum Deorum ad unum Solem referantur, ut Macrob. l. 1. Saturn. vult. Optimo itaque jure fœminei ſexus numina ad unam Lunam ut redigantur, conveniens eſt. Sic enim Ariſtotel. lib. περὶ κόσμου: εἷς δὲ ὤν, πολυώνυμός ἐστι, κατονομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν, ἅπερ αὐτὸς νεοχμεῖ, id eſt, unus vero Deus exiſtens, multis nominibus dictus eſt; denominatus ab omnibus effectibus, quorum ſpecimen edere ipſe ſolet. Plura autem de Luna ſeu Cœleſti videantur apud Apul. Flor. IV. Ammian Marcell. lib. XXII. Capitolin. in Pertinace & Macrino, Trebell. Pollion. in Celſo, Salvian. cap. VIII. de Provident. Dei. D. Auguſtin. lib II. de Civit. Dei. cap. IX. Turneb. Adverſ. libro XXII. capite XXIV. Verba etiam Taciti, qui Germanos dixit Deorum omnium maximè Mercurium coluiſſe, cum loco illius *lib. 4. Hiſtoriæ* Tencteri Martem vocent præcipuum communium Germaniæ Deorum, Eruditi conciliant ita, ut in diverſis Germaniæ populis cenſeant alios Martem, Mercurium alios præcipuo habuiſſe loco. *Secundò* non unam eandemque Idolorum rationem fuiſſe, quædam enim non tàm à Germanis, quàm à Romanis duxerunt originem, quod vel nomina docere poſſunt, cum Luce Hiſtoriæ conjuncta; Druſus enim Martis Idolum Mersburgenſibus obtruſiſſe dicitur & Veneris Magdeburgenſibus, Germanicus etiam filius Druſi Fratris Tiberii paria cum patre feciſſe dicitur, ad Lacum enim qui Dummer dicitur in Comitatu Dieſſholt cæſis Germanis, lapidibus compoſitis & aggeſtis hæc inſcripta fuerunt. Debilitatis inter Rhenum Albimque nationibus, Exercitus Tiberii Cæſaris hæc Monumenta Marti & Jovi Auguſto ſacravit, & quæ vi non fuerunt introducta, ex familiaritate cum Romanis, ut quidem de Hermunduris conſtat, fuerunt ſpontè ſuſcepta; alia autem Germanorum fuerunt propria &

Ve-

Venedorum, qualia ſupra recenſuimus & quæ ipſa produnt Nomina. Maxima pars Suevorum HERTHUM, hoc eſt, die Erden coluit, unde etiam veteres Rudingi, Aviones, Angli, Varini, Eudoſes, Herthani Deam habuerunt, quam Terram Matrem vocarunt, quibus addimus Criſin Lindebrogii: Es ſeynd aber unter dieſen erzehlten alten der Teutſchen Abgöttern die Herta oder Herthus, dergleichen die Sonne/ Fewr und Monde/ Item die Pferde ohn zweiffel die Elteſten und rechte teutſche Götter. *Tertiò* nunquam nos poſſe probare, quæ ex Cluverio ſupra produximus; repugnat enim ſtatus Germanorum, quanquam enim à Japeto per Aſcenas, ſecundum Ebræos, duxerint originem, vel, ut alii volunt, per Thogarma, & aliqua Lipſana ſacra ſuperfuerint, in primis Gentis hujus conditoribus; ſenſim tamen defeciſſe credendum eſt, nec fuerunt alii, quam quales deſcribuntur à Paulo *Eph. 2. v. 12.* Irregeniti ſcil. qui quidem ex Lumine Naturæ deprehendere potuerunt, eſſe aliquem Deum, ſed ad hunc Solem, qui unus in Eſſentia & trinus in perſonis, non pertingere potuerunt, ſed fuerunt ut Nycticoraces ad hoc Lumen, quod non niſi in Scripturis radiat. Repugnat Numerus Deaſtrorum (non enim acquieverunt in ternario, ſed alios quoque venerati ſunt, tum proprios tum quos Romana ſuppeditavit ſuperſtitio,) ex dictis cõſtare poteſt. Repugnat deniq; Conveniẽtia cum Trinitate; ponamus cum Cæſare, tres tantùm fuiſſe cultos, reliquos ne fama quidem accepiſſe, quo nunquam deveniendum, ſanè Sol, Vulcanus & Luna nihil commune habent cum Trinitate, quam Eccleſia Chriſtiana adorat, nam & Peruani, teſte Joſepho Acoſta, tres ſtatuas poſuerunt per omnia ſimiles. Apointi, Churiinti, Intiquoquæ, hoc eſt, pater Sol, filius Sol, frater Sol, & coluerunt Deum, quem TANGA-TANGA appellarunt, & dixerunt, eſſe in uno tres & unum in tribus. num autem, cum longè luculentiora videantur hæc veſtigia, dicendum? Peruanos Trinitatem agnoviſſe ex ſtatuis ſoli poſitis, num patri reſpondet Sol, Filio Vulcanus, Luna Spiritui Sancto; Num aliud per Solem intellexerunt, quam *ὀντῶς* illud admirabile, quod aſpicimus? Per Vulcanum aliud quam ignem? per Lunam aliud quam Noctis præſidem, annon etiam in Germanos quadravit illud *Sap. 13. v. 2.*

CAPUT

CAPUT II.

PRÆCEPTI PRIMI,

Th. I.

H*Actenus* ſpectavimus extra fines Eccleſiæ, quæ adverſa Majeſtati Divinæ ſunt adoptata Numina; pergendum itaque ad Templum Dei, in quo quidem ipſe ſolus colendus, adorandus, laudandus, interim hominum ſive Imprudentiâ ſive Malitiâ non ſatis verbo revelato attendentium collateralia Numina introducta ſunt, ita ut abundent & cultum unius quaſi obruant, populo ad tot opitulatores ablegato. Ut itaque ordine procedamus, per Claſſes erit eundum, atque oſtendendum, qui præter Deum in papatu, ſive Spiritus ſive Homines, & quæ res paſſim in Templis ſuſpenſæ & proſtitutæ religiosè colantur, adorentur.

II.

Prima ſeries, quam educere libuit, eſt Angelorum ſive Spirituum Cœleſtium. Statuunt enim Pontificii, Angelos eſſe religiosè adorandos, non quidem *Latria*, ſed illa ſpecie, quæ *Dulia* vocatur, & inferior eſt eo cultu, qui Deo debetur, ſuperior verò illo, qui hominibus in hâc vita ſolet exhiberi; fundant autem hunc cultum *primò* in Angelorum notitia, quam ad gemitus, deſideria & cogitata cordis noſtri usque extendunt. Unde Drexelius *in Horologio*, Quid precemur, facillimè ſciunt, aut noſtri aſpectu, aut Dei; quis eſt, qui oret & non ſimul gemat & ſuſpiret, pectus tundat, etſi verba non formet, ſagaciſſimis ſpiritibus hic facilè eſt aſſequi, quid clauſum ſit animo: at nihil penitus in nobis obſervent, in Deo certo rerum omnium obſtupeſcendo ſpeculo vident omnia, ea præſertim, quæ ad ſui clientis curam pertinent. Becanus cognitionem tribuit precum noſtrarum, per novas revelationes; Carolus Franciſcus Abra de Raconis *part. 5. Tractat. 11. Art.* 2. poſtquam expendiſſet quæſtionem de facto & jure, tranſit ad potentiam, & ita concludit: Ex oppoſito ſtatuendum, Angelos ex ſe poſſe cognoſcere cogitationes intellectus, & affectiones voluntatis, quando ſunt præſentes ſine ulla directione, atque adeò, quod illas non cognoſcant ante directionem, aliunde provenire. Unde ergò, inquies? Reſpondeo, ex altero

è duobus istis capitibus, quæ necessario ab eodem principio oriuntur, quod nempe Deus propter rationes jam allatas, & mille alias nobis ignotas, postquam statuit cogitationes à creaturis intellectualibus efformatas, à nullo cognosci citra earum consensum, aut non dat species, nisi dum diriguntur, aut posito, quod species illarum concesserit, sicut & aliarum rerum, non concurrit cum illis, nisi facta illa directione; itaque directio illa est conditio sine qua vel Angeli non habent species harum cogitationum, vel Deus ad illas cognoscendas non concurrit; nam ex alterutro defectu, aut quod Angelus careat speciebus illarum, aut quamvis habeat, Deus tamen subtrahat concursum, continget, non posse tales cogitationes aut affectiones cognoscere ante directionem, quæ tamen spectato intellectu Angelico, ipsis etiam cogitationibus, æquè videntur posse ab Angelis cognosci, ac cæteræ res naturales. Becanus tract. de Angelis, quæst. 10. agens de hac materia, non potest concipere hanc concursus subtractionem ex parte Dei, ne Angelus præsentes intellectus cogitationes agnoscat, antequam ad illum dirigantur, quia, inquit, sine ulla necessitate recurritur ad miraculum, quale contigit olim igni Babylonico, qui per subtractionem divini concursus tres pueros mediis in flammis illæsos reliquit. Sed 1. demus hanc concursus subtractionem, respectu cogitationum intellectus, esse miraculum, sane non sine causa ad illud recurreremus, quia multæ rationes suadent, Angelos illas actu non cognoscere, antequam ad illos dirigantur, posse tamen illas cognoscere: ergo recurrendum est ad modum aliquem extraordinarium, qualis est hæc concursus subtractio. Secundò dico, hanc concursus subtractionem, respectu cogitationum Angeli, sine directione non esse miraculosam, quia frequenter evenit: at verò miraculum debet esse rarum & infrequens, ut Theologi docent, imo etiam, quia hæc concursus subtractio, qua impeditur Angelus, ne alterius cogitationes agnoscat, debetur societati Angelorum, quæ sane melius conservatur, dum cuique liberum stat alteri, suæ mentis arcana patefacere. Idem Becanus instat eodem loco, si subtractio concursus esset ratio, qua Angelus impeditur, ne cognoscat alterius cogitationes, Deo concursum non denegante, actu illas cognosceret, sicque non foret signum divinitatis Christi, quod Pharisæorum cogitationes perspectas habuerit

buerit. Reſpondeo: Ponamus, Deum ſtatuiſſe, non denegare concurſum Angelis ad cognoſcendas cogitationes, ſicut nec denegat ad alia cognoſcenda, tunc recurrendum erit ad ſecundum modum, ſeu ad defectum ſpecierum, quas Deus tantum poſt directionem cogitationum illis indidiſſet; nam duos modos tradidimus æquè probabiles, Angelos ſcilicet non cognoſcere mentis & voluntatis arcana ante directionem, aut quia ante ſpeciebus carebant, aut, quia Deus cum illis non concurrebat. *Secundò* in Angelorum ſingulari præſentia & Naturæ celeritate; uti Bellarminus. Alii dicunt, Angelos eſſe mirâ quâdam celeritate Naturæ quodammodo ubique, & per ſe audire preces ſupplicantium; *Tertiò* in precum oblatione, Angeli enim vel preces noſtras, vel bona opera Deo offerunt, juxta Bellarminum *lib. 1. de Beatit. Sanct. cap. 6* Pinedam in *Jobum* Becanum *Tom. 1. opus. 14. cap. 16.* Unde in Litania: per ſanctos Angelos tuos te rogamus, audi nos.

III.

Conſtat verò hic cultus *primò* generali veneratione religioſâ, interno Animi Affectu ex externis devotionis ſignis probatâ & declaratâ. Ita enim Drexelius *in Horologio Horâ XII. Conſideratione 1. cap 2. pag 475.* Angeli eo honore cultuque poſſunt affici, quo cæteri Divorum, quos precibus, ſtipe, jejuniis, tanquam Dei amicos deveneramur. Angeli Deum aſſiduis frequentant laudibus; hoc crebrior apud nos æmuletur oratio: Angeli criminis omnis puriſſimi caſtiſſimam integritatem absque nævo traducunt; huic illorum virtuti æmulandæ frequentiora nos juvabunt jejunia; Angeli beneficiorum in nos largiſſimi ſunt; id eleemoſynis noſtris piè imitari conemur. Speciatim primò votorum nuncupatione, de quibus Drexelius *cap. 5. p. 477.* Sunt qui templa variis muneribus colant: Hi ceram, illi oleum, iſti cereos, alii aras, pretioſam veſtem, artificioſas imagines, calices aureos donant. Auguſtinus: Æquum eſt, inquit, monitos nos à Pſalte regio, & VOVERE & REDDERE: duplici modo id fiet. Sunt qui ceram, oleum, telam, ſimilam, odores, aurum dent; Sed hæc niſi à ditioribus non expectes. Nobiliora his munera habemus, è pauperum etiam arculis depromenda, quæ Angelis oblata, non poterunt non eſſe gratiſſima. Ea verò ſic ordine numerat Auguſtinus, auro prorſus & cedro ſcribenda. 1. Quicun-

que iram in alterum conceptam substrinxerit, & Dei amore illatam injuriam oblitteraverit; votum obtulit iste, oleum purissimum. 2. Si quis luxuriæ cœno volutari consuêrit, resipiscat tandem, & excutiat sordes suas, & ex animo ad Deum secretiùs clamet: Benignissime Domine, misericordissime Deus; sufficiat hactenus lusisse tecum: huc usque peccavi, te contempsi, legem tuam abjeci, carnis meæ fœtoribus satisfeci: nunc, ô mi Deus, ad te redeo, & voveo nequitiam meam, me desiturum. Et hic obtulit candidissimam virginem ceram, utique carissimum munus Angelis. 3. Si quis invidiâ laboret, ærumnis aliorum exhilaretur, felicitate alienâ tabescat, quod est peccatum, inquit Augustinus, usque ad mortem, promittat & ipse animo, actus amoris potiùs, quàm livoris & invidiæ se meditaturum. Et iste votum obtulit, calice aureo donavit Angelos. 4. Si quis injuriam intulerit alteri, aut etiam cædem fecerit, animum veneno plenum abstinentiâ cruciet & luctu, nec panem Angelorum tangat, dum se Deo, læsos sibi reconciliarit integrè. Et hic votum offert: collapsam restaurat aram Angelis. 5. Si quis aliorum actiones carpere, suas non inspicere, omnium honori detrahere, maledicos dentes nemini non infigere sit solitus; Deo & Angelis se voveat: Huc usque de aliis dixi, me non inspexi: ego eram miserio, & alios miseros existimabam. Satis, ô mea lingua, satis meque aliosque perdidisti; arctioribus te posthac vinculis constringam; seriò lasciviam tuam emendabo. Et hic obtulit votum: grandem ex optimo ære statuam locavit Angelis. 6. Si quis se observet eleemosynæ parcum, in egenos asperum, in domesticos tenacem, in omnes iracundum, voveat hic Deo & Angelis mansuetam liberalitatem. Iste quoque munificum solvit votum, sacrificam ex auro vestem dedit Angelis. 7. Si quis se humanæ laudis percupidum, arrogantem, jactabundum, insolentem advertat: voveat is submissionem & modestiam. Peristromata hic offert & tapetia Angelorum æstimatione pretiosissima. 8. Si quis vino plus æquo indulgeat, & caliculis epotandis studeat, voveat is sobriam & frugalem mensam. Grande votum obtulit & iste; aliquot vini veteris urnas sacravit Angelis. 9. Si quis languidum se fractumque, & ad exercitia enervem & lentum sentiat, alacritatem is voveat, & ad divina fervorem. Pretiosum & hic votum obtulit, argenteam, balsamoque ardentem

dentem lampadem suspendit Angelis. Devota hæc Angelis munera ejusdem Augustini verbis consigno. Et cùm hæc omnia, inquit, feceritis charissimi, offertis Deo votum placitum, & quasi remuneratis Christum. Et posthæc veniet vobis benedictio, & vota vestra offerentur ante tribunal Christi. Putamus, quàm dulce erit, quando vota nostra talia, qualia dixi, Angeli ante conspectum divinæ Majestatis obtulerint. *Secundò*, juramentorum præstatione; unde Justinianus tale exigit juramentum, sive per Deum omninò omnipotentem & filium ejus unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, & Spiritum S., & per sanctam & gloriosam Dei Genetricem, & semper virginem Mariam, & per quatuor Evangelia, quæ in manibus meis teneo, & per sanctos Archangelos, Michaelem & Gabrielem, puram conscientiam Germanumque servitium me servaturum Sacratissimo Imperatori. Adde Carolum Stengelium, *in Gabriele cap. 13.* *Tertiò* Templorum Erectione, de quâ ita Breanus: Quæstio est, an liceat Angelis aut aliorum Sanctorum templa ædificare? Affirmant Catholici (ita enim vocat hæreticos) negant hæretici. (ita vocat Catholicos) possumus, inquit paulo post, eadem Templa, quæ Deo principaliter ad sacrificandum erecta sunt, quasi secundariò referre in honorem alicujus Sancti h. e. ad memoriam illius ibi recolendam vel ad patrocinium invocandum: Ita & Drexel. Horol. p. 274. ait, Constantinum Imp. apud Constantinopolin in utroq; maris Euxini littore duo illustrissima Templa Michaelis Archangeli honori; Justinianum verò eidem Archangelo aliisque sanctis sex magnifica Templa è fundamentis erexisse.

IV.

Quanquam verò plura possint produci argumenta contra hunc polytheismum, cùm sit cultus ἄγραφος, qui Angelis defertur, nullum Ens, præter Deum, sit nobis habendũ objectũ venerationis religiosæ, è quo expectandum, quod Deus dispensat, ab ipsis Angelis fuerit repudiatus, tamen brevitatis studio seligimus locum *illum ex Epistolâ ad Colossenses 2. v. 18.* Ilbi Apostolus dicit: μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω, θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, εἰκῇ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, Nemo vos seducat &c. Agit hic Apostolus non obscurè contra Angelorum cultum,

cultum, rationum radiis ex ipso textu micantibus. *Primò* latet in verbis illis, μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων; si enim hæc ita accipiamus: nullus voluntarius Moderator de vobis statuat, vel ut Cornelius à Lapide exponit, nemo studio & datâ operâ, sive de Industriâ contra vos dominetur, quia βραβεύειν teste Budæo notat propriè *regere*, *dominari*, *imperare*, & *versiculo*, 16. dictum, *Nemo vos judicet*, sensus erit, nemo in Religionis negotio cultum præscribere potest, conscientias obligare & constringere, quapropter in jura Dei involat, qui vobis dominari hic vult, ex propriâ voluntate aliquid statuere, quanquam à quamplurimis illud θέλων ad sequentia referatur, *vel* ad humilitatem cum Augustino, *vel* ad ambulans, quasi dicas, volens ambulare; à quibusdam etiam exponitur: nemo præripiat vobis jam partum palmarium ἐθελοταπεινόφρων καὶ ἐθελόθρησκος secundum Scaligerum. Si *secundò* expendamus verba, *in ea quæ non vidit se ingerens*, ἐμβατεύων *vel* incedens, similitudine ductâ à tragicis cothurnis, qui ἐμβάδες dicuntur, *vel* inculcans, *vel* denique pedem ponens, patet ex eo quoque, rejici illam θρησκείαν ἀγγέλων, quia non data ex Revelatione, ex unico veritatis cœlestis principio, sed ex non auditorum & visorum substitutione, ingestione, occupatione. *Tertiò* si attendamus ad verba, *frustra inflatus sensu carnis suæ, neque tenens caput*, liquet rejici istum cultum, ex eo quoque, quod nitatur opinione humanâ, sensu carnis, quam fastus attollat, quoque in Christum, caput Ecclesiæ, & conjunctionem illius cum corpore mystico peccetur.

V.

Est autem hic actus θρησκείας ἀγγέλων à Paulo hisce argumentis impugnatus. Vocem θρησκεία Thracibus originem debere volunt; θρῄκη enim Thraciam significat, ubi Orpheus θρησκείαν *primò* tradidisse, cultusque Deorum invenisse creditur; Sumitur in bonam & malam partem, hic verò posteriori modo; notat enim superstitionem, vitium Religioni contrarium, quasi superfluam institutionem dicas, quia est sententia contra fidem, ratione adinventionis, quæ reprehenditur, amovetur ab Apostolo, à qua dehortatur, coincidit cum ἐθελοθρησκεία, cujus meminit Paulus *versiculo vigesimo tertio*; agnoscitur ab ipsis Pontificiis, carpi ut vitium, Estio & cæteris; per ἀγγέλους autem non stellæ intelliguntur, ut placuit Ambrosio, cum

cum insolens sit vocis significatio, nec Paul⁹ egerit adversus Gentiles, hoc errore fascinatos, sed Pseudoapostolos; nec hæretici, contra quos egit, etiam adstipulantibus pontificiis Interpretibus, de stellarum, sed Angelorũ cultu fuerunt soliciti; nec appositum Hypocriseως hîc attendimus, quasi sensus esset, nemo vos seducat Hypocrysi Angelica illorũ planorum, quasi cum Angelis conversati, eorumq; visione & alloquio usi fuerint, quod maximè quadraret in vitam Eremitarum & Monachorum, Philippus Melanchton voluit, & probavit noster Balduinus, aliud enim θρησκεία, aliud hypocrisis Angelica, sed retentâ proprietate vocis per ἀγγέλους intelligimus Spiritus ministratorios illos, qui in Scripturis passim ratione Essentiæ & proprietatum delineãtur & per θρησκείαν ἀγγέλων consequenter nihil aliud, quam religiosum illorum cultum, venerationem, & adorationem.

VI.

Hic verò existimant Pontificii Interpretes & Doctores, uti Bellarminus *lib. 1. de Sanctorum Beatitudine cap. 20. pagina mihi 1987. Primò* non tangi Pontificios, sed Simonianos, quapropter hæc addit: Dico, ibi Apostolum damnare hæresin Simonis Magi, qui Platonicos sequutus docuit, quosdam Angelos adorandos quasi minores Deos, qui & mundum fabricarunt, & per Prophetas loquuti sunt, nec posse ullum placare summum Deum qui invisibilis est, nisi per hos Angelos. Vide de hac hæresi Irenæum lib. 1. capite 20. Tertullianum in lib. de præscriptione, & Epiphanium in hæresi Simonis. De hac idololatria, sive magia, qua adorantur Angeli loco Dei, vel Christi, exponunt hunc locum omnes interpretes. Joannes CHRYSOSTOMUS homilia 7. in epistolam ad Colossens. Sunt nonnulli, inquit, qui dicunt, non oportere per Christum reconciliari, & ad Patrem accedere, sed per Angelos. Propterea Paulus sursum, ac deorsum, quæ de Christo sunt, versat. Ita etiam exponit Oecumenius & Theophylactus; Ambrosius in hunc locum putat eos notari, qui adorant stellas. Cum verò Theodoretus pro Orthodoxis militat, & tamen illius verbis aliquem vult inducere colorem, ne veritas transpareat; & sequentia subjicit. Quod verò Theodoretus dicit de oratoriis sancti Michaëlis, duobus modis potest intelligi. Uno modo, quòd velit dicere, hæreticos ædificasse oratoria S. Michaëli, ut eum ibi colerent secundum hæresim Simo-

nis,

nis, ei ſacrificando, &c. Altero modo, quòd ſignificare voluerit, templa ab hæreticis exſtructa ad ſacrificandum malis Angelis, eſſe converſa à Catholicis in oratoria S. Michaelis, & ex multitudine talium locorum colligi, quàm multum hæreſis Simonis ibi olim graſſata fuerit. Quòd enim templa idolorum olim converſa ſint in baſilicas Martyrum, & aliorum Sanctorum, certum eſt ex ipſo Theodoreto lib. 8. de Martyribus, & adhuc Romæ videtur templum omnium Deorum converſum in templum omnium Sanctorum, ac templum Caſtoris & Pollucis, in templum Sanctorum Coſmi & Damiani. & Gregorius lib. 2. Dialagorum, cap. 8. ſcribit à S. Benedicto converſum fuiſſe fanum Apollinis in oratorium S. Martini, & ipſe B. Gregorius lib. 19. epiſt. 71. ad Mellitum, præcipit Auguſtino Epiſcopo Anglorum, ut fana idolorum non deſtruat, ſed aqua benedicta aſpergat, & Reliquiis Sanctorum ornet, ac demum in templa Dei veri convertat.

VII.

At quis non videt aquam hærere Pontificiis? Docet id *1. Interpretationum variarum conquiſitio*, ut enim Navi fractâ nunc hanc nunc aliam prenſare ſtudent Tabulam Naufragi, ut enatent, ita ipſe Bellarminus adducit Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, qui de hæreſi Simonis Magi hæc verba exponant; illis relictis Dein accedit ad Chryſoſtomum, qui indefinitè loquitur, poſtea arripit Interpretationem Ambroſiii, qui per Α'γγέλυς ſtellas intelligit, quam ſupra excuſſimus; tandem in Hieronymo ſubſiſtit & Haymone, qui docent reprehendi eos, qui ſacrificarunt Angelis, non diſſentiente Theodoreto. 2. *Ipſius Exceptionis inconſequens* Conditio. Ponamus *primò* Apoſtolum reſpexiſſe hic Simonianos & Platonicos, hæreſin hujus Magi damnâſſe & improbâſſe, num propterea Pontificios non notare dicendus erit? num quia Apoſtolus *1. Timoth. 3. v. 3.* Marcionem & Tatianum, juxta Tertullianum & Hieronymum, damnat, propterea non damnare voluit Manichæos, de quibus Auguſtinus hæc verba accepit; & ſi hoc voluit, non Pontificios, qui paria docent, utut ex alia cauſa, qualis paralogiſmus ab ipſis committitur. *Secundò*, Apoſtolus nullam mentionem facit Simonis Magi, nec veſtigium quidem oſtendit, determinatè ſe agere contra hunc

hunc Impostorem, & si antecedentia considerentur, *versiculo decimo sexto & septimo*, patet potiùs agere contra illos, qui non tàm manifestè impii & impudentes, ut Simon Magus, quam illos, qui sub Titulo Apostolorum & Doctorum, specie pietatis, & Sanctitatis opinione, ex Judaismo retenta, imponere voluerunt Colossensibus; solebat enim, ut loquitur Baronius, suis Epistolis insectari illos hæreticos, qui Christiano nomine in Ecclesiam Catholicam grassabantur. *Tertiò* Apostolus reprehendit θρησκείαν ἀγγέλων, cultum Angelorum, aut itaque in Papatu admittitur ille cultus, aut non; si prius, hic erit prædamnatus, si non, cadet quod Doctores hactenus propugnarunt, praxis passim corroboravit, & ut damnavit hæresin Simonis Magi θρησκείαν Angelorum introducentis, ut Cerinthi, quemadmodum alii volunt easdem tibias inflantis ex generali loquendi ratione, ita quoque Pontificiorum; qui enim dicit, mœchari esse malum, non tantùm asserit, hoc malum esse in Gentilibus, sed etiam in Monachis, cum Monialibus nimis familiariter agentibus; qui docet Angelorum cultum esse reprehensibilem, ex eo, quia procedit ex Dominio in conscientias, quia est illorum, quæ non visa vel audita, & tamen pro oraculis substituta, quia est carnis fructus, ille eo ipso non tantum Simonem Magum perstringit, sed omnes, quotquot hoc laborant morbo, qui volentes Moderatores, jactantes non visa, vel audita, & carne turgidi, opinionibus propriis intumescentes. 3. *Falsi pro vero substitutio*, dicit notari illos, qui Angelos adorarunt & coluerunt, secundum Simonem Magum, sacrificando, atqui de Simonianis hoc falsum; dicit de hâc Idololatria seu Magia, quæ diversa sunt exponere hunc locum omnes Interpretes; at aliter accipiunt hæc verba ex patribus Anshelmus, ex Pontificiis Lyra & Cajetanus; dicit damnari hæresin Simonis Magi, at ut hoc falsitatis arguit Cæsar Baronius, *Tomo primo ad Annum Christi 60. pagina mihi 571. & 572.* scribens: Quænam fuerit dicta hæresis, ipse non nominat, nec in suis, quos scripsit, libris hæreticarum fabularum explicat: quamobrem mirati sumus, errorem ejusmodi tribui Simoni Mago; cum, quæ de Angelis ipse dixerit, longius ab his discrepent: quippe qui traderet (ut auctor est Irenæus, Epiphanius, idemque Theodoretus & alii) se esse divinam potentiam, quæ Judæis ut Filius apparuisset, à seque per mentis suæ primam compre-

hensionem, quam Helenam esse dicebat, creasse Angelos, à quibus mundus esset creatus, in ipsam Helenam fuisse commotos, ipsamque affecisse ignominia, ad quam redimendam & ab Angelis vindicandam ipsum descendisse, ac in Judæa hominem apparuisse, tradebat. Sic igitur nullus à Simone Angelorum cultus introductus habetur: qui dicebat se in mundum descendisse, ut Angelos malos, moderantes terrarum orbem, corriperet. Nec his insuper aptari possunt, quæ Simonis discipuli dixere de Angelis, quibus licet creationem rerum tribuerint, tamen, quòd perperam agerent, Christum ad eos debellandos missum esse, jactarent, quod Basilidis proprium dogma fuit. Porro tantum abest, ut hi Angelos adorandos esse docuerint, ut pugnandum esse suaderent adversus Angelos mundi fabricatores, idque horum affinis Carpocras tradiderit, potius itaque vult Cerinthi Dogma fuisse notatum, quem sequitur Johan. Gabriel Bisciola, *pagina mihi 52.* ita scribens: Tangit Cherinti dogma, asserentis Christum esse tantum hominem, & illi Angelos præferentes, per quos & mundum creatum diceret. Monet igitur, ne seduci se sinant in humilitate, scilicet Christi, id est abjectione Christi, cùm tantum hominem eum confiteantur, & religione Angelorum, cum Angelos scilicet naturæ opifices esse jactarent. Cornelius à Lapide, qui consimilia prodit. *Tertiò*, origo & occasio hujus erroris videtur fuisse hæresis Cherinthi, qui in Christo Deum dividebat ab homine, dicebatque Jesum fuisse purum hominem, sed in eum descendisse Christum Dei Filium, ac in passione rursum ab eo in cælum recessisse. Inde enim inferebat Jesum inidoneum, & indignum esse mediatorio Dei & hominum officio: cumque ipse Deus & Dei Filius mediator esse non possit, necessariò consequi, angelis, qui inter Deum & homines natura sunt medii, hoc mediatoris officium uti debitum, ita & tributum esse à Deo.

VIII.

Sed quid de patribus dicendum, qui adducuntur, num illi, quæ in caducum inclinant parietem sustinent? Num Pontificiorum Elusiones stabiliunt? *Minimè.* nam *primò* quod in acie locatur Chrysomus, quasi aureo ageret contra nos flumine, non satis prudenter factum. Chrysostomus enim putavit, Apostolum agere contra quosdam, qui dicunt non per Christum, sed per Angelos accedendum esse

esse ad patrem, verum hoc ab ipsis Pontificiis scriptoribus non admittitur; nam utut Estius Græcorum hanc sententiam eatenus admittat, quatenus à quibusdam hæreticis Angelorum quendam cultum introductum fuisse, affirmat; eâ tamen parte, quâ dicunt, id factum ex humilitate erga Majestatem CHRISTI, velut longè excellentioris, quam cui officium Mediatoris competeret, nullo modo convenire cum scopo Apostoli asserit, cujus studium sit in hac Epistola & eâ, quam scripsit ad Ephesios, CHRISTI dignitatem extollere supra Angelos, ut censendum sit, egisse illum contra eos, qui minuerunt dignitatem Christi & depresserunt infra Angelos, asserit. *Secundò* num Pontificii non etiam rei sint illius Erroris, Angelos esse Intercessores nostros, utut Christo non hoc officium, quod nimis propudiosum esset, derogant? Audiamus Drexelium ita orantem: Te rogo suppliciter, ut, Angelicis pro me intervenientibus suffragiis, omnia opera mea placatus suspicias, & ad salutem meam provenire concedas: Item: O æterne Deus bonitatem tuam per omnium sanctorum Angelorum atque Archangelorum preces & merita humiliter imploro, ut quod meo in te amori deest, illorum in te ardentissimus amor compenset: Item: Humiliter te Domine deprecamur, ut quod nostris meritis non valemus, ejus (Michaelis) intercessione consequamur. *Tertiò*, si Paulus sursum ac deorsum, quæ de Christo sunt, versat, ut loquitur Chrysostomus, si totus est in illius Majestate propugnanda, Angelos subjicit, tanquam Creaturas, eidem *cap. 1. vers. 16, 17.* non Angelorum cultum admisisse censendus erit, qualemcunque Religiosum, sed Majestati Divinæ Christi omnem religiosam venerationem adæquisse. Hieronymus non favet Bellarmino, ut & ante illum Ambrosius, post verò Haymo; Nam in *Quæstione decima ad Algasinam* docet, pugnare Apostolum contra Judæos; non contra Simonis Magi hæresin, ut supponit Cardinalis, & demonstrare intendit: Verba Hieronymi sunt: Loquitur universaliter contra eos, qui credentes ex Judæis in Dominum salvatorem Judaicas ceremonias observare cupiebant, docet agere Apostolum contra illos, qui cum Angelis Solem, Lunam, omnemque cœli militiam adorabant, Theodoretus verò totus noster est, qui in Verba illa: Nemo vos seducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ

non vidit ambulans, &c. sic scribit: Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes legem per eos datam; mansit autem diu hoc vitium in Phrygia, & Pisidia. Quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodicææ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos, & in hodiernum usque diem videre licet apud istos & eorum finitimos oratoria S. Michaelis: illi ergo hoc consulebant, utique humilitateutentes, dicentes, universorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri: & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.

IX.

Concilium Laodicenum frustra laudatur, quasi non damnet quamlibet venerationem Angelorum, sed eam, quæ Deo propria est; nam adhibetur ad elucidandum Theodoretum à Bellarmino, qui Simonianos (quanquam falsum hoc esse ex supradictis constet, & paulò post demonstrandum quoque) notari vult dicentes: Deum apprehendi non posse, sed per Angelos esse placandum; At quis admittat, Concilium Laodicenum Canonem constituisse adversus Simonem Magum aut Simonianos? quis non asseveret, loqui illud de Christianis, qui derelictâ Ecclesiâ abeunt? Quis non concludat, etiam Angelorum cultum religiosum esse Idololatriam, quia omne id idolum est, quod tanquam σέβασμα sibi homo fingit, extra Deum veneratur & adorat, sive sit Angelus sive alia creatura. Theodoretus itidem de Simonianis non loquitur, quia loquitur de illis, qui Legem defendebant; nec illud de Oratoriis quadrat, quasi posset vel ita intelligi, hæreticos ædificâsse oratoria S. Michaeli, ut eum ibi colerent sacrificando, vel Templa ab hæreticis extructa ad sacrificandum malis Angelis, esse conversa à Catholicis in Oratoria Michaelis; ex multitudine talium locorum colligi, quàm multùm hæresis Simonis ibi olim grassata fuerit: atqui hæretici Simoniani nec Oratoria Michaeli ædificarunt ei sacrificando, nec Templa illa ab hæreticis Simonianis extructa ad sacrificandum malis Angelis conversa sunt in Oratoria Michaelis; visa enim sunt illa Oratoria apud illos, apud quos vitium mansit in Phrygia & Pisidia, non apud Catholicos, convertentes hæc Templa, quales finguntur, ut Mendacio ædificetur. Attendamus autem ad Conflictum duorum Cardinalium.

lium. Bellarminus asserit, secundùm Theodoretum & Concilium Laodicenum, hæreticos erexisse S. Michaeli Archangelo Oratoria; at Theodoretum carpit, & Sententiam improbat, tanquam in Concilio fundatam Laodicensi. Cæsar Baronius verò ita declamitat *Tom. 2. ad Annum Christi 60. pag. 573.* Ex his videas, Theodoretum haud feliciter assecutum esse Pauli verborum sensum: dum in hujus ad Colossenses epistolæ Commentariis dicat, hæc à Paulo esse scripta, quòd tum grassarentur hæretici, qui Angelos colendos esse jactarent. Quinam hi fuerint, dicat ipse, qui omnium antiquorum hæreticorum fabulas egregie perpetuæ memoriæ commendavit? Sic ergo errore semel lapsus, in alium graviorem impegit, ut diceret, canonem trigesimum quintum Laodiceni Concilii de his hæreticis esse intelligendum, qui Angelos colendos esse docerent; quique in eadem regione Asiæ oratoria erexissent Sancto Micheli Archangelo: incautè nimis, quæ à Catholicis essent antiquitus instituta, hæreticis, quorum nulla esset memoria, tribuens. Quæ nam verò essent in ea provincia Asiæ antiquiores memoriæ Michaelis Archangeli, & à quibus fuerint institutæ, repetere operæ pretium ducimus. Haud enim frustra hæc propensiùs tractanda suscipimus, cum Novantes hæretici adversus Catholicam veritatem Theodoreti sententiam usurpent simul cum testimonio concilii Laodiceni, quo ab Ecclesia Catholica Angelorum pium cultum abjiciant. Sanè quidem nullum à Cherinthianis hæreticis erectum fuisse in honorem S. Michaelis Archangeli oratorium, ex nuper dictis satis superque liquet: Cùm enim ipse Judæorum Deum Cherinthus diceret fuisse Angelum, haud de alio, quàm de Michaele potuit intellexisse, quem ex Daniele favisse populo Judæorum, optimè nosset: verum cum illum ipsum, quem affirmaret esse Deum Judæorum, malum diceret; nulla prorsus subest ratio, ut in honorem Michaelis erexerint oratoria: at nec alios hæreticos, de quibus est facta mentio, id præstare potuisse, quæ jam sunt dicta, demonstrant. Quanquam & hæc non sint solida, *tum* quia Theodoretus procul dubio novit, quid suo tempore in vicinia Phrygia & Pisidia factum, & quidem melius Baronio, *tum* quia non est consequens, Templa illa non fuerunt erecta à Cherinthianis, ergò erecta fuerunt à Catholicis, *tum* quia Martyrologium Græcorum & Emanuelis constitutiones de feriis, nec

non Metaphrastes tanti non sunt, ut securè ipsis accedere possimus.

X.

Ni itaque omnia nos fallant, Paulus perstringit opinionem Platonicojudaicam illorum, qui Angelos cultu religioso fuerunt prosecuti; Colligimus id *primò* ex Hieronymo supra adducto, ab ipsis Pontificiis in subsidium vocato; *Secundò* ex Theodoreto, qui apertè testatur, illos ad Angelos colendos induxisse, qui Legem defendebant, dicentes Legem per eos fuisse datam; *Tertiò* ex Pontificiis Scriptoribus, qui asserunt Judæos orationes suas quoque dirigere ad Angelos; undè liquet, ovum ovo, lac lacti non tàm simile esse, ut cultus Angelorum in Papatu, & ille quem perstringit in Judæis vel Semijudæis & Platonizantibus; neque enim illi adorarunt Angelos, aut coluerunt ut ipsum Deum, qui illis præsidet, (qualem cultum tantum Pontificii putant esse vitiosum) sed ut inferiores, & sub Deo inferiori cultus genere, nec Platonici eousque (quos notari vult Cornelius à Lapide) progressi sunt, sed Plato *lib. 4. de Legibus*, post Deos tutelares dæmones colendos demùm præscribit, & *in Epimenide* Dæmones, *inquit*, colere oportet, quia medium locum obtinent inter Deos & homines, & funguntur Interpretum officio; colendi ergò τῆς ἐυφήμε διαπρείας χάριν, ob faustam & felicem eorum intercessionem inter Deum & homines. Obsignamus hunc locum verbis B. Chemnitii, *parte quartâ Examinis Concilii Tridentini:* Quia Philo dicit, quosdam ob amorem σοφίας, neglectâ corporis curâ per triduum, imò per sex dies vix degustare aliquid, hoc Paulus ita exprimit: Habent speciem σοφίας, non habentes curam corporis. Et quod Philo dicit, ipsos σωματικὰς ἀνάγκας non dignas ducere, quibus aliquid temporis in die tribuant, hoc Paulus vocat ἀφειδίαν σώματος, gloriabantur enim, se soli animæ vivere. Philo dicit, ipsos institutum suum vocasse θεραπείαν, h. e. cultum, & se θεραπευτὰς, h. e. cultores. Illud verò Paulus in eo loco ἐθελοθρησκείαν, cultum propriâ voluntate institutum & susceptum vocat. Cumque illi se vocarent ἱκέτας, sicut titulus Philonis habet, quasi supplices ratione humilitatis: Paulus ideò speciem ταπεινοφροσύνης taxat. Ipsum etiam verbum δογματίζεσθε quod Paulus ibi usurpat, ex Philonis descriptione sumptum est, qui Essæorum exercitia vocat σοφίας δόγματα. Et illa ipsa Mimesis Pauli, μὴ γεύσῃ ne gustes, ad id respicit,

ſpicit, quod Philo dicit: vix poſt ſex dies ἐπιγεύονται necessarium cibum. Sicut & vocabulum πλησμονῆς, quod in deſcriptione illâ Philonis extat, Paulus eo in loco uſurpat; Et quia Philo de theoriis ipſorum grandia philoſophatur, ita ut concludat, ipſos eſſe cœli cives, & Patri ac Creatori omnium verè aſſiſtere: ideò Paulus dicit: Inflatus mente carnis in his, quæ non vidit, ἐμβατεύων. Joſephus etiam ſcribit, Eſſæos jactare nomina quædam Angelorum, ideò Paulus in illo loco Angelorum etiam mentionem facit. Cumque ἄσκησις illa multis arrideret, & magnis præconiis extolleretur, *Paulus 1. Timoth. 4.* dicit: Corporalis exercitatio ad modicum prodeſt, pietas verò ad omnia utilis eſt. Rationes etiam Eſſæorum de abſtinentiâ à carnibus & potu, quaſi uſus vini & carnium per ſe (aliud enim eſt loqui de crapulâ & ebrietate) ſit venenum clementiæ, & irritamentum concupiſcentiæ carnis: Paulus quaſi ex profeſſo refutat, cum Timotheo præſcribit, ne amplius aquam bibat, ſed modico vino utatur propter ſtomachum: & cum de cibis dicit: Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur. Vides igitur, Paulum & verbis & ſententiis oſtendere, ſe de Eſſæorum potiſſimum inſtituto loqui, quod tantis encomiis Philo evehit.

XI.

Addamus Teſtimonia Antiquitatis Orthodoxæ. Extat apud Euſebium *lib. 4. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 14.* epiſtola orthodoxæ Eccleſiæ Smyrnenſis, in qua fideles adverſus Judæorum calumnias ajunt, ſe ἕτερόν τινα σέβειν. Similiter Juſtinus Martyr *in Apologia ſecunda pro Chriſtianis*, commemorat, in doctrinis Chriſti fuiſſe ſolum Deum adorandum. Sic Patres plerique de ea pietatis parte, quæ προσευχὴ oratio dicitur, agentes ſentiunt præter Deum invocandum neminem. Ex innumeris aliquot producendi teſtes, Cyprianus *lib. 2. epiſt.* 2. ad Donatum ait, *orare eſt cum Deo loqui.* Clemens Alexandrinus *lib. 7.* Stromatum ſimili modo loquitur. Origenes *lib. 7.* contra Celſum ait, *Chriſtianos recuſare colere quicquam præter Deum univerſorum Dominum, & verbum ejus primogenitum totius creaturæ.* Et lib. 8. *Non diſtrahitur Chriſtianus à Deo, ut aliud colat ſimul cum eo.* Sed quid illuſtrius teſtimonio Euſebii, quod extat *libro 4. cap. 21. de vita Conſtantini*, ubi preces Conſtantini Magni ita deſcribit; μό-

νῳ

νῷ μόνῳ τῷ αὐτῷ προσωμίλει Θεῷ, *solus cum solo DEO colloquebatur.* Eandem ob causam Græci Patres Basilius magnus & Gregorius Nyssenus *lib.* 2. de oratione Dominica, excludentes ab invocatione Dei Angelos, Sanctos & quasvis creaturas, adorationem definiunt, τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ὁμιλίαν. Denique Pontificiis expendendum linquimus elegans dictum Lactantii *libro 1. divinarum institut. capite 20. Religio & veneratio nulla alia nisi unius Dei tenenda est.* Cogitent Pontificii, nil nisi Patrum authoritatem crepantes, quomodo hæc cum Romanæ apostaticæ Ecclesiæ doctrina & praxi conveniant? Oportet sane noctuæ instar ad claram solis lucem cæcutire, qui non videt nostram sententiam verbo Dei, praxi Sanctorum, & Patrum aureis dictis ex asse respondere.

XII.

Non possumus autem discedere, discussis specialibus exceptionibus ad locum Epistolæ ad Colossenses, nisi diluamus generalem illam distinctionem inter *Latriam* & *Duliam*, quam semper in ore habent Pontificii, quâ fideliâ omnium argumentorum robur & speciem dealbare nituntur, quam infra fortasse uberius excutiemus; hujus enim præsidio, putant, se posse quoque amoliri cultum angelorum, Deo injuriosum, quia sit tantum Δυλεία, tantum inferior & huic Excellentiæ par veneratio. *Verùm* quicquid vel fingant vel pingant Pontificii, transparet falsum & figmenti vanitas. Nam *primò* frustrà distinguuntur, quæ in idem recidunt. *Dulia* enim non tantùm notat cultum creaturarum, sed & ipsius Dei, ut constat ex *Matth. 6. v. 24. Actor. 20. v. 19. Rom. 7. v. 6 & 25. Latria* verò & λατρεύειν de tali cultu quoque usurpatur, qui homini exhibetur; sic *Deuteronomii 28. v. 48.* dicitur λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου apud LXX. Interpretes. Adde loca *Exod. 12. v. 16. Levit. 23. v. 3. Num. 28. v. 18. Secundò* ipsi Pontificii se produnt, & falsitatis reos faciunt; neque enim venerantur tantùm Angelos, & religiosè adorant & invocant, sed censent quoque, vota ipsis esse nuncupanda, juramenta per Angelos esse præstanda, imò Templa erigenda: at hi actus non sunt Duliæ, sed Latriæ, agnoscentibus ipsis Pontificiis. *Tertiò*, jugulum hujus distinctionis petit effatum Angeli, prohibitio illa notabilis, quæ legitur *Apoc. 19. v. 10.* Nam Johannes vel voluit Angelum illum adorare ut Deum, exhibitione Latriæ, vel ut Ange-

Angelum exhibitione Duliæ; prius non potest dici; quamvis eò confugiant Pontificii, dicendo Johannem existimasse, præsentem esse filium Dei, *tum* quia nullum vestigium illius in textu, *tum* quia Johannes noverat, Angelum istum esse unum de septem Angelis, habentibus phialas septem *Apoc. 15. v. 5, 6, 7. cap. 16. v. 1. cap. 17. v. 1.* Et quid opus fuisset in correctione dicere, *Deum adora*; *tum* quia ipse Lorinus Jesuita *in caput decimum Actorum* scribit: Cæterùm nullo pacto existimo, Johannem ignorasse, Angelum fuisse, quem hoc ipso nomine etiam exprimit, & Angelo, quamvis Deum repræsentanti, non deberi Latriam, ne non tàm ad Deum, quàm ad Creaturam videatur ejusmodi adoratio referri; accedit, *inquit*, quod semel admonitus non iterum id intendisset, nisi ex quadam tantùm urbanitate prohibitum se contendisset. Posterius si admittatur, aut illa dulia fuit *cultus civilis*, aut *religiosus*: non *prior*, quia hic Angelos non dedecet, neque prohibuisset Angelus se adorari, quamvis sit Johannis conservus & fratrum ejus, habentium Testimonium JESU; Spiritualis enim illa connexio uti non aboletOrdinem inter homines, ita nec civilis cultus exhibitionem; *religiosus* itaque fuit, adeoque compar illi cultui, quem hodie Pontificii Angelis deferunt. Prohibuit autem Angelus hunc cultum severo dicendi genere: ὅρα μὴ, *vide ne feceris*, quæ verba præstruunt omni urbanitati, neque enim severæ prohibitiones Repulsæ sunt urbanitatis & modestiæ, & adjecit trinam rationem, *quia* sit σύνδουλος, & consequenter, ne δουλείᾳ prosequendus quidem, *quia* sit frater, quæ ratio ex majori æqualitatis vinculo ducta, cum frater fratrem religiosè, ubi æqualitas inter illos, non adorare soleat, *quia* denique Deus adorandus. Quicunque itaque non Deus, illum non adorandum esse Johannes censuit; unde patet, quam vanum sit dicere, si Johannes putavit esse Angelum, & tamen adoravit, cur Pontificii reprehendantur, qui faciant quod Johannes? Annon enim Johannes fuit propterea severè reprehensus? Annon rationibus dehortantibus pressus? Annon eo ipso lapsus, quod tam non repugnavit Johanni magnitudine revelatorum & splendore Angelico abrepto, quam non repugnavit Petro ex affectus cujusdam prædominio se subducere gentibus in Gratiam Judæorum, de quo *Gal. 2. v. 12.*

XIII.

Argumenta Pontificiorum non concludunt; non illa, quæ ex Scripturis ducuntur, ab Exemplis & Dictis. *Gen. 18.* Angelus ille, stipatus duobus Angelis comitibus, fuit Angelus increatus, filius scil. Dei, ut patet ex nomine Jehovah sibi tributo, & ceteris circumstantiis textus. Angeli venientes Sodomam, coram quibus se incurvavit Lothus *Gen. 19. v. 1. 4. 20.* fuerunt creati, quibus Lothus detulit cultum civilem, ad modum gentis & morem receptum, quibus accessit dein iterum filius Dei, de quo *versiculo 16. & 17. nec non vigesimo quarto.* Jacobi Adversarius, cum quo luctatus fuerat, itidem in creatorum ordinem redigi nequit, quia Israel dictus fuit ex hac lucta, & agnovit, illum esse Angelum, qui eruerit ipsum de cunctis malis, & benedicere possit nepotibus, *Gen. 32. v. 24. & seqq. & cap. 48. v. 15. 16.* Angelus apparens Josuæ, fuit princeps militiæ Jehovæ, qui locum sanctificavit, adeoque filius Dei *Josua, 5. v. 14.* cum quo confer locum *Numer. 10. v. 35.* Angelus Jevhovæ, *Zacharia. 1.* est Christus intercessor, cui alii ministrant angeli, quique Hierosolymæ Murus igneus circumquaque, & Gloria in medio ejus, Jehovah qui elegit Jerusalem, *cap. 2. & 3.* Septem Spiritus, à quibus Gratiam & pacem precatur Johannes, *Apoc. 1.* non sunt Angeli, sed Spiritus S. septiformis Munera, agnoscente ipso Pererio, qui non improbare audet hanc sententiam à tot & tantis viris, Justino, Victorino, Primasio, Ambrosio, Beda, Haymone, Ruperto probatam & traditam. Angelus denique *Apoc. 8. v. 3.* stans ante aram, habens thuribulum, clarè designat Christum, cui soli competit sacerdotium propriè sic dictum N. T. *Ebr. 5.* qui contradistinctus septem Angelis stantibus coram Deo, & ministrantibus & concinentibus.

XIV.

Transimus ad cultum Sanctorum, qui maximè in invocatione illorum, Papæis frequentissimâ, deprehenditur. Quamvis autem & hic abundet argumentis Orthodoxia, atque impugnari possit sententia opposita, defectu omnis Testimonii & Exempli in sacris, fidei & orationis nexu. Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt? inquit Apostolus *Rom. 10. v. 14.* Præscriptio-

ſcriptione formulæ precationis ad patrem noſtrum in cœlis unicè directæ, tamen cum ipſum primum præceptum, *Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos præter me*, ſufficiat excludendo omni, qui non eſt Jehovah verus & æternus Deus, explicetur *Deut. 6. v. 13.* & à Chriſto repetitum exponatur Diabolo *Matth. 4. v. 10.* Quapropter ita concludimus: Quicunque non eſt Deus verus & æternus, ille non eſt invocandus & religioſè colendus, atqui Sancti defuncti non ſunt verus & æternus Deus; Ergò. Majoris Connexio liquet ex effato Chriſti, Teſtimonio è Sacris Paginis deprompto, & in primo præcepto decalogi fundato, Dominum Deum tuum adorabis καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσης, & illi ſoli ſervies.

XV.

Nihil verò tam clarum, nihil tam evidens, quod non obſcurare ſoleat fumus Abyſſi; utût enim hoc effatum ſolis ſit radio ſcriptum, à quovis ſimplice, præjudiciis non faſcinato, de cultu ſoli Deo debito intelligatur, à Sophiſtis tamen voluntariis diſtinctionibus eludi ſolet, ſed citra ſucceſſum apud illos, qui textui attendunt; Coccyſmum ſuum *primò* repetunt Pontificii, diſtinguendo inter latriam & duliam; cum enim dicatur, Deum adorabis καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσης, prohiberi opinantur tantùm latriam, ad alios obliquandam, non duliam deferendam ſanctis, cujus nulla fiat in textu mentio, quæque inferiori Excellentiæ amuſſitata, imò retorquent, quia latria ſoli Deo propria, adoratio autem communis & etiam creaturis deferenda. *Secundò* poſito, quod ſcriptum eſſet, illi ſoli δουλεύσης, non verò propterea excluſam fore duliam Sanctis exhibendam, ſed ita accipienda verba: Servies illi ſoli, certo quodam genere ſervitutis, non autem abſolutè illi ſoli ſervies, ſiquidem in textu Ebraico ſit תַעֲבוֹד, & tamen inveniatur, non obſtante hoc præcepto, dictum Jacobo ab Iſaaco, *Gen. 27. Serviant tibi populi, & adorent te filii matris tuæ:* ubi ſint illa verba, עֲבֹד & הִשְׁתַּחֲוָה. *Tertiò* nihil concludi ex voce μόνῳ; nam, ſicut legatur hic: *illi ſoli ſervies*, ita legi *1. Timoth. 6. Qui ſolus habet immortalitatem*, & tamen notum eſſe, Angelos & animas eſſe etiam immortales ſuo modo.

XVI.

At nebulæ hæ facilè dissipantur. Nam *primò* distinctio inter Latriam & Duliam est merè commentitia, nec in Scripturis fundata, *ut supra ostensum.* Δουλεία enim plus dicit quam latria, designat enim servitutem, cùm Latria saltem notet cultum & venerationem, dicit relationem quandam ad Dominum, quales non sunt Sancti respectu credentium in terris, sed σύνδουλοι, & si admittenda hæc distinctio, membra illius non sunt accipienda, ut analogata unius cultus religiosi, sed *Latria* notabit cultum religiosum, *Dulia* verò civilem sive officiosum, juxta quem alter alteri ex mensura charitatis subvenit, servit, membrum in corpore mystico membro ministrat. Quo quidem sensu adhibuit Augustinus hanc distinctionem, dum Duliam voluit illud esse officium, secundum quod præcipit Paulus servis, ut Dominis suis sint subditi, & quo etiam in hâc vitâ Sancti colantur homines; neque obstat, quod vox λατρεύοντες occurrat, cum promiscuè usurpentur λατρεύειν & δουλεύειν, & in Scripturis permutentur, & quod dictum, Deum adorabis & illi soli servies, non solum Deum *adorabis*, quia ex qua causa prohibetur Latria aliis exhibenda, ex eadem etiam causa Adoratio remota esse censetur ab omnibus extra Deum; & sicut non licet colligere, quia in Deuteronomio non additur posteriori membro præcepti vox *soli*, propterea cultum Latriæ non deberi soli Deo, ita utut absit in priori membro particula exclusiva, non tamen propterea invocatio communis erit admittenda. Latria verò Deo soli propria tantum statuenda. Unde Justinus *in Apologia*, ὡς δὲ καὶ τὸν Θεὸν μόνον δεῖ προσκυνεῖν, quod Deus solus sit adorandus, sic docuit, dicens: Maximum præceptum est: Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies. *Secundò* quicquid sit de distinctione hac, non quadrat illa præsenti loco, quia Christus adhibuit hæc verba ad diabolum refutandum, qui προσκύνησιν postulabat, & dixerat: hæc omnia tibi dabo, si cadens adorabis me; finge Christum, ex hoc medio, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies, conclusisse, tantùm Latriam deberi Deo, non δουλείαν, aut alium alterius generis religiosum cultum, consequens foret, Christum malè disputâsse, infirmiter conclusisse, abrogando diabolo tantùm supremum cultum, qui Deo debetur, non verò excludendo alium quemcunque religiosum, quique Duliæ nomine

nomine apud Pontificios exprimitur, quia Diabolus non expetiit cultum illum summum, cùm apud Lucam *cap. 4. vers. 6.* professus fuerit, hæc, quæ pollicebatur, sibi tradita esse, ἐξουσίαν suam se aliunde & à superiore habere, ut planè absurdus sit Bellarminus, dicens: Diabolum postulâsse à Deo προσκύνησιν, in signum Latriæ, & proinde postulâsse Latriam, & propterea à Domino illi fuisse responsum: Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies. *Tertiò*, quamvis Pontificii Sanctis assignent Δουλίαν *ratione Excellentiæ propriæ & intrinsecæ*, non tamen excludunt illos etiam à λατρεία *ratione habitudinis ad divinam Excellentiam extrinsecæ.* Unde Leonhardus Lessius, *Libro secundo cap. 36. Dubitatione tertia de Religione*, ita definit: Notandum, dupliciter Sanctos posse coli, primò, propter excellentiam intrinsecam ipsius Dei, ad quam ipsi aliquem respectum habent, quod potest rursum fieri dupliciter: vel enim eo modo coluntur, ut ipsi sint integer terminus cultus, vel eo modo, ut Deus sit terminus & objectum principale illius cultus, illi verò secundarium. Dico primò. Si Sancti colantur propter excellentiam increatam Dei, ad quam ipsi aliquem respectum habent, sic eadem virtute coluntur, qua colitur Deus. Probatur, Primò de eo cultu, qui non sistit in Sanctis, sed transit immediatè in Deum, quia dum hoc modo coluntur, non tam ipsi coluntur quàm Deus in ipsis, tanquam in suis templis, tabernaculis, imaginibus; tunc enim Sancti considerantur, non ut ipsi sunt cultus capaces, sed sicut res inanimæ spectari solent, per quas Deus nobis repræsentatur. Unde etsi externum signum cultus ad ipsos dirigatur, tamen ibi non sistit: nam interior submissio fit Deo, quem in ipsis spectamus, ac proinde exterior etiam cultus, ut subest interno, ad Deum transit. Hic enim cultus omninò similis est cultui crucis & imaginis Christi, quæ non coluntur, nisi per accidens & cultu materiali, quatenus externum signum cultus, sed per illa colitur Deus, sicut dum res amici, v. g. equus, benè tractatur propter amicum, hic actus non est formaliter benevolentia aut beneficium in equum, sed in amicum, quamvis materialiter equo fiat, & sic etiam respectu illius, benevolentiæ actus & beneficentia, & beneficium dici possit. Idem confirmari potest à simili in charitate; nam eadem est virtus, qua diligitur Deus propter se, & qua diligitur proximus & omnes creaturæ

P 3 propter

propter Deum, ut dum proximo & omni creaturæ benè volumus, cuique pro ſua conditione & capacitate propter Dei gloriam: ergò etiam eadem eſt virtus, qua Deus colitur in ſeipſo propter ſuam excellentiam increatam, & qua Sancti coluntur ut aliquid Dei, ejus excellentiam nobis exhibente: hoc enim nihil eſt aliud, quàm colere Deum in Sanctis, tanquam in ſuis templis & imaginibus. Sicut enim, cùm volo proximo bonum propter Deum, illa dilectio non eſt formaliter dilectio & benevolentia in proximum, eò quòd ipſius bonum non diligatur ut eſt ipſius, ſed in Deum: ita hic honor, quo honorantur Sancti, ut Deum nobis repræſentant, formaliter eſt honor Dei, & latria. Secundò, probatur de cultu, qui ipſis Sanctis tanquam integris terminis propter excellentiam divinam tribuitur: quia tota ratio hujus cultus eſt excellentia increata Dei, ad quam ipſi certum reſpectum & conjunctionem habent: ergo procedit à virtute religionis, quæ excellentiam divinam tanquam rationem ſui cultus ſpectat. Omnis enim virtus, reſpiciens aliquam rationem formalem objectivam ſeu motivum principale, extendit ſe ad omne id, cui illa ratio formalis aliquo modo communicatur vel conjungitur, ut patet inductione. Altera reſponſio audaciam prodit Jeſuiticam; nam *primò*, ſi poſito quod verbum δουλεύειν fuiſſet adhibitum, non propterea Sancti excluderentur ab honore religioſæ δουλείας, voce λατρεύειν hic adhibitâ poſſet pariter quis dicere, non excludi illos à participatione Latriæ. *Secundò*, ita δουλεία non erit honor ſanctis proprius, non notabit cultum inferiorem in Religione, uti tamen Pontificii aſſerunt & ita Latriæ contradiſtinguunt. *Tertiò*, ſi ſequeretur, poſita etiam voce δουλεύσεις ſervies Deo certo quodam genere ſervitutis ſoli, non excluſis ſanctis, conſequens foret, δουλείαν quoque diſtinguendam in Duliam religioſam ſuperioris & inferioris ordinis, ſi verò in Ebræo eſt עָבַד quod notat *ſervire*, & in græco λατρεύσεις colligitur, vanam eſſe diſtinctionem inter Latriam & Duliam, atque utrumque cultum eſſe prohibitum; Verbum autem hoc promiſcuè uſurpatur in Sacris de ſervitute & cultu, ut conſtat ex *Gen. cap. 29. v. 25. & Malach. cap. 3. v. 14. & 18.* & hoc tantum ſequitur, quum dicitur: Soli Deo ſervies, non excludi vi vocis generaliter acceptæ, aliam ſervitutem, quæ exhibetur Principi, Hero, vel proximo in vivis; non verò ſi intelligatur, ut hic intelligi debet de

cultu

cultu & servitute religiosa, illam Soli Deo non esse propriam. *Tertiò*, quæ particulæ exclusivæ opponuntur, sponte suâ corruunt; nam *primò*, posito immortalitatem ita tribui Deo hic, ut non excludantur Angeli & animæ, num par erit ratio hujus effati & illius Christi? probet prius Doctor Pontificius, cultum religiosum esse divisibilem, esse communem, quemadmodum immortalitas, sub diverso tamen modo, πῶς communε est Dei & Spirituum, & dein particulam *solus* in loco Matthæi vellicet. *Secundò* posito, immortalitatem hic notare vitæ perpetuitatem, nihilominus, quando Deus dicitur habere immortalitatem, non illa notatur, quæ communis est creaturis, sed Deo propria, Immortalitas scil. per Essentiam, quod vel ex serie attributorum constare potest, antecedentibus titulis & sequentibus, dum Rex Regum, Dominus dominantium dicitur, nec non habitans Lucem inaccessibilem. *Tertiò* per immortalitatem hic non tantùm negatio desitionis & mortis intelligitur, sed omnis mutationis & mutabilitatis, per quam Deus non tantùm à Regibus terrenis, qui mortales sunt, sed & ab omni re creata distinguitur, cùm omnis in deterius mutatio mortem quandam dicat; at num non solus Deus immutabilis? Num non solus dicere potest, *Ego Deus & non mutor?* Num non Jacobus de illo solo prædicat, quod nulla apud ipsum transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio? Num etiam Angeli & animæ in consortium hujus perfectionis admissæ? Atque de hâc immortalitate sive immutabilitate intellexerunt hunc locum Augustinus, Bernhardus, ex Pontificiis Estius & Cornelius à Lapide.

XVII.

Hactenus contra Cultum, Adorationem & Invocationem Sanctorum generalem; at si ad illam nos convertimus, quæ in Papatu viget, longè plura occurrunt, quæ censuram merentur. Nam ut non dicam; statuere illos, defunctos esse adorandos, quo sternunt ipsi segetem Argumentorum propriam ex Dictis & Exemplis illorum, qui viventibus aliquem exhibuerunt cultum, sanctos defunctos N. T. qui in Cœlo, quo ipso sanctos V. T. vilipendunt, & quos purgatorii ignis adhuc angit & tangit, illos demum volunt esse idoneum Cultus adorationis & invocationis Objectum, qui à Papa canonisati & numero divorum adscripti. Quô suspectam reddunt omnem hanc

hanc Religionem; nullis quippe infallibilibus argumentis aut indiciis demonstrari potest, canonisatos fuisse Sanctos, vel esse, ut consequenter semper hæsitandum, num atrum non pro albo colamus, ut quidem contigit tempore Martini, agnoscente ipso Bellarmino. Historiam prodidit Sulpitius Severus *in vita hujus Episcopi pag. 474.* §. *8.* scribens: Sed ut reliquas virtutes ejus, quas in episcopatu egit, aggrediar, erat haud longe ab oppido proximus monasterii locus, quem falsa hominum opinio, velut consepultis ibi martyribus, sacraverat; nam & altare ibi à superioribus episcopis constitutum habebatur. sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab his qui majores natu erant presbyteris, vel clericis, flagitabat sibi nomen martyris, vel tempora passionis ostendi: grandi se scrupulo permoveri, quod nihil certi constans sibi majorum memoria tradidisset. Cum aliquamdiu ergo à loco illo se abstinuisset, nec derogans religioni, quia incertus erat, nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio convalesceret, quodam die paucis secum adhibitis fratribus, ad locum pergit. Deinde super sepulcrum ipsum astans, oravit ad Dominum, ut quis esset, vel cujus meriti sepultus, ostenderet. Tum conversus ad lævam, vidit prope assistere umbram sordidam, trucem: imperat, nomen meritumque ut loqueretur; nomen edicit, de crimine confitetur, latronem se fuisse, ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum Martyribus esse commune; cum illos gloria, se pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant, audiebant: personam tamen non videbant. Tum Martinus, quid vidisset, exposuit: jussitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoveri: atque ita populum superstitionis illius absolvit errore. Hactenus ille: Ut autem incertitudo hæc premit ex parte illius, qui colitur, ita ex parte colentis quoque illam luculenter deprehendere licet; si enim nemo de se ipso pronunciare potest, num sit in statu salutis nec ne, quia nullus scit, num amore vel odio dignus sit, quæ in Papatu recepta Opinio, multominùs vel Papa Canonizans, vel homo colens certus esse poterit de salute & Beatitudine alterius, quùm alias Scriptura afferat, Spiritum hominis nosse, quid sit in Spiritu hominis, *1. Corinth. 2. vers. 11.* non autem, quid sit in alio. Denique titubante pede hic versari Pontificios, natare citra tabulam in hoc salo in-

lo incertitudinis, liquet ex medio, quo Pontifex nititur in Canonizatione ſanctorum; eſt enim illud Teſtimonium humanum horum vel illorum, qui de integritate vitæ & miraculorum ſplendore deponunt.

XVIII.

Sudat hic cum Sociis Rodericus ab Arriaga, *Tomo quinto, Tract. de fide divina Diſp. 9. Sectione quinta*, ſaxum volvit, nec proficit hilum diſcurſu, qui ita habet; *pag. 148.* Infertur non poſſe errare Pontificem in Canonizatione Sanctorum. Ita ex dictis infertur *Primò*, quod & in materiâ de Legibus tradidimus, Pontificem non poſſe errare, imperando toti Eccleſiæ aliquid mali ſub prætextu boni honeſti: Primò, quia id quodammodò eſſet definire falſum: Secundò, quia id eſſet contra ſanctitatem Eccleſiæ: ſi enim ei obediret, jam tota erraret; ſi non obediret, videretur ſuo Capiti manifeſtè opponi, id quod eſſet grave in Eccleſiâ ſcandalum; Hæc tamen ſecunda ratio non videtur admodum efficax. Nam poſſe Pontificem injuſtam aliquam legem condere, hoc eſt, non neceſſariam, & nimis gravem aut indiſcretam, expreſsè tradit Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 5. & Suarez poſt ipſum ſect. 8. n. 7. In talibus autem legibus fortè non tenerentur ſubditi obedire; ergo eâ ſolâ ratione omiſsâ prima ſufficiat. *Secundò* infertur, non poſſe errare Pontificem in Canonizatione Sanctorum. Ita D. Thomas quod lib. 9. a. vult. Antoninus 3 p. l. 12 cap. 8. Canus lib. 5. de Locis Theologicis cap. 5. Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 5. Azor Tom. 2. lib. 5. cap, 6. q. 5. Valentia Tom. 3. diſp. 1. q 1. p. 7. §. 40. Suarez diſp. 5 ſect. 8. Tannerus quæſt. 4. à n. 277. & Ludovicus de Torras diſp. 16. dub. 3. Ratio hujus eſt prima, quia ea Canonizatio eſt definitio quædam, ſeu declaratio, quòd talis perſona ſit in gloriâ: quod ut probet Torres ſuprà, citat Bullam Canonizationis S. Franciſci de Paulâ apud Surium menſe Aprili, in quâ Leo X. uſus eſt his verbis: Decernimus & definimus eſſe receptum in gloriâ. Ego verò non ſolùm in eâ Bullâ, ſed in multis aliis ſimilia verba reperio; in Bullâ pro Canonizatione ſancti Hyacinthi; item pro ſancto Raymundo; pro ſanctâ Franciſcâ Romanâ; pro ſancto Carolo Borromæo; pro ſancto Ignatio Patre noſtro, & ſancto Xaverio. In antiquioribus verò Clemens IV. de S. Hed-

S. Hedwige: Decrevimus adſcribendam in Sanctarum numerum, imò veriùs denuntiavimus jam adſcriptam. Clariùs Nicolaus V. de omnipotentis Dei miſericordiâ, qui non deſerit Eccleſiam ſuam, decernimus, declaramus & ordinamus, S. Bernhardum inter Sanctos Dei ab univerſâ Eccleſiâ debere deputari. Ubi nota, eum velle, ut omnes ita ſentiant, ſeu credant, ſeu reputent; non poteſt autem rem falſam omnibus credendam aut judicandam proponere. Bonifacius verò IX. de ſanctâ Brigittâ: Decernimus, declaramus, definimus, ſive pronuntiamus, ſanctam Brigittam Sanctam eſſe, & ab univerſali Eccleſiâ coli debere. Cæleſtinus item III., in Canonizatione S. Ubaldi, clarè inſinuat, mediâ Spiritus ſancti revelatione eam Canonizationem fieri: etenim loquens cum eo, qui pro canonizando Ubaldo egerat, ait: Suſpendimus deſiderium tuum aliquamdiu, ut, quid Nobis agendum eſſet, Spiritus ſancti gratia revelaret; tua igitur tandem, &c. & Clemens VII. in Canonizatione ſancti Antonini, Bullam edens nomine prædeceſſoris Adriani Sexti ait: Conſiderant idem Adrianus, quòd in eadem Canonizatione non permiſſurus eſſet Deus eum errare, &c. Honorius III. in ſancto Laurentio Archepiſcopo Dublinenſi: Divinum ſecuti judicium, per quod ejus glorificatio argumentis tam evidentibus innotuit. Joannes verò XV. anathematizat eos, qui refragati fuerint Sanctitati S. Udalrici à ſe tunc canonizati: id quod non niſi contra negantes veritatem Fidei fieri unquam ſolet. Ac denique Eugenius III. in Canonizatione ſancti Henrici Imperatoris ait, eam non ſolere fieri, niſi in Concilio generali; additque, Auctoritate tamen ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ omnium Conciliorum firmamentum eſt, &c. Ubi duo pondero; Primò eum ſupponere, eam definitionem eſſe talem, quales ſolent eſſe, quæ in Conciliis generalibus fiunt, quæ ſine dubio ad Fidem ſpectant: Secundò, ipſum ibi dicere ſe eâdem auctoritate, quæ dat Conciliis firmamentum, uti ad Canonizationem; ea autem auctoritas omnino eſt ad definiendum de Fide; ergò definitio illa de ſanctitate Henrici ſeu Canonizatio illius eſt de Fide.

XIX.

At quam infirma hæc & lubrica. Dicit Arriaga, 1. ex his omnibus modis loquendi tot Pontificū colligo, Papam in Canonizationibus

bus non ſolum errare non poſſe, ſed id eſſe de fide. Quomodo colligit? ex teſtibus in propria cauſa? quo quidem modo Diaboli vincere poſſunt: quid ſupponit *ſectione quarta* nempè Pontificem eſſe vicarium Chriſti, ſucceſſorem S. Petri, & Regulam fidei, quæ loqui poſſit, atque veram doctrinam à falſa diſcernere? quousque extendit ſuam concluſionem? nempe ad eſſe eam de fide. Probet prius Arriaga, nempè Pontificem non poſſe errare in Canonizatione; dein progrediatur ad Qualitatem hujus propoſitionis & demonſtret; illam eſſe de fide. Tàm audax ſanè non fuit Thomas, qui judicium hoc Pontificis voluit eſſe medium, ut ipſe eundem adducit. Dicit *ſecundò*, conſtare eſſe de fide, quia Papa decernat, mandet; tranſeant formulæ illæ faſtuoſæ Pontificis, & premant illos, qui ſub Tyrannide illius malunt ſervire, quàm libertati Evangelicæ accedere. Quid hoc Monſtri eſt, quòd concludit: Materia hæc non minùs directè gubernationem Eccleſiæ concernit, quàm aliæ multæ, quæ definitæ ſunt. Imò longè magis, quod enim Juſtificatio fiat per infuſionem, eſt veritas purè ſpeculativa, ob quam nec melius nec pejus nos operabimur, & tamen habet Pontifex authoritatem illam definiendi &c. *Verùm* num Juſtificatio fiat per infuſionem nec ne, annon in Scriptura definitum, & quidem ita, ut conſtet, non conſiſtere illam in infuſione, ſed peccatorum remiſſione, & Juſtitiæ Chriſti Imputatione? quomodo itaque penes Pontificem erit poteſtas definiendi illius, cujus oppoſitum vel à Spiritu Sancto in Scripturis definitum? num nos juſtificari per infuſionem vel imputationem, eſt veritas mere ſpeculativa, ob quam nec melius nec pejus operamur? At *ſi* credas te juſtificari per infuſionem donorum habitualium, ad quam præventus Gratiâ concurras, annon operaberis ſub ratione & opinione meriti, & cum Phariſæo expones publico opera, quæ ſplendent in oculis hominum, ſordent in facie divina *Luc. 18. ſin* verò credas, te juſtificari per remiſſionem peccatorum, non propriâ ſed Chriſti Juſtitiâ imputatâ, nihil habere te ex te, eſſe te per naturam filiũ iræ, & in peccatis mortuum, quicquid ſit in te; Gratiæ & Favori Divino eſſe deputandum, annon operaberis, attendendo quanto te Amore complexus ſit Pater, dum vivificavit, Filius, dum ſe ipſum pro Te tradidit, & ſua tibi appropriat, Spiritus S., dum in Evangelio tibi omnia bona &

Q 2 dona

dona gratiæ obtulit, exhibuit, atque ex motivo gratitudinis erga tantam Charitatem tot Beneficia, tibi planè indigno collata, in humilitate vera fidem tuam ostendes per stricturas & radios, Lumina Charitatis & Misericordiæ, tanquam filius Dei, qui Spiritu Dei agitur & impellitur. Quanti denique fructus, qui ex canonisationis veritate resultantes recensentur, scilicet Canonizatio debet stimulare ad virtutes; quasi desint alia media, quasi illa non esset rara & infrequens, nostro præsertim tempore, nec facilè contingat adire cuiquam hoc Pontificii Regni Axioma; debet stabilire invocationem & cultum Sanctorum, quem Scriptura ignorat, Deus severè prohibet; debet nos certificare & monere, nè oremus pro illo, quia jam exemptus purgatorio vel orationes non eidem conducant, in quo multùm scilicet situm. Quid verò, num Pontifex errare non potest, mandando toti Ecclesiæ rem injustam, ac si esset justa? num Caiphas non mandavit occisionem Christi, & num propterea Nicodemus, Josephus & aliæ piæ animæ inductæ fuerunt in eandem impietatem, & sanguinariæ definitionis communionem? Dicit *tertiò*, non obstare defectum revelationis, suppositionem corporum, Thomæ judicium. Verùm petit *primò* principium, Pontificem habere authoritatem definiendi, quod talis aut talis sit sensus Scripturæ, nec opus illa, cùm de veritate hujus vel illius sensus Scripturæ non demum sit definiendum, sed definitum ipsâ structurâ verborum clarè propositorum, quam Anagnostes sedulus adhibitis adhibendis citra pontificis, cui quandoque cum Innocentio decimo pronunciandum: Io non so Theologo, Authoritatem & definitionem investigare potest & eruere; petit principium, cùm asserit, Deum ita assistere Pontifici, ut non permittat eum errare; quasi deliquia Cathedræ & errores Pontificum non sint in propatulo; petit principium, cum probat illam Erroris immunitatem ex Bullis Pontificum, quas tanti facimus, quanti Bullas aquæ ex aëre evanido concitatas, & in ipso partu evanescentes. *Secundò* quicquid sit de Effato illo, ipse Bellarminus non negat factum, sed adducit ipse, quid Martino contigerit circa venerationem damnati Latronis; quid tempore Alexandri tertii circa hominem in ebrietate occisum, quem pro Martyre venerabantur istiusmodi superstitiosi; præterea si pungit nostros, quasi illud ut dictum Augustini objecissent, falsum dicit.

Beatus

Beatus enim Chemnitius *in parte tertia examinis ad Concilium Tridentinum de veneratione Sanctorum* plus non dicit, quàm hoc usitatum fuisse in ipso Papatu dictum, multorum reliquias coli in terris, quorum animæ ardeant in inferno. Audiamus Junium *Tomo 2. p. 1602.* qui ita scribit: Non adfert Chemnitius auctoritatem Augustini, sed famosum dictum & in Papatu celebre; atque ex fama publica optimè concludit, quàm incerta ista sanctorum veneratio. Adversus autem hoc celebre dictum non valent Bellarmini exceptiones. 1. non esse Augustini: nam cujuscunque auctoris olim fuerit, est jam famæ publicæ. 2. Agi de impiis, qui honorantur superbissimis sepulchris: nam sermo est de religioso cultu reliquiarum, ac non de sepultura solummodò corporum. 3. Agi de corporibus sanctorum non canonizatorum: nam agitur de cultu publico & religioso, qui erga sanctos illos minimè traditur permittiturve apud gentem Pontificiam: & quorsum illis obscuris, incertis, ignotis procurentur, cùm tot habentur sanctorum canonizatorum myriades? 4. Agi de corporibus fraude suppositis pro corporibus sanctorum: quis hoc Pontificius de reliquiis Pontificiorum dicat, quas in templis, altaribus, thecis, antiminsiis, sive portalibus (ut vocant) auctoritate publica constat depositas? 5. Agi de martyribus Donatistarum: nam Donatistæ jam olim exoleverunt, illud autem vulgi dictum ad rem præsentem pertinet: falsa itaque disputatoris, quò se cunque verset, defensio. De scriptorum autem Pontificiorum, quorum nomina subjunguntur, messe illi viderint, qui novam sementem quotidie serunt. Nec, si loquatur hoc dictum de corporibus per errorem suppositis, non premit Pontificios, sed quid fieri possit, & actu ipso factum sit indicat; agit de corporibus, quæ honorantur in terris, quæ in Templis Pontificiorum sunt reposita; non verò loquitur de corporibus principum & magnatum; sermo enim est de cultu religioso, non de sepultura splendida principum. *Denique* calumniatur Arriaga, quasi dictum hoc esset de Hussitis colentibus Hussum, aut Lutheranis, qui venerantur Lutherum ut sanctum; nullo enim Religioso cultu vel Hussitæ Hussum, vel Lutherani Lutherum prosequuntur: neque agitur de non Canonizatis in hoc Effato, sed de cultu publico, qualis non obtinet in Papatu, nisi supposita Canonisatione. *Tertiò* impugnando Thomam pro

nobis *partim* militat. Nam quamvis canonisatio dicatur professio fidei de Sanctorum Gloria, atque ita aliquatenus à factis particularibus discrepet, convenit tamen cum illis ratione fallibilitatis Testium quibus nititur, *partim* quia frustrà in subsidium vocatur providentia Divina citra revelationem, dirigens Pontificem in opere Deo displicente, cujus nulla promissio, *partim* quia Ecclesiæ nomen obtenditur, & sub illo filius peccati intelligitur, ejusdem errori cavetur, cum tamen ipsum Antichristum admiserit, & privilegium, quod universali competit ad speciale vel potius individuum in illa detorquetur.

XX.

Ne autem Opinionis hujus fœditas transpareat, & simplicioribus imponatur, Pontificii *primò* comminiscuntur, tot esse species adorationis sive cultus, quot sunt species Excellentiæ, *secundùm Thomam 22. pag. 103. art. 3.* honor enim, sive cultus debetur personæ propter excellentiam ejus. Sed, quod ad præsens institutum pertinet, tres sunt species excellentiæ. Prima est excellentia divina, & infinita, cui respondet prima species cultus, qui à Theologis dicitur Latria. Secunda est excellentia humana, seu naturalis, quæ posita est in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus, &c. Cui respondet secunda species cultus, quæ dici potest cultus civilis, & observantia quædam humana, quanquam hæc in alias multas species dividi potest, ut Aristoteles docet, lib. 9. Ethic. cap. 2. nam alius honor debetur patri, alius principi, alius præceptori, alius sapienti, vel erudito, &c. Tertia est excellentia quædam media inter divinam & humanam, qualis est gratia & gloria Sanctorum; ista enim sunt dona supernaturalia, & excellentissima, & huic excellentiæ respondet tertia species cultus, quam Theologi vocant duliam; & qua inter sanctas creaturas humanitas Christi, si seorsim consideretur, singulariter excellit propter unionem ad verbum; & similiter B. Virgo, ut mater filii Dei, ita præstat aliis Sanctis, ut dici possit Domina & Regina nostra, quod aliis Sanctis non convenit, nisi admodum imperfectè; ideò Theologi hanc tertiam speciem, quam vocant duliam, dividunt in duliam propriè dictam, & hyperduliam, tribuentes illam Sanctis cæteris, istam soli humanitati Christi, &

ſtì, & matri ejus. *Secundò* mitigare videntur cruditatem ſententiæ dicendo, non licere à ſanctis petere, ut nobis, tanquam auctores divinorum Beneficiorum, Gloriam vel Gratiam aliaque ad Beatitudinem media concedant, ſcribentes: Notandum, non debere peti à Sanctis, ut orent pro nobis, tanquam auctores divinorum beneficiorum, gloriam vel gratiam, aliaque ad beatitudinem media, atque hoc munire ſe intendunt contra calumniam Calviniſtarum, probantque Primò ex Scriptura, *Pſalm. 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Et *Pſalm. 120. Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi, auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Montes ipſis ſunt homines ſancti, ut exponit Auguſtinus in hunc Pſalmum, & fuſiùs tract. 1. in Joannem, & libro de Paſtoribus, cap. 8. jubemur ergo levare oculos ad montes, id eſt, ad Sanctos, & ab eis auxilium exſpectare, ſed ut intelligamus, ab eis auxilium exſpectandum eſſe, non ut ab auctoribus, ſed ut ab impetratoribus, ideò ſtatim ſubditur: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Item *Jacobi 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* Secundò probant ex uſu Eccleſiæ; nam in orationibus, quæ leguntur in Miſſa, vel in officio, vel in celebritatibus Sanctorum, nihil unquam aliud petimus, quàm ut eorum precibus à Deo nobis beneficia concedantur. Tertiò ratione; nam ea, quibus indigemus, ſuperant vires creaturæ, ac proinde etiam Sanctorum: Ergo nihil debemus à Sanctis petere, niſi ut à Deo impetrent, quæ nobis utilia ſunt. Quartò ex Auguſtino *lib. 8. civit. Dei. cap. ult. & lib. 22. cap. 10.* & ex Theodoreto *lib. 8.* ad Græcos, qui diſertè docent, Sanctos non eſſe invocandos ut Deos, ſed ut qui à Deo impetrare poſſunt, quod volunt. *Tertiò* addunt, ne injuriam videantur velle inferre Chriſto hac cultus ſpecie, Sanctos non eſſe immediatos interceſſores noſtri apud Deum, ſed quicquid à Deo nobis impetrant, per Chriſtum impetrare, & notant, tres perſonas poſſe conſiderari, quando nos Deum oramus; unam ipſius Dei, à quo petimus beneficia; alteram Chriſti, per cujus meritum ea cupimus nobis dari; tertiam ejus, qui petit beneficia per Chriſtum. Ex his tribus perſonis non poteſt prima Sanctis tribui, ſecundum illos; nec ſecunda, ſed ſolùm tertia. Itaque Sanctos dicunt ſe invocare ad hoc ſolum, ut faciant

ciant id, quod nos facimus, quia melius & efficacius ipsi facere possunt quàm nos, & melius illi & nos simul, quàm nos soli.

XXI.

Atqui si *primum* spectes, quod huic cultui substernunt, suspensum te tenebit defectus Testimonii divini. Nihil enim in universa Scriptura de Tribus Excellentiis, nihil de Speciebus adorationis sive cultus, iisdem respondentibus, sed eo ipso, quo Deus dicit: non habe[illegible] alios Deos præter vel coram me, omne Ens excludit à partic[illegible]ne cultus religiosi, quod est à se diversum. *Secundò*, divisio illa [illegible]orationis & cultus non potest esse in species sive univocas sive analogas, quia cultus civilis non comprehenditur, nec comprehendi potest, sub cultu religioso, tanquam genere, cum nihil participet de illo; sed est divisio æquivoci in sua æquivocata, neque honor rebus creatis competens, quem duliam dicunt, ex ratione objecti & excellentiæ dividendus, quia non *species* rectè ex illa constituitur, sed *gradus*, ad eandem speciem religiosi cultus, ex mente Pontificiorum, pertinens; neque Aristoteles loco laudato, ut observant quidam, agit de honore, sed de amicitia: quam non per objecta, ut iste facit, sed per fines ipsius dividit; prout actiones morales fromã suam à fine plerumq; obtinent. Forma autem ea est, quæ speciem constituit formaliter. Amicitia, inquit, genus est, & speciem triplicem à fine sortitur: nam aut propter Voluptatem, aut Utilitatẽ, aut denique propter Virtutem conciliari solet: tres ergò sunt species illius. *Tertiò* fundamentum hoc Excellentiarum, & modus colendi sanctos ut intercessores, non auctores Beneficiorum, non consistit. Nam si sancti intercedunt & orant pro nobis per Mediatorem Christũ, non nititur aliqua Excellentia illorum ista precatio, sed merito Salvatoris & divina promissione; quemadmodum si auditores in his terris intercedunt & orant pro pastoribus suis per Christum Oratione oblata, non opus est Eminentia fundatrice cultus in auditoribus, sed unica illarum Basis est Dignitas Mediatoris. *Præterea*, *si* dulia est modus vel species cultus religiosi, utut à Latria distincta, *si* fundatur in Excellentia media inter divinam & humanam, *si* vi illius Eminentiæ sancti verè & realiter religiosè coluntur præter Deum, Idololatriæ vitium abstergi nequit, utut non eo gradu cultus gaudeant sancti, quo Deus, sed inferiore, ut quidem sensit Gregorius de Valen-

Valentia, negans divinum cultum Creaturæ exhibitum esse Idololatriam, nisi deferatur illi ut Deo. Nam primò perinde id est, ac si quis dicat: fœminam non esse adulteram, etsi carnaliter cum alio converſetur, nisi cum eo tanquam marito converſetur. Res hic ſpectatur, non verba aut prætextus. 2. Quia ſic Libertiniſmus introduceretur. Nam quivis, Idololatriam coram Idolo Gentilitio committens, poſſet excipere, ſe id non tanquam Deo, ſed tanquam Soli aut Lunæ, aut defuncto Imperatori tribuere, & interim facere, quod Idololatræ faciebant. Cur ergo Socii Danielis noluerunt Regis ſimulachrum colere? aut cur Paulus *1. Cor. 8. & 10.* non patitur, ut in Idolæo accumbant cum Idololatris Chriſtiani? qui dicebant Idolum nihil eſſe, ac proinde eo facto id non ut Deum habebant aut colebant. Et ſancti Martyres omnes potuiſſent ſic facile martyrium evadere. 3. Sic idololatræ nulli eſſent, qui profiterentur ſe verum Deum colere, licet hoc facerent per creaturas; ut Iſraëlitæ coluerunt Deum in vitulis; & Gentiles, qui Creatorem mundi per ignem aut aërem, aut cœlum, aut terram &c. colebant; quos tamen vere Idololatras fuiſſe certú eſt. Si dicatur: quomodo Idololatræ dici poſſunt, qui tota mente in Deum feruntur? Reſp. Quia Deus non tantum vult mentem, ſed etiam omnia corporis membra in ſuum cultum intenta eſſe: quemadmodum fœmina adulterium committens eo non excuſatur, ſi dicat, tota mente ſe in maritum ſuum fuiſſe intentam, dum adulterium committeret. 2. Quia ejuſmodi mens nulla eſſe poteſt, cum faciat contra Dei expreſſum mandatum. Quomodo enim tota mente in Deum ferri poteſt, qui præcepta Dei violat? non magis quam tota mente maritum ſuum poteſt diligere, quæ ſe adultero ſub quocunque prætextu proſtituit.

XXII.

Fruſtra ſimplicioribus *ſecundò* glaucoma objicitur, cum dicitur, non licere petere à Sanctis, ut nobis, tanquam auctores divinorum beneficiorum, gloriam vel gratiam aliaque ad Beatitudinem media concedant; nam *primò* Concilium Tridentinum, *Seſſione vigeſima quarta, in decreto de invocatione, veneratione & reliquiis Sanctorum, & ſacris imaginibus*, non tantum invocationem Sanctorum probat, ut orantium, ſed bonum & utile eſſe aſſerit, ad opem quoque & auxilium illorum confugere; quamvis enim præmittatur,

 bonum

bonum atque utile esse, suppliciter eos invocare, & ob beneficia imploranda à Deo, per filium ejus JESUM Christum Dominum nostrum, qui solus Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; quo videtur innui, confugiendum esse ad Sanctos, non ob beneficia ab illis impetranda, sed à Deo per ipsos mediantibus precibus & intercessionibus illorum; tamen hoc non intendi liquet, quia consilium utile & bonum esse censet, ad opem & auxilium Sanctorum præter orationes illorum confugere, neque etiam supposito, auxilio Sanctorum ad nos descendente, propterea beneficia impetranda à Deo non in nos defluunt, cum causa proxima auxilii & beneficiorum non opponatur causæ remotæ, sed subordinetur, neque nobis auxiliis subvenire possent sancti, nisi deducta facultate à Numine, cui subsunt. *Secundò* Concilium *eodem loco* dicit, sancta corpora à fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præbeantur; num autem corpora Sanctorum ad beneficiorum dispensationem concurrunt orando? Si itaque non intercedendo, non orando, sed cooperando, ad beneficiorum largitiones concurrunt, quis negabit hæc animabus defunctorum? quis non concludet, ut facultas quædam tribuitur auxiliandi corporibus Sanctorum, cujus vi beneficia in nos descendunt, ita quoque facultas quædam conveniet, & quidem multò magis beneficia distribuendi, conferendi in necessitatibus, opitulandi animabus, ipsâ beatitudine jam & visione Dei fruentibus, & annon noster Gabriel Biel, *lectione 32. in Canonem Missæ*, Sanctos disertè vocat dispensatores quorumlibet bonorum, tum corporalium tum spiritualium? *Tertiò*, si ad sanctos confugiendum ut orent, cur itaque officia opitulandi inter illos dividuntur? Oratio sanè commune quid est, auxilia autem pro diversitate Objectorum variant, unde suos habent Patronos distinctos, Regiones, Civitates, Episcopatus, Artes, Morbi & alia. Regiones; Germanis datus Patronus S. Martinus & S. Bonifacius, quos peculiariter colant; Hispanis S. Jacobus; Gallis Michaël & S. Dionysius; Anglis Thomas Cantuariensis & Georgius; Helvetiis S. Virgo Maria & S. Gallus; Lusitanis Sebastianus; Siculis Agatha & Lucia; Polonis S. Stanislaus; Moscovitis S. Nicolaus; Scotis S. Andreas; Suecis Brigitta; Bohemis S. Wenceslaus; Hungaris S. Maria; Suevis S. Conradus;

Ba-

Bavaris S. Wolfgangus; Franconibus S. Kilianus; Pomeranis S. Otto; Hassis S. Elisabetha; Prussis S. Albertus; Austriacis S. Florianus; Carnis S. Ruprechtus. Civitates multæ peculiares habent Patronos. Colonia tres Reges & S. Ursulam; Venetiæ S. Rochum; Mediolanum S. Ambrosium; Lutetia virginem Genoveam; Augusta S. Ulricum; Basilea S. Panthaleonem; Norimberga Sebaldum; Ratisbona Wolfgangum; Erphordia Severum; Argentoratum Ottiliam; Constantinopolis S. Mariam; Neapolis Thomam Aquinatem; Antverpia Eligium & Nordbertum; Mechlinia Rumoldum. Episcopatus multi suos habent Patronos. Romanus S. Petrum & Paulum; Magdeburgensis Mauritium; Halberstadiensis Stephanum; Pragensis Vitum; Salisburgensis Ruprechtum; Herbipolensis Kilianum; Bambergensis Henricum, & fortasse alii alios. Artium tum liberalium, tum mechanicarum studiosi suos habent Patronos: Theologi Thomam; Jurisconsulti Ivonem; Medici Cosmum, & Damianum; Studiosi Gregorium & Catharinam; Pictores Lucam; Musici Cæciliam; Pharmacopœi Cosmum; Sartores Guthmannum; Sutores Crispinum; Figuli Goarum; Fabri lignarii Wolfgangum & Josephum; Ferrarii Leonhardum; Lanarii Michaëlem; Venatores Eustachium; Piscatores & nautæ Nicolaum. Morbis curandis diversi Sancti erant destinati. Contracti invocant Wolfgangum; Febricitantes Petronellam; Epileptici Valentinum; Dæmoniaci Romanum; Nephritici Liborium; peste correpti Sebastianum & Rochum; Herniosi Symphorianum; Contra dentium dolores Apolloniam; contra oculorum vitia Claram & Ottiliam; contra sacrum ignem Antonium; contra fistulas Quirinum; contra canis rabidi morsum Hubertum. Cancro medetur Martinus; ulceribus Nicolaus; morbis gutturis Blasius. Sed & aliis aliarum rerum cura commendabatur. Vitium cura Urbano; Anserum à multis Martino, ab aliquibus Gallo; Equorum Eulogio; Ovium Wendelino; Boum Pelagio; Porcorum Antonio; Segetum Marco & Walburgi. Protasius & Gervasius detegebant fures; Vincentius & Helena amissa restituebant; Lupus prohibebat martes à gallinis; Ulricus pellebat glires.

XXIII.

Denique distinctio *inter immediatum intercessorem & mediatos*, tàm infirma est, ut in crura sponte recidat. Non dicam, quod pari

ratione aliquis nugari posset, per Sanctos mediatè nos in Christum credere debere, ut mediatè contendimus ad ipsum per Sanctos orantes, deprecantes. Non dicam, supponi, Sanctos defunctos meliùs & efficaciùs facere posse, quam nos in invocatione, id quod requiritur ad illam, cùm melius nos sciamus, quâ parte urgeat calceus, quam illi qui rebus humanis exempti; Non dicam etiam, hoc esse falsum, melius & illos & nos simul ita facere, quam nos solos, cùm præsupponatur, eos intercedere pro nobis, & quidem non tantùm *in genere*, sed & *in specie;* de quo in sequentibus. Hoc urgeo, frustra dici, nihil à Sanctis peti posse, nisi ut intercedant apud Deum, quo meritum Christi nobis applicetur, & per Christum gratiam & gloriam consequamur, *partim* quia Sancti non sunt tantùm intercessores, quorum oratione meritum Christi, immediati Mediatoris & Intercessoris, applicetur, sed tales Intercessores, qui propriis quoque meritis stipantur, & proinde audiri volunt à Deo, non tantùm propter Christum, sed & propter se ipsos, non tantùm applicari illius meritum, sed & propria. Unde evidens, constitui illos in papatu non tantùm mediatos, sed & immediatos mediatores & intercessores, utpote qui non sola Christi, sed & sua merita interponant, exaudiri etiam velint propter seipsos; quod sanè in injuriam illius cedit, qui unus est Mediator Dei & hominum Jesus Christus, *1. Timoth. 2. partim* quia illa subordinatio & dependentia Mediationis, quam Pontificii defendunt, complanat viam ad ipsum Axioma Redemptionis sanctis tribuendum. Si enim, quia Sancti dependenter & mediatè intercedunt, nulla fit Christo injuria in actu intercessionis, etiam non repugnabit, illos esse Mediatores Redemptionis, quia similis obverti potest dependentia etiam in hoc Actu. Hinc ipse Bellarminus *de indulgentiis, libro 1. cap. 4.* non absurdum esse putat, si sancti Viri Redemptores nostri aliquo modo dicantur; partim si supponamus, sanctos non esse immediatos intercessores nostros apud Deum, sed quicquid impetrant, ab eo impetrare per Christum; tamen & hoc non fundatum est in Scriptura, quæ nullum Mediatorem intercessionis commendat, sed oppositum commendat Christus & generaliter loquitur: *Nullus venit ad Patrem nisi per me, Joh. 14. v. 6. per illum habemus aditum ad Patrem, per unum Spiritum Eph. 2. v. 18. Ipse est Advocatus noster ad Patrem, 1. Joh. 2.*

& qui-

& quidem unicus, exponente Augustino, si, inquit, S. Johannes diceret: hoc scripsi vobis, ut non peccetis, & si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem, & ego exoro pro peccatis vestris, sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit Episcopum inter Deum & populum, quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianorum? Quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur? & tamen lacus detriti, fumosam aquam, istorum superbiam ferunt, & Spiritum Sanctum continere non possunt, ut servent unitatem spiritus in vinculo pacis, & IN OMNIBUS ORATIONIBUS SUIS, de uno mediatore securi sunt. Ideo quoque idem Pater ad Angelos ire nolebat. Quem invenirem, ait, qui me reconciliaret tibi, adeundum mihi ad Angelos? quâ prece, quibus sacramentis? multi conantes ad te redire, neque per seipsos valentes, sicut audio, tentaverunt hæc, & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusionibus. Rectè itaque Jacobus Faber Stapulensis. Omnis fides stulta & inanis est præter eam, quæ filii Dei est; & qui alterius fide & fiduciâ incedit, extra viam, veritatem & vitam incedit; Et si extra viam incedit, errat; si extra veritatem, fallitur: Si extra vitam tendit in mortem. Virgo Maria, quæ est beatorum beatissima, est admodum sancta, omnes Angeli admodum sancti, & omnes Martyres sub altari Dei exuvias immortalitatis exspectantes admodum sancti; sed neque singuli, neque omnes simul via sunt, etsi sunt in termino viæ. Quod si liceret eos interrogare, an per ipsos eundum sit ad totius sanctitudinis Patrem, dicerent profectò: Nos non sumus via, veritas & vita. Nos non sumus via, etsi non erravimus; non veritas, etsi non seducti sumus; non vita, etsi vivimus; non per nos incessimus; non ex nobis pependimus; nos non respeximus. Incedite ergo non per nos, sed per viam, quâ incessimus. In Deum credite & in Christum.

XXIV.

Discussis his distinctionum Tenebris, ad Argumenta Pontificiorum nos conferimus. Duo autem intendunt probare, nempè *& adorationem Sanctorum, & invocationem: Illam*, plumâ levioribus argumentis, *ex Psalm. 99. vers. 5. adorate Scabellum pedum ejus, quia sanctum est.* Falsum verò adoratam fuisse arcam, sed ad arcam, versus illam, coram illa, ut constat ex *1. Reg. 8. v. 29. & 30. Psalm.* 138.

138. v. 2. Ex hoc ipſo textu, qui explicationem dilucidis verbis nobis ſuppeditat; Loci ex *Geneſ. 18. & 19.* ſupra excuſſi ſunt, nec non ille *Joſuæ 5.* Saul non adoravit animam Samuelis, ſed ſe proſtravit & adoravit, coram Dæmone. Filii Prophetarum exhibuerunt Eliæ vivo cultum, quem debent diſcipuli Magiſtro; Nabuchodonoſor religiosè non coluit Danielem, qui non admiſiſſet hoc, optimè ſciens, ſolum Deum eſſe adorandum. Ethnici, Judæi & Hæretici non ſemper impegerunt Chriſtianis cultum Sanctorum, ſed Eccleſia ad illum declinante, non tantum accuſarunt illos ex hoc capite, ſed plura alia tribuerunt, quod Solem, quod Aſini caput, quod & cætera colerent; num itaque hoc Eccleſiæ fuit conſuetum? ut non dicam, repudiatam fuiſſe hanc opinionem, rejectam, & negatum à Chriſtianis, ſe hujus criminis reos eſſe; videatur Euſebius, *lib. 4. cap. 15.* Denique abſurdè concluditur, quia honor civilis civili cultui debeatur, pluſquam civilem deberi ſupernaturali; hoc enim totum eſt ex ſuppoſitione diverſarum Excellentiarum, quaſi illæ diverſum fundarent cultum, cùm extra verbum præſcriptum hic non ſit philoſophandum; nî etiam velimus ex hoc ſuppoſito inferre, Sanctis viventibus, imò omnibus renatis, deferendum eſſe cultum religioſum, & per rationes undecunque conquiſitas aliquid ſtabilire, cujus contrarium habetur in Revelatione divina, quæ ſoli Deo omnem cultum vendicat. Hanc verò operoſiùs interdum firmare, & quidem ex dictis vel exemplis Scripturæ, rationibus quibusdam, & teſtimonio veterum, quæ excutiemus, contendunt.

XXV.

Prima Claſſis habet verba Jacobi benedicentis filiis Joſephi, hoc modo: *invocetur Nomen meum ſuper illos, & Nomen Patrum meorum Abraham & Iſaac, Gen. 48. v. 16.* Moſis, qui dixit: *Recordare Domine Abraham, Iſaac & Iſrael ſervorum tuorum, Exod. 32. v. 13.* Davidis *Pſalm. 132.* dicentis: *Memento Domine Davidis & omnis manſuetudinis ejus;* & in ſequentibus, *propter David ſervum tuum non avertas faciem Chriſti tui;* quibus conſona illa, *1. Reg. 15. v. 4.* Ita dicitur *Pſalm. 139 v. 17. Mihi nimis ſunt honorificati amici tui.* in *Pſalm. 150. v. 1. Laudate Deum in ſanctis ejus.* ſic Eliphas, *Job. 5. v. 1. convertere,* inquit ad Jobum, *ad aliquem Sanctorum.* David dicit, *Pſalm. 121. v. 1. Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium,*

xilium, hoc est, Sanctos in Cœlesti gloria constitutos. & *Baruch. cap. 3. v. 4. Domine audi orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccaverunt ante te. Syracides, cap. 39. Exaudite me Sancti, & germinate quasi Rosa.* Jussi etiam sunt adire Sanctos, tum V. T. tum N. fideles. Ipse Deus dixit: *Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis, Job. 41. v. 8.* Filii Israel dixerunt ad Samuelem, *1. Sam. 7. Nè cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistæorum.* Ipse Paulus Romanos obsecravit, ut adjuvarent ipsum in Orationibus ad Deum, & oravit prô Colossensibus, *Rom. 15. & Coloss. 4.*

XXVI.

Altera Classis rationibus agit. Nam *primò*, si Sancti agnoscunt res nostras, si intercedunt pro nobis, si denique miraculis penè infinitis testantur Sancti, se exaudire preces nostras, & posse ac velle nos juvare, Invocatio Sanctorum erit pia & utilis; Atqui antecedens constat ex quam plurimis rationibus, & Testimoniis. Ergo. *Majoris* connexio probatur, quia inter alia etiam ex hoc puncto Sanctorum Invocatio à nobis rejicitur, quòd in particulari nesciant necessitates, gemitus & cordis nostri desideria, soli Deo reservatâ gloriâ καρδιογνωσίας; quia Intercessor utiliter adoratur & rogatur, ut preces suas interponat; Et denique quòd miraculis probatur, probatur Testimonio Divino reali, cùm Deus sit Miraculorum Author. *Minorem* probant, *quoad primam partem*, ex eo, quia Angeli cognoscant res nostras, atque Sancti Angelis sint æquales, & in statu Beatitudinis cum illis, *Luc. 20. v. 36. partim* ex eo, quia Sancti in hac vita, jam cognoverint aliorum etiam absentium desideria, machinationes & actiones, *Sap. 9. v. 15. 2. Reg. 5. v. 25. 2. Reg. 6. v. 8. Daniel. 2. v. 26. Actor. 5. v. 1. partim* ex eo, quia Lex Amicitiæ requirat, ut amicus amico manifestet ea, quæ ad ipsum pertinent, juxta illud *Job. 15. v. 15.* cùm itaque Sancti in Cœlo sint amici Dei, & magis cum illo conjuncti, quàm cum in Terra essent, legem Amicitiæ requirere, ut Deus manifestet illis orationes nostras, quæ ad illos diriguntur; imò sanctos in Cœlo clarè & intuitivè videre Divinam Essentiam, in qua tanquam in vivo Speculo, creaturæ omnes repræsententur; *Quoad secundam*, ex *Jeremia 15. v. 1.* & ex 2 *Maccabæorum 15. v. 12.* ubi Judæ apparuit

in

in visione Onias Pontifex, cum Jeremia orans post Mortem pro populo Judæorum. *Luc. 16.* ubi Epulo rogat Abrahamum, ut mittat Lazarum ad refrigerationem linguæ suæ, & conversionem fratrum 2. *Petr. 1. v. 14. Apoc. 5. v. 8. & cap. 6. v. 10. Quoad tertiam*, ex Epistola Nili *recitata in Synodo Nicena secundâ, actione quartâ.* Et apud Theodoretum *in historia libro 5. cap. 24.* nec non *lib. 8. ad Græcos*, Ambrosio *sermone 99. de sancta Agnete.* Augustino *lib. 22. de Civitate Dei cap. 8.* Gregorio Romano, *lib. 3. Dialogorum*, & Bonaventura *in vita Francisci.*

XXVII.

Tertia denique *Classis* pugnat ex Antiquitate & Patrum Testimoniis. Producunt Pontificii Origenem in Threnos, Nectarium Constantinopolitanum, Ephremum, Gregorium Nazianzenum, Nyssenum, Chrysostomum, Ambrosium & Hieronymum, &, qui omnium instar esse potest, Augustinum, qui *libro Meditationum cap. 24.* ita scribat; Felices Sancti Dei omnes, qui jam pertransistis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis & pacis: securi & tranquilli, semperque festivi atque gaudentes; Obsecro vos per vestram charitatem, qui securi estis de vobis, solliciti estote de nobis: securi estis de vestra immarcescibili gloria, solliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam satiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti estis, de cujus beatissima visione semper gaudetis; Estote jugiter memores nostri, subvenite nobis miseris, qui adhuc in salo hujus vitæ circumstantibus agitamur procellis. Et paulò post: intercedite, orate constanter, atque indesinenter pro nobis miseris, multumque negligentibus peccatoribus. Et ibidem cap. 40. Sancta & immaculata Virgo Dei genitrix Maria, & Mater Domini nostri Jesu Christi, intervenire pro me digneris, apud illum cujus meruisti effici templum. S. Michaël, Sancte Gabriel, Sancte Raphael, Sancti chori Angelorum atque Archangelorum, Patriarcharum atque Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, omniumque justorum: per illum, qui vos elegit, & cujus contemplatione gaudetis, vos rogare præsumo, ut pro me culpabili ipsi Deo, suppli-

ſupplicare dignemini, &c. Et libro 7. de Baptiſmo, contra Donatiſtas c. 1. invocat ſanctum Cyprianum his verbis: Adjuvet itaque nos orationibus ſuis, in iſtius carnis mortalitate, tanquam in caliginoſa nube laborantes, ut donante Domino, quantum poſſumus, bona ejus imitemur. Et lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. refert miracula, quibus Sanctorum vocatio confirmata eſt. Hæc legant adverſarii, & intelligant, ſe in errore verſari. Plures qui deſiderat in Antiquitate Teſtes, adeat Petrum Caniſium *in Opere Catechiſtico, quæſtione 8. pag. 84. usque ad paginam 95. imò usque ad paginam 202.*

§. XXVIII.

Sed hæc omnia non tam concludunt, quam ſimpliciores ludunt. Nam in prima Claſſi, quod in frontiſpicio occurrit, eſt vitium ex vulgata verſione; Ebræa enim ita ſe habent, juxta Pagninum: *vocetur in eis Nomen meum, & nomen Patrum meorum*, cui concinunt LXX. Interpretes, & ex Patribus Chryſoſtomus, ex Pontificiis Nicolaus Lyra, qui ita exponit, *vocati ſunt filii adoptivi Jacob, & facti ſunt capita duarum tribuum.* Phraſeos analogiam ſi deſideres, exhibebit illam *Eſaias, cap. 4. v. 1.* & *Lucas Act. 12. v. 12. cap. 15. v. 37.* Quod ex Exodo opponitur, non ſtringit, quia in Oratione Moſis non exprimitur recordatio Sanctorum Abrahami, Iſaaci & Jacobi, interceſſiones & merita exhibentium Deo, ut ad illa reſpiciendo gratioſè recordetur populi ſui, ſed recordatio nixa fœdere Dei inito cum illis Patriarchis gratioſe, unde additur, *quibus juraſti per temetipſum,* dicens, *multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cœli.* Pſalmi verba ſunt Davidis, dicentis & rogantis, ut Deus meminerit cunctarum afflictionum, quas ſuſtinuerit in ſtudio pietatis, neque aliquid Meritorium Manſuetudinis ingerunt Deo, ſed perſonam deſcribunt, quod ſcil. David fuerit afflictus, adeoque ſenſus eſt, memento Domine Davidis afflictiſſimi; *aliud* autem eſt Qualitas Subjecti orantis, *aliud* motivum ex merito operantis; & quæ leguntur *verſiculo 10.* tum demum producentur cum aliqua Specie, ſi probatum ſit, per Davidem non intelligi ipſum Meſſiam, qui alibi quoque ita vocatur, *Jeremiæ 30. v. 9. Ezechielis 34. v. 23. & 24.* & *Oſeæ. 3. v. 5.* ſique ſermo ſit de Davide, non metonymicè intelligendam eſſe promiſſionem eidem factam, de qua in verſiculo ſequenti, vel non proponere ſeſe Deo ſub ratione electi, & ſingula-

gulariter eidem dilecti, præcisâ meritorum jactantia, & sanè 2. *Reg. 15.* non Meritorum Gloria, sed facti gloriosi Eminentia commendatur. Imò si alicubi virtutum vel operum fuerit Mentio in precibus Sanctorum, nil concluderetur, quia nondum demonstratum à Pontificiis, adduci illa sub ratione Meriti exauditionem facilitantis, cùm plures respectus dentur alii, signorum, scilicet adoptionis, fructuum fidei, Testimonii imperterritæ ad Deum Conscientiæ, nec confestim quæ impetrant, merentur aliquid. Locus ex *Psalm. 129.* undique laborat. Probandum est רעים notare amicos & non cogitationes, quod structuræ textus longè convenientius; & si Amicos notaret, designare jam defunctos, de quibus est Quæstio, probandum, dici illos amicos honorificatos Dei; pretiosi dicuntur, secundum textum Ebræum, quicunque ibi Subjecti locum habent in propositione Davidica, probandum, dici nimis honorificatos; illud enim Nimis est, nimirum quòd à Vulgato Interprete, qui licenter hoc præter originariam Ebræi Textus Veritatem addidit. Consimili infirmitate languet Argumentum, *ex Psalm. 150. tum*, quia concesso, quod Lectio & Versio esset genuina, nihil haberent Pontificii præter hoc, quod Deus laudandus in Sanctis suis; num ergo consequens? Ergo Sancti sunt adorandi: annon Deus laudandus est in omnibus suis operibus, num propterea omnes creaturæ & opera Dei adoranda vel invocanda, *tum* quia, cum Euthymio, *in sanctis* idem esse potest, quod *propter Sanctos*, ut Laus terminetur ad Deum propter Sanctos, quos regit Spiritu, Beneficiis afficit, Donis ornat, ob quæ tanquam Pater Luminum, à quo omne Bonum descendit, laudandus & concelebrandus, *tum* quia hoc non legitur in Ebræa veritate, quod ex Vulgato substituunt Pontificii, sed hoc: laudate Deum בקדשו in Sancto sive Sanctitate ejus, hoc est, in Templo, quod sibi in sedem elegit, ubi laudari & adorari, coli & invocari voluit. Eliphas non subministrat argumentum Pontificiis pro cultu, quem intendunt, quia, posito quod legeretur: ad aliquem Sanctorum convertere; non tamen evicta esset confestim Conversio Religiosa per Invocationem, sed accipi posset de Conversione peccati per seriam Considerationem; neque enim de Invocatione, sed de Exemplis agitur, ut constat ex sequentibus; quia, posito quod vocare & respice-

ſpicere cultum innuant, prohibitionis in modum hæc verba erunt exponenda, quaſi dicat Eliphas, noli per Impatientiam te avertere à Deo, convertere ad aliquem alium ad ſanctum religioſe reſpicere, ſive is Angelus ſive Homo; quia *denique* ex Ebræo Pagninus reddit, *ad quem ſanctorum vertes te* ſcil. viventem, quaſi ſermo ſit de hominibus. Per Montes, ad quos elevandi oculi, *ſecundum Pſalmum vigeſimum ſecundum*, intelligi ſanctos, nullo indicio doceri poteſt, *partim* quia inuſitatum eſt Scripturæ, Sanctos vocare Montes, & quidem tales, ad quos oculi elevandi, *partim* quia vox hæc proprie poteſt accipi de Montibus Judææ, in qua arces munitæ, propugnacula urbis, unde auxilia haberi potuerunt aliâs, à quibus tamen oculos cum circumtuliſſet converterit ad Dominum, unde omne auxilium, *verſiculo ſecundo*, *partim* quia per Montes, ſecundum quosdam, intelligi poteſt Templum extructum in Montibus Moriah & Sion, ubi ſymbola gratioſæ præſentiæ, cum promiſſione exauditionis, & Typicus reſpectus ad Meſſiam. Locus ex Barucho de mortuis, poteſt accipi de talibus, qui pœnis vel morti ſunt proximi; unde Lutherus Allmächtiger Herr &c. Syracides verò agit de viventibus; ut non dicamus, libros hos eſſe Apocryphos, & tantæ Moli fulciendæ nunquam pares. Amici Jobi jubentur adire ſervum Domini Jobum, non invocare, nec Interceſſio illius fuit absque Divinæ Voluntatis nutu, qui de Sanctis defunctis demonſtrandus. Samuel fuit & Rector populi & Sacerdos, ſive Perſona Eccleſiaſtica, cujus officii eſt orare pro commiſſis. Paulus non invocavit vel Romanos vel Coloſſenſes, cum cultus talis ſupponat ſuperioritatem aliquam in illis, cui deferimus illum. In univerſum autem tota hæc Claſſis à Scopo abludit, quia agit de Sanctis defunctis V. T. & de vivis partim Veteris, partim N. T. ſancti autem defuncti V. T., ſecundum ipſos Pontificios, nondum fuerunt in Cœlo, & Beatitudine illa, quæ requiritur ad dignitatem Sanctorum invocandorum; vivi verò nunquam religiosè invocantur, ſed ut fratres pro jungendis precibus amicè compellantur.

XXIX.

Altera Claſſis Argumentorum non obtinet intentum: Nam *primò* poſito, Animas defunctorum in Cœlo cognoſcere preces noſtras

ſtras aliquo modo, nondum tamen concluſio erit, Ergo ſunt invocandi, *tum* quia non tantùm ad Invocationem prærequiritur in illo, quem in Neceſſitatibus compellamus, *Scientia* ſive cognitio illorum quæ incumbunt, & deprecationibus amoliri, vel illorum quæ deſideramus & precibus obtinere volumus, ſed etiam *Potentia* & tanta vis opitulatrix, quæ par noſtris deſideriis,bona erogare, & mala omnis generis avertere poteſt; quia ſi probatur Scientia in Sanctis, nondum de Voluntate conſtat, an ſubvenire velint rebus noſtris exempti, poteſt enim aliquis gaudere perſpicacia tali, ut hoc vel illud norit, ut tamen ipſum negotium alterius Moderationi & Directioni in ſolidum relinquat; quia *denique*, ſi ponamus,& ſanctos demortuos eſſe conſcios noſtrarum Neceſſitatum, & pronos in nos Benevolentiæ Affectu, nondum evictum erit,illos eſſe invocandos religiosè, ſed unà deſiderabitur verbum Mandati & promiſſionis, ſignum Divinum Voluntatis, quod ſcil. Deus velit, non immediatè nos accedere ad Thronum Gratiæ, ſed per Interpretes, & illos compellandos eſſe religiosè, cultu proſequendos eſſe tali, qui ſoli Deo competit. *Secundò* Minor quoque propoſitio fallit; *primò* enim *καρδιογνωσία* non niſi ſoli Deo in Scripturis tribuitur,ut docent loca *1. Reg. 8. v. 29. Pſalm. 139. v. 1. 2. Jeremiæ 17. v. 9. & 10. Job. 16. v. 30. Rom. 8. v. 27. 1. Cor. 2. v. 2.* At *ſi* ſolus Deus cognoſcit cor hominis tam lubricum, *ſi* ſolus novit cogitationes noſtras à longe, *ſi* ſolus omnia penetrat, ſcrutatur, & ſcit quæ ſint hominis,non ad illud faſtigiumScientiæ, apicemq; perſpicaciæ Sancti erunt evehendi. *Secundò*, diſertè Scriptura derogat Sanctis hanc notitiam, *Eccleſiaſtis 9. v. 5. Jobi 14. v. 22. Eſaiæ 63. verſ. 17.* Si autem mortui nil ſciunt de rebus humanis & quidem etiam illis,quæ attinere ipſum videntur, defuncto non conſtat,*ſi denique* Abraham neſcit nos, & Iſrael ignorat nos, adeoque tanti Patriarchæ ignorarunt, quid poſteritati illorum accideret, quis contra tam luculenta Teſtimonia obtineat? ſanctos noſſe preces noſtras, & quidem in particulari. *Tertiò* ipſa Pontificiorum explicatio ſe conficit; nam ut aves, quibus nullum conſtat veſtigium, ab arbore in arborem,à ramo in ramum deſiliunt,ita varios illi comminiſcuntur Modos, & ab uno ad alium delabuntur, notabili incertitudinis indicio; nunc ipſis placet cognitio ex Speculo Deitatis, cujus præſentia

ſentiâ perpetuò fruantur; nunc ad revelationem à Deo factam precum noſtrarum, quando eas fundimus diſcurrunt, nunc ex annunciatione Curſorum & Miniſtrorum Dei Angelorum ex Cœlo in terram, & ex terra in Cœlum ſcandentium, nunc ex relatione Animarum migrantium & ad Centrum ſuum reverentium, ſe recipiunt, tandem ex ſubtilitate incredibili, qua Intellectus glorificatus ornatur; vel celeritate Naturæ, ſecundum quam quodammodò ubique ſint, & per ſe audiant preces ſupplicantium concludere intendunt. At ſi ex Speculo Divinitatis omnia habent, ſi illud repræſentat gemitus preces & deſideria noſtra, quid opus revelatione Dei vel Angelorum, vel Animarum? ſi ipſi ſubtilitate incredibili pollent Intellectus, & quodammodo ſunt omnipræſentes, qui cæteri requiruntur modi, citra Neceſſitatem multiplicati? Et ſi dicimus quod res eſt, nempe omnes illorum modos eſſe confictos, annon ruet deprædicata illa Sanctorum in Papatu Notitia? Speculum Deitatis omnia repræſentans Chriſtus ipſe non admittit, dicens, ipſos Angelos neſcire diem Judicii extremi, *Marc. 13. v. 32.* Revelationem impugnat Bellarminus ſcribens, ſi Sancti indigerent nova revelatione, Eccleſia non diceret ita audacter omnibus Sanctis, *Orate pro nobis*; Sed peteret aliquando, ut eis revelaret preces noſtras; nec reddi poſſet ratio tam facilè, cur ſancti nunc invocentur, & ante adventum Chriſti non fuerint invocati? Angelorum Relationem evertit defectus perpetuæ præſentiæ & notitiæ, ad abdita cordis usque penetrantis. Animarum novellas explodit Viciſſitudo rerum; ſi enim fingamus, referre viſa & audita, quæ circa exceſſum obvia, nihil tamen de futuris poſſunt narrare, ſcenâ rerum humanarum per ſingula ferè momenta variante, præſertim ſi per tempus aliquod in purgatorio fuerint detentæ, ex quo tantùm flammarum viridis memoria. Subtilitas incredibilis cognoſcendi fidem non meretur, neque rerum eſſe poteſt abſentium & illorum, quæ in terris geruntur, quibus illi ſubducti. Celeritas verò illa & Ubiquitas qualiscunque ab ipſo Bellarmino impugnatur, cum ſcribit, neque Angeli neque Animæ beatæ, etiamſi præſentes ſunt, poſſunt naturaliter preces noſtras cognoſcere, quando ſolâ cogitatione oramus, & præterea ad cognoſcendas preces, quæ eodem tempore fiunt, in diverſiſſimis locis, non ſufficit celeritas, ſed requiritur vera Ubiquitas, quam nec Angelo-

gelorum nec hominum Spiritibus convenire credimus. *Tertiò* probationes, quas stabiliendæ notitiæ Sanctorum subdunt, infirmi sunt tibicines. *Prima* à comparatione cum Angelis deducta non concludit, posito quod Angelis tanta esset tribuenda perspicacia, cum intersint humanis, ministrent, & hominibus sese associent, ut constat ex *Ebræorum 1. v. 14.* *Altera* itidem à Sanctis in hac vita degentibus, quia illa notitia nec ordinaria fuit, nec habitualis, nec fundatoria illius cultus religiosi; quæ Samuel novit, habuit ex Revelatione; quæ Elisæus, Daniel & Petrus, ea ex eadem peculiari dispositione Divina, cùm aliàs quam plurima ignorarint, processerunt. *Tertia* denique ex lege Amicitiæ, cùm nec lex Amicitiæ requirat, ut proximo singula revelem, nec illa, quæ Deo cum Sanctis intercedit connexio, quæ alterius est ordinis, quam illa, quæ inter homines, lege Amicitiæ devinciet hos; nec denique Objecti conditio, cum illa lege Amicitiæ ita sit juncta, ut Deum teneri ad manifestationem colligamus; Amicus enim tantum debet Amico necessaria vel utilia revelare, qualia num sint preces agentium in his terris, merito disputatur, num enim necesse est, ut sancti defuncti hoc sciant? num utile illis aut proficuum, qui in Beatitudine, omnium Bonorum genere & felicitatis fontibus abundant?

XXX.

Addamus hîc, quæ olim disputavimus *in Locum Luc. 15. & Tb. 36, 37, 38.* Nolumus negare notitiam Angelis, imò etiam animabus sanctè & piè defunctorum. Cognoscere enim possunt Angeli pœnitentiam peccatoris ex signis, calidis scil. lacrymis, profundis gemitibus & suspiriis, compositione omnium membrorum ad humilitatem & dejectionem coram Majestate Divinâ, quemadmodum, si Angelus præsens fuit publicano, vidit eundem demittere vultum, tundere pectus, dicere, propitius esto mihi Deus, *Luc. 18.* Cum enim videntes faciem Patris cœlestis nihilominus nobis adsint, qui non etiam cognoscant, quæ à nobis proficiscuntur, præprimis cum majori longè gaudeant perspicacia, quam homines, & in secreta loca, nobis sæpius insciis, penetrent. Cognoscere possunt 2. ex revelatione divinâ. Si enim convertitur peccator, Deusque lætatur ex hoc objecto, & Angelis manifestat, vult ut complodant, quid ni possint cognoscere, quod ut cognoscendum & materia gaudii ipsis

dii ipsis objicitur? Quemadmodum si filio prodigo revertente & dicente, Pater peccavi in te, & in cœlum, voluit hanc immutationem Angelis revelare, utique illi eam noverunt & lætati sunt cum Deo. Cognoscere denique possunt ex eventu, homine ex hac vita ad beatitudinem translato & cœlesti reipublicæ inserto. Si enim portarunt animam Lazari in sinum Abrahæ, qui non noverint illam fore beatam, & per pœnitentiam anhelasse ad illum statum, in quo nullus superest pœnitentiæ locus & æterna solatia jugiter scaturiunt. *Luc. 16.* In uno Exemplo tres assignati modi possunt exhiberi. Latro enim conversus tempore Christi patientis & professus est fidem, dicendo: memor esto mei Domine, cum veneris in regnum tuum, & audivit à Christo, quod illud furturum esset illo ipso die, & tandem actu adiit beatitudinem æternam, qui itaque Angeli non cognoscere potuerint illius pœnitentiam ex signo exteriori professionis, ex subsequente revelatione Christi perfectam promissionem, & denique ipsa translatione actuali in Paradisum, statum æternæ beatitudinis, de quo *Luc. 23.* Repones, ex dictis stabiiiri si non assignatos modos omnes, illum tamen, qui primus in ordine Bailiano. Sed & hæc consequentia non fluit. Nam 1. aliud est notitia hausta ex revelatione, aliud ex contemplatione Speculi illius, quod Bailius obtrudere nititur. Illa procedit ex libero actu divino, qui vel hoc vel illud, vel magis, vel minus revelare potest; hæc autem ex objecto Essentiæ Divinæ, quæ si comparatio obtineat, necessario repræsentat. Unde ipsi Sophistæ: Sicut is, qui intuetur speculum corporeum, clarè & distinctè videt, quæ in illo apparent: ita Sancti, quia essentiam divinam intuentur, clarè & distinctè vident creaturas in illo apparentes. Et si Angeli atque sancti preces nostras cognoscunt ex revelatione, non dicendum erit, illos audire preces nostras, neque enim dicitur aliquis, audivisse orationem Petri vel Pauli, qui ab alio didicit, ex alterius relatione vel revelatione habet, Petrum vel Paulum oravisse. 2. Aut repræsentat illud speculum Trinitatis Angelis omnia, aut tantum quædam. Si primum, quomodo potest dici, Angelos nescire diem judicii extremi, secundum effatum Christi, *Marc. 13. v. 32.* quomodo, quod tempore demum N. T. illis innotuerit multiformis Sapientia Dei *Eph. 3. v. 10.* Si secundum, quomodo, potest dici, illos omnes necess-

necessitates nostras nosse, quomodo determinatè hanc vel illam non supposita universali repræsentatione. Ipsi Pontificii agnoscunt, res creatas secundum existentiam illarum liberè repræsentari. At si hoc, possunt & non repræsentari, quo ipso speculum hoc confringitur. Denique aut vident Angeli & animæ beatæ in Essentia Divina omnia aut secundum esse eminens aut secundum esse formale. Si prius, non vident preces, cogitationes & desideria nostra in seipsis. Si posterius, Essentia Divina formaliter repræsentabit preces & gemitus in terris existentium, quod hactenus asseverare Adversarii non sunt ausi. Profecto, si penitius in hoc speculum respiciamus, ex illo nullitas intercessionis Sanctorum resplendebit. Nam aut Angeli & Sancti vident in facie Dei, Deum nolle exaudire hunc vel illum precantem, aut vident, velle largiri huic vel illi quod expetit. Si primum, cur intercederent, cur fatigarent se pro re non obtinenda. Si posterius, quid interponerent se frustra, scientes absque intercessione Deum ad vota hujus vel illius pronum & exauditurum petentem. Instabis tandem, quicquid sit de speculo, revelationem tamen adhuc admittendã esse, & si, ut Walenburgii concludunt, Lutherani putant fieri posse, ut Deus vel pœnitentiam vel preces supplicantium revelet sanctis demortuis, non dicendũ supponi necessariò, sanctos vel Angelos esse omniscios, cordium scrutatores & Deo æquales, adeoque corruere illorum Argumentum, quod invocatio alicujus necessariò supponat omniscientiam, cordium intuitum & æqualitatem cum Deo. Nam hoc solum, sine quo preces audiri nequeunt, necessariò supponi, ut preces audiantur, at sine omniscientia posse audiri fatentibus Lutheranis, malè itaque dici, necessariò omniscientiam supponendam. Verum tum placebit hic lusus ingenii, si tanti nobis erit vitrum, quod vanitate fulget, sed veritate frangitur, quanti Margaritum. Aliud enim est 1. revelatio qualiscunque hujus vel illius objecti indefinitè, aliud revelatio precum nostrarum in finem invocationis & eo modo facta, quo Pontificii proponunt. Primum tam non est ex impossibilibus, ut admittatur à nobis sæpius contingere, quis enim negabit Deum Gabrieli quædam revelasse & temporibus V. & N. T? quis non admittet, Angelis revelata fuisse in N. T. quæ hactenus ipsis occulta, juxta supra laudatum locum ex *Eph. 3.* At illa revelatio, quam Pontificii propugnant,

gnant, nunquam fuit concessa à nostris vel sub ratione actu exhibitæ vel possibilis. Oppositum potius videtur colligi. Si enim est inconveniens Majestati Divinæ, indigna erit Deo, & consequenter potius ex numero impossibilium, quam possibilium, indecentem autem aut anomalam atque inconvenientem esse liquet, tum ex officii afflictione; Deus enim ita quasi Mediator esset inter homines in his terris existentes & Angelos in cœlo, Internuntius, qui ad ipsos referret; tum ex circuli commissione; nam ita Deus primò exciperet preces oblatas & suspiria ad ipsum directa, dein Angelis revelaret & tandem illi denuò referrent, at quam absurdum, quam indignũ Deo, si fingatur, Deum audire preces supplicum in terris, & dein se convertere ad aliquem vel Angelum, vel sanctum, Martinum, e.gr. Germanorum Patronum, Jacobum Hispanorum, Michaëlem Gallorum, vel in casu febris ad Petronellam, epilepsias ad Valentinum, nephritidis Liberium, vel si desit auxilium Theologo, ad Thomam, si JCto ad Ivonem, si Studiosus Medicinæ ipse æger mente, ad Cosmum & Damianum? tum ex Dei impia transformatione; Fingitur enim Deus non admittens preces directè ad se effusas, sanctorum intercessionibus movendus. 2. Quomodo nostri Theologi admittere potuerunt unquam hanc revelationem, cujus terminus est peccatum, meta idololatria? Si enim ponamus, Deum revelare preces & suspiria piorum in terris vel sanctis in cœlo vel Angelis, ut illi religiosè invocentur & exorati dein illas preces Deo offerant, Deus probabit invocationem religiosam Angelorum & Sanctorum, quam detestatur, gloriam suam nulli volens dare alteri à se diverso & præcipiens rigidè, ut ipsum invocemus & illi soli serviamus *Deut. 6. v. 13. & Matth. 4. v. 10.* 3. Ipsi Pontificii haberent, quod agerent si hic modus admittendus. Nunquam enim hactenus Ecclesia Papalis rogavit Deum pro revelatione precum Angelis impertiendâ, quæ si scivisset hunc modum obtinere in praxi divinâ sive possibilem esse, Deum quoque animare debuisset ad illius Exercitium, vel posito illo grata etiam mente agnoscere & deprædicare.

XXXI.

Non desunt tamen Pontificiis verba, quibus recalcitrantes eludere volunt, inprimis illa, quæ in secundo Membro à nobis superius sunt adducta; nam *primò* hoc tantùm volunt dictis Scripturæ

probari, quod Deus ſolus cognoſcat cogitationes omnes omnium cordium, idque *Naturaliter & propria virtute. Secundò* dicta ex Eccleſiaſte, Jobo & Eſaia, loqui de ſtatu mortuorum ſub V. Teſtamento, Eccleſiaſtem loqui de vivis & mortuis, in hac parte oppoſitè ſe habentibus, quia illi ſibi poſſint proſpicere de remedio ſalutis; Mortuos verò, qui neglexerint pœnitentiam, nullum amplius noſſe remedium, quod poſſit prodeſſe. Jobum loqui de homine carnali, qui in hac vita valdè ſollicitus fuerit de filiis ſuis, circa honores & divitias, cui non proſit illa ſollicitudo, quando eſt in Inferno, quia neſciat, quid agatur de filiis, aut in quo ſint ſtatu; Eſaiam verò loqui de Abrahamo & Jacobo, qui tunc non fuerint in cœlo, ſed limbo. *Tertiò* etſi certus modus aſſignari nequeat Notitiæ illius, nec tamen negandum eſſe aliquem modum, prout non negandus modus hypoſtaticæ unionis, utut diſtinctè aſſignari non poſſit, nec ullam videri repugnantiam, quòd Deus communicet quocunq; modo homini beato notitiam rerum longè poſitarum, quæ ad ipſum dirigantur; modos itidem aſſignatos eſſe oppoſitos vel ſuperfluos ſecundum partem, ſi conjunctim ſumantur, non verò ſi disjunctim. Tres modos eſſe eundi Romam, primum eſſe curru vehi, alterum Equo incedere, tertium pedibus ambulare, qui conjunctim repugnent, non verò diviſim.

XXXII.

Dicuntur hæc quidem, ne nihil reponatur, ſed abſque fructu & ſucceſſu; nam *primò* pari modo poſſet aliquis in cæteris attributis Divinis philoſophari, & cùm Scriptura excluſivè loquitur, comminiſci, naturaliter hoc eſſe accipiendum: ſanè cognitio cordis humani, quod tot latebras, tot anfractus, tot viciſſitudinum varietates habet, non tantum *naturaliter* Deo competit, ſed *ſimpliciter & excluſivè.* Quæ enim poteſt eſſe tanta perſpicacia, ut ad ima animi penetret, niſi dicas infinitam, cui omnia ſunt nuda & reſupinata. *Secundò* non tantùm Deo Scriptura, & quidem excluſivè, tribuit Cardiognoſiam, ſed ut eo fortiùs agat, Sanctis eandem abjudicat, & quidem *non tantùm ſecundum modum*, ſed & *ſecundum rem ipſam.* Vidimus ſupra loca ex Eccleſiaſte, Jobo & Eſaia; addamus hic tantùm, quæ Auguſtinus habet *de Cura pro Mortuis, ad Paulinum c. 13.* Ut volet, inquit, accipiat quisque, quod dicam. Si rebus viventium inter-

intereſſent animæ mortuorum, & ipſæ nos, quando eas videmus, alloquerentur in ſomnis, ut de aliis taceam, me ipſum pia mater nulla noſte desereret, quæ terrâ marique ſecuta eſt, ut mecum viveret. Abſit enim, ut facta ſit vita feliciore crudelis, usque adeò, ut quando aliquid angit cor meum, nec triſtem filium conſoletur, quem dilexit unicè, quem nunquam voluit mœſtum videre. Sed profectò, quod Sacer Pſalmus perſonat, verum eſt, quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me. Si ergò dereliquerunt nos patres noſtri, quomodo noſtris curis & rebus interſunt? Si autem parentes non interſunt, qui ſunt alii mortuorum, qui noverunt quid agamus, quidvè patiamur? Eſaias Propheta dicit: Tu es enim Pater noſter; quia Abraham nos neſcivit, & Iſraël non cognovit nos. Si tanti Patriarchæ, quid erga populum ex his procreatum ageretur, ignoraverunt, quibus Deo credentibus populus ipſe de illorum ſtirpe promiſſus eſt, quomodo mortui ſuorum rebus atque actibus cognoſcendis adjuvandisque miſcentur? Quomodo dicimus, eis fuiſſe conſultum, qui obierunt antequam venirent mala, quæ illorum obitum conſecuta ſunt, ſi & poſt mortem ſentiunt, quæcunque in vitæ humanæ calamitate contingunt? An fortè nos errando iſta dicimus, & hos putamus quietos, quos inquieta vita vivorum ſollicitat? Quid eſt ergò, quod piiſſimo Regi Joſiæ pro magno beneficio promiſit Deus, quòd eſſet antè moriturus, ne videret mala, quæ ventura illi loco & populo minabatur? Quæ Dei verba iſta ſunt; Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, verba mea quæ audiſti, & veritus à facie mea cùm audiſti, quæ locutus ſum de iſto loco, & qui commorantur in eo, ut deſeratur & in maledicto ſit, & conſcidiſti veſtimenta tua, & fleviſti in conſpectu meo, & ego audivi, dixit Dominus Deus Zebaoth; Ecce ego apponam te ad patres tuos, & apponeris cum pace, & non videbunt oculi tui omnia mala, quæ ego induco in locum hunc, & qui commorantur in eo. Territus iſte Dei comminationibus, fleverat, & ſua veſtimenta conſciderat, & fit omnium malorum futurorum de properatura morte ſecurus, quòd ita requieturus eſſet in pace, ut illa omnia non videret. Ibi ergò ſunt ſpiritus defunctorum, ubi non vident, quæcunque aguntur aut eveniunt in iſta vita hominibus. *Tertiò*, qui modum aſſignant in hac notitia ſubtilitatem incredi-

credibilem, qua polleat Intellectus beatorum, aliqua ratione naturalem etiam faciunt hanc perspicaciam Sanctis, & intrinsecam, utut non independentem, quod ipsi lumini Naturali adversum & nimis propudiosum. *Secundò* dicta ex Scripturis producta loquuntur utique de Sanctis V. T. At illos non fuisse in statu Beatitudinis, supponitur, non probatur. Salomon generaliter loquitur, & addit, partem nullam esse eis amplius unquam in ulla re, quæ sit subSole, videatur Coccejus & D. Gejerus. Jobi Effatum itidem absolutè est accipiendum, nec de carnali tantùm agit homine, sed ut antecedentia docent, de quovis indefinitè, cui sunt posteri, & num ad carnalem hominem est confugiendum, si subsistat Pontificiorum hypothesis de Sanctis V. T. in limbo existentibus? hâc unâ fideliâ omnes parietes argumentorum dealbare poterunt? Esaiæ dictum verò non ita facilè eluditur: Dicunt primò cum Hieronymo, locum istum propheticum exponendum esse de cognitione approbationis, hoc sensu; Abraham nescivit nos, id est, non habet nos pro filiis, non diligit nos, contemnit nos, quia intelligit nos à te recessisse. Atqui 1. propria vineta cædunt; Dicunt Scholastici & cum ipsis Bellarminus; Abrahamum pro tempore, pro quo intelligitur illud Esaiæ, fuisse in Limbo, & per consequens non Beatum; Et ideò, inquit Scotus dist. 45. nescivit filios suos Judæos, habitantes in terra Israël, quia nec notitiâ naturali intuitiva, quæ impeditur per immoderatam distantiam, nec notitia revelationis specialis, quia non habuit illam visionem in verbo, quam concomitatur regulariter talis revelatio. Non ergò concluditur illud Esaiæ de Beatis, quibus in verbo regulariter revelantur, quæ à Deo spectant, vel tanquam beatitudinem eorum augentia, vel tanquam pertinentia ad causalitatem eorum, respectu beatitudinis aliorum. Bellarminus ipse de Sanct. Beatit. lib. 1. c. 20. Patribus, inquit, in Limbo, non fuisse ordinariè revelatum, quid hîc agebatur, quia non erant Beati. Nam ad perfectam beatitudinem pertinet scire ea, quæ ad se pertinent, & præcipuè, quæ faciunt ad honorem & gloriam. Hæc cum expositione Hieronymiana nullo modo conveniunt. Si enim Abrahamus eo tempore, quo hæc scripta sunt à Propheta, fuit in Limbo, & consequenter notitâ naturali intuitivâ, & notitiâ Revelationis speciali, quoad Judæos, orbatus erat, quomodo dici

potest,

potest, eum nescisse Judæos cognitione approbationis, præsupponendo eum cognovisse eos cognitione propriè sic dicta? Quomodo dici potest contempsisse eos, quia eos à Deo recessisse noverit, quos omninò, utrum essent, & utrum peccatores essent, novisse non poterat. Sunt hæc omninò ἀντίφατικα, quorum unum tollit alterum. Si nescivit Abrahamus absolutè quæ agerentur de Judæis, non potest nescivisse notitiâ approbationis, præsupponendo notitiam absolutam: Si autem tantùm notitiâ approbationis nescivit eos, non potuit existere in Limbo, & nescire eos notitiâ propriè sic dicta. Eligant quod volunt. Utrumque enim simul stare non potest. 2. Loquitur Propheta in Persona Judæorum; Ergò quæ loquitur, debent accommodari posse personæ eorum. At quomodo congruit personæ eorum dicere, nesciri se ab Abrahamo voluntate approbationis, non diligi sese, contemni sese. An sciunt Sancti in cœlo, quid agatur in terra, & Sancti in terra, quid agatur in cœlo? 3. Si Judæi intellexerunt se contemni ab Abrahamo, vel hoc intellexerunt, Abrahami voluntatem à Divina esse segregatam, vel hoc intellexerunt, Abrahamum, quos videbat à Deo repelli, etiam ipsum repulisse; Si prius, absurdissimo errore tollitur conformitas voluntatum in Beatis, cum Divina voluntate; Si posterius, quomodo Judæi præterito Abrahamo rogabant Deum, à quo sese non minus propter peccata repelli intelligebant. 4. Si Abrahamus voluntate approbationis non dilexit Judæos peccatores, & voluntas Abrahami Beati est ejusdem rationis cum voluntate reliquorum Sanctorum, sequitur neque reliquos Sanctos diligere peccatores, & consequenter non esse invocandos. Quis enim invocaret, quem sese contemnere intelligeret? *Tertiò* vanum est quod regerunt, non esse consequens, Modus certus assignari nequit; Ergo non est ullus certus Modus, quia etiam hæc consequentia jugulum petat unionis hypostaticæ, *tum* quia prius res ipsa est docenda ex Scripturis, antequam de modo dispiciatur, quod Pontificii non possunt, *tum* quia exemplum ab hypostaticâ unione desumtum planè abludit, Scripturâ docente, Verbum Carnem esse factum, esse manifestatum Deum in carne, & illum ipsum esse ex Patribus secundum Carnem, Deum vero unà benedictum in secula, *Joh. 1. 1. Timoth. 3. Rom. 9. tum* quia Modus unionis hypostaticæ hactenus per ἄρσιν & thesin sufficienter à no-

 stris

ſtris fuit expoſitus, quicquid ſit de illo quod Deus voluit nobis eſſe reconditum. Modi vero illi, quos Pontificii proponunt circa notitiam Sanctorum, ita ſunt comparati, ut nondum evictâ Notitiæ hujus Veritate ex Scriptura, adhibeantur ad perſuadendum, & probabile reddendum, quod nullo ſolido gaudet fundamento. *Secundò*, poſito quod Deo non repugnet communicare, quocunque modo homini beato notitiam rerum longè poſitarum, nil aliud probatur præter poſſibilitatem Modi; num autem actu unus illorum obtineat, adhuc ſub controverſiæ relinquitur reciprocatione; quanquam ſi de tali notitia ſit ſermo, quæ ſufficiens Baſis invocationis religioſæ, & in hunc finem deſtinata, etiam antecedens à noſtris non concedatur. *Tertiò* ſi, ut communis habet ſententia Pontificiorum, Sancti in Speculo Divinitatis vident omnia, ſane ex communi ſententia cæteri modi ſuperfluitatis vel etiam repugnantiæ poſſunt argui, neque diviſim etiam unus modus eſt certus, quia nullus illorum revelatione nititur.

XXXIII.

Secunda ratio projectâ eſt vilior algâ. ſi enim 1. ex interceſſione, quà tali, concluditur Invocationis Utilitas vel Neceſſitas, ſequetur, viventes, qui pro aliis rogant, eſſe invocandos; Jeſuitas debere invocare & quidem religioſè ſuos diſcipulos, quia pro illis orant & intercedunt; imò ipſos damnatos eſſe invocandos, Epulo enim interceſſit pro fratribus ſuis, & ſollicitè egit pro illorum ſalute precibus. *Secundò* orare pro aliquo vel *intercedere* dicitur dupliciter: *Primò latè*, qua ratione omnia membra Eccleſiæ orant, & ſibi mutuò optant à Patre Luminum felicitatis omnigenæ lumina, dona & bona; *Secundò ſtrictè* cum ſuppoſitione Notitiæ meritorum etiam in particularibus caſibus & neceſſitatibus, quæ fundat religioſum cultum; prius huc non facit, poſterius à nobis rejicitur. *Tertiò* textus Jeremiæ *non abſolutè* ſed *hypotheticè* legitur, nec fuerunt Samuel & Moſes in ſtatu Beatitudinis tum temporis, ut invocari potuerint, fatentibus ipſis Pontificiis, nec Propheta actum orationis Sanctorum defunctorum Moſis & Samuelis adſtruit, ſed Iſraëlitarum impietatem exaggerat, quæ ita accenderit ignem furoris Divini, ut, ſi Moſes adhuc in vivis eſſet, & ſe interponeret, ut fecit quondam pro Iſraëlitis, & Samuel oraret pro populo, nihil tn. eſſent obtenturi; de viven-

viventibus enim ſub hypotheſi eſſe ſermonem, locus docere poteſt parallelus *Ezech. 14. v. 14.* Locus ex apocrypho libro Maccabæorum petitus, ſomnium exhibet, non Hiſtoriam, nec de privatis agit neceſſitatibus, ad quas reſpicientes Onias & Jeremias oraverunt: Exemplum Epulonis, ut non dicamus parabolam à Chriſto recenſeri, contra Pontificios militat. Abrahamus enim non exaudivit Epulonem, & num Epulo etiam adorandus vel invocandus? num Abraham Sanctus, qui invocatus, & non potius ipſe Deus ſub Perſona Abrahami figuratus? Verba Petri ita ſunt vertenda: Dabo operam & frequenter habere vos, ut poſt obitum meum horum mentionem faciatis. Johannis *Apoc. 5. v. 8.* introducuntur 24 Seniores, offerentes phialas precum, non autem cultu religioſi afficiuntur, nec probari poteſt, notare illos præciſè Sanctos defunctos, cùm à multis commodè accipiatur de Eccleſia militante & triumphante, ut citharæ notent δοξολογίαν beatorum; phialæ autem plenæ ſuffituum Orationes fidelium in Terris. Apocalypſeως ſexto verò animæ ſub altari clamare dicuntur, non pro aliis, ſed ſeipſis, nec dirigitur illarum Oratio ad Sanctos ſed Deum, neque tam clamare juxta quosdam dicuntur *verbaliter*, quam *realiter*, ſanguine adhuc ſpirante, Deumque ſolicitante; ut phraſis hæc occurrit. *Gen. 4. verſ. 10.* Quorum verborum mens eſt, Martyres beatos, preces ſuas ac vota Deo offerentes, niti ſola Chriſti interceſſione, invicto argumento, neque Sanctis eſſe deferendum cultum adorationis, neque illis ſingularem pro nobis eſſe attribuendam interceſſionem. Nam per animas ſub altari non deſignat Johannes cineres & oſſa Martyrum, tempore perſecutionum ſub altaribus recondi ſolita, ritu priùs pio ad conſervanda Martyrum λείψανα à rabie infidelium, at poſt ſuperſtitione corrupto, ut de cultu reliquiarum docebimus; verum hoc altare apparet in cœlo coram throno Dei, & fit alluſio ad altare ſuffitus olim ante Sanctum Sanctorum, in quo reſidebat gloria Dei ſupra arcam, *Exodi 30. v. 6* collato cum *Apoc. 8. v. 3. & cap. 16. v. 1.* Erat autem altare ſuffitus typus Chriſti, *Hebræ. 13. v. 18.* habemus altare, ex quo non habent jus edendi, qui tabernaculo deſerviunt. Ratio analogiæ, quod uti ſub hoc altari oblatæ preces, ita Deo preces noſtræ gratæ in nomine Chriſti. *Job. 16. v. 24.* & per Chriſtum Deo offeruntur, *Hebr. 13. v. 16.* Conſequens ergo

go hîc altare notare Christum, & esse sub altari, idem quod accedere ad Deum in conspectu & quasi sub umbra Christi. Vide similem phrasin de tabernaculo *Psalm. 27. v. 5. & Apoc. 7. v. 15. 17.* Rationibus quoque probari potest per altare Christum intelligi, quia 1. beati cum Christo sunt, vivunt & ejus solatio fruuntur *2. Corinth. 5. v. 8. Philipp. 1. v. 23. & Apoc. 7. v. 15, 16.* Imo Christus *Johan. 17.* oravit, ut fideles cum ipso manerent. 2. quia sub umbra Christi electi Deo placent 3. quia, ut altaris est sanctificare oblata, ideoque dignitate superat ipsum sacrificium *Matth. 23. v. 17.* ita Christus sanctificat electos proprio sanguine *Heb. 13. v. 12.* estque dignior nostris sacrificiis precum, quibus confert efficaciam. 4. quia Sanctorum preces ab intercessione Christi robur accipiunt *Hebr. 14. v. 15.* Per ipsum (scilicet Christum) assidue offeramus Deo sacrificium laudis; id est fructum labiorum celebrantium nomen ipsius.

XXXIV.

Tertia ratio à Miraculis ducta non obsignat fidem, sed dubium relinquit animum. Nam *primò*, quomodo probatur omnia & singula, quæ mirabiliter fiunt ad Monumenta Sanctorum, esse vera, veritate facti; novimus figmenta hominum otiosorum in Papatu pro veritate, carbones pro auro sæpius substitui; posito etiam quod verè contigerint hæc vel illa mirabilia, quomodo probabitur, id omne quod veritate facti gaudet in istiusmodi mirabilibus, ad spirare ad Veritatem Miraculi usque, quod longè plus requirit priore jam demonstrato & evicto? num omne id quod mirabiliter fit, quod captum humanum transcendit, confestim ut à Deo factum miraculum, bruto assensu & simplici credilitate erit recipiendum, probandum? annon Christus nos monuit *Matth. 24. v. 24.* Paulus etiam Anti-Christo tribuit signa & prodigiosa mendacia, & quidem non tam ratione *facti* quam *finis*. *2. Thess. 2. v. 9. & 10.* Augustinus illum concludendi Modum in Donatistis improbavit, dicens *Tom. 7. de unitate Ecclesiæ:* Ostendat, inquit, Donatista, suam Ecclesiam, & sic ostendat, ut non dicat, ideò verum est, quia illa & illa mirabilis fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines, ad memorias mortuorum nostrorum orant & exaudiuntur, aut quia illa & illa contingunt, aut quia ille frater

frater noster, aut illa soror nostra, tale visum vigilans vidit, aut tale visum dormiens somniavit. Removeantur ista vel figmenta mendaciū hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera, quæ dicuntur, aut, si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus, quòd cùm dixisset Dominus, quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent, adjecit, vehementer commendans, & ait; Ecce prædixi vobis. Adde ex c. 546. nec nos propterea dicimus, nobis credi oportere, quia per totum orbem, in locis sanctis, quæ frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel exauditionum, vel sanitatum fiunt, ita, ut latentia per tot annos corpora martyrum, quòd possunt à multis interrogantes audire, Ambrosio fuerint revelata, & ad ipsa corpora, cæcus multorum annorum, Mediolanensi civitati notissimus, oculos lumenque receperit; aut quia ille somnium vidit, & ille spiritu absumptus audivit, sive, nè iniret in partem Donati, sive, ut recederet à parte Donati. Quæcunque talia, in Catholicâ, fiunt, ideò sunt approbanda, quia in Catholica fiunt, non ideò; ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. Idem de Trinitate lib. 4. cap. 11. Facilè est, inquit, spiritibus nequissimis, per aërea corpora facere multa, quæ mirentur animæ, terrenis corporibus aggravatæ, etiam melioris affectus. Si enim corpora ipsa terrena, nonnullis artibus & exercitationibus modificata, in spectaculis theatricis, tanta miracula hominibus exhibent, ut hi, qui nunquam viderunt, talia narrata vix credant; quid magnum est Diabolo, & Angelis ejus, de corporeis elementis per aërea corpora, facere quod caro miretur, aut etiam occultis inspirationibus, ad illudendos humanos sensus, phantasmata imaginum machinari, quibus vigilantes dormientesque decipiat, vel furentes exagitet. Idem lib. 3. de Trinitate cap. 9. loquens de miraculis Magorum Ægyptiorum; quid mirum, inquit, si quemadmodum potest nosse, quilibet nequissimus homo, unde illic vel illic vermes muscæque nascantur: Ita quoq; Angeli, pro subtilitate sui sensus, in occultioribus elementorum seminibus, norunt, undè ranæ serpentesque nascantur; & hæc per certas & notas temperationum opportunitates, occultis motibus adhibendo, faciunt creari, non creant. Sed illa homines, quæ solent ab hominibus fieri,

non mirantur. Quòd si quisquam celeritates incrementorum fortè miratur, quòd illa animantia tàm citò facta sunt, attendat, quemadmodum & ista, pro modulo facultatis humanæ, ab hominibus procurentur. Unde enim fit, ut eadem corpora citius vermescant æstate quàm hyeme, citius in calidioribus, quàm frigidioribus locis. Sed hæc ab hominibus tantò difficiliùs adhibentur, quantò desunt sensuum subtilitates, & corporum mobilitates, in membris terrenis & pigris? Undè qualibuscunque Angelis, vicinas causas, ab elementis contrahere, quantò faciliùs est, tantò mirabiliores, in hujusmodi operibus, existunt eorum celeritates. Ista evidenter ostendunt, non posse ex attestatione miraculorum infallibile sanctitatis documentum extorqueri. Facilè est dicere, Pontificem Romanum certificari de statu alicujus, per attestationem miraculorum. Atqui si probatio requiratur, aqua hærebit. Vel enim ipso miraculo, ut tali, sanctitas hujus vel illius probatur, vel eodem illo, ut est ab hoc vel illo factum, authore Deo, virtute infinitâ, nullâ sensuum delusione, optimo fine; non ipso miraculo, ut tali, alioquin sequeretur, Pseudo-Christos & Anti-Christos, maximorum miraculorum, testibus Christo & Paulo, effectores, esse pro Sanctis habendos, & ut tales colendos; Non eodem illo, ut causis suis determinato, quia quo fine quidlibet factum, quâ virtute & veritate factum, quo authore factum, neque testes, qui in visis & auditis recensendis tantùm immorantur, deponere, neque Pontifex Romanus ex tali eorum depositione, certò & infallibiliter pronunciare quicquam potest. Augustinus certè, ut solet, cautissimè & modestissimè hic agit. Quamvis in Ecclesiâ Catholicâ teneri se dicat authoritate, miraculis inchoatâ, spe nutritâ, caritate auctâ, vetustate firmatâ: tamen ubi ad veritatis ἀκρίβειαν ventum est, non vult Ecclesiæ Catholicæ credi, quia magna miracula sanationum & exauditionum in ea contingebant, (nam & Donatistæ hæretici talia prætendebant) apertissimè professus, ideò talia miracula esse approbanda, quia in Catholicâ Ecclesiâ (quam ex Scripturis monstrari debere dicit) fiunt, non autem Ecclesiam Catholicam manifestari, quia talia in eâ fiunt. Posito denique etiam, quod factum aliquod radiet & Veritate operis & Miraculi, nondum omnia erunt liquida, aut in Mensa Solis posita. Qui enim docebitur? non obli-

quari

quari Miraculum in finem alium præter illum, qui à Deo intentus? Annon Paulus & Barnabas verum viderunt Miraculum in Claudo ſanato, & tamen Lyſtrenſes illud detorquere anniſi ſunt, ad cultum religioſum Apoſtolorum, ut neceſſe fuerit, ab hoc ſpurio & confićto fine illos revocare ad cultum veri Dei, Creatoris Cœli & Terræ, *Actor. 14.* *Secundò* ſi atteſtatio Miraculorum docet, & quidem infallibiliter & evidenter, illum qui patravit miraculum, vel circa quem contigit, eſſe Sanctum, conſequens erit, Sanctitatem veram & ſolidam etiam tribuendam eſſe non tantùm hæreticis, e. g. Donatiſtis, ſed etiam Mahumetanis, de talibus enim hæc habet Septem caſtrenſis. c. XIV. Sanctus Auguſtinus de civitate Dei lib. XX. c. 19. de ſignis & prodigiis mendacibus loquens, dicit, quòd ſigna & prodigia duobus modis dicant mendacia; Uno modo, quia decipiuntur ſenſus hominum, virtute & arte Diabolica, ut credant fieri, quod in veritate non fit, ut ſunt phantaſmata. Secundo modo, quia trahunt credentes ad mendacium, ut credant fieri virtute divina, quod Diabolus facit, vel, ut credentes ſibi fieri pro ſalute, quod ad damnationem fieri conſtat: Unde; quòd ignis deſcendit de cœlo, & conſumpſit familiam & pecora ipſius Job, non erat mendacium: licet fieret operatione Diabolica, Deo permittente. Iſtis igitur modis credendum eſt unicuique fideli, prodigia & ſigna innumerabilia mendaciter fieri per religioſos ipſorum perfidorum Turcorum, tam in vita eorum, quàm etiam poſt mortem. Et c. XV. Inter cæteros hujus ſectæ, qui poſt mortem ſignis & prodigiis mendacibus claruerunt, & adhuc quotidie clarent, eſt unus principalis, qui magnæ reputationis & venerationis habetur in tota Turcia, cui nomen Sedichaſi, quod transponitur ſanctus Victor, vel Victorioſus inter ſanctos: cujus ſepulchrum & ſacrum eſt inter fines Othomanni & Caramanni. Et licèt iſti duo frequenter inter ſe diſcordias habeant, & unus invadat terras alterius, nemo tamen eſt auſus aliquando appropinquare ſepulchro ejus, vel terris ejus vel ejus propinquis aliquid mali inferre: quia, ſicut ſæpe expertum eſt, qui auſi fuerunt facere hoc, magna eos ſecuta eſt ultio. Et iſta eſt inter eos omnium communis opinio, nunquam aliquem fraudatum deſiderio ſuo de iis, qui ejus implorant auxilium in quacunque neceſſitate, ma-

 ximè

ximè autem in bellorum factis & negotiis præliorum. Et hoc probat magna multitudo votorum in omni genere animalium, & aliarum rerum, & pecuniarum, quæ annuatim à Rege, Principibus, & totius vulgi communitate ad ejus ſepulchrum deferuntur. Maxima namque fama & æſtimatio habetur de eo non ſolùm inter Turcas, ſed etiam in omnibus hujus ſectæ nationibus. De ejus autem ſignis & prodigiis hoc dicere volo, quòd major celebritas habeatur de eo inter Mahumetiſtas, quàm habetur de ſancto Antonio inter Chriſtianos. Eſt alius, vocatus Harſchi Petteſch, quem interpretantur adjutorium peregrinationum, qui etiam multum invocatur & veneratur, maximè peregrinis, qui ejus auxilium frequenter experiri dicuntur. Alius item dicitur Aſcik Paſſa, qui ab amore nomen habet, & dicitur quaſi patronus amoris, qui in patrimonio exiſtentibus, velut in partus periculo, aut habendæ prolis deſiderio, vel diſcordantibus marito cum uxore, & pluribus talibus neceſſitatibus opem ferre dicitur. Alivan Paſſa diſcordantibus patrocinium conferre dicitur concordiæ: de quo dicebatur, quòd quærentibus eum nunc juvenis, nunc ſenex appareat. Scheich Paſſa conturbatis & tribulatis ſolatio eſſe ſolet. Hotting. Hiſt. Orient. pag. 291. & ſeq. *Tertiò*, ſi Miraculum ab aliquo patratum, vel circa illum factum, probat illius invocationem & cultum religioſum, non tantum defuncti Sancti, ſed & viventes erunt invocãdi, quia & illi mortuos excitârunt, Apoſtoli viventes miracula patrârunt, neq; miracula, agnoſcente ipſo Maldonato, neceſſarium ſed probabile tantùm fidei Argumentũ ſuppeditant. Videatur Acoſta ſcribẽs: Miracula omnino vana eſſe & inania, niſi Scripturâ approbẽtur, h. e. doctrinam habeant ſcripturæ conformem: Scriptura verò ipſa per ſe invictiſſimum argumentum eſt. Theodoretus non probat aliquid de Invocatione Sanctorum, ſed recitat tantum viſionem Theodoſio oblatam, quæ victoriam ei pollicita eſt à Johanne & Philippo, imo Imperatorem obſecraſſe Univerſitatis Dominium reperta ædicula docet. Ambroſii ſermo de Agnete eſt ſpurius, ut Eraſmus & cæteri demonſtrarunt. Auguſtinus, ſi denique ſincerum eſſe admittamus, plus non habet, quàm ad Memoriam Martyrum ſive ad Martyres homines Chriſtianos oraſſe; num verò, qui juxta altare aliquid orat, ipſum altare adorat? Gregorii Dialogus mendaciis ſordet pudendis & propudioſis, atque ab ipſis Pontificiis rejicitur;

paria

paria notant de Gregorio Turonensi, quibus non obesæ nares, & inter illos ipse Cardinalis Cæsar Baronius.

XXXV.

Ultima Classis Patrum, nominibus gaudet virorum Magnorum non assensu. Nam Threni illi sive planctus non sunt Origenis, sed fœtus subventaneus, aliter docente Adamantio Genuino *lib. 5. contra Celsum, & octavo.* Nectarius Homo fuit rerum Ecclesiasticarũ penitùs imperitus, teste Baronio, & illa ipsa Oratio in Theodorum Martyrem fuit dubia hactenus & incerta. Ephrem Syrus nutat, quia versio illius tantùm in nostris versatur manibus & incertum, num sit versio. Nyssenus Molinæo non probatur tanquam genuinus. Chrysostomus, non tam est aurei oris Pater, quam alius quicunque, centones ex illo conficiens. Ambrosius nimium dicit, nec Scripturæ conformiter loquitur. Hieronymi oratio non est religiosa, sed valedictoria, & declamationis alicujus schema habet. Augustini liber Mediationum est suppostititius. Libro vero 7. *contra Donatistas cap. 1.* dicit: adjuvet nos Orationibus suis. Cyprianus non invocat religiosè, abreptus consuetudine invalescente, & alibi non obscurè docet, rejiciendos esse, qui Angelos invocant. *lib. 10. Confess. cap. 42.*

XXXVI.

Cùm emineat virgo Beatifica Maria, ut Luna inter ignes minores, & in Sanctorum choro, secundùm Pontificios, prioritatem obtineat, quapropter etiam ille cultus, qui eidem assignatur in Papatu, sub censuram erit vocandus. Est autem ille *Hyperdulia;* quanquam enim admittant aliud quoque genus cultus superioris & dicant, posse B. Virginem, quantum saltem est ex ipsa rei Natura, adorari per accidens, simul cum ipso Deo, cui per cogitationem conjungitur etiam cultu, qui sit perfecta latria, in quantum concipitur, velut eximia quædam imago Dei, vel quasi per modum excellentissimæ cujusdam reliquiæ sacræ, ob sanctissimum & peculiarem contactum filii Dei, etsi ratione scandali & periculi creandi, hic cultus communiter non sit adhibendus, tamen in hyperdulia tanquam cultu Mariæ proprio vindicando volunt Pontificii videri accurati maximè; unde Mysterium hoc Adamus Tannerus *Tom. 3. Disput. 5. de Religione Quæst. 2. dub. 2. pag. 1360.* ita proponit & explicat, *assertione 1. & 2dâ.* Cum Sanctis omnibus, tum præcipue

U 3 matri

Matri Virgini adoratio plusquam civilis, adeoque ſacra ſeu religioſa (non religionis, ſeu latriæ) jure debetur. Eſt de fide ex II. Synodo Nicæna act. 2. 3. & 4. & Concilio Tridentino ſeſſ. 25. Decreto de invocat. veneratione, & reliquiis Sanctorum &c. Ratio eſt, quia præditi ſunt excellentia quadam ſupernaturali & ſacra; cui itidem non niſi ſacra adoratio reſpondet. Idem ex ſimili patet ex dictis quæſt. præc. du. 4. ubi probavimus, Sanctos rectè invocari. B. Virgo propriè colitur cultu hyperduliæ: idque duplici titulo; nempe & maternitatis, ſeu cujusdam proximæ Conſanguinitatis cum Chriſto Filio Dei; & ſingularis ſanctimoniæ ac gloriæ, qua ſuper omnes Angelorum choros evecta eſt. Prima pars eſt communis Doctorum, apud S. Thomam 2. 2. q. 103. a. 4 ad 2. & Suarez 3. par. tom. 2. du. 1. ſect. 2. qui etiam conſanguinitatem illam cum Chriſto Filio Dei affinitatem cum Deo rectè appellant, etſi neget Vaſquez l. 1. de adorat. n. 12. Ratio eſt; quia hyperdulia eſt potiſſima ſpecies duliæ communiter ſumptæ, & ut ex ipſa notione nominis patet, duliâ, quæ cæteris Sanctis debetur, excellentior. Jure ergo debetur Matri Dei, quæ hac ipſa dignitate Sanctos omnes plurimum ſuperat. Poſteriorem partem aſſertionis rectè tradit Vaſquez lib. 1. de adorat. n. 186. etſi Paludanus in 3. diſt. 9. q. 2. reſpectu ſingularis ſanctimoniæ, Sanctus Thomas autem loc. cit. & 3. part. q. 25. art. 5. Cajetanus ibidem, & Gabriel lect. 49. in Canonem, ob conſanguinitatem ſeu affinitatem illam, cultui B. Virginis nomen hyperduliæ potiſſimum tribuere videantur. Ratio eſt; quia utroque titulo B. Virgo excellentia & dignitate cæteris omnibus Sanctis longo intervallo antecellit, ſive interim cultus ille ſit ejusdem ſpeciei cum cultu aliorum Sanctorum, ſive non. Adde Caniſium, *Tom. 2. lib. 5. cap. 15. p. 700, 701.* ita ſcribentem: Vir ſuo ſeculo clariſſimus, idemque Patriarcha Conſtantinopolitanus Germanus de Maria egregiè dixit: Quoniam Deum inviſibilem, & omnia manu ſua continentem, ultra omnem & hominum & Angelorum exiſtimationem in ventre ſuo concepit, & ex ſe incarnatum genuit: idcircò eam ut verè & propriè Dei matrem veneramur & magnifacimus, & quâvis viſibili & inviſibili creaturâ ſuperiorem reputamus. Hoc enim donum (Dei eſſe matrem) nullo poteſt honore, ut par eſt, affici, ſicut idem alibi admonet. His

con-

consonat Gregorius Nazianzenus Græcorum Theologorum nulli secundus, in suis carminibus de Maria modulans in hunc modum:

Preces *Admitte, Virgo ô inclyta, hic quando tibi*
Verbi parenti, sed supra modum tamen
Legemque solus inter omnes contigit
Honor. Proinde sicut ex Athanasio alibi diximus, quod Rickelius quoque confirmat, Maria quia Dei mater est, Deumque Filium habet, mundi Domina, & Regina omnium jure salutatur, quam idcircò Ecclesia inter Sanctos sanctissimam agnoscit, & ante omnes alios honorat & invocat; sicut in Liturgia & Litania quivis animadvertit. Nihil ergò mirum, quòd Joannes Cantacuzenus, quùm adversus Mahometanos disputat, hanc suam, imò & Ecclesiæ de Maria fidem ingenuè profiteatur: Credimus & confitemur, quòd Mariæ similis homo nec natus sit, nec posthac ex viro & muliere nasciturus usque ad consummationem seculi. Et secundùm humanam quidem naturam, eam Angelis inferiorem esse judicamus, tanquam hominem: honore autem & sanctimoniâ ipsam omnibus Angelis indubiè præferimus, eò quòd Verbum & Filium Dei secundum carnem peperit: omnesque nos illam Advocatam & Auxiliatricem agnoscimus. Orat & intercedit indesinenter pro peccatoribus, Miracula edit, & operatur admiratione & stupore digna.

XXXVII.

Piè verò credimus ipsam Mariam hunc cultum, si interesset terris, repudiaturam. Fixum enim manet Argumentum nostrum ex Lege Divina ductum: Quicunque non est Deus Israelis, sed Ens quoddam extra ipsum, ille, vel illa, non est colendus religiosè, adorandus vel invocandus, at Maria non est Deus Israelis, sed Ens quoddam extra ipsum. E. Expendit hoc procul dubio ipsa Maria; Cum enim defecisset vinum in nuptiis Canæis, non ipsa opem tulit, sed servos remisit ad filium, & dixit: quod ipse jubet hoc facite, *Joh. 2. v. 5.* neque unquam se voluit adorari vel invocari, sed, cùm omnem felicitatem suam deprædicaret, dixit *μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαί*, non *hyperduliam* exigit, sed *honorem*, qui consistit in Gratiosi Beneficii memoriâ, & prædicatione virtutum: prædicit, nec meritis nititur aut cultui illa substernit, sed dicit, quia respexit humilem Ancillam suam, ecce ex hoc tempore me prædicabunt

bunt omnes ætates: Gratiam Divinam commendat, non propria extollit. Ipse Angelus Gabriel illam salutans non adoravit illam, neque ex Intentione Divina illam adorandam esse eidem insinuavit, sed dixit, Ave gratis dilecta, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Vocavit κεχαριτωμένην; quod Pontificii male reddunt Gratiâ plenam, quanquam sano sensu etiam hoc Epitheton illi non invideamus; gratis dilectam, quæ proin gratuitum illum favorem grata mente debuit agnoscere, & intra Humilitatis septa custodire; vocavit eam εὐλογημένην benedictam, ex supernâ Gratiæ copia & ὑπεροχῇ, quam secutura quoque inter homines Benedictio, deprædicatio; vocavit illam talem fœminam, cum quâ Dominus vel per incarnationem, ut exponit Bernhardus *Sermone 3. in missas*, quod de futuro aliqui accipiunt & exponunt, vel per Divinæ præsentiæ Symbola, cum alias Dominus phrasi Scripturæ dicatur cum illis, quibus favet, quos custodit, quos regit, *Josuæ 1. v. 5. Actor. 8. v. 10.*

XXXVIII.

Ratiunculæ Pontificiorum, quibus hunc cultum stabilire nituntur, in crura sua recidunt; Ita enim disserunt, si, *Josuæ decimo capite versu 14.* legitur, Deum obedivisse voci hominis, utique & Maria rogari potest, ut imperet Christo precum nostrarum exauditionem; si illa est Mater Salvatoris, utique superior illo, & filio imperare poterit Jure Superioritatis illius, ut nobis sese exhibeat propitium; Si Christus fuit subditus Matri, jussis illius obtemperabit etiam; prius autem constat ex Lucæ *cap. secundo versiculo quinquagesimo primo*, imò si assumsit ex illa carnem vivificam & adorandam, secundùm substantiam similem Matri, honorans Matrem, eo ipso etiam honorabit filium.

XXXIX.

Sed, ut diximus, concidunt hæc, non subsistunt. *Prima* enim *ratio* est ex vulgatæ versionis vitio, cui repugnat textus originarius, in quo occurrit vox שָׁמַע cum Lamech junctum בְּקוֹל voci, & significat *acquievit in voce:* Chaldæus Interpres, testibus ipsis Pontificiis, qui reddidit, ut susciperetur ante Dominum Oratio hominis: LXX. Interpretum versio, quæ habet: *ὥστε ἐπακοῦσαι θεὸν φωνῆς ἀνθρώπου, exaudiente Deo vocem hominis*, sanè, si hæc verba ita essent vertenda, pariter posset legi psalmo tertio *versiculo quarto: Ad Dominum*

minum clamavi, & obedivit mihi de sancto Monte suo. Altera Ratio ex personæ Dignitate eluditur; non enim Christus ψιλὸς ἄνθρωπος, sed Deus & homo, ipsius Mariæ Deus & Dominus; quæ instantia premitur de Regis vel Principis filio, qui admotus regimini non paret, sed imperat Matri, ea Christi effato non obscurè refellitur; negat enim ille in Regno suo maternitatem & consanguinitatem attendi, sed fidem, ut constat ex *Matth. 12. v. 47. & Lucæ 11. v. 28. Tertia ratio* non concludit, quia, posito *primò* quod Christus, in primis pueritiæ annis, & statu exinanitionis, cùm formam servi adhuc gereret, subjectus fuisset parentibus; aliter tamen sentiendũ esset de illo, servili schemate deposito, & ad dextram divinam exaltato. *Secundò* annon Christus etiam secundùm humanam Naturam fuit non subjectus legi, sed Dominus legis, quicquid itaque exhibuit Parentibus filialis reverentiæ, non fecit ex debito, sed motu spontaneo. *Denique tertiò*, si Maria ex eo est invocanda, adoranda, & religiosè colenda, quia dicitur ὑποτασσόμενος: cùm dicatur ita respectu tam Patris Josephi quam Matris, hyperduliâ quoque erit venerandus Josephus, & eo honore afficiendus, quo Maria, adeoque rogandus, ut jure Paternitatis imperet filio, eumq; ad exauditionem compellat. *Quarta ratio*, si quid probat, probat etiam Davidem & cæteros majores Christi esse invocandos. Dicitur enim esse ex Patribus secundum carnem *Rom. 9.* esse ex semine Davidis, *Rom. 1.* præterea Caro Christi non tantum est caro hominis, in quo convenit cum carne Mariæ, sed θεανθρώπου, caro deificata, caro, quæ Verbum factum, caro ipsius Dei, qui eam tam propriam sibi habet, quam sanguinem, quo acquisivit sibi Ecclesiam; num verò caro B. Virginis fuit caro Deificata? num hominis ab omni labe peccati immunis? demum annon blasphemum hoc, quod infertur, aut inferri potest? ita enim Maria non tantùm Hyperdulia gaudebit, sed Latriâ, ut Christus ipse. Supposita enim identitate carnis, quæ fundat cultum, idem quoque cultus, ob idem fundamentum, erit utrique deferendus.

XL.

Reos autem se faciunt ita hæreseos pridem damnatæ, Collyridianorum scil., Pontificii; Epiphanius enim non tantum refert, fuisse quosdam in Arabia, qui stata quadam die Anni Collyridem Virgi-

ni Mariæ obtulerunt in ſacrificium, ultra decorum illam glorificantes, temporibus Theodoſii I. & Syricii Papæ, *Anno Domini 395*, ſed & perſtringit, magnoque cum zelo reprehendit ſcribens: Admirati ſumus, alios ita deſipere, ut in tractatione de ſancta ſemper Virgine pro Deo hanc introducere ſtudeant & furore quodam ducantur. Narrant enim, quod quædam mulieres in Arabia ex partibus Thraciæ, hanc vanitatem invexerint, ut in nomen ſemper Virginis Collyridem quandam ſacrificent, & ſimul congregentur, & in nomen ſanctæ Virginis ultra modum quid tentent aggredi, nefario ac blaſphemo negotio, & in nomen ipſius ſacra celebrent per mulieres, quod totum impium & nefarium eſt, alienum à prædicatione Sancti Spiritus, ut ſit totum diabolicum opus, & ſpiritus immundi doctrina. Impletur enim in his hoc; Deficient quidam à ſana doctrina attendentes fabulis dæmoniorum, erunt enim mortuis divinum cultum præſtantes, ſicut in Iſraël culti ſunt. Et paulò poſt: Sive mortua eſt Sancta Virgo & ſepulta; in honore ipſius dormitio, & in caſtitate mors, & in virginitate corona: ſive interfecta eſt, velut ſcriptum eſt, animam ejus tranſibit gladius; inter martyres eſt ipſius gloria, & in beatitudine ipſius Sanctum corpus: ſive manſit; nam non eſt impoſſibile Deo, omnia facere quæ vult. Finis enim ipſius nemini notus eſt, non convenit colere Sanctos ultra decorum, ſed honorare ipſorum Dominum. Ceſſet itaque error ſeductorum. Neque enim Deus eſt Maria. Hæc ibi. Adverſus eandem hæreſin ex profeſſo diſputans Epiphanius, hæreſi 79. §.4. ait: Revera Sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus, Revera Virgo erat ipſa, Virgo & *τετιμημένη* honorata: *ἀλλ' οὐκ εἰς προσκύνησιν ἡμῖν δοθεῖσα* ſed non ad adorationem nobis data: ſed ipſa *προσκυνοῦσα* adorans eum, qui ex ipſius carne genitus eſt. Et §. 5. quæ Scriptura de hoc narravit? quis Prophetarum permiſit hominem *προσκυνεῖσθαι* adorari, nedum mulierem! Eximium eſt vas, ſed mulier, & nihil à natura immutata, verum intellectu & ſenſu in honore honorata, velut corpora Sanctorum. Ibidem: Si Angelos *προσκυνεῖσθαι* adorari non vult, quantò magis eam, quæ genita eſt ab Anna, quæ ex Joachim donata eſt Annæ. Conſpirat Ambroſius Mediolanenſium Antiſtes, qui *libro tertio de Spiritu S. cap. 12. ad dictum Pſalmi 98. v. 5. Adorate ſcabellum pedum ejus*, ita commentatur,

tatur, per Scabellum pedum ejus, terra intelligitur, per terram caro Christi, quam hodie in Mysteriis adoramus, & Apostoli in Domino Jesu adorarunt. Ac nè quis hoc derivet in Mariam Virginem, Maria erat templum Dei, non Deus Templi, & ideò ille solus adorandus, qui operabatur in Templo.

XLI.

Promovit errorem Petrus Gnapheus sive Fullo, Antiochenus Episcopus, seculo currente quinto, qui sanxit, ut in omni precatione Dei genitrix nominaretur, & Divinum ejus Nomen invocaretur, teste Nicephoro Callisto *lib. 15. cap. 28.*

XLII.

Quamvis autem hæc Solis radio sint scripta, & de Harmonia Collyridianorum & Pontificiorum, etiam mediocriter attendenti, constare possit, habent tamen, quod regerant. Nam Petrus Canisius, *in spisso illo opere, de verbi Dei corruptelis adversus Sectariorum Errores lib. 5. cap. 16. primò* reponit, Collyridianos fuisse damnatos, non quod Mariam colerent, sed quod Dei loco sibi colendam proponerent, Verba illius ita habent: Agit Epiphanius non tam contra Collyridianos, unde Augustinus in Hæreticorum Catalogo illos prætermisisse videtur, quàm adversùs mulieres non in Syria, uti fingit Melanchthon, sed in Arabia morantes, adeoque vesanas & impias, ut simul congregatæ, novum & inauditum Mariæ cultum invehherent, eamque Dei loco sibi colendam ac adorandam publicè proponerent, ac eidem simul contra omnem Ecclesiæ morem sacrificarent, novos interim ritus, nova sacra introducentes atque celebrantes. Etenim constituto anni die, ut etiam indicat Damascenus, currum quendam, sive sellam quadratam ornabant, & expanso super eam linteo per dies aliquot panem seu collyridem quandam proponebant, remque totam in Mariæ ceu Deæ nomen sacrificando peragebant, ac de eodem pane omnes participabant. Melanchthon autem non sine fraude ac calumniandi studio fabulatur, ac de suo affingit, quod in Epiphanio nusquàm legimus, Mariæ statuam ab hisce mulierculis circumlatam, & liba nescio quæ, aliaque donaria oblata illi fuisse. Interpres Damasceni Κολλυρίδα tortam panis Latinè vertit, unde nomen ipsum Collyridianos à placentis tortilibus, quas Græci Collyridas vocant, hic appellari; qui

 sub

ſub linteo panes Κολλυρίδας depromentes, in nomen Mariæ obtulerint, ac penes mulieres hanc hæreſin maximè conſtitiſſe. *Secundò* reprehendit B. Herbrandum, quod ſcripſerit, Pontificios vota Virgini facere, quæ cum ſoli debeantur Deo, vovendo peccare, quia honorem divinum in Mariam transferant, hanc enim collectionem ex meræ inſcitiæ fundamento petitam videri &c. *Tertiò* poſtquam de adoratione egit, de offerendo Mariæ ſacrificio quoque diſſerit, & Mentem Epiphanii ſequentibus exponit: Cultum ſacrificiorum Epiſcopus ille hiſce ferè rationibus enervat ac diſſipat: Nusquam mulieribus à Deo præceptum eſt ſacrificare. In veteri Teſtamento nulla mulier ſacrificium obtulit, aut ſacerdotio functa eſt. Sacrificandi jus & officium ſemper penes viros fuit. Scriptura non permittit, ut mulier loquatur in Eccleſia. Non licet mulieri regulare quicquam in Eccleſia operari, aut aliquod miniſterium perficere, ut ſit presbytera vel ſacrificula. Præterea ſi licuiſſet ulli mulierum in novo Teſtamento perficere ſacrificium, Mariæ quidem licuiſſet, quæ digna, inquit, facta eſt ſuſcipere in propriis ſinibus univerſorum Regem Deum, cœleſtem filium Dei; cujus uterus templum factum eſt ac domicilium ad Domini in carne diſpenſationem. Sed neque ſacrificium offerre, neque baptiſma tribuere Mariæ concreditum fuit. Poſtremo hæc ſacrificandi ratio veterem morem Ethnicorum ſuis Diis offerentium ſtabilire ac renovare videtur. Ex his ergò rectè ſolideque concludit Epiphanius, non modò ſtultum, ſed etiam nefarium & perniciosum eſſe facinus harum mulierculaѕum, præter & contra omnem legem & conſuetudinem ſacris operantium, & ad morem Ethnicum creaturæ, perindè atque Deo, ſacrificantium, quantumvis Mariæ nomen & honorem ſuæ prætexant impietati. Cum hac Epiphanii ſententia congruunt, quæ in Canonibus veteris Ecleſiæ ſunt definita, videlicet, ut ne Virgines quidem aut viduæ ordinentur, nec in Eccleſia doceant ullæ mulieres, ſed ut tantum orent & Magiſtros audiant, ſicut ſanxiſſe Apoſtolos Clemens annotavit. Et vidimus tamen Viennæ mulierculam, quæ in Lutheri doctrina tantos fecit progreſſus, (prô pudor) ut poteſtatem ſibi ſumeret Euchariſtiæ non ſolùm ægrotis, quos inviſebat, porrigendæ, ſed etiam conſecrandæ. Notæ ſunt inſuper mulieres, quæ licet ipſæ non ſacrificent, tamen

tamen quod eſt amplius, & Sacerdotibus & Concionatoribus in rebus etiam ſacris alicubi palàm dominantur. Nec paucas quidem fœminas in his regionibus licet reperire, quæ docendi partes ſibi uſurpent arrogantiſſimè, & Paulo Apoſtolo quaſi audeant ſuccenſere, ut qui malè faveat huic generi, cui perpetuum in Eccleſia ſilentium injunxiſſe videtur. Nihil autem Hæreticis mulierculis petulantius, ſi aliis placere, & infirmos flectere poſſint audaci ſua loquacitate, vel in diſputando temeritate. Infames autem Hæreticorum mulieres, ne dicam meretriculæ fuerunt, Simonis Magi Helena, Apellis Philemone, Montani Priſca & Maximilla, & Gnoſticorum Marcellina; ſicut Hieronymus poſt Irenæum indicacavit. Quid verò mirum, divinis & humanis legibus mulieres à ſacris arceri, cùm etiam à functione publica & civili paſſim rejiciantur, ac regnandi poteſtate multis in regionibus ex veteri more priventur? Certè Synodus Laodicæna & Soter Pontifex mulieribus, quantumvis Deo ſacratis, interdicunt ad altare ingredi, & ſacra, quæ virorum ſunt officiis deputata, contingere: tantùm abeſt, ut ſacerdotali eas munere fungi permittant. Atque hinc demum à Tertulliano æquiſſimè ſcriptum eſt: Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, ne dum ſacerdotalis officii, ſortem ſibi vendicare. Quæ omnia fuſiùs repetenda duximus, ut certiùs pateat, Epiphanium adverſùs Catholicos, Mariæ cultum aſſerentes, nihil pronunciare, ſed ut alibi, ita hoc etiam loco, Catholicam confirmare doctrinam, ſi verba ejus ritè conſiderentur. Et audet tamen Heerbrandus, ut Virginis noſtræ cultum, in Eccleſia uſitatum, arrodat, planeque ſuſpectum & exoſum reddat, eundem Epiphanium nobis opponere, atque hoc modo ratiocinari: Collyridianorum hæreſin deſcribit Epiphanius, mulierum, quæ in nomen & honorem Virginis Mariæ ſacrificium panem nempè obtulerint, Vanitatē, impium, nefarium ſcelus & blaſphemiam vocans, à prædicatione Spiritus ſancti alienum, totum Diabolicum opus, & ſpiritus immundi doctrinam. Quam impietatem prolixè multis refutat. Quod autem hæc tota Epiphanii diſputatio, quicquid iſti blaterent, Liturgico, ſive ut Baſilius vocat, reverendo & incruento Eccleſiæ ſacrificio minimè adverſetur, ex eodem Epiphanio, ut omittam a-

lia, colligi facilè poteſt. Etenim Aëtium Catalogo Hæreticorum aſcribit, negantem videlicet, hoc ipſum ſacrificium pro defunctis fidelibus in Eccleſia offerendum eſſe; quemadmodùm & Damaſcenus poſt Auguſtinum affirmat. Prætereà refert, ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, jam inde à Chriſto in Eccleſia viguiſſe, & Apoſtolos non modò Evangelium per orbem ſacrificâſſe, ſed etiam myſteriorum fuiſſe duces, à quibus Epiſcoporum & Presbyterorum ſucceſſiones habet Eccleſia. Probat itidem, ad perpetuam Eccleſiæ traditionem, veramque Catholicæ fidei doctrinam pertinere, ut piæ defunctorum memoriæ, cultusque divini & myſteriorum diſpenſationes (quas propriè ad Liturgiam referunt Græci) in Eccleſia peragantur. De mortuis, inquit, nominatim, faciunt mentionem (nimirùm Orthodoxi) preces, cultus & diſpenſationes perficiendo. Sic enim locum Vitus Amerbachius vertit, nec dubium, illis vocabulis Græcè ſacrificium, pro defunctis Catholicis oblatum, ab Epiphanio ſignificari. Qui rurſus ad Patrum traditionem refert, quòd ſuo ſeculo in Apoſtolorum & Martyrum memoriam ſacrificabatur, ſicut & Tertullianus & Cyprianus longe vetuſtiores de oblationibus & ſacrificiis, quæ pro Martyribus anniverſaria commemoratione fiebant, apertè loquuntur. Tùm Damaſcenus Apoſtolos non modò Dei prædicatores, ſed etiam ſacrificiorum curatores appellat. Ac longè vetuſtior Irenæus Apoſtolos omnes Sacerdotes Domini vocat, qui ſemper altari & Deo ſerviverint, & à quibus acceperit Eccleſia Novi Teſtamenti novam oblationem, quam juxta Prophetæ vaticinium, in univerſo mundo offert Deo. Ac tantùm abeſt, ut Epiphanius Sacerdotes noſtros hæreticis Collyridianis, aut inſanis mulierculis ad ſacrificandum impiè proſilientibus vel exæquet, vel conferat, ut etiam Diaconis poteſtatem adimat in Eccleſia miniſterium aliquod perficiendi, ſicut & prior Synodus Nicæna decreverat, Diaconis non licere, ut offerendi ſacrificii munere fungerentur, aut aliis Presbyteris porrigerent Euchariſtiam.

XLIII.

Progreditur tandem ad Petrum Gnapheum, *Capite decimo ſeptimo*, & ita perorat: Petrus Gnapheus antiquæ & percelebris Eccleſiæ Antiochenæ, quam Petrus Apoſtolus primùm adminiſtravit, Archie-

Archiepiſcopus fuit, ſive Patriarcha, Zenonis Imperatoris, qui Leoni ſucceſſit amicus, Leonis primi Pont. Max. coætaneus, & qui magnam illam Synodum, quartam nimirùm & Oecumenicam, Chalcedone coactam, ſua vidit ætate. Etſi verò idem in vita & doctrina non optimè ſeſe geſſit, & dictam Synodum indignè oppugnavit, tamen ſi qua veteribus eſt fides, nonnulla Eccleſiæ Catholicæ commodiſſima inſtituit, & inter alia quidem, quòd in omni precatione Dei genitrix nominaretur, & divinum ejus nomen invocaretur. Sic enim habet Nicephorus, καὶ ταύτης τὴν θείαν κλῆσιν ἐπικαλεῖσθαι. Laudantur & alia quædam ab hoc Gnapheo utiliter conſtituta, quem nos tamen (quod apertè teſtatum volumus) per omnia nec defendimus, nec excuſamus, ſed neque ab ullo defendendum aut excuſandum eſſe dicimus; præſertim ſi vera ſunt omnia, quæ de illo ſcribuntur. Hoc ſolùm de illo in quæſtionem venit modò, recténe à Novatoribus in eo reprehendatur, quòd legem tulerit de Mariæ nomine, ſacris precibus interponendo & publicè invocando. Nullus quidem hactenus reperiri potuit, qui, præter noſtros adverſarios, Gnapheum hoc nomine inſectaretur, aut ullum cum illo verbum commutandum eſſe putaret. Tùm Nicephorus clarè pronunciat, hanc legem, Eccleſiæ Catholicæ commodiſſimam, ab eo fuiſſe traditam & promulgatam. Accedit, quod prudenter hæc lex eo potiſſimum tempore lata ſit, quo longè lateque ſerpebat, & plurimorum animos vitiabat peſtilens Neſtorianiſmus; ita ut hæc tanta lues Monachos etiam contaminârit, & in eam impiam opinionem deduxerit, Mariam Deiparam non exiſtimandam, nedum pro Dei matre invocandam eſſe. Quare quum ex his Monachis unus ſenem alium valdè pium accederet, & Neſtoriano fermento corruptus in viam revocari non poſſet, tandem Divina viſione correptus, mentem meliorem recepit, ſuumque confeſſus errorem, ad Eccleſiam rediit; quemadmodum Joannes Moſcus Eviratus apertè teſtatur. Et certè in hunc uſque diem Græci ac Orientales, qui verum Chriſtianiſmum profitentur, id quod Gnapheus faciendum decrevit, licet non Gnaphei gratiâ diligenter obſervant; nimirùm ut contra Neſtorianos nomen θεοτόκε in uſu perpetuo habeant, & non modò publicè, ſed etiam in privatis precibus Mariæ interceſſione libenter utantur.

XLIV.

Incassum verò hæc omnia; nam *primò*, si attendamus, quomodo Epiphanius concludat, patebit frustrà dici, Mariæ cultum in Collyridianis damnari, quia ut Deam illam venerati sunt; generali enim nititur principio, & Mariam adorandam esse negat, quia solus Deus est adorandus. Maria autem non est Deus, soli itaque Deo transcribendo cultum adorationis, eo ipso abrogavit Mariæ, & quicquid non est Deus ab adoratione, quocunque nomine veniat, modò sit religiosus cultus, removit. *Secundò* non tantùm cultum adorationis negavit Mariæ, sed & positivè de eo, quod non debeatur illi, disseruit Epiphanius, scribens: in honore ipsius dormitio, & in Castitate Mors, & in Virginitate Corona. *Tertiò* removit cultus religiosi fundamentum, & honorem qualemcunque substituit Virginis dignitati competentem, dicens: Non permisit ipsi dare Baptisma, non benedicere discipulos, ἐ τὸ ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἐκέλευσεν non imperare in terra jussit, sed hoc solum voluit, ut ipsa esset ἁγίασμα Sanctum quid, καὶ καταξιωθῆναι τῆς αὐτοῦ βασιλείας & digna efficeretur regno ipsius. Et ibidem: ἐν τιμῇ ἔστω Μαρία, ὁ δὲ πατὴρ καὶ υἱὸς καὶ ἅγιον πνεῦμα προσκυνείσθω, τὴν Μαρίαν μηδεὶς προσκυνείτω. Sit in honore Maria, Pater & Filius & Spiritus Sanctus adoretur. Non dico Mulieri, imò neque viro; sed uni Deo debetur hoc mysterium. Neque angeli talem δοξολογίαν glorificationem capiunt εἰ καὶ καλλίστη ἡ Μαρία, καὶ τετιμημένη, ἀλλ' οὐκ εἰς τὸ προσκυνεῖσθαι etsi pulcherrima est Maria & Sancta & honorata, at non ad adorationem. Et §. 9. ἡ Μαρία ἐν τιμῇ, ὁ κύριος προσκυνείσθω, Maria sit in honore, Dominus adoretur. *Alterum* quod Herbrando opponit, caducum est; nam *primò* vota Mariæ facta, non sunt meræ promissiones, ita enim à Natura voti & dignitate illius exciderent, sed sunt actus religiosi, ut juramenta, cum quibus, etiam Pontificiis testibus, maximè conveniunt. *Secundò* votum, Mariæ factum, non est actus observantiæ, ut vult Canisius, contradistinctus Religioni, non enim, qui vovet Virgini aliquid, formaliter vovet exhibitionem illius Deo, neque enim, si votum hac ratione deferretur Mariæ, plus exhiberetur, quam Præposito à Monacho, qui vovet Deo, quod velit esse obediens Præsuli. Mariæ enim vovetur, ut gaudet hyperdulias fundamento, & titulis superbit in Papatu intolerabilis fastus.

Tertiò,

Tertiò, si votum saltem materialiter B. Virgini competit, quomodo Bellarminus potuit scribere, votum competere sanctis, quatenus sunt Dii per participationẽm? qui enim Dii sunt per participationem, illis vota non tantum materialiter conveniunt, sed & formaliter. *Tertium*, quod de sacrificio opponit ibidem, infirmum est; nam *primò* Epiphanius non tantùm reprehendit, illud quod Mulieres offerunt, sed & quòd offerant. *Secundò* Collyridiani panem offerebant & proponebant in Nomen Mariæ, & quid sit in Missis Marianis, quæ non tantum in memoriam B. Virginis habentur, ut fingit Jesuita Canisius, sed in cultum; & quid quæso oblationes & anathemata facta Mariæ, quam Collyridianorum stipulæ, quicquid sit de diversitate Materiæ. *Tertiò* Mariæ, non tantùm panem & alia offerunt Pontificii, sed etiam sanguinem dedicant; anne autẽ hoc non est sacrificare & ultra insaniam Collyridianorum progredi. Historiã Alexandri Cardinalis Ursini legimus apud Corneliũ à Lapide, qui ita: Magnis Ecclesiæ gubernaculis magnanimè perfunctus, ad majora natus, nisi Deus eum ad maxima transtulisset. Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim Deo erat anima illius. Junior efflagitarat ingressum in Societatem Jesu: idque ardenter & instanter. Verùm repulsam passus, quòd dictitarent eum ob certas dotes in sæculo plus Ecclesiæ profuturum, acquievit, sed ita, ut inter aulicos & Principes vitam ageret Religiosam, adeoque mores ejus intuens Religiosum censuisses simul & Principem. In jejuniis, disciplinis, ciliciis, etiam Cardinalis creatus, erat assiduus, imò nimius. Congregationi Sodalium in Collegio Romano erectæ ascribi voluit, adeoque ad eam frequens, etiam tempore disciplinæ ventitabat, ac publicè in turba plebeiorum cum illis acriter se diverberabat, idque non rarò ad sanguinem; quod perpetim faciebat in pervigiliis B. Virginis, ut ei se suamque vitam suo sanguine offerret & consecraret.

XLV.

Petrus Gnapheus tantus non est, quantum fingit Canisius; nam *primò* fuit γναφεὺς sive fullo iste homo turbulentus, qui captus ambitione sedis, absente illius Episcopo Antiochiæ tumultus excitavit, & tyrannicè illam occupavit; *secundò* fuit Author hæreseως Theopaschitarum, quem Felix tertius, Papa Romanus, vocavit primogenitum diaboli filium, Refractarius Synodo Oecumenicæ Chalce-

donensi, agnoscente ipso Canisio. *Tertiò* ipso Episcopatu depositus & exilio mactandus in fuga elapsus, ni se recepisset in Monasterium Monachorum Acænetorum, recuperans quidem sedem Antiochenam Henotico Zenonis recepto, sed fraude utens, de quo videatur Nicephorus *lib. 15. cap. 28.*

XLVI.

Placuit illis, qui sibi placent in propriis adinventionibus, non tantùm religiosè venerari sanctos demortuos, & Mariam insigniter inter illos, sed etiam ea quæ ad illos pertinent, quæ reliquias dixerunt, imo reliquiarum nomine, scribit Carolus Stengelius, censemus non tantum integra corpora Sanctorum, verum etiam membra præcisa, carnes, ossa, cineres, in quos redacta sunt ipsorum corpora, vestes, baculos, sedes, domos supellectilem & instrumenta Martyrii, vel quicquid illis, utpote organis Spiritus S. ad vitæ hujus sustentationem, vel in morte ad gloriam servivit, nec tantùm Sanctorum, sed & Angelorum, imò ipsius Christi in Papatu passim ostentantur, Entia permanentia & transeuntia, utpote penna fragilis Gabrielis, sonus Campanarum Hierosolymitanarum, & habitus Josephi; cultus autem, qui ipsis defertur in Regno tenebrarum est religiosus, non quidem supremus soli Deo debitus, sed religiosus atque intermedius rebus sanctis competens, unde etiam Bellarminus *lib. 2. de reliq. Sanct. 2002.* Nos reliquias, inquit, honoramus & osculamur, ut sacra pignora patronorum nostrorum, sed nec adoramus ut Deum, nec invocamus ut Sanctos, sed minore cultu veneramur, quam Sanctorum Spiritus, nedum quam Deum ipsum.

XLVII.

Confestim autem prodit hic se pruritus novaturientium in Religionis negotio; nam *primò* Veteres per reliquias intellexerunt tantùm Martyrum corpora, quæ à Christianis diligenter fuerunt conquisita; ita Eunapius *in Ædesio de Christianis* scribit: Ossa & capita collecta eorum, quos reos multorum criminum, scil. criminatione Philosophorum in Gentilismo, politici Magistratus supplicio affecerunt; sensim verò extendi cœpit vocabulum, cùm superstitiosi non tantùm corpora Martyrum, sed & alias res ad usum Christi & Apostolorum assumtas, inter λείψανα computarunt, quorum cultus ma-

maximè invaluit tempore Damasceni, ut constat *ex lib. 5. orth. fidei cap. 12.* & tandem addita fuerunt alia, quæ vel vera vel conficta, quemcunque respectum dixerunt ad sanctos, de quibus in præcedentibus. *Secundò* Veteres quidem conquisiverunt λείψανα sive corpora Martyrum & ossa, sed non prostituerunt illa in adorationem. De ossibus Polycarpi tantum hoc dicit Eusebius, quod Smyrnenses fideles illa potiora lapillis digno loco reposuerint; adde Testimonia Evnapii, Nazianzeni, Ambrosii, & vel honestè illa fuerunt sepulta tempore scil. Ambrosii, vel sub altaribus collocata sequentibus seculis usque in seculum octavum; in papatu autem ostentantur ad religiosam venerationem, Gentilium ad morem, qui in Cretâ Sepulcrum Jovis, in Templo Ephesino, λείψανα quædam Dianæ defossa, Autrum Sybillæ Cumis & alia quædam ostenderunt, jactarunt, veneratione prosecuti fuerunt. Quemadmodum olim Scribæ & Pharisæi sepulchra Prophetarum ædificabant, & monumenta justorum ornabant; dum puritatem doctrinæ deseruerant, plenique erant hypocrisi & legis transgressione; *Matth. 23. v. 28, 29.* similiter Pontificii, dum salutarem veritatem corruperunt, & in SS. Literas, præstantissimas Prophetarum atque Apostolorum Reliquias, multis modis injurii sunt; indicatas modo Reliquias adorant, & religiosè colunt; per habitudinem scilicet ad eos, quorum Reliquiæ sunt, sive latriâ, sive duliâ. *Tertiò* cultus ille religiosus, quem referunt commentitius est, partim quia omnis cultus religiosus aut est elicitus, aut imperatus, ille verò qui exercetur circa reliquias, non imperatus est, quia ille respicit proximum, & defertur à liberis parentibus, à civibus præpositis, ab opulentioribus pupillis & viduis, de quo *Jacobi 1. v. 27.* nec est elicitus, quia ille respicit solum Deum; unde Augustinus: non sit nobis Religio cultus mortuorum, *libro de vera Religione cap. 55. partim* quia fingitur cultus minor illo, qui Sanctis defertur Spiritibus, cum alias dividatur ab illis omnis cultus religiosus in latriam & duliam, & ita sectionibus cultus in minorem duliâ attenuatur, ut expirare videatur, vel, si adhuc est dulia, idem erit cum illo honore, qui Sanctis defertur, *partim* quia falsò dicitur, non invocari sanctas reliquias, cum, Episcopo recondente vasculum cum reliquiis, canatur, Sub altari Dei sedes accepistis, intercedite pro nobis ad Dominum

minum Jesum Christum: & quicquid sit de Invocatione, sufficit quod religiosè colantur, sufficit quod reliquiis, eos qui tangunt, sanctificari asserant, ut Bellarminus docet, *lib. 2. de Imag. cap. 30.*

XLVIII.

Ut autem constet, quàm latè regnet reliquiarum dignitas, quantas egerit radices in Animis Pontificiorum superstitio, juvat recensere illarum qualemcunque Catalogum. Docuerunt autem primò Reliquias Veteris T. utpote Adami ossa, à Noacho in arcam assumta, & inter hujus filios posteà distributa; nominatim illius Calvariam, sive Cranium, quod Semo cesserit, & in Jebus sive Hierosolymis fuerit sepultum in monte Calvariæ, ubi etiam Christus posteà crucifixus; Tunicas primorum Parentum à Deo factas, Chamo, ac deindè Nimrodo, cessisse; Reliquias Arcæ Noachi, in montibus Arabicis; atque alibi Dolabram Noachi, quà arcam confecerit; Sepulchra Abrahami & cæterorum Patriarcharum, juxta Bethlehemum; Particulas Virgæ Mosis, Romæ, itemque in Galliâ, & antehàc Pragæ asservari. Similiter ostentatur montis Sinai vertex, ubi steterit Moses, cùm Legem acciperet; & Rubus, undè ei Deus apparuerit; in Nilo, locus ubi ille fuerit expositus, &c. Particulæ item Virgæ Aaronis quæ floruerit, & Arcæ fœderis, ostentantur Romæ, & antehàc Pragæ. Samuelis Reliquiæ dicuntur Constantinopolim translatæ; una de Columnis à Salomone positis in templo, Romam; Mensa Salomonis, Toletum. Reliquiæ Altaris ab Eliâ parati in monte Carmel jactantur quoque; & ossa Elisæi Alexandriâ transportata. Synagoga Ezechielis ostentatur in ripâ Euphratis; Sepulchrum Danielis Susani; Jonæ corpus Venetiis; & Zachariæ ibidem; Maccabæorum ossa, Coloniæ, & Romæ. Reliquiæ N. T. jactantur & ostentantur ferè infinitæ: utpotè ipsius Christi; respectu infantiæ; Lapis, super quem natus, Atrebati: Lapis, super quem recens natus fuerit depositus, Duaci; aliquid de loco nativitatis, Bruxellis; de terrâ, ubi natus, Mediolani: Fasciæ, & panniculi, quibus recens natus fuerit involutus, Romæ, Aquisgrani, Mediolani, & alibi; Præsepe, & ejus reliquiæ, Romæ, Mediolani, Neapoli, Coloniæ, Bruxellis, Leodii, &c. De Incunabulo, Romæ in basilicis pluribus; Interula linea à Matre facta, Romæ & Mediolani;

ni; de Myrrhâ & Thure à Magis oblato, in Pannoniâ; Terebinthus, ſub quâ B. Virgo requieverit in itinere Hieroſolymitano ad ſiſtendum Filium in Templo, inter Bethlehemum & Hieroſolymam. Alibi oſtentantur Reliquiæ de Panno, in quo fuerit oblatus, & à Simeone exceptus; de Lapide, ſuper quem oblatus in templo; de Menſâ, ſuper quam præſentatus; & de Altari, in quo Mater eum obtulerit; item Præputium ejus, Dentes, & Crines; Tunica quædam, & Veſtimentum, quod Maria ipſi fecerit; imò etiam Imago Chriſti duodecennis, à Lucâ inchoata, & ab Angelo completa. Reſpectu vitæ adultæ; Capilli, Veſtes, Tunica; iterum Tunica inconſutilis, ejusque fimbria, quam tetigerit mulier ſanguine fluens; Cingulum, Pallium, Calcei, Hydriæ, in quibus aquam in vinum commutaverit; Baculus; Reliquiæ de Loco, ubi Chriſtus quadraginta diebus & noctibus jejunaverit; de Lapide, ſuper quem jejunans ſederit; de Lapide, ſuper quem prædicaverit; de Loco, ubi compoſuerit Orationem Dominicam; item, ubi fleverit ſuper Hieroſolymam; de Ligno, cui in iſto fletu innixus fuerit; de Columnâ, ad quam innixus concionatus fuerit; Lachrymæ ipſius; Reliquiæ de Olivâ, quam Chriſtus Ramis palmarum intexuerit in Feſto; De Arbore, quam plantaverit; de quinque Panibus hordeaceis; de Piſce, ex quo Dominus comederit; Menſa, ſuper quam cum Apoſtolis ſuis ultimùm cœnaverit; de Mappâ; Patina agni Paſchalis; Cultellus; De Pane ultimæ cœnæ; item de Vino; de Scypho, & Calix ipſe; de Pelvi, unde Diſcipulorum pedes laverit; de Linteo, quo eos abſterſerit; de Cœnaculo; Menſura corporis Chriſti, ſex pedum & ſemis. Reſpectu Paſſionis; de Loco horti, ubi Chriſtus ſanguinem ſudaverit, & Patrem oraverit; ex triginta Argenteis, quibus ipſe à Judâ venditus fuerit; Funis, quo alligatus; Columna ad quam flagellatus; de Stipite, in quo verberatus; Lapides, ſuper quos ejus cruor defluxerit; de Petrâ, ſuper quam ipſe ſederit; de Virgis, quibus ad columnam cæſus fuerit; Scala, cui veſtigia ſua infixerit in prætorio Pilati; de Togâ albâ, quâ illuſus fuerit ab Herode; de Calamo, quo caput percuſſum; Arundo, ipſi in manus data; de Vinculis manuum Chriſti; Veſtis purpurea, quâ fuerit à Pilato indutus; Sudarium Veronicæ, quo ipſa faciem Chriſti abſterſerit, & cui Chriſtus vultum ſuum impreſſerit; de Loco Crucis Chriſti; de Ligno

Crucis, tot ostentantur partes, ut navis oneraria eas videatur capere non posse; dimidium ex Cruce Latronis conversi; Spinæ ex coronâ Christi plurimæ; Clavi, quibus Christus cruci affixus fuerit, etiam valdè multi; Linteum, quo corpus Domini in cruce ad lumbos obtectum fuerit; Titulus Crucis, cum literis Latinis, Græcis, & Hebraicis; Lancea, quâ latus Christi fuerit perfossum; de Sanguine Christi; Lapides eo consparsi; Spongia, quâ acetum cum felle ei porrectum; de Saxo passionis tempore scisso; Sindon, quâ corpus Christi exsangue fuerit involutum; Lapis, super quem idem corpus fuerit collocatum; de Myrrhâ & Aloë, quibus corpus Christi à Nicodemo fuerit unctum; Sudarium, quo caput ipsius in sepulchro obvolutum: de Sepulchro Christi; de Lapide, quo sepulchrum fuerit occlusum. Respectu exaltationis; de Terrâ loci, ubi Christus apparuerit Mariæ Magdalenæ; nec non Vestigia Christi, manifestantis se Petro, in petrâ: item de Terrâ, & Loco, ubi in cœlum ascenderit; de Lapide, in quo steterit, cùm ascenderet; nec non Vestigia Christi ascendentis. Similiter jactantur & ostentantur Reliquiæ Mariæ plurimæ, & locis plurimis; ejus Domus, Angelorum scil. ministerio translata è Palæstinâ in Illyricum, atque indè in Italiam; cum inscriptione, *Hic Sanctissima Dei Genitrix in lucem edita, hìc ab Angelo fuit salutata, hìc æternum Dei Verbum caro factum est:* sed & variæ dicuntur ejus domûs fuisse, earumque Reliquiæ alibi ostenduntur. Item pars Lecti ejus; Capilli aliquot; Interula, sive Camisia, aut Indusium, etiam quo ipsa induta fuerit cùm Christum pareret; Vestes ejus aliquæ; Zona; Cingulum; Lactis, quod ex ejus uberibus manârit, magna passim copia; Lachrymæ aliquot; Vitta; Velum vultui obnubendo; & Peplum, etiam quo velata fuerit, cùm adstaret Filio sub cruce; Sudarium, quod ipsa suis manibus in templo Hierosolymitano texuerit; Pallium; Fascia; Pecten; Chirotheca; Calceus; Crepida; Fusus, aut Glomus, etiam cum filo ejus digitis adhuc deducto & presso; Soccus; Annulus pronubus à Josepho ei datus in desponsationis fidem; Lapis, super quem panniculos & linteola infantis, ubi ea lavisset, extendere fuerit solita; item Domus, ubi obierit; nec non de Loco mortis ejus; ejus Feretrum; & pars Candelæ, quæ ad ejus obitum arserit; de ejus Sepulchro; Peplum, quo corpus ejus in sepulchro fuerit coopertum;

de

de Floribus ad ſepulchrum exortis; nec non Imagines ejus à Lucâ depictæ.

XLIX.

Facilè autem expugnantur hæc cultus religioſi commenta. Nam ut nihil dicam de defectu verbi vel mandantis, vel promittentis, quod nobis Regula eſſe debet, ut non dicam, quòd eo ipſo quo Deus in præcepto hoc primo, omnem cultum religioſum ſibi appropriat, ſevere prohibeat ante vel juxta ſe habere Deos alienos, atque omne Ens à participatione religioſæ venerationis à ſe diverſum excludat, ſtultum ſit, & plumbei delirii, viventem proſternere ſe inanimato, adorare quæ nunquam fuerunt in rerum Natura, vel ſupponuntur pro veris, urgemus praxin Dei & Eccleſiæ: Dei quidem, qui non tantum voluit, ut Terra in Terram reverteretur, ſed & ipſe corpus Moſis abſcondidit, nè Iſraelitæ ad Idololatriam eo abuterentur, *Deut. 34. v. 6.* hujus, quia diſcipuli Johannis Corpus illius terræ mandarunt, *Matth. 14. v. 12.* pii Corpus Stephani lapidati ſepeliverunt, *Act. 8. v. 2.*

L.

Diſplicent hæc Pontificiis, quapropter omnem movent lapidem, ut evertant fundamenta veritatis; maxumè illud de Corpore Moſis. *Primò* quidem ex Hilario, Ambroſio & Gregorio Nyſſeno objiciendo, Moſen nondum eſſe mortuum, & proinde nec ſepultum, ſed translatum cum Henoch & Helia, quod etiam recentiorum aliqui doceant. *Secundò* ſi ponatur mortuus, ad gloriam Moſis pertinere, quod ſepultus in ſepulchro tam admirando, ut nullus hominum dignus fuerit unquam, illud conſpicere. *Tertiò*, ſi ponatur etiam vel concedatur, occultatum fuiſſe corpus Moyſis, ne Iſraelitæ peccarent ſuperſtitione, ne tantus Vir, quem vivum magnifecerant à Judæis coleretur poſt Mortem, non præciſum fuiſſe cultum ſimpliciter, ſed formaliter Divinum, ſc. nè populus coleret defunctum pro Deo, & quanquam dici poſſit, viventem non cultum fuiſſe pro Deo, multo itaque minus culturum populum ita mortuum, tamen quod viventem non coluerint, ideò factum, quia quotidie ab illo audiverint, unum eſſe verum Deum, ſeſe autem illius ſervum, poſt Mortem verò recordati mirabilium ejus, & non audientes verba ejus, facile potuiſſe adduci, ut crederent eſſe Deum, eumque adorarent, ſi ſci-

si scirent ubi esset, præsertim quia valde credibile sit, corpus ejus, licet mortuum, conservasse adhuc splendorem vultus & decorem, quem antea habuerit, sicut multis sanctorum acciderit; quod illustreatur exemplo Serpentis ænei, *Numer. 21. & 2. Reg. 18.* & si regeratur, idem periculum esse nunc in reliquiis aliorum Sanctorum, respondetur, falsum esse; populum enim Judæorum eo tempore propensissimum fuisse ad Idololatriam, ita ut etiam vitulos aureos coluerit: unde post captivitatem Babylonicam, quia populus ille non amplius coluerit Idola, deprehendatur Deum illustrasse sepulchrum Jesaiæ, Ezechielis, Jeremiæ, Helisæi, Abdiæ & aliorum multis miraculis, & gratum habuisse cultum, qui ossibus illorum exhibebatur, testibus Epiphanio & Hieronymo, neque unquam auditum fuisse apud Christianos, quòd aliqui Sanctorum reliquiis honores divinos detulerint, nec desint in Ecclesia, qui & literis & sermonibus populos doceant, quis cultus reliquiis debeatur.

LI.

At num hoc non est umbras sectari, missâ luce veritatis? Nam *primò* quod Moses fuerit mortuus, disertè exponitur *Deuter. cap. 34. v. 5.* ubi legitur, *Mortuusque est ibi Moses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino, & sepelivit eum in valle Terræ Moab contra Phagor, & non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem.* Adde Testimonia ex *Josuæ 1. v. 1. & 2. cap. 4. v. 14.* Et ne quis de Qualitate Mortis dubitaret, ipse Deus prævenit, & dixit Mosi: Morere in Monte, quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in Monte Hor, & appositus populis suis; Et quî potuit altercari Diabolus cum Michaele Archangelo de corpore Moysis, si adhuc vixit, de quo *Judas v. 9.* *Secundò* ipsi Judæi, Josephus & Philo, quicquid Genebrardus dicat, Mosen mortuum fuisse afferunt, *ille* quidem, quando dicit: Vitæ ejus tempus universum centum viginti annorum fuit: cujus tertiam partem in imperio egit, uno mense minus. Mortuusque est ultimo anni mense, die prima mensis, &c. *Hic* vero cum scribit: Cœpit paulatim è mortali vita in immortalem mutari, sentireque separationem rerum, ex quibus concretus fuerat, corpore in testæ morem discedente, nudanteque animam, hac verò avidè migrante ad destinatam sibi à natura, aut Deo potius autore naturæ, regionem;

& in

& in fine libri tertii, eundē asserit & mortuum monumentis honoratū. Plerique etiam Rabbini, etiam Talmudici, verè mortuum sentiunt, quos refert Serarius, atq;(cum quibus & Cajetanus) Josuā morienti affuisse. *Tertiò* Ecclesia Romana in Martyrologio, cui consonat Menologium Græcorum, Ebræorum SedaOlam de Morte Mosis sententiam suam apertè declarat; hinc ex Ruperto disputat contra illos, qui negant esse mortuum Mosen, Lorinus, non tantum in Cōmentario ad Devteronomium, sed & ad Epistolam Judæ *p. 359.* scribens: Rupertus refellit affirmantes, quod Moses non vere juxta proprietatem vocis mortuus sit, sed Dominus eum absconderit, & per nomen mortui absconsionem ejus, sive translationem debere intelligi, illud pro maximo argumento habentes, quod transfigurato in monte Domino, iste cum Elia loquens apparuit. Quomodo si translatus creditur sicut Enoch, & Elias istud non indignationis, sed dignationis, non iræ, sed magnæ gratiæ est. Citat verba Mosis dicentis, iratum sibi Dominum dixisse, fore ne transiret Jordanem, nec ingrederetur terram optimam, & alia his affinia, quæ ipsimet prius attulimus. Igitur quantiscunque quis, ait, è contrario nitatur argumentis, libere confirmamus, quòd sicut Aaron, sic & Mosen vere, & vera dispositione corporis, mortuus sit. Augustinus verò ex comparatione cum Joanne Apostolo, cujus corpus inventum non est, & mortuus tamen creditur communiter, bene infert, non sequi Mosen vivere, quia ignotum est sepulchrum ipsius. Patres verò laudatos quod concernit, ipsi Pontificii eos excusant, quòd mysticè loquantur: S. Hieronymus enim ait, Mosen ascendisse in cœlum, id est in cœlestem & perfectissimam vitam, & sanctitatem: in morte enim fuit sanctissimus, & exseruit admirabilem zelum & spiritum, ut patet ex Deut. Eodem modo potest Nyssenus explicari S. Ambrosius; verò videtur ludere allegoricè suo more, & velle tantùm, quòd Moses fuerit typus Christi à morte statim resurgentis, quodque mors Mosis ita in Scriptura narretur, ut ipse non tam mortuus, quàm translatus & immortalis fuisse videatur. Primò, in eo quòd narratur, non esse mortuus ex defectu virium. Secundò, quòd ab hominibus abreptus sit. Tertiò, quòd nesciatur ejus sepulchrum. Ex hisce enim potiùs translatus hominibus videri possit, quàm mortuus. Nam Ambrosium non negare, Mosen verè esse mortuum,

colligitur ex eo, quòd ibidem disertè doceat, Mosen esse resurrecturum. Hactenus de primo. *Secundum* conjecturam pro argumento promit, populum Judaicum citra causam accusat, quasi Mosen pro Deo habiturus fuisset, si sepuchrum innotuisset, Pontificios erroris arguit, qui cultum religiosum deferunt reliquiis, qui debetur Deo. *Tertium* specie fallit, quomodo enim credidissent Judæi illum esse Deum, qui mortuus, quique vivens ipsos informaverat dicendo, *Audi Israel, Elohenu Echad. Deut. 6. Non sint tibi Dii alieni coram Domino, vel præter ipsum Deut. 6. & Exod. 20.* quomodo probabitur? corpus ejus servasse splendorem, cum probabile sit, nè quidem per vitam omnem durasse, utpote non tantum inutilem, sed incommodum ordinariæ functioni. Exemplum de serpente æneo, premit Pontificios, non juvat, docet enim, quamprimùm etiam vel organa, vel Symbola sacra adhibentur ad cultum, displicere Deo, removenda esse ab illis, qui ad clavum Ecclesiæ sedent. Post captivitatem Babylonicam populum non fuisse ad Idololatriam pronum dicitur, non probatur, aliud colligitur ex Esræ nono & Nehemiæ capite tertio *Matth. 23. v. 3.* & si tam singularis fuit propensio in Idololatriam ante captivitatem Babylonicam, quæ cessavit post illam, cur Moses tam honorificè tractavit ossa Josephi, ut cultus etiam iisdem, juxta Pontificios fuerit delatus; cur ad ossa Elisæi emicuit miraculum, ut populus ad Religionem accenderetur, denique si Deus multis miraculis illustravit sepulchra, Esaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, cur non illorum meminit Scriptura? cur ad Hieronymum & Epiphanium itur, qui nituntur traditione? & posito aliquid extraordinarii contigisse circa recensitos Prophetas, quomodo ad ordinarium reliquiarum cultum concludetur? In Papatu autem non divinos honores deferri reliquiis, falsum est; annon enim implorant auxilia sanctorum, coramque illis jurant, per ipsos vota libant, illis genua flectunt? de quibus vide Abiaf Hod. *p. 167.* unde Cotturius *pag. 1175.* Sunt, qui docent, in papatu cœcos esse cœcorum duces, qui religiosum cultum propugnant; & populi Ruditas nota est, unde ipse Bellarminus agnoscit, quòd fuerint aliqui, qui Imagines, quid ni etiam reliquias, quasi Deos adorarint, nec cavere debuisset Azorius dicendo, informandam esse plebem rudem & ignaram, si occasionem arripiat superstitionis, Impietatis & Idololatriæ.

LII.

LII.

Utut autem fœditas hujus cultus transpareat, quæruntur tamen illi incrustando colores, sed evanidi; *Primus* petitur ex Scripturarum Exemplis. Moses enim discessurus cum populo ex Ægypto in Palæstinam, noluit ibi relinquere ossa Josephi jam dudum mortui, sed ea honorificè secum asportavit & transtulit in terram promissionis; non ergo novum neque superstitiosum, transferre ossa Sanctorum, ut Magdeburgenses in singulis centuriis clamant. *Exod. 13.* Deus ipse, ut Hieronymus contra Vigilantium argumentatur, Corpus Moysis honoravit, dum illud propriis manibus sepelivit, *Devt. ultimo.* Ossa Helisæi, cum tetigissent mortuum quendam hominem, continuò illum ad vitam revocarunt, *4. Reg. 3.* cùm Josias delubra Idolorum everteret, & omnem Idololatriam delere vellet, tantum abest, ut reliquias Sanctorum delendas esse existimaret, ut cum aliorum mortuorum ossa effodisset, & in cineres redigisset, ossa tamen sancti Prophetæ ibidem reperta asservari jusserit, *2. Reg. 23.* de Sepulchro Christi dicitur, quod futurum gloriosum, *Esaiæ 11. v. 10.* de Hæmorrhousa, quod fimbriam Christi tetigerit, & fuerit sanata, *Matth 9.* de umbra Petri, ad quam certatim accurrerunt homines, quod fidei præmium retulerint, *Act. 5.* de sudariis & semicinctiis Pauli, quod delata sint ad ægrotos, *Act. 19.* *Alter* est ex Conciliis & Patribus. Stare enim existimant pro illo cultu Concilium Nicenum secundum *Act. 3.* quod vocat reliquias fontes salutares & *Act. 7.* contemtum illarum prohibet. Gangrense *canone ultimo*, quod Anathema dicit iis, qui Memorias Martyrum execrantur. Concilium Carthaginense *5. Can. 14*, quod vult altaria dedicari, ubi sint reliquiæ Martyrum. Braccarense III. *Can. 5.* quod jubet thecam reliquiarum gestare Episcopos in supplicationibus. Eparnense quod *Can. 25.* præcepit reliquias Sanctorum non poni in Ecclesiis, ubi non sunt Clerici, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur. Moguntinum *Can. 51.* quod statuit, ne corpora Sanctorum de loco in locum transferantur sine consilio Episcopi & licentia sanctæ Synodi. Lateranense denique cavet *cap. 62.* ne novas reliquias ullus publice venerari incipiat, sine authoritate Summi Pontificis. Nubes quoque Patrum submittitur, Euseb. *lib. 7. Hist. cap. 15.* Athanasius *in vita Antonii.*

Basilius *in Psalm. 115.* Gregorius Nyssenus *oratione in Theodorum Martyrem.* Gregorius Nazianzenus *Orat: in Julianum.* Eusebius Enissenus *Homilia de Sancta Blandina*, Cyrillus Hierosolytanus *Catechesi 18.* Joannes Chrysostomus *sermone de sanctis Juventio & Maximo.* Theodoretus *lib. 8. ad Græcos de Martyribus*, Joannes Damascenus *lib. 4. cap. 16.* ex Latinis Ambrosius *sermone 93. de Sanctis Nazario & Celso.* Maximus *in sermone de sanctis Octavio Adventore & Solutore.* Gaudentius *tractatu de dedicatione Basilicæ.* Paulinus *natali tertio S. Felicis.* Hieronymus *in libro adversus Vigilantium.* Ruffinus *lib. 11. histor. cap. 28.* Augustinus *Epist. 103. ad Quintianum.* Author libri de Ecclesiasticis dogmatibus *cap. 37.* Leo *in sermone de S. Laurentio.* Gregorius *lib. 5. Epist. 50. ad Palladium.* Gregorius Turonicus *lib. 20. de Gloria Martyrum & Confessorum.* *Tertius* ex Miraculis factis ad reliquias, quæ certè non fierent, si Deo cultus reliquiarum non placeret, & quæ sæpe in ipsis Sanctorum mortuis corporibus cernuntur, per quæ Deus apertissimè nos ad eorum venerationem quasi invitare videtur, ut & ex inventione & revelatione divinitus factâ Sanctorum corporum, translatione reliquiarum de uno loco in alium, honoris gratia, ab antiquis celebrari solita; usu cereorum & lampadum, quibus honorantur sacræ reliquiæ. Addunt Pontificii rationem ab honesto, quia corpora Sanctorum fuerint organa animarum ad opus bonum, instrumenta Dei ad Miracula, pignora Patronorum, Exuviæ carissimorum, Trophæa triumphantium, designata ad gloriam incredibilem.

LIII.

Hæc tamen omnia itâ sunt comparata, ut si probè consideres, nihil concludant. Nam, generatim loquendo, omnia illa exempla non probant intentum, quia sunt singularia, & certis causis quibusdam fundata, nec conclusionem attingunt, quæ est de cultu reliquiarum religioso. In Specie *primò* Exemplum non quadrat Josephi; *tum* quia non Israelitæ sibi ex propria opinione & motu delegerunt ossa Josephi in transportationem, *tum* quia Josephus mandatum dedit de transportandis ossibus, imò per fidem obiens de egressione filiorum Israelis meminit, deque ossibus suis præcepit, *tum* quia utut fuerint translata, non tamen eo fine fuerunt exportata, ut Israelitæ illis cultum deferrent religiosum, sed quia terra Canaan

naan erat Symbolum Cœlestis hæreditatis, quapropter ad Exemplum Abrahami & Jacobi, Josephus voluit ossa sua ex Ægypto asportari in illam regionem sanctam, & Ecclesiæ Israeliticæ à Deo designatam. *Secundò* exemplum corporis Mosis inconvenienter producitur, nam *primò* si hoc volunt Pontificii, corpora Sanctorum non esse inhonestè tractanda, posse deferri illis cultum quendam honoris, non abnuimus, verùm religiosum illi propugnant, qui hoc exemplo stabiliri nequit. *Secundò* exemplum hoc potius contra Pontificios militat, neque enim Deus corpus Mosis prostituit publicè, sed abscondidit, sepelivit. *Tertiò* si ob *προφύλαξιν εἰδωλομανίας* Deus voluit Mosis sepulchrum absconditum, non intendit cultum illius religiosum, adorationem aut venerationem sanctam; prius autem nititur optimorum etiam Interpretum consensu, & testimonio Judæ, qui scribit, Michaelem Archangelum adversus altercantem disceptasse de Corpore Mosis, *versiculo nono*, scil. Diabolus volebat sepulchrum Mosis non occultari, sed notum esse, & pro hoc disputavit, verbo quidem, ut honori consuleretur tanti Prophetæ, reipsa autem, ut occasio esset Idololatriæ; & tandem ipsorum Pontificiorum Confessione, qui ideo censent fuisse absconditum hoc Corpus, quia populus Judæorum eo tempore propensissimus fuerit ad Idololatriam. *Tertiò* ossa Helisæi frustrà producuntur, *partim* quia nullus religiosus cultus illis fuit delatus, *partim* quia est planè extraordinarium, quod circa illa factum, *partim* quia non negamus, Deum honorare etiam ossa & corpora Sanctorum; num vero ipse prosequitur illa cultu religioso? vel si honorat & miraculis illustrat, propterea ad cultum religiosum destinat? quanquam & hoc disputari soleat, num per ossa illa patrarit miraculum Deus, & non potius ad illa, cumque Deus faciat miracula solus, illi soli cultus religiosus erit exhibendus. *Quartò* de ossibus Prophetæ Sancti quod dicitur, planè nihil ad nos, *tum* quia plus non sequitur quam hoc, ossa sanctorum non esse irreverenter tractanda, *tum* quia nullius cultus vestigium aut vola in loco allegato, *tum* quia potius contra Pontificios Exemplum hoc produci potest, quam pro illis; jussit enim Rex, ut relinquantur in sepulchro ossa illius prophetæ, non eruantur, non publice conspicienda exhibeantur, *ut constat ex versiculo decimo octavo*. *Quintò* in loco Esaiano nullum est præsidium;

 Nam

Nam *primò* non agitur de ſepulchro Chriſti, ſed de requie illius: in Ebræo enim eſt vox מנוחתו requies LXX. *ἀνάπαυσις*, per quam quidam intelligunt Eccleſiam Domum Dei, in qua habitat, conformiter *Pſalm. 132. v. 14.* *Secundò* non agitur de corpore Meſſiæ, ſed de ipſo Meſſia, & dicitur, ejus requiem fore glorioſam. *Deindè* poſito, quòd de Sepulchro & corpore Chriſti ſit accipiendus hic locus, non eſſet conſequens, ſepulchrum Chriſti eſt glorioſum, Ergo cultu religioſo proſequendum; nam etiam illa, quæ fueruntSymbola præſentiæ Divinæ, glorioſa dicuntur in Scripturis, nec tamen adoranda: Eccleſia dicitur glorioſa, *Ephеſ. 5.* num tamen religioſa veneratione extollenda? à Paulo verò non hic locus, ſed verſiculus antecedens citatur, qui nihil facit ad hanc Andromachen, nihil habet de ſepulchro Chriſti, cum plus non dicat Apoſtolus, quam Erit Radix Jeſſe, & qui exurgat ad imperandum gentibus, in ipſo gentes ſperabunt. *Sextò* fimbria veſtimenti Chriſti & umbra Petri, umbra ſunt & laciniæ. Nam Hæmorrhouſa tetigit fimbriam Chriſti, non adoravit, tetigit ita, ut fides illam ſervaverit, utique non in veſtem Chriſti, ſed in ipſum Chriſtum, in quo virtus divina reſidebat, intenta; Umbra Petri non commode inter reliquias refertur, quia reliquiæ ſunt mortuorum, umbra autem fuit Petri viventis; ſudaria & ſemicinctia non gaudebant virtute inhærente, ſed erant Symbola extraordinaria, quibus quandoque Deus tum temporis Eccleſiæ adhuc plantandæ ſuam voluit oſtendere virtutem.

LIV.

Alter arius ex Conciliis & Patribus hebeſcit; nam *primò* Concilium Nicenum impiè loquitur, dum non Canales, ſed fontes gratiæ, dicit reliquias, quod ſoli Chriſto convenit, unde etiam illud à Concilio Francofurtenſi fuit reprobatum. Gangrenſe nihil ad nos, qui non execramur memorias Martyrum. Carthaginenſe quintum pro nobis ſtat, dum ſuperſtitioni anſam præſcindit. Braccarenſe, Eparnenſe, Moguntinum, & Lateranenſe tanti non ſunt apud nos, utpote recentiora, ut aliquid in hoc puncto ſtabilire poſſint. Euſebius non loquitur de religioſa deveneratione; nec Athanaſius. Baſilius meminit gratiæ non inſidentis corpori ſed aſſidentis, & de cultu dilectionis loquitur, nec non celebritatem famæ, ut habent Græca,

Græca, commendat. Gregorius Nyssenus de cultu fraternitatis differit, & qui fiat, quod quandoque excessivum fuisse constat, recenset; Gregorius Nazianzenus declamat potius Rhetoricè quam seriò agit, & si accipiatur strictè illius effatum, non caret omni fallacitatis nervo. Eusebius Enissenus venerationem probat, modum illius non determinat. Cyrillus *in Catechesi, quam in Adolescentia scripsit*, hyperbolen adhibet. Chrysostomi locus censetur ab eruditis corruptus. Theodoretus figuratè loquitur, & de factis extraordinariis. Damascenus recentior est, & seculi sui erroribus assensit. Ambrosius Oratorio more honorem commendat, non cultum: consimiliter Maximus Gaudentius licentiosiùs justo perorat. Paulinus Poëta incerta prodit. Prudentius etiam imprudenter fudit carmen allegatum. Hieronymus affectu correptus invehitur in Vigilantium, & adorationis vocabulum laxè usurpat. Ruffinus de perlatione reliquiarum ad Patrem Philippum, non cultu loquitur. Augustinus convenientem honorem probando religiosum non admittit. Author libri de Ecclesiasticis dogmatibus, non Martyrum reliquias corpori Christi exæquat, sed dicit: atq; sic membra Christi sincerissimè honoranda credimus. Leo Oratorem agit, nec cultus religiosi meminit. Gregorius superstitioni invalescenti tum temporis patrocinatur. Gregorius Turonicus, Beda & Bernhardus non stringunt, quia in illa tempora inciderunt, in quibus à sinceritate cultûs multûm recessum fuit.

LV.

Tertium totum imbelle est; nam *primò* non consequens est, Miracula facta sunt ad reliquias; Ergò Deus illarum cultum religiosum probat; Miracula enim etiam facta ad piscinam, propè Bethesdam, nec tamen Deus voluit hunc locum religiosè coli. *Secundò* Epiphanius *in vita Esaiæ, Ezechielis & Jeremiæ* fabulosissimus est, nec liber ille est Basilii, sed fœtus subventaneus; Basilius figuratè loquitur, ut & Nazianzenus. Palladii Historia commentum est, non veritatis effigies. Hieronymus colores oratorios adhibet contra Vigilantium & Hyperbolicè loquitur. Augustinus nihil nisi miracula facta ad reliquias Stephani brevissimo tempore esse asserit, ut & Sulpitius Severus; nullus autem religiosum cultum probat. *Tertiò* omnes illi Scriptores, qui adducuntur, sunt infra tempora Con-

Constantini Magni, nec priorum trium seculorum, in quibus Virgo Ecclesia oculos nondum circumtulit ad alios, præter Sponsum suum Christum. Quod opponitur *porrò* in ipsis Sanctorum corporibus visa fuisse miracula, non conducit ad invitationem religiosæ venerationis. Secundus Chrysostomus comparat vultum Juventii & Maximi cum vultu Stephani viventis. Hieronymus scribit corpus Hilarionis fuisse repertum post decem menses integrum, non autem in hunc finem, ut adoraretur. Pariter de providentia circa corpus Vincentii loquitur Augustinus, non cultu. Sulpitius hyperbolica oratione sua exponit, ut & Bonaventura. Quod additur de Revelatione divina corporum, non est liquidum; potuit enim inveniri unum & alterum corpus humanâ arte & industria; potuit Diabolus se transformare in Angelum lucis, & ostendere ea, quæ novit cessura in superstitionem. Sanè ante Ambrosium nihil habetur de istiusmodi revelationibus, nec si facta probarentur, cultus confestim esset stabilitus. Quod *ulterius* urgetur, translata fuisse corpora, nil probat præter translationem, & actus quosdam in sequioribus seculis: translatio λειψάνων seu reliquiarum Petri & Pauli est furtiva, teste Baronio. Hieronymus dicit, cæteri translationis mentionem injiciunt, non adorationis. Quod ingeminatur de reliquiis sub altaribus reconditis, non probat cultum sed honorem, vel præservationem ab Ethnicorum ferocia, probat rem facti non juris, probat Memoriæ monumentum, non Religionis fundamentum. Quod ex cereis accenditur, lumen debile est, ex ipso Hieronymo extinguitur, qui scribit adversus Vigilantium, cereos non clarâ luce accendimus, sicut frustra calumniaris: Sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cœci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui propter imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum, de quibus verè possumus dicere, Confiteor, zelum Dei habent sed non secundum scientiam, hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis? Vita Sylvestri fabula est: cætera cereorum & lampadum usum, non cultum reliquiarum, stabiliunt. *Denique* quod concluditur, corpora Sanctorum fuisse organa animarum, probat honoranda esse ea Instrumenta Dei probat ad miracula, extraordinariè fuisse adhibita nec tamen adoranda, quia & viva debuissent adorari,

rari, pignora patronorum esse reliquias negatur. Exuviæ charissimorum cultum non fundant. Trophæa triumphantium Triumphum largiuntur, non annexam venerationem religiosam: designatio ad gloriosam resurrectionem, adorationem non infert, ni velimus, omnes electos adorandos esse, statuere.

LVI.

Eminet inter reliquias Crux Christi, de qua sententiam Pontificiorum referre juvat. Describunt verò *primùm* illi crucem ratione figuræ, quod scilicet ex tribus lignis facta sit, quorum unum fuerit longum, cui corpus adhœserit, alterum transversim superpositum longo, cui affigebantur manus, tertium in ligno longo, ut in eo pedes crucifixi starent, & claves figi possent; probantque ex Irenæo *lib. 2. cap. 42.* scribente: Habitus, id est, figura Crucis fines & summitates habet quinque, duas in longitudinem, duas in latitudinem, unam in medio, in qua quiescit, qui clavis figitur; nec non ex Justino, *qui idem habeat in Dialogo cum Tryphone ultra medium.* Addunt, utrum lignum transversum fuerit superpositum ligno longo, ita ut non emineret lignum longum, sensum versus non esse certum; nam Beda in quæst. in Genes. ubi de victoria Abrahæ loquitur, dicit, crucem similem fuisse literæ Græcæ T, qualem etiam fuisse olim Hebraicum Thau, docet Hieronymus in cap. 9. Ezech. At B. Augustinus epist. 120. cap. 26. dicit, lignum longum eminuisse supra transversum: Et hoc est probabilius; nam est conformius verbis Irenæi, & verbis Apostoli ad Ephes. cap. 3. ubi alludens ad figuram crucis, nominat sublimitatem, profunditatem, longitudinem, & latitudinem. Porrò, qui dicunt, crucem fuisse similem literæ Thau, dicunt verum, quia parum differebat. *Secundò* observant, Veteres aliquid Mysterii gratia addidisse, quod etiam nunc ex parte servatur. Nam lignum longum producebant sursum versus, & flectebant ad modum baculi pastoralis, ut referret literam Græcam P, paulò inferiùs apponebant duo ligna transversa ad similitudinem crucis S. Andreæ, quæ referrent literam Græcam X, ita ut duæ illæ literæ per abbreviationem significarent Christum; infra illum ponebant lignum transversum, quod verè perficit crucem, & inde pendebat velum expansum; infra lignum transversum erat lignum longum in similitudinem hastæ; ad infimam partem addebant capulum ad

commoditatem gestandi. Hæc omnia significabant, crucem esse vexillum Imperatoris Christi; nam crucem testabatur ipsa figura: Christi nomen indicabant duæ literæ X & P: vexillum, ex velo, hasta, & capulo dignoscebatur. Vide Joannem Pierium Valerianum de signis hieroglyphicis, lib. 50. & Primasium lib. 4. in Apoc. ubi hoc ipsum signum vocat monogramma & signum Christi. Tale ferè fuit & labarum Constantini. Nam ut Eusebius refert lib. 9. hist. cap. 9. labarum, quod ante Imperatores gestari solebat & à militibus adorari, Constantinus in formam crucis redegit, sic tamen, ut etiam vexilli formam non amitteret. *Tertiò* notant, modum crucifigendi communem non fuisse funibus alligando, sed clavis figendo. Pictores ferè solent solum Christum depingere clavis affixum; latrones autem, & S. Petrum, atque Andream funibus; sed non ita est; omnes enim clavis figebantur, immò & omnes crucem suam ferebant, omnesque antea flagellis cædebantur. Vide Plutarchum de tarda Numinis vindicta; Marcum Tull. 7 in Verrem; Nonium Marcellum, in verbo Patibulum, qui sic ait: *Deligati ad patibulum circumferuntur, deinde crucifiguntur*. Macrobium lib. 1. Satur. cap. 11. Josephum lib. 6. de bello Judaico, cap. 12. & in vita sua. Adde, quod ideo dubitabatur, quænam ex tribus repertis crucibus, esset crux Dominica, quia omnes tres habebant similia foramina, & clavos &c.

LVII.

Invehuntur etiam in illos, qui adorationem crucis improbant, & hæresin vocant sententiam Claudii Taurinensis, qui præter cæteras imagines crucem Domini execratus fuerit, teste Jona: Paulinianos, qui idem docebant in Oriente eodem tempore, taxant: Petrum Bruis & Henricum, qui circa annum Domini MCXXX, cultum impugnarunt cum Bogonite in Oriente ὁμοψήφῳ Erronibus accensent, & tandem progrediuntur ad Wiclefistas, ad Calvinum & Centuriatores, eosque ob religiosæ adorationis negationem, quasi cruci esset debita, reprehendunt, posterioresque mendacii accusant, etiam quod usum signi crucis, seculo quarto novum fuisse scripserint, cùm Tertullianus jam seculo secundo, *libro de Corona militis*, usum signi crucis indicet, & ut deflectant à Veritatis regia, quantum ad temporis designationem, ita quoque quantum ad Authorem,

rem, qui non fuerit Sergius Papa, ut illi opinantur, utpote qui sederit Anno Domini D C LXXXVIII. Cùm meminerit adorationis & exoſcultationis crucis Evagrius *libro quarto cap. 26.* qui ſit centum annis Sergio antiquior, & Hieronymus *in Epiſtola ad Marcellum, ut migret Bethlehem.*

LVIII.

De cruce autem *tripliciter* loqui poſſumus, *vel* de illa, in qua Chriſti corpus pependit, quæ, juxta illos, propter contactum ſacri corporis & ſanguinis, inter pretioſiſſimas reliquias habenda vel tota, vel in particulis quibusdam; *vel* de conſimili ad illius figuram expreſſa, fuſa, ſculpta vel effigiata quocunque modo; *vel* denique de illa, ut manu in fronte, tanquam ſignum, vel etiam arte, vel ſuper quascunque res digito pingitur. *Primo* quidem modo pertinet, ut jam indicavimus, ad reliquias, *ſecundo* & *tertio modo* ad Imagines, non diffitentibus ipſis Pontificiis Scriptoribus.

LIX.

Evertit autem cultum crucis Primum Præceptum, cui inhæremus; *ſi* enim non niſi Deus adorandus & religiosè colendus, *ſi* ex contactu nihil concluditur, *ſi* denique crux neque honoris neque ignominiæ per ſe capax, utique religioſo cultu non erit proſequenda. Atqui prius eſt, ergo & poſterius. Connexio Majoris probatur, ſi enim ſolus Deus religiosè colendus, ſi indiviſibilis eſt affectus pietatis inter Creatorem & Creaturam, lignum ſanè illud, in quo pependit Deus, non erit adorandum; ſi contactus nihil facit pro cultu, fruſtrà ille ut medium, ex quo concludatur, in medium adducitur; Si denique crux ipſa utriusque non eſt capax, tam honoris quam ignominiæ, illi, ut incapaci, multò minus deferendus erit cultus religioſus. Minor propoſitio iterum evidens; Solis quippe radio *primò* ſcriptum eſt, non habebis Deos alios vel alienos coram me, aut etiam præter me, nec quicquam Deo magis adverſum, quam ſi in venerationis partem adſciſcatur Ens quoddam extra ipſum. *Secundò*, ſi contactus facit, ut crux ſit adorabilis, quid dicendum de aſina Chriſti, quam inſedit tendens Hieroſolymam? quid de labiis Judæ proditoris, quæ contigerunt os Domini oſculando? Quid de Manu ſervi illius vel militis, qui Dominum tetigit, cùm alapam eidem inflixit? *Tertiò*, ſi crux eſt res indifferens ſuâ naturâ, utique neque honoris

honoris neque ignominiæ erit capax, & consequenter nullo cultu prosequenda, ut quidem in Papatu quotidie contingit.

LX.

Dices tamen *primò* ex mente Pontificiorum, non esse absurdum, cultu quidem non illo, qui summo debeatur Enti, prosequi Crucem Christi; inferiori tamen, qui in adoratione & exosculatione illius consistat, tanquam Instrumenti Passionis Dominicæ. *Secundò* dispparem esse rationem Crucis & Asini, labiorum Judæ & manuum, quæ Christum depalmarunt, aut etiam occiderunt. Crucem enim elegisse Dominum, & amanter amplexum esse, ut rem innoxiam, deservientem Redemtioni; at labia Judæ & manus impiorum Christum non elegisse, nec amasse, sed execratum fuisse, ut res impias & sceleratas; nos autem tantùm illa debere amare & honorare, quæ Dominus amavit & honoravit. *Tertiò* cruci utique injuriam inferri posse sive ignominiam, quemadmodum ante aliquot annos factum Raccovii in Polonia, Studiosis enim sævientibus in lignum Crucifixi erectum & dejectum, raptantibusque per plateas, Uladislaus non sine severà animadversione illud transmisit.

LXI.

At hæc omnia nondum Argumenti propositi nervum petunt, nec quicquam faciunt pro Pontificiorum sententia erronea. Nam *primò* cultus inferior religiosus fingitur, cum non nisi unus detur, *ut supra ostensum:* Adoratio etiam, sive species cultus Divini, nemini nisi Deo deferri debet. Ut non dicam, inter Sophistas adhuc controversum esse, num latria, an verò dulia cruci conveniat? Thomas sanè latriam vult exhiberi, scribens *3. parte quæst. 25. Art. 4.* quem sequitur Gretserus *lib. 1. cap. 46.* Si in lege fuerunt signa crucis venturæ: ergo & in Evangelio esse debent ejus imagines. At verum prius. Ergo & posterius. Probatur assumptum ex æneo serpente, Numerorum 21. qui jussus est suspendi in vexillo: fiebant autem olim vexilla in formam crucis, ita ut lignum, ex quo velum penderet, alterum secaret, ut Romanorum Labara. Quin Justinus Martyr, in Apologia, testatur, à Mose serpentem erectum in formam crucis. Franciscus verò Salesius per distinctionum spineta progreditur, & ita determinat: Olim fuisse Christianos appellatos Religiosos crucis, neque id Christianos nomen aversatos. Ergo Chri-

Christianis in usu fuisse imagines crucis. Consequentiam probat, quia non potuissent id exprobrare, nisi vidissent cruces apud Christianos. Denique Justini testimonium & Athanasii Salesius adhibet. Nam cum ostendisset, absque figura crucis nihil fieri: trophæaque & fasces accedere ad similitudinem crucis, consecrari etiam Imperatorum denatorum imagines hac figura: tum denique Justinus, Quoniam igitur, inquit, bonis rationibus, ductis ab ipsa figurâ, hæc eadem vobiscum, quantum possumus, facimus, jam deinceps erimus absque culpa. Quæ verba fideliter expressa sunt ex Gallicis Salesii. Athanasius autem ad Antiochum *quæst. 41.* ita habet: Quare credentes omnes ad crucis imaginem cruces facimus, lanceæ verò sanctæ, aut arundinis, aut spongiæ, figuras nullas conficimus, cum tamen hæc tàm sint sancta, quam ipsa crux? Figuram quidem crucis ex duobus lignis compingentes conficimus, ut si quis infidelium id in nobis reprehendat, quod veneremur lignum, possimus duobus inter se disjunctis lignis, & crucis dirempta forma, ea tanquam inutilia ligna reputare, & infideli persuadere, quod non colamus lignum, sed quod crucis typum veneremur. In lancea verò aut spongia, vel arundine, nec facere hoc, nec ostendere possumus. Cum ergo fateatur Athanasius, omnes ejus temporis fideles fecisse cruces ligneas, non est verisimile, Constantinum ejus rei primum autorem fuisse. *Secundò* posito *primò*, disparitatem esse aliquam inter crucem & labia Judæ, nec non manus impiorum, quantum ad Electionem, quid fiet de Asina, quam Christus sibi elegit ad ingressum regium, quam jussit solvere Apostolos, & sibi adducere? *Secundò*, si ideo labia Judæ non sunt adoranda, quia Christus illa non elegit, non ex contactu firmum ducetur Argumentum, quo tamen Pontificii nituntur pro adoratione, sed ex electione, quia sibimet elegit crucem, non autem elegit vel labia Judæ, vel manus improborum. *Tertiò* frustra hoc omne dicitur, nam vel de electione ad agendum, vel de electione ad patiendum est sermo: non de priore, ut constat per se, neque enim Christus elegit crucem ad agendum, sed ut in illa pateretur; si verò sermo de electione ad patiendum, non absurdè dici potest, Christum voluisse etiam labia Judæ eligere, ut ab illis pateretur, & osculo illo proderetur: voluisse eligere manus impiorum, ut ab illis vinciretur, occideretur, non quidem electione anteceda-

nea prædeterminatrice ad actus peccaminosos, sed supposita voluntate creata in Juda & militibus: electione ad sustinendum per patientiam, quod inferendum ab Impietate; *Præterea* an non etiam labia Judæ deservierunt redemtioni? & quamvis crux fuerit res innoxia, fuit tamen inanimata; Judas verò ille, quem dignatus Christus fuit ad Apostolatum assumere, fideliter instruere, atque donis Spiritus S. ornare. *Denique* annon possent Jesuitæ pariter salvare labia Judæ, ut Crucem, distinguendo inter illa absolutè talia, & relativè considerata? ut cum absolutè loquendo crux lignum est, relativè verò propter contactum, & ut Instrumentum passionis, cultus religiosi objectum: sic quoque labia Judæ possent ab ipsis removeri, si absolutè spectentur; coli autem, in quantum attigerunt faciem Christi, Instrumentaq; tum fuerunt passionis Dominicæ. Et sanè ita Vasquez pronunciavit *Disp. 3. p. 113. cap. 6.* ubi his argumentis pressus, concedit, omnes lanceas, omnia spineta, omnia præsepia, omnes virgas, omnes asinos, ipsa & labia Judæ, tam in se quam in suis picturis, posse jam privatim sincera fide & recta intentione adorari, propter honorem lanceæ, spinarum, præsepii, virgarum, asini, & labiorum, quæ tetigerunt Christum: & eadem etiam, si publicè in illum finem proponerentur, posse publicè adorari. *Tertiò*, quod de ignominia crucis dicitur, *primò*, non concludit; non enim confestim sequitur, si res aliqua ignominia affici possit, etiam capacem esse cultus cujusdam, & quidem religiosi. Possunt statuæ Imperatorum & Principum despui: nec tamen propterea Cultus objectum sunt, etiamsi vilis, multò minus religiosi. *Secundò* crucem posse ignominia affici, si propriè loquamur, negamus; nam ignominia non cadit, nisi in Creaturam aliquam intelligentem & animatam; Crux verò non est sentiens animata vel rationalis; ut itaque non potest illi inferri injuria: ita nec ignominia; ut non cadit in brutum, quod tamen vivit & sentit, injuria propriè sic dicta: ita multò minus in crucem, & consequenter nec Ignominia. *Tertiò*, posito, quod crux aliqua ratione sit ignominiæ & honoris capax, quanquam sit nec laudis nec vituperii Subjectum, quis tamen propterea ad illum cultus gradum progredietur, & tribuet illi adorationem, soli Deo debitam?

LXII.

Priusquam verò discutiamus argumenta Pontificiorum contraria, hypotheses supra adductas examinare lubet. Ponamus *primò*, crucem constitisse tribus lignis, ipsi tamen Pontificii agnoscunt, figuram illius esse dubiam: at si fabricent ligneas, lapideas, æreas, argenteas vel alias quascunque cruces, nec de Exemplari constat, quomodo adorabunt, quod nesciunt conforme esse suo prototypo? videantur Gretserus, Lipsius, Veltrenus & alii. *Secundò*, si crux facta ex quatuor generibus lignorum ex cedro, pinu, cypresso, & buxo, cur non distingui potuit facilè à latronum Crucibus? Num enim etiam latrones suffixi sunt cedrinis & cupressinis crucibus? num servi fugitivi Judicium capitale tanto voluit dignâri honore? Si ex piscina eruta Crux, quomodo inventa ab Helena in Monte Golgatha. Si vero inventa hæc sunt, videmus, quam parum præsidii sit in veterum etiam relationibus. De cruce, *tertiò* Sulpitius Severus *lib. 2 Historiæ p. 142.* ita scribit: Ejusdem Reginæ, Helenæ scil., Beneficio Crux Domini tum reperta: quæ neque in principio obsistentibus Judæis potuerat consecrari, & postea dirutæ civitatis oppressa ruderibus, non nisi tam fideliter requirenti meruit ostendi. Igitur Helena primùm de loco passionis certior facta, admota militari manu, atque omnium provincialium multitudine in studia reginæ certantium, effodi terram & contigua quæque ac vastissima ruinarum purgari jubet: mox pretium fidei & laboris tres pariter cruces, sicut olim Domino ac latronibus duobus fixæ fuerant, reperiuntur. Hic vero major dignoscendi patibuli, in quo Dominus pependerat, difficultas omnium animos mentesque turbaverat, ne errore mortalium forsitan pro cruce Domini latronis patibulum consecrarent. Capiunt deinde consilium, ut aliquem recens mortuum crucibus admoverent. Nec mora, quasi Dei nutu, funus extincti solennibus exequiis defertur, concursuque omnium feretro corpus eripitur. Duabus prius frustra crucibus admotis, ubi Christi patibulo attactum est (dictu mirabile) trepidantibus cunctis, funus excussum inter spectatores suos astitit: Crux reperta, dignoque ambitu consecrata. Sed quis non videt luculenta fabulæ vestigia? Dicit Sulpitius, inventam fuisse crucem Domini Beneficio Reginæ Helenæ. At quî fit, quòd Eusebius Cæsariensis,

qui

qui σύγχρονος Constantino M., qui res & facta hujus Imperatoris exactè novit, qui alia & quidem minora annotavit, hic sileat? ubi loquendum, calamum non urgeat sed sistat? quanquam enim in Chronico illius aliquid deprehendatur, quod favet, non tamen illud est Eusebii sed Impostoris, manu sua temerantis & fœdantis aliena. Dicit, crucem ab initio, obstantibus Judæis, non potuisse consecrari. At recte quærit Salmasius: cur priores Christiani, & qui temporibus Apostolorum, aut successorum eorundem, uno & altero seculo vixerunt, crucem Dominicam non servarunt & coluerunt? Cur siverunt eam deperire? Cur adeo neglexerunt aut oblivioni tradiderunt, ut non curarint, ubi esset? Nec valet exceptio, Judæos obstitisse. Nam æque facile eam impetrare potuerunt discipuli Christi, ac corpus ipsius ad humandum acceperunt. Obstitisse Judæos, fingitur non probatur. Dicit, crucem dirutæ civitatis oppressam ruderibus non nisi tam fideliter requirenti meruisse ostendi, quod iterum egregiè discutit Salmasius, scribens: Ut fabulæ huic verisimilitudo aliqua quæreretur, finxerunt historici, qui eam afferunt, priscos gentiles, odio Christianorum, eum locum aggesta humo in magnam altitudinem extruxisse, muro undique circumdatum, ac superstructo Veneris fano. Quæ omnia falsa sunt. Nam quomodo in ruderibus & aggesta terra fundamentum solidum templi ponere potuerunt? Deinde potius locum & faciem supplicii non vallassent, ut constaret, qualem Deum colerent Christiani. Sicut sæpe à gentilibus fuit ipsis objectum, quod latronem & cruciatum pro Deo haberent. Et cui verisimile fiet, post trecentos & amplius annos, crucem domini, ruderibus per illud omne tempus coopertam, & in terra defossam, non computruisse? Si ad miraculum recurrent, quid dicent de crucibus latronum, quæ eandem habuisse dicuntur prærogativam? Sed hæc prolusionis loco; nam pergit, contigua quæque ac vastissima ruinarum jussisse Helenam purgari; quasi tanto labore opus fuerit, ut etiam contigua & vastissima quæque ruinarum purgarentur, cum locus crucifixionis fuerit notissimus; pretium fidei & laboris tres Cruces, sicut olim Domino & latronibus fixæ erant, repertas fuisse ab Helena; at quî non plures? cum non credibile, post Salvatoris crucifixionem hoc in loco, non aliis

aliis etiam erectos fuisse stipites infames, qui non novi, veteribus submotis aut sponte sua corruentibus, quæ non sola crux Salvatoris: num tali actu providentiæ quoque dignæ fuerunt latronum cruces, ut incomputribiles per tot annos, imò secula conservarentur? Rectè Salmasius: Locus ille, in quo Dominus crucifixus, hujusmodi supplicio destinatus fuit. Inde & nomen Golgatha. Quilibet cruciarius suam crucem portabat. Ergo sublato cruciario, ipsa crux tollebatur. Si ergo plures, post Christum & duos latrones, ibi crucifixi, aut eorum cruces simul inde remotæ sunt, aut omnes relictæ. Si relictæ; cur tres tantum ibi repertæ? Si remotæ omnes, quomodo latronum illorum & Christi crux ibi servata, cum mos esset omnes removeri, quo novis crucifigendis locus pateret? usq; ad Constantinum, per ccc. annos, supplicium hoc duravit. Si semper in eodem loco sumptum supplicium, quam vanum illud, de tribus tantum ibi crucibus repertis, commentum? Cum urbs à Tito obsessa & capta, an probabile est, cruces illas ibi stetisse salvas? an aliquo casu, Deo ita providente, ut conservaretur crux sua, tres illæ cruces terra opertæ latuerunt? Cur igitur duæ reliquæ sunt conservatæ, & non unica illa? Cur opus fuit miraculo ad eam discernendam à reliquis duabus? At si crux ex quatuor lignis, ut supra produximus testes, tanta difficultas non fuit, quanta fingitur à Severo; si consilium ceperunt, ut aliquem recèns mortuum crucibus admoverent, annon fuit hoc tentare Deum, petere signum, cujus nullam habuerunt promissionem? si funus excussum, id est, homo resuscitatus signum fuit, hanc præ cæteris fuisse crucem genuinam, quomodo potest illud consistere, quod Chrysostomus Ambrosius & alii asserunt, ex titulo fuisse agnitam crucem Christi, & à cæteris discretam? nihil tale, scribit Salmasius, in Ambrosio, qui ex titulo veritatem rei deprehensam dicit. Unde subjicit: invenit ergo titulum: Regem adoravit, non signum utique: quia hic gentilis est error, & error impiorum: sed adoravit eum, qui pependit in ligno. Hoc est invictum argumentum pro falsitate hujus inventionis. Nam cur non & reliqui duo tituli inventi sunt latronum crucibus appensi? Nunquam enim factum more Romano, ut aliquis nocens ullo supplicio affectus fuerit sine elogio, quod erat judicium criminis. Non meminere elogii latronum Evangelistæ,

qui obiter eorum supplicium referunt. Sic nec exponunt causam supplicii aut sententiam judicis. Cæterum illi tituli æque debuerunt inveniri, ut ipsæ eorum cruces tum repertæ sunt. Socrates refert τὴν τοῦ Πιλάτου σανίδα repertam fuisse. Sed cum tres cruces essent, dubitatum, cui conveniret titulus. Rem ambiguam, consilio, quod sequitur, Macarii Hierosolymorum Episcopi expeditam: Sozomenus clare: χωρὶς ἄλλο ξύλον ἐν τάξει λειψάνου repertum. Hinc dubitari cœptum, quia cruces confusæ, esse ergo vel omnes eadem forma, & ex eodem ligno; vel falsum esse, solam Christi crucem cedrinam & cupressinam fuisse.

LXIII.

Alterum suppositum de Labaro Constantini M. multa habet, quæ examine digna; nam quæ veteribus potestas ita immutandi formam crucis, cum ut res semel fuerint effigiatæ, debeant manere, nec in alias mutari formas, quæ tandem ipsum prototypum abolent? quomodo potest probari, ita fuisse figuratum labarum Constantini M.? quomodo probari poterit Constantinum M. vidisse formam Crucis, in aëre, & quidem ita verè effigiatam, & non nominis Christi? nam obvia facta fuit oculis litera Græcorum ρ inserta literæ χ quæ Christum notat, & ἐν τούτῳ vincere jussus est Imperator. Ita precanti, scribit Eusebius lib. 1. in vita Constantini Cap. 22. 23. 24. 25, obnixeque flagitanti visio quædam divina & imprimis admirabilis apparuit, quam si quis fortè alius dixisset, non tam facilè potuisset hominibus persuadere. Verum cum Imperator ipse victor, nobis ipsis, qui hanc historiam jam literis persequimur, longo tempore post, cùm notitia eramus & familiari colloquio ab eo dignati, narraret & sermonem jurejurando confirmaret, cui dubium esset poterit, quin sit rei ita commemoratæ fides omninò adhibenda, præsertim cum tempus postea consecutum ratum orationi testimonium dederit. Cum jam sol ad medium cœli ascendisset, die in pomeridianum tempus paululum inclinante, dixit, se crucis signum, ex lucis splendore figuratum, in ipso cœlo soli imminens, manifestò oculis adspexisse, inque eo inscriptionem consignatam, quæ hæc verba complecteretur: In hoc vince. Admiratio ingens ipsum & totum exercitum, qui eum quopiam iter facientem comitabatur, atque adeò hujus prodigii spectator factus erat,

erat, inceſſit. Se dubitatione admodum intra ſe diſtrahi, quid tandem oſtentum illud ſibi vellet, aſſeruit. Atque eum diu multumque de eo cogitantem oppreſſit nox. Ibi ei dormienti Chriſtum Dei cum ſigno in cœlo monſtrato viſum eſſe, præcepiſſeque, ut exemplari ad imitationem illius ſigni, quod in cœlo apparuerat, fabricato, eo tanquam præſidio in præliis cum hoſtibus committendis uteretur. Ille, ſimul atque dies illuxit, ſurgens, primùm arcanum illud viſum amicis exponit, deinde artificibus, qui aurum & lapides pretioſos affabrè ſculpere norant, accerſitis, medio inter illos loco aſſidet, verbis ſigni deſcribit effigiem, eam auro & lapidibus pretioſis imitatione adumbrari mandat. Quam quidem effigiem contigit, ut nos olim oculis contemplaremur. Ipſe enim Imperator, Deo illud largiente, eam nobis oſtendere dignatus eſt. Erat autem tali figura fabricata: Haſtile oblongum erectumque auro undique obductum fuit: quod cornu habuit transverſum ad formam crucis conſtructum. Supra in faſtigio ipſius operis corona affixa, lapidibus pretioſis & auro politè circumtexta: In ea ſalutaris appellationis Servatoris nota inſcripta, duobus ſolum expreſſa elementis, id eſt, duabus primis literis nominis Chriſti (erat enim litera ρ, in ipſo medio literæ χ curioſè & ſubtiliter inſerta) quæ totum Chriſti nomen perſpicuè ſignificarunt, quas quidem literas deinceps ſemper Imperator in galea geſtare conſuevit. Ad cornu illius particulæ, quæ ex transverſo erat per haſtile trajecta, velamen quoddam pertenue appenſum adhæſit, regalis videlicet & pertenuis textura, mirabili varietate lapidum pretioſorum artificioſè conjunctorum, lucisque ſuæ claritate pulchrè reſplendeſcentium depicta & multo auro intertexta, quæ dici non poteſt, quantam ſpectatoribus ob ſuam pulchritudinem excitaret admirationem. Iſtud igitur velamen ad cornu affixum, longitudinis, latitudinisque crucis menſuram penitus exæquavit. Oblongum verò & erectum haſtile in ſublimi appenſum, cujus pars inferior verſus baſin longius ducta fuit, ſub ipſum crucis inſigne, ad texturæ diſcurrentis fimbrias, auream pii Imperatoris ac liberorum ſuorum effigiem, ad pectus uſque deſcriptam, continuit. Iſto igitur ſalutari ſigno Imperator, tanquam hoſtilis cujuſque & infeſtæ violentiæ propugnaculo ſemper uſus eſt. Cujus expreſſæ ſimilitudines mandavit, ut univer-

ſum exercitum perpetuò antecederent. Prudentius victoriam iſtam celebrat verbis ſequentibus:

Teſtis Chriſticolæ Ducis adventantis ad urbem
Milvius, exceptum Tiberina in ſtagna Tyrannum
Præcipitans, quanam victricia viderat arma
Majeſtate regi, quod ſignum dextera vindex
Prætulerit, quali radiarint ſtemmate pila.
Chriſtus purpureũs gemmanti textus in auro
Signabat Labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis Crux addita criſtis.
Ipſe Senatorum meminit clariſſimus ordo
Qui te concreto præceſſit crine, catenis
Squallens carceris, aut nexus compede vaſtâ,
Complexusque pedes victoris, ad inclyta flendo
Procubuit vexilla jacens. Tunc ille Senatus
Militiæ ultricis titulum, Chriſtique verendum
Numen adoravit, quod collucebat in armis.

LXIV.

Tertia hypotheſis de Modo nihil confert ad ipſum principale Argumentum; interim notamus, *primò*, certum eſſe Chriſtum clavis affixum cruci. *Secundò*, quamvis de latronibus hoc non conſtet ex Hiſtoria Evangelica, morem tamen fuiſſe apud Romanos receptum; unde Seneca *de vita beata cap.* 21. cum refigere ſe crucibus conentur, in quas unusquisque veſtrum clavos ſuos ipſe adigit. Et Artemidorus l. 2. c. 58. inquit: Ex lignis & clavis crux confecta eſt. Inde, quod Lipſius l. 2. c. 8. de Cruce p. 659. notat: crucifixio dicta eſt προσήλωσις, quaſi, clavifixio: quod etiam Ulpianus explicat, ut προσηλοῦν ſit cruci affigi clavis. In hac ſententia plerique ſunt Patres, qui, Chriſtum clavis cruci affixum eſſe, contendunt. Quot clavis autem, tribus ne an quatuor crucifixus fuerit, diſſentiunt inter ſe nonnulli. Gregorius Turonienſis quatuor clavos ſtatuit, duo affixi ſunt in palmis: duo in plantis. Eum ſecutus eſt Johannes Toletus, Baronius ad Ann. 34. n. 114. ait: de Chriſto Domino antiquiores imagines quatuor ipſum affixum clavis repræſentant, nempe ſeorſim ſingulis pedibus ſingulis affixis clavis. Sed aliam ſententiam de tribus clavis recentior

tior probavit usus. Scaliger in Animadverſ. Euſebian. ſtatuit, binos crucifixorum pedes binis clavis fuiſſe affixos. Quam opinionem ſequitur Drexelius part. 2. c. 7. p. 237. Deliciar. Gen. Human. quando ait: duos pedes duobus clavis ſcabello ſuppedaneo affixos, idque ex more & ritu Romano factum. Et dicunt, Treviris aſſervari clavum, qui dextro pedi fuerit impactus. Lipſius in Notis ad l. 2. c. 9. p. 682. de Cruce. De illis quatuor clavis ſcribunt, quod unus in mare Hadriaticum fuerit projectus ad ſedandas adverſas tempeſtates, & cavenda frequentia naufragia, quæ ibi fiebant: Duo clavi in frœno ſint aptati à Conſtantino, quò facilius, ſi adverſæ gentes reſtitiſſent Principi, hac virtute fugarentur: Quartus defixus ſit in capite ſtatuæ Conſtantini. Gregorius Turonienſis & ex eo Voſſius l. 2. c. 7. p. 287. Harm. Evang. Interim *Tertiò* hoc quoque admittendum, non Univerſalem fuiſſe hunc Modum. Lucanus enim meminit alligationis, cum agit de Theſſala Maga, quæ cruciariorum reliquiis uſa fuit ad artes ſuas. Nec Hilarius *libro de Trintate* abnuit, qui & clavorum & alligationis moleſtiam conjungit. Lucanus de Magâ Theſſalica: Laqueum nodoſque nocentes Oreſno rupit; pendentia corpora carpſit, Abraſitque cruces, lib. 6. Pharſaliæ. Laqueus nodique nocentes ſunt vincula, quibus nocentes & ſupplicio publico damnati religabantur ad crucem. Paulò poſt: Inſertum manibus chalybem. Notantur clavi ferrei. Quod verò laqueum ad damnatos illos, quibus in furcâ ſuſpenſis gula frangitur laqueo, refert Petrus Faber lib. 3. Semeſtrium cap. 16. in eo luculenter aberrat. Namque ante ævum Conſtantini Magni Imperatoris nemo Judicum ſententia damnatus fuit ad ſuſpendium publicum tale, ut in furcâ appenſus & laqueo ad collum injecto necatus periret.

LXV.

Fruſtrà autem impetunt Claudium Taurinenſem, qui non execratus fuit crucem, ſed religioſum cultum illius impugnavit, quem Jonas Aurelianenſis magis rethoricè quam logicè fuit aggreſſus. Wiclefiſtæ honorem crucis deteſtati ſunt illum, qui defertur ei in Papatu, illum, qui in abuſum ſuperſtitioſum degeneravit. Centuriatores verò dextrè ſunt intelligendi, non enim loquuntur de ligno crucis ſimpliciter, ſed de illo domibus imprimendo apud Alexan-

 drinos

drinos pro eo, quod thoracem Serapidis Majores posuerant, ut frustra producatur Tertullianus contra illos, qui signi hujus simpliciter meminit: & quod de Sergio Papa produnt, id accipiendum de instituto publico in Ecclesia Romana & Occidentali, nec sine teste loquuntur, addunt enim Sigebertum & Reginonem, quorum posterior diserte ait; Sergius Papa in Sacrario Petri beati Apostoli magnam portionem ligni dominicæ crucis reperit, quæ ex tempore illo ab omni populo in Basilica Constantiniana die exaltationis ejus osculis ac adoratione excipitur.

LXVI.

Quicquid verò sit de crucis usu, non potest probari à Pontificiis, *primò* cultum illius tempore Apostolorum fuisse receptum. *Secundò* etiam ostendi nequit, primis tribus seculis ante Constantinum M. invaluisse, & tandem *tertiò* ipso quoque Constantino M. imperante, religiosam adorationem Crucis fuisse usitatam; sanè Eusebius *de ipso Imperatore lib. 4. de vita Constantini cap. 21.* dicit, *μόνῳ τῷ αὐτοῦ προσωμίλει θεῷ*, Solus cum solo Deo colloquium habebat; hoc autem ostendit Historia: primos crucis adoratores fuisse Armenios quosdam, dictos Chazenzarios, de quibus Nicephorus *lib. 18. cap. 54.* Chazenzarii factio non minima est, Staurolatræ scilicet. Chazus namque crux dicitur ab iis: propterea quod crucem tantum adorare & colere dicantur. Hi Chazenzarii anno Chr. 607. ut reliqui Armenii, sectarii erant, docentes Christum habuisse corpus incorruptibile à conceptione, quaternitatem esse in Deo & Deitatem passam; unde dicti *φθαρτολάτραι σκηνολάτραι* & *σταυρολάτραι*. Nam Chazenzarios imitati Papa Romanus & alii Episcopi anno Christi 700. contra mentem Gregorii primi, permittentis usum imaginum historicum, non religiosum earum cultum, staurolatriam defendere & obtrudere cœperunt, sicque ad nostra tempora transmissa fuit impia Staurolatria.

LXVII.

Sed ad Argumenta nobis opposita; *Primum* ducitur ex eo, quia crux fuerit ara summi sacrificii, Scala Christi ad Regnum, Instrumentum liberationis, quo diabolum vicit, & de eo triumphavit; *Secundum* ex eo, quia crux mystica significat totam 1. perfectionem

nem

nem Christianam, profunditas fidem, sublimitas spem, latitudo charitatem, longitudo perseverantiam 2. passionis effectum; nam lignum supremum significat cœlum apertum, inferius infernum evacuatum, lignum transversum totum orbem redemtum. 3. duo Brachia sub uno titulo significabant duos populos sub uno Capite Christi. 4. Secundum Minutium Felicem *in Octavio* & Ambrosium *sermone 56.* Crucis figura etiam naturaliter est salutaris. 5. Etiam Ægyptiis vitam futuram significavit, teste Ruffino *lib. 2. Historiæ cap. 29. Tertium* ex eo, quia Inventio Crucis quibusdam singularibus notis fuerit condecorata, *primò* quòd Deus non permiserit lignum illud demergi in mare, vel flammis absumi; *Secundò*, quod Deus eo tempore crucem inveniri voluerit, quò tutò poterat coli; *Tertiò*, quia per convenientia miracula demonstratum sit, esse veram Crucem, & proinde Crucis inventionem ac revelationem illam esse à Deo. *Quartum* ex eo, quia Helena, divinis admonita revelationibus fuit ad Crucem Domini quærendam, id quod testibus Hieronymo, Ambrosio, Ruffino, Paulino fulcitur, & aliis; *Quintum*, quia exaltatio & restitutio Crucis fuerit miraculis approbata; tandem *Sextum* ex eo, quia si locus, in quo Angelus stetit, fuit terra sancta *Josuæ 5. Exod 1.* Cur non magis terra, in qua steterit Crux, & quæ ejus sanguine respersa.

LXVIII.

Nec sufficit probâsse Pontificiis, lignum Crucis fuisse venerabile, sed & satagunt ostendere, signum illius esse adorandum, quia Scriptura testetur, appariturum signum filii hominis in cœlo; quâ apparitione miro modo venerabile reddatur signum illud, *Matth. 23. v. 30.* quia Synodus sexta *Canone 73.* Synodus 7. *Act. ult.* Synodus 8. *Act. item ult.* Canones ediderint de veneratione Crucis; quia Justinus *in Apologia secunda* dicat, signa & notæ, quæ apud nos sunt, hujus rei (Crucis scilicet) Virtutem declarant; Tertullianus respondeat *in Apologetico, objectione Gentilium de adoratione Crucis ligneæ*, nec non Minutius Felix *in Octavio*, & Origenes *lib. 6. in Epistolam ad Romanos* dicat, Crucis figuram ante oculos positam valere ad depellendam omnem tentationem; Constantinus M. etiam Labarum pedibus calcari prohibuerit; Arcadius auream monetam cum signo Crucis cudi jusserit. Tiberius Crucem humi in marmore inci-

incisam erigi mandârit, sub quo ingens thesaurus fuit repertus; Lactantius tempore Constantini scripserit,

Flecte genu lignumque Crucis venerabile adora.

Addunt Athanasium, *quæst. 16. ad Antiochum* Chrysostomum, jubentem in supplicationibus argenteas cruces cum ardentibus facibus præferre, teste Socrate & Sozomeno, qui etiam figuram hanc depingi solitam omnibus in locis, suo jam tempore asserat; Augustinum *tract. 36. in Johannem & in Psalmum 36.* Cyrillum *lib. 6. in Julianum* Ruffinum *lib. 2. cap. 29.* Bedam, Gregorium, Leonem, Sedulium *in Carmine Paschali* canentem: Pax crucis ipse fuit &c. Quia etiam apparuerit Crux lucidissima in aëre cum illis verbis: ἐν τούτῳ νίκα, Et talem etiam apparuisse supra montem Oliveti, tempore Constantini, nec non tempore Juliani Apostatæ, qui eam persecutus fuerit, & Arcadii, cùm Bellum susciperet pro fide contra Persas, imò apparuisse cruces in vestibus hominum, tempore Leonis Iconomachi, cùm hæretici contra imagines sacras insanirent. Addunt miracula per Crucis figuram effecta, insigne illud Hilarionis &c. Quia denique, si signa rerum salutaria, sancta & venerabilia sunt, utique etiam Crux quælibet sancta & venerabilis futura, cum gerat imaginem Christi crucifixi, quo nihil sanctius cogitari possit.

LXIX.

Quanti verò sint facienda hæc argumenta, etiam mediocriter attendenti, constat; nam, ut non dicamus, Pontificios disputare de non Ente, cum nequeant ostendere Crucem Christi esse in rerum naturâ. Multa hic videnda sunt. Primùm enim lignum crucis, cui Dominus affixus est, negamus esse in natura rerum. Si esset, aut per naturam, aut per institutum Christi, aut per alienam artem & diligentiam servatum esset. Per naturam fieri non potest: quod Beda animadvertens, ausus est somnium confingere, quòd cruces ex lignis durationis maximè fierent, cedro, pinu, cupresso, buxo: fabulæ! per institutum Christi servatum esse, nec verum est, nec verisimile: nam qui nos semper à rebus materiatis ad spirituales evocat, quomodo in hac re à seipso discessisset, & cultus materialis dedisset argumentum? quod ne in Mosis quidem sepultura factum? Aliena arte & diligentia servatum si dixeris; per quos? quando? quomodo factum eo tempore? nam ejus rei nullus Apostolus, Evangelista,

gelista, vel sanctus meminit. Quomodo ad tempus usque Constantini servatum in tot incendiis, subversionibus, ruinis, bonorum fuga, malorum pervicacia? obsidente Vespasiano, Tito evertente, Adriano etiam propter offensam à Judæis acceptam racemante, & statuam Veneris in Crucis loco disponente, ubi perstitit ad seculum Constantini usque, Eusebio lib. 3. de vita Constantini, Hieronymo in epist. ad Paulinum, Ruffino lib. 1. hist. eccles. cap. 19. Sozomeno lib. 2. c. 1. & Carolo Magno testibus. Deinde quod lignum? stipesne crucis vel cippus, σκόλοψ lignum arrectarium, an transversarium, quod veteres dicebant patibulum, à patendo; an verò utrumque simul? nam stipes plurimùm immotus stabat, patibulum rei apportabant patibulati, ut cum Plauto loquar; & supplicio sumpto (prout erat exemptile) domini curabant reportari domum atque asservari. Profectò nihil horum certò vel unico apice demonstrari potest atque definiri à Pontificiis. Postremò ut demus, exsistere lignum illud crucis, negamus, lignum hoc materiatum sic esse venerabile, ut affirmat gens Pontificia: non in se & per se; nam lignum fuit, quis sapiens lignum veneretur, velut in se & per se venerabile? non relatione & respectu ad Christum; nam hic respectus tantisper duravit, dum Christus pendens adfuit, pòst communis factus est, quemadmodum & locus Deo præsente sanctus est, in communem verò conditionem revertitur simul atque discessit Deus; non denique instituto: cujus enim? Dei, an hominis? si Dei dixeris, in verbo illius de hac re nullum verbum: extra verbum & Scripturam ejus non credimus: nihil ultrà scire, ait Tertullianus de præscript., omnia scire est. si hominis, hoc verò penes hominem negamus esse, aut corpus hominum, aut Ecclesiam ipsam: ad gloriam Dei solius pertinet. Non id quidem nego, si crux ipsa, exempli causa, certò inveniretur, fore, ut veneratio quædam artus nostros commoveret atque afficeret: sed hoc non efficeretur ligno crucis. Nam veneratio ad Christum, cujus illa crux fuit, & ad actum perpessionis salutaris illius assurgeret, monimento crucis conspecto, in qua se Christus Deo & Patri obtulerit. Sed aliud est, de sensu & motu nostro agere, aliud de officio nostro. Sensus noster moveretur cruce, officium verò nostrum esset, ut confestim, seposita carnali ratione crucis, ad Christum, officium, & beneficium ejus venerandum,

dum, adorandum, colendum ſupra res omnes creatas raperemur. *Primum* pro veneratione Crucis non concludit: non enim ſequitur, Crux fuit Altare ſacrificii ſummi; Ergò eſt venerabilis religiosè: non enim Ara, ſed id, quod in illa oblatum, cultu religioſo eſt proſequendum; nec, crucem eſſe vel fuiſſe ſcalam Chriſti ad Regnum, conceditur; nuſpiam enim in Scriptura ita vocatur, & loca quæ adducuntur, *ex Johannis 12. & Philip. 2.* non de cruce, ſed morte Chriſti loquuntur; & tandem poſito, quod fuerit inſtrumentum liberationis, non tamen ſequitur religiosè colendam eſſe, cùm plura talia dentur, quibus propterea cultus ille non deferendus: quanquam & hoc ἀκύρως dicatur; quis enim admittat, crucem fuiſſe inſtrumentum liberandi humani generis & vincendi Diabolum? cum non crucis ligno liberarit & vicerit, ſed in cruce, paſſione & morte ſola; unde etſi ponatur, Chriſtum elegiſſe crucem etiam & honoraſſe electione illâ ad paſſionem & mortem ſuam, non tamen ille honor admittendus erit, ut permanens poſt expletum Sacerdotale officium, ſed ut tranſiens, qui tàm diu competiit, quamdiu ipſe Dominus dignatus fuit illam illo. *Alterum* argumentum merus eſt Ingenii Origeniani luſus; poſito enim *primò*, hæc omnia fuiſſe ſignificata crucis ligno, num propterea fundant cultum religioſum? lignum num adorandum rei alicujus ſacræ vel myſterii ergò? *Secundò* merè voluntariæ ſunt illæ ſignificationes; quomodo enim probabunt Pontificii, ex Intentione divina hæc per crucem fuiſſe indicata? *Tertiò*, quàm abſurdum, figuram crucis eſſe naturaliter ſalutarem? Quis enim hoc admittat, cùm ſi aliqua figura crucis eſſet ſalutaris, non eſſet præter illam, quæ eſt crucis Chriſti. Num aves non volarunt in Paradiſo expanſis alis? Quid Navi operi artificiali commune cum cruce Chriſti, quæ ſæpius vehit idololatras, ut conſtat ex Hiſtoria Jonæ? Num aratrum nullam aliam admittit figuram quàm crucis? Quid lineæ imaginariæ in cœlo ad hanc figuram, quarum quamplures, & quidem etiam non transverſæ, dari poſſunt, quid fiet de globis, quos pueri conis ſternendis immittunt, annon etiam in illis iſtiusmodi lineæ non tantum concipi poſſunt, ſed ipſo actu exhibentur? *Tertium* inventione crucis gloriatur, ſed non abſque fabularum umbris. Ficta eſt illa inventio, ut ſupra demonſtratum, etſi ponatur, Deum non permiſiſſe, lignum illud demergi in mare vel flammis abſumi,

abſumi, num alia ratione & modo non potuit permittere illius corruptionem? imò actu non permiſit? quamplurima naturalia vel artificialia ligna lapides & ſimilia non intereunt, Num itaque non ſunt corruptibilia? quid Sol, quid cœli injuriæ pluviæ & venti posſint, in vulgus notum eſt; & cur confinxerunt quidam, illam conſtitiſſe ex cupreſſo & cedro, niſi ut obviarent putredini, quâ conſumuntur ligna, tempus edax rerum quamplurima conſumit, & ut Poëta loquitur,

Monumenta fatiſcunt,
Mors etiam ſaxis marmoribusq; venit.

Unde ipſe Gelaſius, quæ de conatu abolitionis produnt, protrivit, teſte Junio, qui ſcribit *pag. 1733*: Scripta de inventione crucis Dominicæ, & alia ſcripta de inventione capitis Joannis Baptiſtæ, novellæ quædam revelationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt: ſed quum hæc ad Catholicorum manus adveniunt, Beati Pauli Apoſtoli præcedat ſententia: omnia probate, quod bonum eſt, tenete. Ficta eſt illa inventio tempore Conſtantini M., ut, quàm fallat & fallatur Sulpitius in temporis aſſignatione, Sigonius docet *p. 392*. De medio inventionis miraculoſæ ſupra egimus, & fruſtrà titulum cum miraculo conciliare ſtudent Num enim Ruffino, qui ex titulo dicit agnitam crucem Domini, ſed non evidenter, & propterea ad miraculum confugit, credendum, Authori judicii & eruditionis inopi, (ut illum deſcribit Hieronymus,) præ Chryſoſtomo & Ambroſio? Ficta eſt illa inventio ex cauſa, divinis ſcilicet revelationibus; nec blaſphemè locuti ſunt Centuriatores, ſi Helenam dixerunt ſuperſtitioſam, in quantum ſcilicet aſſeritur, illam profectam fuiſſe Hieroſolymam adorandi cauſa, & ut fœminæ aliâs plus habent zeli quandoque, quam Scientiæ, ita ex priore illam commendarunt antiqui. *Quartum* argumentum nititur partim ſuppoſititiis ſcriptoribus & ſcriptis, quale eſt illa Epiſtola Cyrilli, Chronici Euſebiani teſtimonium, intruſum à mala manu, partim Hieronymi *in Pſalm. 98.* dicentium, ſive affingunt illis, partim ad ſuperſtitionem declinantium. *Quintum* argumentum nutat undique, *tùm* quia ſi ponamus miraculoſum illud auxilium, tamen non evicta erit religioſa veneratio, *tum* quia nititur teſtimonio Diaconi, Zonaræ & Cedreni, qui fabularum hamaxarii, & in prodigia

digia effusi, *tum* quia prælia illa jam diu fuerunt gesta, & Chosroes mortuus, cum filius ejus Syroes restituit Herodio crucem & sine prælio, docente ipso Baronio *ad annum Christi 627.* *Ultimum* denique argumentum non plus infert; nam supponitur Angelum illum *Exodi 3. & Josuæ 5.* fuisse creatum, & proinde multo magis venerandam esse crucem, ubi steterit Christus, cùm tamen fuerit filius Dei; supponitur terram dictam fuisse sanctam permanenter, quæ tamen tàm diu sancta habenda fuit, quamdiu Deus illi præsens, supponitur denique, id, in quo Christus stetit esse honorandum, non tantùm civiliter, sed & religiosè, cùm hac ratione Terra quoque Judææ & Galilææ esset religiosè colenda, quia eidem Christus institit.

LXX.

Quæ pro imagine crucis adoranda proponuntur, etiam caduca sunt; nam dictum primum *ex Matthæi vigesimo quarto* per multos anfractus etiam non pertingit ad conclusionem, *partim* quia signum Filii commodè accipi potest de ipso Filio gloriosè apparente, ita exponentibus *Marco 13. v. 26. Luca 21. v. 27. partim* quia, si concederetur signum illud filii notare crucem, non tamen sequeretur, illud esse de præsenti venerabile, sed tùm cùm appariturum, *partim* quia Patres exponentes hunc locum de ligno crucis apparituro nec vetustissimi sunt, nec seriò agunt, sed abusivè, &, si signum hoc vexillum Christi, quod tamen ostendi nequit, non erit adorandum; *alterum* itidem non fundat Thesin adversam, cùm exigua harum Synodorum sit authoritas; Sextæ Canones ipsi Pontificii impetunt; Septima fuit deprehensa Nicæna idololatrica; Octava canitie destituitur; unde quamvis ediderint Canones de veneratione crucis, primâ, secundâ, tertiâ, quartâ, & quintâ Synodo silente, non tamen ediderunt eodem modo, sed secundum superstitionis gradus. Concilio enim sexto *Can. 73.* agitur propriè de eo tantùm, quod signum crucis non oporteret humi sculpi, aut pedibus proculcari, nempe ne aut infirmis offensæ, aut infidelibus & adversariis præberetur ludibrii argumentum. Synodi verò septimæ errorem octava auxit: nos utriusque auctoritatem negamus. Quòd si agatur de canone 83. Concilii 6. rectè illud Episcopi in Carolini operis libro 2. confutarunt. Nam etsi de pictura ad commemorationem

tionem agitur, omninò tamen falſum eſt, in eo canone agi de veneratione crucis aut ſigni alterius; ſed tantùm de eo, quòd pro agno Dei, qui antè pingebatur à nonnullis, imaginem Chriſti & beneficiorum ejus ſimpliciter haberi oporteret ad memoriam, non ad venerationem & cultum. Unica vox eſt in principio canonis, quæ fortaſſe in fraudem imperitos induxit: nempe quòd ſcripſerunt illi Patres, ἐν τισι τῶν σεπτῶν εἰκόνων γραφαῖς, ἀμνὸς, &c. quæ vulgo ita redduntur, in quibusdam venerabilium imaginum picturis, agnus, &c. Sed falluntur, qui vocem σεπτὸς ita accipiunt. Græci enim ſimpliciter accipiunt σεπτὸν non pro eo ſolùm, quod eſt veneratione dignum, ſed etiam pro eo omni, quod non eſt aut κοινὸν, aut βέβηλον, commune aut profanum, ut ſunt quæ in loco ſacro & religioſo deponuntur: quæ quamvis ipſa non habeant religionem per ſe; tamen tacito quodam uſu dignitatis plus videntur obtinere, quàm ſi juris communis aut profani eſſent, ex quo fuerunt loco ſacro & religioſo addicta. Quapropter ſub finem ejusdem canonis, ubi de imagine Chriſti ipſius agitur, nulla fit mentio venerationis, cultus, adorationisve, ſed tantùm μνήμης, memoriæ. Fuiſſet autem argumentatio longè efficacior ab eo, ſi illam imaginem coli, adorari, aut venerationi eſſe credidiſſent oportere. Hanc verò illi nondum cognoverant: pòſt adnata eſt fabricæ & picturæ veneratio. *Tertium* à teſtimoniis veterum non ſubvenit Pontificiis. Juſtiniani locus enim eſt corruptus, nec de adoratione loquitur, nec crucis vocabulum de ligno intellectum vult. Tertullianus ex hypotheſi loquitur, & dicit, quod colimus nos, Deus unus eſt. Minutius negat, verè objici adorationem crucis Chriſtiano. Origenes non agit de cruce materiali, aut illius imagine, ſed de ipſo crucifixo. Conſtantinus Magnus labarum in formam crucis non redegit, ſed illi aliquid appoſuit, nec adorari voluit, niſi civiliter. Tertullianus autem de propria figura crucis loquitur, quum ait *Apolog. cap. 16.* Pars crucis eſt omne robur, quod erecta ſtatione defigitur, id eſt, cippus, vel ſtipes, vel contus, vel candys ex robore: nos, ſi fortè, integrum & totum nempe ex ſtipite & patibulo compoſitum, Deum colimus. Dicimus, originem Deorum veſtrorum à plaſtis de cruce induci. Sed & victorias crucis adoratis, cùm in tropæis cruces inteſtina ſint tropæorum. Religio Romanorum tota caſtrenſia ſigna venera-

 tur,

tur, ſigna jurat, ſigna omnibus diis præponit: omnes illi imagines ſuggeſtus inſignes, monilia crucium ſunt. Noluiſtis nudas & incultas cruces conſecrari. Ergò cruces eædem ſunt propria figura ſua, ſed veſtes variæ. Idem quoque Minutius narrat, & verbis evidentioribus, dicens: ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud quàm inauratæ cruces ſunt & ornatæ? tropæa veſtra victricia non tantùm ſimplicis crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur. &c. quid eſt, amabò, crux ſimplex, niſi propria? Idem & Juſtinus Martyr Apologia 2. quas res ſimplicitate majore quàm hic diſputator noſter, tom. 3. Annalium, Baronius confeſſus eſt. Theodoſius non juſſit adorari crucem, ſed conculcari prohibuit, non cultum ſtatuit, ſed ſcandalo prævenit, videatur hic Wiſenbach. *in Codicem, titulo 8. pag. 36.* Arcadius ſignum crucis monetæ inſculpi vel imprimi juſſit, non autem propterea crucem adorari voluit. Quàm variæ imagines fuerint Ebræorum & aliarum Gentium Nummis inſculptæ, teſtatur Hiſtoria; non verò intentio fuit Ebræorum vel Gentium, illas proſtituere adorandas. Ipſe Arcadius in eadem moneta ſuam Effigiem cudi voluit, num ergò adorari? paria de Tiberio dicenda. Lactantii carmen in dubio eſt, & à Michaele Thomaſio illius eſſe negatur; quanquam ſi admittatur carmen, ſit hyperbole poetica comptum, & aliter ſenſiſſe Lactantium conſtet *ex lib. 2. Inſtitutionum cap. 1.* Athanaſii liber allegatus fictus eſt, ſubventaneus & tanto viro indignus. Chryſoſtomus, ſi præferri juſſit cruces argenteas, non confeſtim adorari mandavit & non tàm cruces argenteas, quàm Lychnuchos in ſtructos tribus Lychnis in figuram crucis, nempè ad Trinitatem Arianis ſignificandam, ut quidam volunt, nec ille mos ubique crucis figuram pingendi ſuperſtitione caruit, quanquam aliud ſit pingi ubique, aliud adorari. Auguſtinus dicit, honorari ſive honorem tribui ſupplicio, hoc eſt honeſtari & majus aſſerit ſervari fidelibus, quos latria nemo proſequitur. Cyrillus tantùm hoc repoſuit Juliano, quod pretioſi ligni crucem faciant Chriſtiani, in memoriam omnis boni & omnis virtutis. Ruffinus cruces depictas dicit, at num quod depingitur, ut profeſſionis ſignum, etiam eſt objectum religioſæ venerationis & adorationis. Beda prælatam eſſe aſſerit crucem, non in cultum conſecratam. Cæteri allegati Gregorius ſcil., Leo, Sedu-

Sedulius, non tanti sunt, ut illis teneamur subscribere. Superstitione passim jam altiores agente radices, nec tàm de cruce Christi quàm de crucifixo Christo loquuntur. *Quartum* Argumentum si concludit, concludit etiam stellam, quæ Magos præcessit, esse adorandam; nam & illa in aëre apparuit, & quidem miraculosè; neque dictum Constantino ἐν τέτῳ νικᾶ, hoc est, in hoc signo crucis unicè, sed in crucifixo ipso: nec si ad signum fuisset referendum illud mandatum, sequeretur crucem & quidem ordinariè esse adorandam. Epistola Cyrilli ad Constantinum, quæ de apparitione supra montem Oliveti loquitur, supposititia censetur. Paulus Diaconus etiam convasavit, quæ inter scorias deputanda, cruces in vestibus apparentes, aut fuerunt tales ex Subjecto, in quod inciderunt, panno scilicet rectis & transversis filis constante, aut extraordinariè ex judicio divino immissæ. Apparitio verò crucis in Anglia in Arbore figmentum est, & testibus idoneis destituitur. *Ultimum* Argumentum undique claudicat, *partim* quia nondum probatum, signa rerum sanctarum esse venerabilia, *partim* quia crux non est signum Christi, sed est imago crucis, in quâ pependit Christus, & quidem incerta & dubia, ratione figuræ, *partim* quia in signis etiam & symbolis rerum sacrarum maximè attendendum ad Institutionem, Mandatum & Promissionem divinam, quæ quousque progrediendum sit, docere potest.

LXXI.

De Signo Crucis quod in fronte vel aëre pingitur, vel super quascunque res digito exprimitur, pauca addam ob affinitatem materiæ. *Primò* Venerabile illud esse, Pontificii ostendere nituntur ex figuris V. T. sanguine Agni postibus domorum illito *Exod. 12.* ex Litera Than frontibus credentium inscripta, *Ezech. 9. Apoc. 14. v. 7.* Jacobi exemplo cancellatis manibus benedicente, *Gen. 48. Secundò* ex testimoniis veterum, Dionysio, Justino, Hippolyto, Tertulliano, Cypriano, Cornelio Papa, Origene, Cyrillo, Athanasio, Basilio, Ephrem Syro, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Beato Martino, Prudentio, Paulino. *Tertiò* ex miraculis signo Crucis factis. Tertullianus initio Scorpiaci dicit, Christianos signando, vel adjurando non solùm Christianis, sed etiam Ethnicis sæpe prodesse. Lactantius lib. 4. cap. 27. dicit, præsente Christiano, qui crucem

crucem fronte ſignaverat, Diabolum non auſum Imperatori poſcenti reſponſa dare. Epiphanius hæreſi 30. ſcribit, quendam Joſephum nondum Chriſtianum ſigno crucis Dæmones expuliſſe, & deinde Chriſtianum effectum eodem ſigno incantationes Judæorum deſtruxiſſe. Nazianzenus orat. 1. in Julian. ſcribit, ipſum Julianum, licet Ethnicum, cùm ſpectra quædam videret, dum necromantici ſua myſteria operarentur, ſigno crucis ſeipſum muniiſſe, & mox ſpectra omnia evanuiſſe. Nyſſenus in vita Gregorii Thaumaturgi, ſcribit, Diaconum ejus, ſigno crucis munitum, exiviſſe noctu incolumem ex balneis, quibus nemo unquam vivus exierat, qui noctu intraverat. Athanaſius in vita Antonii; Hieronymus in vita Pauli primi Eremitæ; Theodoretus lib. 5. hiſt. cap. 21. & & Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 7. multa ſcribunt miracula, quæ ad ſolum crucis ſignum Deus fecit, ac potiſſimùm in Dæmonum expulſione. Palladius in Hiſtoria Lauſiaca, cap. 54. ſcribit, quendam ſigno crucis munitum in mediis flammis longo tempore illæſum permanſiſſe. Theodoretus in vita ſancti Juliani, & in vita ſancti Marciani, ſcribit ab utroque, ſuo tempore, ſigno crucis ingentes dracones occiſos. Item in vita ſancti Aphraitis, & ſancti Macedonii, & ſancti Petri, & aliorum, ſcribit, eos ſigno crucis varios morbos curaſſe. Quod idem Sulpitius in vita B. Martini; Hieronymus in vita Hilarionis; Auguſtinus lib. 22. de civit. Dei, cap. 8. ſimiliter ſcribunt. Victor Uticenſis lib. 2. de perſeq. Wand. ſcribit, ab Eugenio Epiſcopo Catholico cæcum illuminatum ſolo crucis ſigno.

LXXII.

Umbras has facilè diſſipat Sol veritatis divinæ. Nam *primum* evaneſcit, quia non eſt conſequens, hoc adumbratum eſt in V. T. ergò eſt Venerabile; quot enim in N. T. habemus, quæ adumbrata in V. T. nec tamen ſunt adorabilia? quia nec hoc demonſtratum, vel ſanguinem Agni vel Thau frontale vel manus cancellatas præfiguràſſe ſignum crucis; quia ſanguis denique agni in V. T. ſignificat ſanguinem Chriſti. Thau ſignum eſt generale, ſecundum quoſdam Interpretes. Manus cancellatæ Jacobi fuerunt ad ſitum nepotum ſuorum attemperatæ. *Alterum* non probat intentum, *tùm* quia docet ſaltem in uſu fuiſſe ſignum Crucis, adoratam fuiſſe

fuiſſe non convincit; *tùm* quia teſtimonia allegata non loquuntur omnia de ſigno Crucis, ſed quidam figurate hâc voce utuntur, *tùm* quia adhibentur in teſtimonium, de quibus non conſtat, atri an albi fuerint. Dionyſius, qui Dux cæterorum, eſt diverſiſſimus ab Areopagita, vel ſuppoſititius, ut & Juſtinus, qui producitur; de Hippolyto quoque nullo conſtat, qui Apoſtolis fuerit familiaris; de cæteris ſententiam diximus, qui uſum oſtendunt, quanquam, ſuperſtitionis aliquid adhæſiſſe quibusdam, facilè deprehendatur. *Tertium* putidum, *partim* quia non adorandum confeſtim, per quod Miracula fiunt, niſi velimus etiam adoratam Virgam Moyſis, tot Miraculorum ſtupendorum patratricem, & annon Paulus & Barnabas *Act.* 14. patrarunt miraculum, & nihilominus cultum religioſum delatum reſpuerunt, & cum indignatione removerunt; *tùm* quia nondum conſtat, an ea, quæ facta per ſignum Crucis vel ad illud, fuerint vera miracula; *tùm* quia ſi probaretur, vera fuiſſe & veritate facti & veritate miraculi, nihil concluderetur, quia extraordinaria, nec tàm Cruci tribuenda, quàm Crucifixo & fidei in illum; nec Diabolus ſignum Crucis fugit, ſed illum, qui in Cruce pependit, nec ſpectra fuerunt pulſa, niſi invocatione & profeſſione religioſâ nominis Chriſti, cui junctum fuit ſignum. Nazianzenus non dicit, quod volunt Pontificii: Etſi demus, hæc ita fuiſſe geſta, uti ferunt, extra ordinem fuerunt, & ex cauſis extraordinariis: quo jure ordinaria fiant? particularia ſunt, quo jure fiant communia aut univerſalia? imò pleraque ſuperſtitioſa ſunt, quæ adducit Beda, quo jure in religione veniant? poſtremò falſum eſt, hæc per crucem facta eſſe: per Dei gratiam & virtutem facta ſunt; per orationem fidei impetrata; non per ſignum voluntarium. Nyſſenus incerta refert: Athanaſius, Hieronymus, Theodoretus, Gregorius non ad ſolum Crucis ſignum Deum Miracula feciſſe dicunt: Signo Crucis, id eſt, virtute Chriſti, quem Ethnici objiciunt, & profeſſione fidei in illum, qui ſe vivum apud eos probat operibus, dum à Chriſtianis imploratur oratione fidei & profeſſione Chriſtiana, quam ſignum crucis coram Ethnicis exhibebat. Tolle errorem ſuperſtitionemque, nemo veterum illorum factum improbaturus eſt. Næ plura! priſci illi Patres præſentiam, virtutem, operationem ſalutarem Chriſti apud infideles implorabant, profitebantur, occupabant

adhibito ſigno externo crucis, cujus ſimplicitate omnia dæmonum Ethnicorum ludibria eliderent in Domino. Sed res in errorum lernam & virus ſuperſtitionis abiit jam olim. Atque hæc ratio ſequentium: omnia ſynecdochicè olim fuiſſe dicta, & inique totum Chriſtum & opus illius adſcribi externo ſigno humanitùs accedenti, ut non malè quidam de hoc puncto diſſerit.

LXXIII.

Stat itaque, Cultum hujus ſigni eſſe rejiculum, uſum verò, ubi obtinuit, non improbandum; frequens enim fuit in Veteri Eccleſia. Moribundi & ægroti, manibus in Crucis ſpeciem formatis, mortem oppetebant. Sic de Johanne Apoſtolo Niceph. l. 2. c. 42. Poſtremò illis in Domino ſalvere & valere juſſis, ubi ſe Crucis ſigno munivisſet, in monumentum deſcendit. Hieron. de S. Paulo: Digitum in os tenens, Crucis ſignum pingebat in labiis. Et S. Zenobius moriturus aſtantes Cruce ſignabat in ultimum Vale. Ac S. Plotina mortua inventa eſt, habens manus in formam Crucis compoſitas. Contra cogitationes impias & impuras ſignum Crucis adhibuiſſe, narrat Beda l. 3. c. 4. in Cantic. Noxios ſæpè cogitatus, dum incauta mente volvimus, ac ſubitò reſpecti à Deo ſignum S. Crucis pectori imprimimus, & quod nefarium tractamus, abjicimus, quaſi vittâ coccineâ capillos nobis ligamus, quia fluxa cogitationum trophæo ſacri cruoris comprimimus. In introitu, in exitu, aditu & receſſu idem fecerunt. Tertull. de Cor. Mil. Ad omnem aditum, & exitum, quæcunque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus. Hieron. Ep. 22. Ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus pingat Crucem.

LXXIV.

Supereſt Cultus rerum conſecratarum & panis, qui in Papatu frequentatur. Duplex enim ab ipſis ſtatuitur *Benedictio Sacerdotalis invocatoria & conſtitutiva*, ex quibus conſecratis accedit aliqua Sanctitas Relativa & Spiritualis virtus, ad Spiritualem vel Supernaturalem effectum, Remiſſionem ſcil. peccatorum venialium, inſultuum & inſidiarum Diaboli averruncationem, habituum cœleſtium à piis confirmationem, Morborumque depulſionem. Prioris generis ſunt benedictiones nuptiarum, domus, navis, armorum, veſtium, vini quod benedicitur in feſto S. Johannis, panis, lactis,

lactis, mellis, ciborum, carnium, agni paschalis, medicamentorum, ramorum, palmarum, benedictio monachi, & vestium in professione, quæ datur in completorio; præterea catechismus in baptismo, exorcismus &c. alterius generis sunt, templa, altaria, imagines, baculus episcopalis, cineres, thus suffitus, triplex oleum seu chrisma scilicet catechumenorum, infirmorum & ordinandorum, cerei in ecclesia, cereus paschalis, campanæ, calices, vestes sacræ, globuli, reliquiæ sacræ, sepulchra in templis aut cœmiteriis, imprimis agnus Dei & aqua benedicta, de cujus virtutibus & miraculis Gretserus lib. 2. cap. 4. 5. 6.

LXXV.

Sed hic iterum desideramus Verbum Mandati & Promissionis Divinæ. Deprehendimus Symbolismum cum Magicis operationibus, Abusum Nominis Divini, & Ἐθελοθρησκείαν. Unde Thomas parte. 3. qu. 60. art. 5. Etsi potest idem per diversa signa significari: determinare tamen, quo signo sit utendum ad significandum, pertinet ad significantem. Deus autem est, qui significat nobis spiritualia per res sensibiles in sacramentis, & per verba similitudinaria in Scripturis. Et ideo sicut judicio Spiritus Sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis res spirituales significentur, ita etiam debet esse divina institutione determinatum, quæ res ad significandum assumantur in hoc vel illo sacramento. Sanè, si Christus voluisset adorationem Symbolorum consecratorum, Apostolis illam quoque imperasset, at deficit hic omne Verbum Mandati, omne Obsequium & Praxis Apostolorum; nec negari potest Sacramentum consistere in usu; quî itaque adorabitur, quod ore corporis jam est receptum intra hominem, & quanta hic incertitudo, num hostia sit ritè consecrata? Unde concludunt Theologi, quod Argumentũ contra artolatriam militans Pontificios convincat manifestæ idololatriæ, hoc sc. modo: Qui hostiã non rite consecratam ex recta sacerdotis intentione latriâ veneratur, is est idololatra. At experientia testatur multas hostias, non legitime consecratas, in papatu fuisse adoratas. Major extra controversiam est, quia. 1: hoc pacto adoratur, quod, ex Pontificiorum confessione,

ne, non est Deus. 2. diserte fatetur Bonaventura in 3. sentent. distinct.9. artic. 1.quæst. 6. quod plus peccet malus sacerdos,qui non ritè conficit ex eo,quòd faciat populum idololatrare. Et quamvis conentur robur hujus argumēti eludere adversarii prætextu conditionis tam in habitu quam in actu,ut quis non adoret, nisi cum conditione rectæ consecrationis; tamen prætextus ille merè stramineus est,quia. 1.ignotum adorare nefas,imo,quod non ex fide fit,peccatū est. 2. uti semper dubia manet ratio veræ consecrationis,ita mēs hominis pontificii semper fluctuabit circa veritatem sui cultus,& communionem efficaciæ sacramentorum. 3. Christus ipse monuit,cavendas esse pseudochristorum imposturas. At, imperatâ adoratione eucharistiæ sub conditione consecrationis ex recta intentione, semper hæret laqueus conscientiarum tensus, & via declinandi imposturas manet præclusa. 4. à simili, mulier implicita amplexibus alieni viri, dubitans an sit extraneus, adulterii culpam incurrit: sic & artalotra, dubitans de præsentia Christi corporali in eucharistia,verus est idololatra. 5. intentio & suppositio falsa de existentia Numinis in idolis gentes non absolvit ab idololatria,ut nec Jeroboamum error de vero Dei per vitulos cultu, aut cœcus zelus eos, de quibus ait Christus,zelo occisuros Apostolos, tanquam falsos doctores. Ipsum autem primæ Tabulæ exordium omnem talem cultum damnat, dùm religionem soli Deo adstringit & confibulat, dùm ipse Deus Israelis non vult,coli quenquam præter vel coram se. In specie panis, qui circumgestatur, cùm sit panis prætereaque nihil, frustrà, imò impiè colitur in papatu; est enim mera Creatura; nec obstat, quòd Pontificii regerunt,negare sese panem in Sacramento remanere, unde etiam non admittere adorari panem, Christum esse præsentem in Eucharistia, qui verus Deus, esse itaque eundem etiam in illâ adorandum, facere Christum & accidentia Symbolorum unum quoddam suppositum, quî itaque adoratio non ad illud dirigenda?

LXXVI.

Omnia enim hæc ex penore ingenii malè informati promuntur; *primùm* enim non sublevat Pontificios vel excusat,quia falsum falso tegit,ne perpluat,Transubstantiationem obvertit, ut adorationem

nem evincat, quia etiam, positâ transsubstantiatione, adhuc Idololatriam non declinat; si enim humanitati Christi à pontificiis negatur latria extra Eucharistiam, & plus non tribuitur, quam purpuræ Regis in throno sedentis, quæ non colitur, sed ipse Rex, utique etiam Corpus Christi non cultu illo religioso erit afficiendum in cœna, & si fiat, idololatria committetur eo ipso, quo Corpori divina Majestate per Unionem & Communicationem idiomatum non prædito, tribuitur Cultus soli Deo debitus; quia denique in Idololatria non attenditur, quid sentiat cultum deferens alicui extra Deum Enti, quo conceptu ille apprehendat Objectum, sed quale illud sit in rei veritate; Unde non excusat Marcus Antonius de Dominis Pontificios ab Idololatriæ vitio, *lib.7. de Rep. Eccl. cap.11.n.7.* scribens, per rectam intentionis directionem, qui docent, panē non esse amplius panem, sed Corpus Christi, illi profectò panem non adorant, sed solùm in suppositione licet falsa, Christi Corpus verè adorabile adorant; hoc enim supposito, sequitur, Idololatriæ reos non posse peragi gentiles, qui adorarunt statuas, quas putaverunt esse animatas & Numine plenas, de quo Augustinus *lib. 25. de Civitate Dei*, quia ex suppositione, licet falsâ, Numen verè adorabile adorarunt. Hæc illum, qui Diabolum adorat existimans eundem esse Deum, excusabunt, imò omnis Idololatria ita colorem habebit & excusabitur, neque enim ulla est, quæ non nitatur falsâ aliquâ persuasione. *Secundò* à præsentia corporis Christi; posita illa, ut volunt Pontificii, ad cultum religiosum nulla est consequentia. Annon enim Deus non longè abest ab unoquoque nostrûm, annon Corpus Christi etiam extra cœnam præsens est in terris? Quod saltem impossibile non audent negare Pontificii, num itaque, quia Deus immensus, & ut ita loquamur, toti Orbi infusus, præsens singulis creaturis, omnes illæ erunt adorandæ? Præterea non est quæstio, utrum Corpus Christi, vel ratione Deitatis, vel etiam ratione unionis personalis, sit adorandum etiam in Eucharistia; sed utrum Corpus Christi sub speciebus panis, de cultu ipsi composito ex corpore & accidentibus exhibendo? Denique quid fiet de Sacramento Baptismi, de aqua, cui unita est ipsa Trinitas? annon & illa, stante hâc hypothesi, esset adoranda? num posset citra injuriam effundi? Num non etiam extra baptismū aqua cultu prosequenda? *Tertiò* posito, fieri unum cum aciden-

cidentibus suppositum Corpus Christi? deest tamen Verbum, deest Exemplum; falsum insuper, ex Corpore Christi & accidentibus panis fieri unum Suppositum: num concursus accidentium cum aliqua Substantia fundabit unitatem suppositi? Sanè præter Unitatem illam suppositi, quæ est inter Carnem & λόγον, nullam nos novimus, nullam nos admittimus, unde etiamsi ipse λόγος & assumptum unum quid notant & unam personam repræsentant, adeoque duæ Substantiæ concurrunt, ut factum quidem in V. T. apparente filio Dei non semel in Specie assumpta, non tamen ex illa connexione, qua tali, effloruit adorabilitas totius suppositi, propter defectum unionis personalis, propriè sic dictæ, Majestatis communicatæ, & perpetuæ περιχωρήσεως; neque enim qualiscunque unio fundat confestim cultum adorationis exhibendum illi, quod ut unum alicui apparet. At quid multis? Si enim accidentia panis constituunt unum cum Christo suppositum, ergo vel erunt accidentia panis, vel accidentia corporis Christi. Non prius: quia, ex illorum hypothesi, esse physicum panis cessat, vi consecrationis, ergo non sunt accidentia panis; destructo enim accidentium subjecto cui inhærent, ab illo subjecto accidentia denominationem non accipiunt. Non posterius, quia hoc pacto corpus Christi contrariis accidentibus substabit.

LXXVII.

Argumenta adversariorum levia sunt, & intra Topicos Cancellos nata, ultra speciem probabilitatis non assurgunt. Dicunt 1. Arcam V. T. fuisse adoratam, quæ Typus, quantò magis itaque Eucharistia sit cultu consimili, religioso scil., excipienda. Dicunt 2. Adoratam fuisse illam in primitiva Ecclesia, Catechumenos etiam & pœnitentes ac infideles non fuisse admissos ad ejus, tanquam rei sanctæ & adorandæ, conspectum, imò elevatum fuisse, ut populus illam conspiceret, & conspectæ deferret cultum & honorem divinum, secundùm prophetiam *Psalm. 72. v. 16.* & morem sacrificiorum V. T. elevatorum, serpentis ænei & similium; Dicunt *denique* non tantùm vi consecrationis mutatum esse panem in corpus Christi, sed & Patres maximè illi cultui adstipulari, Cyprianum, Cyrillum, Alexandrinum, Chrysostomum &c.

LXXVIII.

LXXVIII.

Primum corruit, *tùm* quia ostendi nequit, Arcam fuisse unquam ad verbi divini præscriptum adoratam; hoc quidem certum est, Deum fuisse adoratum ad Arcam, sed cultum directum fuisse in ipsum symbolum fœderis, nullo in loco legitur, *tùm* quia pariter ita admittendum foret, Templum Hierosolymitanum fuisse adoratum, Deus quippe in illo fuit, cultus illo honore, qui eidem soli debetur; imò omnia typica fuissent adoranda, *tùm* quia plus non sequitur, quàm Christum esse adorandum etiam in ipsa Eucharistia, utut nondum demonstratum sit, Arcam fuisse figuram Christi in Eucharistia, vel hoc; quòd, quemadmodum in Arca adoratus fuit Deus, ita Christum esse adorandum, λόγον in propria carne, cultu religioso dignum; hoc enim vult Apostolus: hùc alludit, secundum Interpretes, quando pronunciat, in Christo habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter, in carne scil. tanquam proprio Templo, *Coloss.* 2. *Alterum* praxin obtendit, non probat; nam *primò*, ut Baptismus fuit in veneratione antiquis, nec tamen aqua ipsa adorata: ita quanquam Sacramentum Eucharistiæ fuerit venerabile, non tamen symbola panis & vini digna fuerunt habita adoratione. *Secundò* veneratio illa fuit fundata in præsentia corporis & sanguinis Dominici reali, non itaque directa ad ipsas species, sed ad illum, qui præsens corpore & sanguine suo. *Tertiò* Catechumeni remoti fuerunt olim à Communione Eucharistica, non ex supposito adorationis illi debito, sed motivo infirmitatis, quia nondum, ut cæteri admissi, Notitia Mysteriorum fuerunt radicati, & Apostasia illorum minus turpis fuit habita, quàm qui de corpore Christi partiri possent. Unde observant Theologi, quod prima ratio fuerit, ne in contemptum verteretur hic pretiosus thesaurus, si illi ante rudimenta fidei participassent de sacramento, siquidem ante dispositionem præcedentem non potuissent induci ad credendum rem tàm difficilem; hinc sanctus Cyrillus Alexandr. *l. 4. c. 14.* refert, quod Christus Dominus noluerit Capharnaitis declarare, quomodo ipse traderet carnem suam ad manducandum, quoniam illi nondum erant instructi in fide. Secunda ratio, ut hoc diuturnum silentium accenderet magis desiderium catechumenorum, ut quantò citius se baptizari curarent, S. August. *in tract.* 86.

super

super Joh. & in serm. 46. Tertia ratio, ne hoc tremendum, & admirandum mysterium salutis nostræ redderetur familiare Catechumenis, quo forsitan illi indignarentur, de cujus offensa antiqui Patres, uti dispensatores timebant, se Deo rationem reddituros. Si jam tempore administrationis Catechumenis non licuit interesse, multò minùs iidem ad participationem Eucharistiæ admissi sunt. *Canon. 5. Concil. Carthag. 3.* Accipiebant tamen ἀντίδωρον, quod locum obtinebat δώρου. i. e. Eucharistiæ. Tractat hoc Albaspin. *Observat. 35. 36. l. 2.* & vocat Minuta Catechumenorum Sacramenta, ex fidelium oblationibus desumpta; ne igitur Catechumeni in ipsis vitæ Christianæ primordiis, atque dum fingebantur, & animabantur, succi inopia deficerent, aliquô cibo fovendi erant, qui, ut eorum vitæ & naturæ conveniens & similis esset, aliundè quàm ex Oblationibus commodius desumi non poterat. Etenim Christiani generatio & productio, cæterarum rerum ortus & incrementa imitatur, inter quas & ea, quibus nutriuntur, cum aliquam necesse sit similitudinem, & affinitatem intercedere, quâ facilius cæteris corporis partibus assimilentur: eôdem planè modô conceptus ille divinus, qui in Catechumenis formabatur, convenienti aliquo alimento educandus erat: verùm nullus alius magis conveniens inveniri poterat, quam qui ex oblationibus fidelium compararetur: Nam primùm à singulis corporis Christi partibus Deo oblatus, eô nomine sanctus, & religiosus videri poterat; deinde Sacerdos precibus veluti elaboratus, & benedictus fiebat. Postremò in mysterium consecrabatur, quibus omnibus non exiguam vivificandi, & nutriendi vim, & potestatem concipiebat, quâ subinde à Catechumenis haustus, & acceptus eos sibi similes & sanctos efficeret. Ὕψωσις autẽ sive elevatio in veteri Ecclesia consueta non directa fuit ad adorationem hostiæ, ut in Papatu, sed signum erat instantis cœnæ & communionis, ostendi quippe potest aliquid, nec tamen eo fine ut colatur, *Psal. 92*, de Eucharistia non loquitur, aut elevatione corporis Christi, sed de densitate frumenti in capite montium, de quo Gejerus videndus. Ritus etiam sacrificiorum fuit proprius Veteri Testamento, & inter umbras deputandus, nec si analogia intercederet inter illum & Elevationem Eucharisticam, causam Pontificiorum quicquam juvaret; ut nihil dicam, supponi Eucharistiam esse sacrificium. Nec serpens erectus fuit in adorationem,

nem, ſed dejectus, poſtquam cultus inſolens ei delatus. *Tertium* nititur tranſubſtantiatione, quæ merum commentum, imò monſtrum, quod non niſi monſtroſos hactenus edidit fœtus, neque voces μεταβολή, μεταποίησις, μεταστοιχείωσις, converſio & ſimilia, quæ leguntur apud Græcos & Latinos Patres, quicquam faciunt pro Pontificiis, quia notant translationem Symbolorum ad ſacrum uſum, non tranſubſtantiationem. Cyprianus cùm præſentiam ſanguinis quem ſugimus afferit, pro tranſubſtantiatione nihil dicit. Cyrillus participationem Chriſti indicat, non Symbola adorat. Chryſoſtomus dicit, Chriſtum ſe nobis commiſcere, aſſerendo unionem cum nobis myſticam in reali præſentia fundatam, non abolet panem & vinum, quod in tranſubſtantiatione fieri fingitur.

LXXIX.

Huc referendus quoque Cultus Romani Pontificis, qui ſupergreditur metas civilis reverentiæ; qui enim effertur adverſus omnem, qui dicitur Deus aut Numen, ſedet in Templo Dei, & oſtentat ſe ipſum eſſe Deum, is ſanè cultum exigit plus quàm civilem; quæ Dei ſunt propria ſibi attribuit; & conſequenter vult Deus eſſe in terris; Nam qui ſuper πᾶν σέβασμα ſe extollit, ille omni poteſtate politicâ eſt ſuperior, quæ alias immediatè Deo ſoli ſubeſt; qui ſedet in Templo Dei, is in Eccleſiam dominatur, eandem ſibi vult habere ſubjectam, quæ tamen eſt Corpus & Sponſa ſolius Chriſti; qui ſe oſtentat ut Deum, in Eccleſia caput ſe jactat, radios vibrat Majeſtatis divinæ, is ſanè ſe ipſum facit Deum, Idolum quoddam in Terris hiſce adorandum. De Pontifice autem hæc omnia ſunt in propatulo. Nam quis Pontifex non ſe omni Majeſtate politicâ cenſuit eſſe ſuperiorem, qui Regibus & Imperatori ipſi imperare poſſit? quis non deſideravit præeſſe Eccleſiæ, regnare in illa, capitis ſibi arrogare Nomen? quis non actionibus & operum pompa oſtentavit ſe tanquam Deum?

LXXX.

Et quid opus conſequentiis, cùm evidentia extent documenta, ipſi tituli hoc prodant. Deus enim dicitur *in Jure Canonico, cap. ſatis diſtinct. 96.* Rex Seculi, à Juſto Mejero, Papa Pater patrum, Chriſtianorum Pontifex, ſummus Sacerdos, princeps ſacerdotum, Vicarius Chriſti, Caput Corporis Eccleſiæ, fundamentum ædificii

Ecclesiæ, Apostolicæ sedis Præsul, Episcopus universalis, Pastor ovilis Domini, Pater & Doctor omnium fidelium, Rector Domus Christi, Custos vineæ Domini, Sponsus Ecclesiæ, à Roberto Bellarmino, quem certatim cæteri sequuntur. Et cui quæso dictum,

Oraclo vocis mundi moderaris habenas,
Et meritò in terris crederis esse Deus,

nisi Papæ! Cui inclinantur & se submittunt capita Orbis, nisi huic Capiti? ut loquitur Lipsius; cui oscula deferuntur religiosa, & cui Gnathones dixerunt sancte Pater, qui tollis peccata mundi, miserere nostri, & dona nobis pacem; nisi huic Pontifici, qui sandalia porrigit in cultum, nec ad superiora etiam summos admittit?

LXXXI.

At quàm impium sit, ita venerari Pontificem Romanum, *Præcepti nostri* docet *indoles*, in quo tàm severè Deus prohibet, nè alius præter ipsum vel coram ipso colatur, in quo cultum omnem religiosum indivisibiliter sibi debitum appropriat, in quo idololatriæ damnat omnem cultum non vero Deo exhibitum; *Ipse Paulus* notam Antichristi ponit, efferre se adversus omnem, qui dicitur Deus, vel ut Numen sedere in Templo Dei, & in illo se ostentare ut Deum, 2. *Thess.* 2. *Recta* denique *ratio*, quæ ultra esse humanum nihil deprehendit in Pontifice, animadvertit scelerum tubera, Insaniæ damnat hanc prodigiosam cultus speciem; ridet & exsibilat.

LXXXII.

Quanquam autem *primò* intolerabilem hunc fastum amoliri nitantur Pontificii Scriptores, & removere velint ab illorum Præside, humilitatem deprædicare soleant illius, utpote qui glorietur, se Dei servum esse, merum tamen est spectrum & glaucoma, quod simplicioribus imponere potest, nunquam cordatis. Mysterium enim evolvit Alexander à Turre, Canonicus Lateranensis *Radio* 24. scribens: Nec affirmare dubitem, inquit ille, celsissimam Pontificum Majestatem ita latè patere, ut Pontifex qui tam electo ac prædilecto regno præest, Deus ac Dominus jure dicatur in terris. Quocirca aptè ajunt Factum Papæ Dei factum censeri; & idem censendum esse Dei & Pontificis Consistorium, à quo non possumus appellationis diffugio recedere. Ad exprimendam igitur subtilissimam tanti Pontificis præstantiam, multa variaque adinventa sunt nomi-

na,

na, ut illud decus, quod unâ vocabuli significatione exprimi neutiquam potest, pluribus in unum coacervatis, aliqua ex parte depromatur. Propterea qui vices vivi Dei gerit in Ecclesia, non solùm Reverendissimi, cæteroqui Beatissimi atque Sanctissimi decoratur titulis, sed etiam nuncupatur Archiepiscopus, Princeps Apostolicus, Summus Sacerdos, Princeps sacerdotum, Pater patrum, Episcopus Episcoporum & culmen eorum, Militantis Ecclesiæ ovium & agnorum Pastor, Romanus antistes & præsul, Christi vicarius, Successor Petri, Mundi arbiter, Dominus & Magister omnium perillustrium dignitatum, Fons & origo, à quâ tam Regiæ quàm Imperatoriæ profluunt dignitates, nec Deus nec homo, sed admirabile quoddam inter utrumque Numen. Verumenimverò Pontifices illi, qui crebrò sese in vita Domini ceu in lucidissimo speculo inspiciebant & explorabant, licet in sublimi degerent honorum culmine, nihil omninò sibi tribuentes, ad cultum solum ac famulatum Christi ovibus impendendum se natos arbitrati, tot tantisque posthabitis dignitatis encomiis, cunctorum servorum Dei servos se dixerunt, ac humillimo ejusmodi titulo perenni cum laude seipsos condecorârunt. Hinc nobile ortum est distichon,

Servierant tibi Roma olim Domini Dominorum,
Servorum servi nunc tibi sunt Domini.

LXXXIII.

Rectè itaque Trevirensis Archiepiscopus, & alii Germaniæ Præsules, cum ipso apud Aventinum: Tu pontificis quidem personam præ te fers, at tyrannidem agitas; sub habitu & cultu pastoris lupum sentimus: Titulus parentem mentitur, tute factis Jovem ostentas; cùm sis servus servorum, Dominus Dominorum esse contendis; juxta disciplinam Christi Servatoris nostri infimus es omnium Ministrorum Templi Dei; tu verò libidine dominandi in principem abis; quicquid tibi libet, licet, fucus factus es Christianis.

LXXXIV.

Secundò dicant, Pontificem non sedere in Templo Hierosolymitano, utpote quod Dei Templum phrasi Scripturæ; tamen & hoc inter figmenta deputandum. nam *primò* phrasis Scripturæ docet Ecclesiam dici Templum Dei, *1. Cor. 3. v. 9. & 10. 2. Cor. 6. v. 16. Ephes. 2. v. 10. Apoc 11. v. 19.* Docet *secundò* Experientia,

 Tem-

Templum Hieroſolymitanum eſſe deſtructum, Ecce, inquit ipſe Deus, relinquetur vobis domus veſtra deſerta, *Matth. 23. v. 38.* adde *Daniel. 9.* Docet *tertiò* Conſenſus Patrum. Auguſtinus *lib. 20. de Civitate Dei cap. 19.* Hieronymus *quæſt. 11. ad Algaſiam.* Chryſoſtomus *in locum 2. Theſ. 2.* Theodoretus, Ambroſius, Theophylactus, Oecumenius, imò ex Pontificiis ipſe Cajetanus; & quid quæſo Templum Dei, niſi Sedes ſacra? ut quidem vocatur Roma, in qua Pontifex ſedet, regnatque.

LXXXV.

Tertiò quamvis reponãt, Papam non ſe efferre ſupra omnẽ Deum aut Numen, nec ſe oſtentare in Eccleſia ut Deum; hoc enim eſſe ex profeſſo & palàm ſe opponere Chriſto, adeoq; ipſi Deo; at Pontificem ſeſe vocare Vicarium Chriſti, agnoſcere ſuam ſubordinationem ad illum; non tamen ſincerè agunt; nam *primò*, quis credat, hoc fuiſſe intentum à Scriptore divino? talis quippe debet eſſe elatio, talis oſtentatio, quæ cum myſterio conſiſtere poteſt, quæ coadmittit ſeſſionem ſive Imperium in Eccleſiam. *Secundò* non tantùm dicitur, AntiChriſtum ſeſe elaturum ſupra Deum, ſed & πᾶν σέβασμα, auguſtam Majeſtatem, Religionem & ſacra; quis verò eſt, qui ignoret, Pontificem ſe extollere ſuper Imperatorem, Religionem habere & omnia jura divina in ſcrinio pectoris ſui, Sanctos canoniſare, & Deum Maozim proſtituere colendum? *Tertiò* vox ὑπεραίρειν non notat, nullum juxta ſe pati Deum, ſed ſuperbire, & conſequenter ſe efferre ſupra Deum, quo quidem ſenſu uſurpatur de Adonia, *1. Reg. 1. v. 5.* Annon autem Pontifex adverſus Deum ſuperbit, eidem obſtrepit, poteſtati illius ſeſe ſubducit, & non tàm dicitur AntiChriſtus & ἀντικείμενος ex aperta oppoſitione, quàm prætenſâ ſubordinatione? nec malè non nemo: Quod ἀντικείμενος poſſit complecti, cum ſignificatione hoſtilitatis, ſignificatum Vicariatus & ſubſtitutionis, cujus prætextu hoſtilitas illa exerceatur, non negabit quicunque non ſolùm apud Ariſtotelem, ſed etiam apud Suidam legerit, τὸ ἀντικείμενον τετραχῶς ἀντικεῖσθαι; ἢ γὰρ ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις; ἢ ὡς τὰ ἐναντία; ἢ ὡς ἕξις καὶ στέρησις; ἢ ὡς τὰ πρός τι. Nihil uſitatius apud Græcos Scriptores, quàm illud ἀντὶ in compoſitione, comparationem, ſubſtitutionem & vicariatum denotare. Talia ἀντίβιον, ἀντίζυγα, ἀντίθεος, ἀντίπυργος, ἀντίρροπος, ἀντίστροφος, ἀντιτάλαντος, ἀντιπάδελφος

δελφὸς, ἀντιμισθωτὴς, ἀντιτιμία, ἀντιστρατηγὸς, de quibus Hesychius: Sic ἀντίψυχος dicitur mortem pro altero obiturus, ut Alcestes pro Admeto, Damon pro Pythia; & ἀντίδειπνος Luciano is est, qui in absentis convivæ locum vel ab ipso mittitur, vel à convivatore tanquam vicarius subrogatur. De primo suffecerit fere annotasse, quod Grotius habet ad *Matth. 11. verf. 22.* super illud ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ; Ἀντὶ, fuerit in Hebræo חלף, ut nunc in Syro, quæ vocula interdum delegationem, hic verò aliisque in locis successionem indicat. Sic *Matth. 5. v. 38.* ὀφθαλμὸς ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, ὀδοὺς ἀντὶ ὀδόντος; *Luc. 11. v. 11.* ὄφις ἀντὶ ἰχθύος; *Marc. 10. v. 45.* venit filius hominis δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν; *1. Cor. 11. v. 15.* ἡ κόμη ἀντὶ περιβολαίου δέδοται αὐτῇ; *Hebr. 12. v. 16.* Esau ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ; in quibus omnibus substitutio est agnoscenda, non hostilitas vel contrarietas. Secundum multis exemplis potest comprobari. Ipse Grotius ad *Matth. 16. verf. 26.* observat ἀντάλλαγμα, idem esse quod ἐξίλασμα aut λύτρον. τὸ ἀντέχεσθαι, quod forte *Matth. 6. v. 24.* hostilitatem aliquam infert, nihil tale connotat *1. Thess. 5. v. 14.* ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν, sublevate infirmos, ut nec *Tit. 1. v. 9.* Sic ἀντιλαμβάνεσθαι & ἀντίληψις *Act. 20. v. 35. 1. Tim. 6. v. 2. 1. Corinth. 12. v. 28.* Sic ἀνθύπατοι, Proconsules dicuntur *Actor. 19. v. 38.* Sic ἀντιμισθία, *2. Corinth. 6. v. 13.* ἀντίλυτρον, *1. Tim. 11. v. 6.* ἀντίτυπα, *Hebr. 9. v. 24. 1. Pet. 3. v. 21.* Ipsi Grotio ad *Luc. 11. v. 38.* ἀνθομολογεῖσθαι, idem est quod ἐξομολογεῖσθαι. Ita LXX. Seniores dixerunt ἀντίγραφον rescriptum, *Hesth. 3. v. 14. cap. 4. v. 7.* pro duplo sive Copia scripti; & ἀντιπρόσωπος, *Exod. 26. v. 5.* se mutuo respicientes: eodem sensu ἀντιπρόσωπα dixerant *Gen. 15. v. 10.* ubi manifesta est relationis oppositio, & eadem vox קראת, quam ἀντικείμενα reddunt *Esaiæ 51. v. 19;* Sic & ἀντιστήριγμα posuerunt pro fulcro & sustentaculo, *2. Reg. 22. v. 19. Psalm. 17. v. 21.*

LXXXVI.

Transimus ad cultum non Entium, omnium quotquot sunt in Orbe, quem recitâsse est refutâsse. Ita autem Gabriel Vasquez, *Tomo primo in tertiam partem Thomæ Quæst. 25. cap. 2. disp. ex pag. mihi 1072.* Perspecta bene doctrina à nobis tradita disputatione 108. & 109. non solum imago depicta, & res sacra autoritate publica in

 cultum

cultum Dei exposita, sed quævis etiam alia res mundi, sive inanima, & irrationalis, sive rationalis, ex natura rei, & secluso periculo rite cum Deo, sicut imago ipsius, adorari potest. Hanc opinionem tradit Cajetanus 2. 2. quæstione 103. articulo tertio ad quartum dubium, eaque facili ratione confirmari potest. Primum autem in hoc capite de rebus inanimis, & irrationalibus, sequentibus verò de homine, & creatura rationali dicendum est. De inanimis ergò rebus disertis verbis id docuit Leontius in illo quinto dialogo contra Judæos, qui refertur in septima Synodo actione 4. ubi cum Judæus dixisset, præceptum esse in scriptura, nullam creaturam coli, & honorari, Christianus probavit ex ipsa Scriptura terram, & montes adorari posse, ex illo Psalmi 98. Adorate scabellum pedum ejus, quod *Esaiæ cap. 66.* terra esse dicitur, & ex illo ejusdem Psalmi, Adorate in monte sancto ejus, cui respondet Judæus his verbis: Sed tamen non ut Deos sed per illa eum, qui hæc fecit, adores. Quod responsum approbans Christianus, sic ait: Fidelis sermo: quamobrem scias & tu, quod & ego per cœlum, terram, mare, ligna, lapides, reliquias, templa, crucem, angelos, homines, per omnem denique creaturam visibilem, & invisibilem, omnium autori Domino, & factori soli adorationem, & cultum exhibeam. Non enim per se creatura autorem adorat; sed per me cœli enarrant gloriam Dei; per me Deum adorat Luna; per me Deum glorificant astra. Subdit deinde. Sicut Rege aliquo bonam coronam, pulchram, & speciosam suis manibus contexente, omnes, qui bene erga Regem affecti sunt, eam amplectuntur, & coronam venerantur, non sanè aurum, aut margaritas venerantes, sed verticem Regis, & doctas illas manus, quæ coronam fecerunt: ita ô homo, Christianorum populus quascunque crucis, & imaginum figuras amplectuntur, non ipsis lignis, aut lapidibus vel auro, aut corruptibili imagini, aut capsulæ, aut reliquiis cultum præstant, verum per hæc Deo omnium factori gloriam, venerationem, & cultum exhibent. Hactenus Leontius, cujus verba adeò perspicua sunt, ut explicatione pro hac nostra sententia non egeant. Obiter quoque observandum est id, quod *disp. 108. cap. 5.* ex eodem Leontio notavimus; nempe imagines venerandas esse, instar aliarum rerum insensibilium, ita ut tota mentis intentio in exemplar, non in imaginem feratur, siquidem

quidem Leontius asserit, dum imagines amplectuntur Christiani, eos, non ipsis, sed Deo cultum deferre: intelligit sane affectum servitutis interiorem; nam exteriorem cultum, qui in amplexu, vel alio signo consistit, imagini etiam concedit, ut ex verbis citatis manifestum est. Cum verò idem Leontius in eodem dialogo circa finem contra Judæum ait in hæc verba: Cum igitur Christianos crucem adorare conspexeris, scito quia crucifixo Christo honos impenditur; tantum abest, ut lignum colant. Nam si ligni naturam adorarent, profectò omnes sylvas, & arbores adorando venerarentur: intelligendus est de adoratione in spiritu, & affectu servitutis, quo in ipso ligno numen constitueretur. Nam de ea adoratione, quæ exhibetur corporaliter in signo, id non negaret, cùm per lapides, & alias inanimas creaturas jam antea planè concessisset, Deum posse à nobis adorari. Quem sensum sequentia verba manifestè indicant, Quemadmodum (inquit ad Judæum) tu Israel aliquando hæc (scilicet ligna) adorasti, ligno & arbori dicens, Tu mihi es Deus, tu me produxisti. adde sequentia, quæ ibi leguntur.

LXXXVII.

Diximus hæc recitâsse esse refutâsse; quanti enim testimonium Leontii in tàm gravi causa, in tàm religioso negotio? quanti argumentum de imagine picta & veste reipsa separata à Rege? quorum prius nunquam adorabile esse admittimus, posterius verò coli negamus; quanti repræsentatio, contactus realis, pars totius, opus Dei? si *primum* enim fulcit adorationem, omnes picturæ, repræsentantes aliquid sacri, erunt adorandæ; si *alterum*, Asinus, quem Christus dignatus est contactu reali, & terra, quam pedibus pressit, erit religiosè adoranda, colenda; si *tertium*, etiam viventium sanctorum partes prostitutæ erunt ad venerationem; si *quartum*, nullus gentilium unquam peccavit, adorando creaturas, & malè contra ipsos conclusit Philo, *Sap. 13. vers. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.* frustrà reos egit Paulus, *Rom. 1. v. 22, 23, 24, 25.* Ubi verò Jacob, erigendo Lapidem in titulum, per illum & in illo Deum adoravit, promantur Tabulæ, ostendatur Testimonium; si Terram aliquis adorare & pronus quivis fidelis inclinare potest se ad illam, quid mali fecerunt Gentiles Terram, Veteres Germani Herdam venerantes? Num verò juramenta per creaturas probanda, quæ frequentantur in Papatu?

tu? num non dicit Latriam, quæ soli Deo convenit? num Christus prohibendo, nè juretur per cœlum & terram, abusum tantùm taxat, & non usum ipsum improbat? Num denique manipulus straminis, tanquam imago Trinitatis, colendus religiosè, quod prodigiosè Vasquezius concedit? quicquid verò sit de propositione, nihilominus sequitur adorabiles esse omnes creaturas, nec peccare illum ex hâc sententiâ, si adoret quicquid obvium, sive Homo, sive Asinus, sive Lapis, & si creaturæ omnes sunt adorabiles, deberent etiam proponi, ut debitus cultus ipsis exhiberetur. Ponamus enim, Numen esse adorabile ex Majestate, quâ gaudet, etiam populus invitandus erit ad cultum, qui illi debetur; ita adorabilitatis fundamento in quavis re posito vel admisso, qui non etiam monendus erit populus, ut actum exhibeat religiosum illi, cui debetur, vel si periculum aliquod imminet ex illa propositione omnium creaturarum ad cultum religiosum, cur defenditur, ut ex quo periculum indecentiæ & superstitionis? quod aut per se sequitur ad propositionem, aut per accidens, si per se, habetur intentum, si per accidens, non esset attendendum, quia etiam ad propositionem veri Numinis quandoque per accidens sequitur periculum superstitionis, erroneus conceptus, cultus incompetens.

LXXXVIII.

Nec prætereunda species Cultus non Entium, Divorum Chimæricorum, qui nunquam fuerunt in rerum natura, aut quos fuisse nullâ saltem fide historicâ, ne quidem vulgari humana constat. Introducta est Ursula cum suo fœmineo comitatû undecies mille Virginum; cujus res gestæ conjiciuntur in annum Christi 238. Sed isti mythologiæ rectè opponitur; 1. Quòd Scriptores & Historici istius temporis, imò & sequentium aliquot sæculorum, Politici, Ecclesiastici, universales, particulares, &c. nominatim Eusebius, Socrates, Sozomenus, Evagrius, Theodoretus, Sulpitius Severus, Paulus Orosius, Cassiodorus, &c. nihil tale referant: cùm tamen rem tantam illi omnes, aut plæriq; eorum, si vera foret, ignorare non potuissent; neq; causa dici possit, cur eam reticuissent; Primi autem ejus meminisse dicantur Wandelbertus Prumiensis, anno ɪↄcccɪ. & anonymus Scriptor vitæ Cuniberti Episcopi Coloniensis: sed valdè generatim & indefinitè. Insufficientia Testium: sunt enim aliqui

liqui notoriè mendaces; ac proindè intestabiles; neque ab ipsis Adversariis admittuntur. Ità Legendam auream ipsorum nonnulli ferream appellant, ejusque Auctorem plumbei cordis & ferrei oris, &c. Qui primi indefinitè talis cujusdam rei gestæ meminerunt, valdè remoti fuerunt ab illo tempore; longiùs autem, qui mythologiam descripserunt, neque inter se consentiunt, nec sibi ipsis fidunt. Testimonia, judicia, & argumenta contraria quorundam adversariorum. Quòd historia nullo modo cum tempore conciliari possit; ac proindè alia illi tempora à posterioribus assignentur ex ingenio: neque cum circumstantiis locorum, urbium, regionum, nationum, regnorum; undè etiam alii aliam deinde topographiam commenti sunt; neque cum descriptione rerum, personarum, factorum, &c. Vana igitur est fiducia & gloriatio, tùm aliorum, tùm nominatim Coloniensium, in Reliquiis istarum Virginum, in earum Patronatû ac tutelâ, atque universo cultû Ejusdem farinæ est fabula *Trium Regum*, eorumque cultus in Papatu; atque item Catharinæ, Christophori, Georgii, Longini, Martialis, Petronellæ, Veronicæ, Margaretæ, Hippolyti, Septem dormientium, &c. Affinis existit invocatio Rerum quarundam inanimatarum, ac si ratione, sanctitate, beatitudine, & facultate hominibus succurrendi, gauderent; utpotè Ave sanctum chrisma; Sanctum sudarium ora pro nobis; Sanctissima Dei mappa ora pro nobis &c. Adde Sanctos non sanctos; sed hæreticos, aut idololatras, aut improbos, aut fatuos, &c. itemque exsanctos, ex Sanctorum catalogo, in quo priùs comparuerunt, & honorati fuerunt, posteà expunctos.

LXXXIX.

Non tantùm verò viget Idololatria in Papatu, sed etiam apud illos, qui sincero cultu Deo soli adhærere volunt, talia deprehenduntur, quæ eos planè non immunes ab hoc peccato esse arguunt. Filios seculi tantùm producemus in Theatrum, quibus Deus collateralis placet, & eo ipso nullus est Deus: noti sunt versiculi Baptistæ Mantuani, de triplici Idolo,

Ambitiosus Honos, & Opes, & fœda Voluptas,
Hæc tria pro trino Numine Mundus habet.

Quot enim quæso sunt in hoc Orbe, quibus Gloria Numen? qui vel

seipsos deificant, nimium de se ipsis præsumunt, tanquam Deaster quispiam in se ipsos radios Luminum vibrant, reflectunt, vel, qui ab aliis suspici volunt & coli, ut Numen, vel denique, qui talem honorem, Deo injuriosum, hominibus deferunt? *Primi generis* exempla videmus in Alexandro M., qui maluit natalium veritatem abnegare, quàm Divinitatis Majestate carere. Cajo Caligula, monstro hominis, qui Deorum simulabat vultus, vestibus utebatur, Templa sibi faciebat propria. *Secundi generis* sunt illa gloriæ Animalia, qui cum Jasone esurire malunt, quam non imperare, cum Absolone favores aucupantur, & corda hominum furantur, cum Domitiano Deos se pronunciant haberique volunt, parasito aliquo ad imperium illorum accinente: Edictum Domini Deique mei. *Tertii* denique *generis* sunt illi, qui aulas sectantur, Jus canonicum profitentur & Papam evehunt, sputa lingunt patronorum, quos passim sibi deligunt.

X C.

Non malè de his D. Gejerus, ad *Psalmum 49. v. 12.* Prædicant Nomina sua per terras, ita Piscator: vel secundum Belgas: Sie ruffen auß jhre Nahmen. Lutherus: und haben grosse Ehre auff Erden: olim: und wird (jhre Wohnung) wohl nach jhren Namen genennet werden auff Erden. Hieronymus & Vatablus: vocaverunt nominibus suis terras suas, v. g. Alexander Alexandriam, Antiochus Antiochiam, Seleucus Seleuciam: sic Absalom monumentum suum vocabat nomine suo in defectu filiorum, 2. *Sam. 18. v. 18.* ita urbs Hanoch *Genes. 4. v. 17.* confer *Num. 32. v. 38.* ubi de filiis Ruben dicitur, quod וַיִּקְרְאוּ בְשֵׁמוֹת nominibus suis appellaverunt nomina urbium, à se ædificatarum. ita & Bertram luc. Franc. pag. 8. Bochar. phaleg. f. 281. Sed si intueamur constructionem verbi קָרָא vocavit, cum nomine שֵׁם intercedente (ב) præfixo, deprehendimus, eandem vel (1.) reddi debere: vocare aliquem suô nomine genuinô, v. gr. *Jes. 43. v. 1.* vocavi te nomine tuô, meus es tu, &c. sic *cap. 45. v. 3. 4. &c.* vel (2) celebrare alicujus nomen, illud palàm apud alios decantare, prædicare, v. g. *1. Par 16. v. 8.* laudate Dominum, קִרְאוּ בִשְׁמוֹ prædicate nomen ejus, nota facite ejus opera: sic *Psal. 105. v. 1. Jes. 21. v. 4.*

12. v. 4. item *Jerem. 10. v. 25.* gentes, quæ בשמך לא קראו nomen tuum non celebrant: vel (3.) nomen alicujus invocare, ut *Zachar. 13. v. 9. Jes. 65. v. 1. &c.* Quapropter ad nostrum textum mediam accommodamus significationem, ut sensus sit: intima eorum vota ac consilia sunt, ut vocent vel deprædicent aut celebrent (alii, i. e. impersonaliter, ut *vocentur*, quomodo *Gen. 16. v. 14.* dicitur: קָרָא vocatur puteus iste: confer *Psalm. 31. v. 5. Ps. 42. v. 4.*) nomina ipsorum super terram, h. e. ut fiant celebres, in ore omnium versantes: quod ipsum expressit etiam Lutherus: **und haben grosse Ehre.** item Mollerus: vocentur nominibus suis ארמורת super terris: pluralis indicat insatiabilem ambitionis appetitum, quod non contenti sint ejusmodi mundani in unâ aliquâ regione volitare per ora virorum, sed expetant idipsum per terras plures aut universas. Licèt enim multoties in singulari occurrat אֲדָמוֹת, nullibi tamen deprehendes pluralem, præterquam h. l.

XCI.

Nec tantùm inveniuntur, qui honores sitiunt, sed etiam opes & auri sacrâ fame laborant, Mammoni serviunt Deo derelicto, putant aurum robur suum, & obryzo dicunt fiducia mea, ex *Jobi cap. 31. v. 24.* qualem describit Plautus: Nunc ibo ut visam, sit ne ita aurum, ut condidi. Et mox Anus Staphyla

—— Ita miseram me ac hunc in modum
Decies die uno sæpe extrudit ædibus!
Nescio pol! quæ illunc hunc hominem intemperiæ tenent:
Pervigilat noctes totas, tum autem interdiu
Qualis claudus Sutor domi sedet totos dies.

Sic Chrysostomus, in h. l. ubi illo quoque argumento demonstrat, avarum idololatrâ pejorem esse, quia, qui idola adorant, honori habent, quæ adorant, si quis contradixerit, pro virili tuentur. At avarus non potest defendere avaritiam, imò ipse sæpe taxat, & eos, qui illam colunt, in universum omnes improbat.

XCII.

Rectè Prosper *lib. 1. de vita contemplativa cap. 13,* si quis militat Deo, fugiendæ sunt ex toto Corde divitiæ, quas qui habent sine

labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.

XCIII.

Tandem fœda voluptas passim regnat, Venter Deus est quamplurimis, de quibus *Philip. 3. v. 19.*

XCIV.

Graviter Chrysostomus de hisce: Erant quidam simulantes Christianismum, remissè tamen & delicatè viventes: hoc autem contrarium erat cruci. Quapropter ista dixit. Crux enim enim animi est ad aciem instructi & mortificati, nihilque remissi quærentis: illa verò contraria sunt conversationi. Itaque etsi dicant, se Christi esse, sunt tamen inimici crucis. Nam alioqui si crucem dilexissent, vitam studuissent vivere crucifixam, id est, ut Theophylactus addit, amarulentam. Theodoretus eos crucis inimicos vocavit, ut qui docerent, quòd sine legali vitæ institutione non posset quisquam salutem consequi. Huc referenda λ'ο... λατρεία & Magia.

CAPUT III.

De

VIRTUTIBUS PRÆCEPTIS.

THESIS I.

REmovimus illa, quæ adversantur primo huic Effato: Hinc illa veniunt spectanda, quæ imperantur; quorum primum *Fides*, quam Paulus describit, quod sit πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. *Sperandarum substantia rerum, argumentum non conspectarum Ebr. 11. v. 1.* quæ verba ita exponit B. Avus *in Epistolam ad Ebræos commentario p. 635.* Fides est certissima fiducia, quod promissa cœlestia bona simus consecuturi, quæ in spe expectamus: quin etiam fides ad corporalia beneficia, à Deo promissa, sese extendit: & certo statuit fides, de rebus etiam nondum apparentibus, quasi ea jam in manu haberet. Quare non habet locum apud Christianos dictum illud Comici: Manus meæ oculatæ

culatæ ſunt, credunt, quod vident. Beati, (inquit Chriſtus) qui credunt, & non vident, *Johan.* 20. Prorſus autem explodenda eſt Pontificiorum ſententia, qui jubent nos dubitare, an ſimus in gratia apud Deum: & an in ea ſimus ad finem usque perſeveraturi, & ſalutem æternam conſecuturi. Quantum enim accedit dubitationi, tantum decedit fidei.

II.

Conſtat hæc Virtus Theologica primò *Notitiâ*, vocabulo laxius accepto, in quantum non notat præcisè ſcientificam aliquam γνῶσιν, quâ quidem ratione Ariſtoteles *lib. 1. poſterior. analyticorum* accepit, ſed qualemcunque & undecunque hauſtam, quæ ſæpius in τῷ ὄτι acquieſcit, nec ad cauſam proximam & immediatam penetrat. Hanc partem fidei ſtabilit Paulus, cùm dicit, *πίστει νοοῦμεν, fide intelligimus, conſtructa eſſe ſecula. Ebr. 11. verſ. 2.* ſtabilit ipſa origo illius, quæ ex verbo revelato, cui illa reſpondet in genere Notitiæ; *Quomodo enim invocabunt eum, in quem non credunt? quomodo autem audiant absque prædicante*, inquit Paulus *Rom. 10. verſ. 14.* Denique ipſa etiam aliorum hic hærentium hypotheſis; ſtatuunt enim eſſe Aſſenſum: at verò Aſſenſus ſenſum mentis præſupponit, notitiam prærequirit illius, cui aſſenſus exhibendus, Lumen exigit ſpirituale, quod tenebras aliquatenus diſcutiat, quibus per naturam ſumus impediti. Secundo conſtat illa *Aſſenſu*; hanc partem reſpicit Johannes, dicens: *Non credens Deo mendacem facit eum, 1. Epiſtola cap. 5. v. 10.* Confirmat origo fidei. Eſt enim illa ex Verbo divino, quod firmo Aſſenſu amplectendum, *Excepiſtis*, inquit Paulus, *Sermonem meum, non ut ſermonem hominum; ſed, ſicut verè eſt, ut Dei ſermonem, qui etiam agit in vobis, qui creditis, 1. Theſſ. 2. v. 13.* Tandem ipſa etiam Adverſariorum confeſſio, qui vel in ſolo aſſenſu fidei naturam volunt eſſe ſitam. Videatur Bellarminus, & illi qui eundem ſequuntur. Tertiò *Fiduciâ*. Hanc intimat *Eſaias cap. 26. verſ. 4.* dicens: *confidite in Domino, usque in perpetuum, quia in Domino petra ſeculorum.* Hanc ipſa Origo fidei indicat, eſt enim illa ex verbo divino, ex veritate revelata, ex promiſſione cœleſti, quapropter eidem inhæret fixa. *In promiſſionem Dei non diſceptavit diffidentia Abrahamus, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo & ſciens pleniſſimè, quod quia promiſit potens eſt & facere*

testatur, *Paulus Rom. 4. v. 20. 21.* Denique ipsorum Dissentientium adstipulatio, qui si quando extra æstum loquuntur, veritati se submittunt. Sane Bellarminus *lib. 1. de justificatione, Cap. 11.* Illud Jacobi, postulate in fide, nihil hæsitans exponit, ut excludat dubitationem, ut contrariam &c. ita admittit, ut nostræ sententiæ accedat, & illam asserat scribendo: Jacobum loqui de fide, quæ gignit fiduciam, ac per hoc non tantum incredulitatem, sed & diffidentiam excludere.

III.

Postremam hanc partem fidei, quæ quasi anima illius, egregiè sistit Cyprianus *lib. 2. ep. 6.* dum scribit: Christus dat credentibus tantum, quantum se credit capere, qui sumit. Augustinus tract. 29 in Johan. Credere in Christum, est credendo amare, credendo diligere, credendo in illum ire & membrum ejus effici. Idem serm. 7. de verbis Domini: Interrogo nunc, credisnè ô peccator Christo? dicis, credo. Quid credis? gratis universa peccata tibi per ipsum posse remitti? habes, quod credidisti. Theophylactus com. in *Marc. 11.* Qui magna affectione credit, cor suum omninò extendit ad Deum, & ut ipsius Davidis verbis utar, effundit animam suam coràm DEO: quia extendit cor suum ad Deum, unitur illi & fervefactum cor ejus magnam certitudinem sumit, quòd voti compos fiat, id quod experti sciunt omnes.

IV.

Cum hâc virtute & contra primum hoc præceptum, *primò* pugnat, si consideres requisitam Notitiam, *Ignorantia*, quæ vel dicit simplicem absentiam γνώσεως, & defectum fidei, quo omnes homines per naturam laborant, & ut, si Adamus perstitisset in statu integritatis, de Lumine concreato participassent, ita labente illo & nobis in eo, destituimur Luce, ignorantiâ laboramus, imò caligine circumfundimur, ita ut oculos noster sive mens nostra sit, ut oculus Nycticoracis ad Solem intuendum, si Deus & divina proponantur, de quo A. C. & libri Symbolici; vel dicit etiam voluntatis vitium, aliquid affectati, quo laborant maximè adultiores vel in Gentilismo, vel etiam quandoque hi vel illi in Christianismo, experientiâ teste. Ipsi quidem scire possent Nobile verum, vel successivè pertingere ad gremium Ecclesiæ, cui concredita λόγια τῦ θεῦ, vel attendere ad Lychnum

Lychnum Verbi, præ oculis illorum, expositionem Scripturæ, quam exhibent Doctores, sed faciem nauseabundi avertunt.

V.

Huc referimus *Fidem Implicitam* in Papatu, quæ nihil aliud quàm ignorantia, ut etiam censeant fidem melius per ignorantiam, quam per notitiam definiri, ut constat ex Bellarmino *lib. 1. de justificatione cap. 7.* de qua ratione Formæ hæc habemus: Maxima pars fidelium, vel propter ætatem puerilem, vel propter sexum muliebrem, vel propter ingenii hebetudinem, vel propter imperitiam literarum & scientiarum, quales sunt penè omnes rustici, non solùm non intelligunt mysteria Trinitatis, & Incarnationis, & similia necessaria ad salutem, sed vix quicquam animo concipiunt, præter sonum verborum; & tamen inter fideles meritò numerantur, cum fatentur se credere, Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, juxta sensum Ecclesiæ. Ratione Objecti, Stapletonus quidem docet, non versari illam circa Mysteria Redemptoris Christi, ejusque in nos beneficia, sed tantùm circa subtiles quasdam considerationes Mysteriorum Christi, aut quædam eorum antecedentia & consequentia, quæ salva fidei compage diversè à diversis intelligi & explicari possunt, verum subdolè; nam *primò* Patrem esse majorem prioremvé Filio, vel Personas Trinitatis distare localiter cadunt in implicitam fidem, num verò hæc sunt subtiles considerationes, aut quædam antecedentia vel consequentia, quæ salva fidei compage diversè à diversis possunt intelligi? Si vetula, inquit Angelus de Clavasio, credat Trinitatem esse unam fœminam, & quia Ecclesiam credit sic tenere, credat, non est hæretica, quia conditionaliter credit, si Ecclesia sic tenet & credit, peccatque in hoc puncto tantùm venialiter. Num autem Trinitatem esse fœminam nec ne, est subtilis tantùm consideratio Mysterii? *Secundò* si hæc esset implicita Fides pontificiis, quæ occupata tantùm circa subtiles quasdam considerationes Mysteriorum Christi aut quædam eorum antecedentia & consequentia, quæ salva compage diversè à diversis intelligi & explicari possent, omnes etiam Seraphici & Cherubici Doctores in papatu plus non haberent in pectore, quàm fidem implicitam, circa quam plurima, quæ in Papatu sunt controversa; Nam quis nescit circa illas subtiles considerationes illos occupari, & Cadmæos

mæos fratres per mutua vulnera ſeſe in illis conficere. Imò nullus hominum Chriſtianorum eſt, nullus Theologus cujuscunque conditionis, qui non hâc ratione in ordinem Laicorum referendus, & implicitæ fidei arguendus. Longè aliter Hoſius *contra Brentium* fidem implicitam expoſuit, Carbonarium producendo, qui Viro docto reſpondit, ſe credere quod Eccleſia credit; & inſtanti, quid ergò crederet Eccleſia, reſpondit, id quod Ego. *Tertiò* ſi Fides implicita eſſet tantùm circa ſubtiles quasdam conſiderationes, cur itaque illam faciunt propriam Laicis & Clericis inferioribus? qui propter ignorantiam vel hebetudinem ingenii, vel ſumptuum & mediorum defectum, etiam ad mediocrem non poſſunt pertingere rerũ divinarũ Notitiam, & propterea debent credere, quod paſtor ſuggerit, citra diſcrimen excipere, quod ille proponit, atque ita oſcitante ipſo quoq; oſcitare, & cœcum vel Lumine luſcum bruto animo & pede ſimplici inſequi. Ratione *denique* Effectus hæc fides implicita, quâ fidelis credit, quicquid Eccleſia credit, ſecundũ ipſos eſt utiliſſima fideli. Nam ſi fuerit in corde, defendit ab omni hæretica pravitate, ut dicit Occam *in tractatu de ſacramentis* & poſt eum Gerſon. Non enim aliquatenus hæreticari valet, qui corde credit, quicquid Eccleſia catholica credit, id eſt qui credit illud: quicquid eccleſia credit eſt verum, quoniam talis nunquam pertinaciter alicui errori contrario fidei adhæret. Nam etſi erroneum aliquid credit, poſtquam illi oſtenditur, contrarium hujus credere eccleſiam, continuo corrigit errorem; non enim ſtant ſimul credere illud: Verum eſt quicquid eccleſia credit, & non credere aliquod, quod Eccleſia credit apprehenſum, ut tale. Hoc eſt uno verbo, quod eos tanquam Circes poculum dementat, & homines in bruta transformat, quod agnoſcit Thomas egregiè, *ſecunda ſecundæ Quæſt. 2. & 6.* Myſterium exponens & ſcribens, minores qui ſignificantur per aſinos incredulos, debent adhærere majoribus, qui per boves ſignificantur, nihilo ſapientioribus quàm aſini.

VI.

Ut autem Ignorantia dividitur ratione Subjecti & Gradus, *in ſimplicem & cum malitia voluntatis junctam*, ſic quoque ratione objecti dividitur in illam, quæ eſt *juris & facti*. Loquimur autem de ignorantia vincibili. Utraque opponitur fidei, & adverſatur huic

præ-

præcepto. *Facti* quidem, cum quis ignorat, se in hoc vel illo delinquere, agere contra Deum ejusque voluntatem, scire verò potuisset factum hoc esse adversum divino præcepto, modò attendisset, omnia expendisset, media prærequisita debitè fatigâsset. *Juris* verò, cùm quis ignorat aut ignorantiam prætendit Legis divinæ vel insitæ vel præscriptæ, cum tamen conscientiæ forulos excutiendo potuisset deprehendere, hoc vel illud esse fœdum dictum vel factum adversum Deo, inimicum principiis insitis, vel ad verbum revelatum respiciendo, facilè agnovisset, quid eidem conforme vel disforme.

VII.

Non tantùm autem fidei, quoad notitiam consideratæ, opponitur *Ignorantia*, sed etiam specialiùs *Schisma*. Videtur quidem illud magis repugnare charitati, quàm veritati, cùm ipse Augustinus *libro de fid. & Symbolo cap. 10.* scribat: Hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant. Schisinatici autem dissensionibus iniquis à fraternâ charitate potiùs dissiliunt, quam ea credant, quæ nos credimus. Quapropter nec hæreticus pertinet ad Catholicam Ecclesiam, quæ diligit Deum, nec schismaticus, quoniam diligit proximum, & ideò peccatis proximi facilè ignoscit, quæ sibi novit ignosci ab eo, qui reconciliavit nos sibi. Negari tamen nequit, esse etiam genus quoddam Ignorantiæ, & proinde oppositum notitiæ fidei, quamvis enim schismaticus Doctrinam Christianam, quantum ad fundamentalia, relinquat integram, errat tamen in dogmate aliquo circa fundamentum, quod vel fidem remotius attingit, vel sacramenta vel ritus etiam Ceremonias & cultum externum Ecclesiæ; ad quod accedit dein obstinata voluntas, dum scil. non admittunt discussionem nebularum, quæ illos occuparunt, quâ admissâ concordia vel sarta tecta permaneret, vel facilè & cum Ecclesiæ commodo redintegraretur, restauraretur.

VIII.

Exempla Schismatis exhibet Historia ex Scriptura, & Scriptoribus Ecclesiasticis. *Scriptura* quidem ostendit in Ecclesia Corinthiaca fuisse, qui dixerint, ***Ego quidem sum Pauli, Ego verò Apollo, Ego verò Cephæ, Ego verò Christi, 1. Cor. 1. v. 12.*** Nec in hoc substitit, sed serpsit malum, dum scil. separatas mensas post Cœnam

Dominicam ditiores delegerunt, pauperibus exclusis, nec intra terminos sobrietatis permanserunt, sed ad crapulam usque progressi fuerunt, de quo Paulus *1. Corinth. 11. v. 17. Illud verò præcipuè non laudo, quod non in melius, sed in deterius convenitis. Nam primum quidem dum convenitis in Ecclesia, audio dissidium in vobis esse, & aliqua ex parte credo &c.* ad quæ videantur Commentatores. Ita Ecclesia Galatica non immunis fuit ab hisce papulis, quo quidem respicere videtur Apostolus non tantùm dicendo *cap. 5. vers. 15. Quod si alii alios mordetis & devoratis, videte, ne vicissim alii ab aliis consumamini*, sed etiam dum inter opera carnis recenset διχοστασίας, *versu vigesimo*, quanquam quidam laxius hoc vocabulum interpretentur, & non tantùm de schismate, sed de quavis dissensione, tùm Ecclesiastica, tùm politica, tùm domestica accipiant.

IX.

Historia verò *Ecclesiastica* post Apostolorum tempora Schisma excitatum fuisse à Novatiano Presbytero Romano memorat, de quo videndus Eusebius *lib. 6. Hist. Eccles. cap. 43.* dein à Meletio, de quo videndus Epiphanius *Hæresi 68.* Postea à Donato, de quo consulendus Augustinus; inprimis autem sequentibus seculis Ecclesia turbata fuit hoc malo, Orientali & Occidentali Ecclesiâ divisâ, de quo legendus maximè Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis. Plura exempla deprehendes apud Marcum Antonium de Dominis.

X.

Rei autem hujus peccati agi non possunt vel Lutherus vel Lutherani; Non enim Lutherus secessit ab Ecclesiâ, sed Romanam colluviem fugere voluit, nec secessit etiam à communione Ecclesiæ Romanæ, sed ejectus fuit per Excomunicationis fulmen, nec secessit non prius tentatis omnibus mediis, quibus potuisset unitas salvari, aut illicitè. Quid enim quæso illiciti, quòd indagandæ veritatis causa disputarit de indulgentiis, & R. P. potestate, sententiam suam proposuerit cum submissione Animi meliora discere desiderantis, paratus veritati cedere? quod à Cardinali Cajetano ad Pontificem, ab hoc verò ad Concilium provocarit? annon provocare ad Ecclesiam est illam agnoscere Matrem & filiali obsequio illam colere & prosequi? Imò tenebatur ex officio B. Lutherus notare Errores planè notorios, tenebatur Christum profiteri coram hominibus, tenebatur

tur Deo magis obedire quàm hominibus. Quid? quod se ipsi Pontifici submiserit, silentium obtulerit, singularis obedientiæ Testimonium ediderit? professionem edidit luculentam dicens: Quod unum in ista causa facere possum, promittam lubentissimè Beatitudini Tuæ, istam de Indulgentiis materiam me deinceps relicturum penitusque taciturum, modo & adversarii suas vanas ampullas contineant, editurum denique in vulgus, quo intelligant & moveantur, ut Romanam Ecclesiam purè colant, & non illorum temeritatem huic imputent &c. Protestatus fuerit contra Schismatis affectum ibidem: Sed ne hoc quidem, quod me sæpenumero & multifariam obtulerim, ut filius supplex & obediens sanctæ Ecclesiæ Catholicæ (qualis Deo optimo maximo adjutore mori volo) si per meos adversarios liceat, me taciturum &c. suppliciterque præbiturum me docendum, & à meo proposito obedienter desistendi. Verum tantum abest, ut hæc omnia vel minimi apud meos adversarios momenti fuerint, ut hæc omnia offerentem Hæreticum, schismaticum, scandalosum criminentur, id quod tamen eis ex corde ignosco.

XI.

Grandius malum est *Hæresis*, quam Augustinus *lib. 2. contra Cresconium cap. 7.* vocavit Schisma inveteratum, & aliàs describitur, quòd sit Error in fundamento fidei: atque in Scripturis in malam partem communiter accipitur. De Sectâ Sadducæorum, *Actor. 5. v. 17.* de Hæresi Pharisæorum, *Actor. 15. v. 5.* de Sectâ indefinitè, *1. Cor. 11. v. 19. Gal. 5. v. 20. 2. Pet. 1. v. 1.* Occurrit quidem hæc vox etiam de Christianorum cultu & doctrinâ, atque Nazaræorum secta dicitur, *Actor. 24. v. 5.* Verùm non in bonam partem; nam ita illam appellat Tertullus Causidicus, quem conjiciunt quidam fuisse Italum, & quidem Romanum, qui aliter nisi malè non potuit sentire de Christianis, ita appellat illam; quemadmodum pestem & seditionis Auctorem, & quidem addidit, Paulum esse Antistitem s. Auctorem sectæ Nazaræorum, forsan respiciens ad illud proverbium, quod Judæi in ore habuerunt & suggesserunt; annè ex Nazareth aliquid boni? *Joh. 1. v. 47.* ita appellabat illam, ut Paulus protestetur & dicat, *confiteor autem hoc tibi, quod secundum viam, quam dicunt hæresin sic deservio Patrio Deo credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt: versiculo decimo quarto*

hujus capitis, adeoque suam & Christianorum Doctrinam vocat viam, quæ differt ab hæresi, ut ductio à seductione, viam veritatis, quæ hæresi opponitur 2. *Pet.* 2. *v.* 1. & 2. negatque Doctrinam Christianam esse sectam vel hæresin, sed dici ita tantùm, recessum à cultu Dei patrii & eorum, quæ scripta sunt in Lege & Prophetis, sed asserit constantiam in illis. De Paulo ipso, existente adhuc in Pharisaismo, quem vocat *αἵρεσιν ἀκριβεστάτην Actor.* 26. *v.* 5. Verum nec hic in bonam partem, ut opinantur quidam; vult enim indicare, se vixisse ut Separatistam, ut talem sicut non cæteri hominum, de quo *Luc.* 18. ut Pharisæum, qui in externis multùm versabatur & Schema Religiosi præsentabat. De Doctrina quoque Christiana legitur *Actor.* 28. *v.* 22. sed ex præjudicio quorundam ita dicta, & sanè ipsa vox hæresis sive deducatur ab *αἱρεῖν* deturbare, evertere, expugnare, quod quidam volunt, quibus tamen non accedimus, sive ab *αἱρεῖσθαι*, eligere, quæ genuina origo, in Religionis negotio non potest non notare aliquid mali; Si enim prior obtineat, erit hæresis Error subvertens dogma aliquod, si posterior, erit Doctrina spontè & ex proprio ingenio electa, quam Deus in Verbo & cum illo nunquam voluit admittere.

XII.

Accipitur autem hæc vox *vel latè* & generaliter, *vel strictè* & specialiter; *Generaliter hæresis* dicitur omne dogma Verbo divino adversum; dicit enim Deus disertè, *Non addatis quicquam, nec detrahatis, Deut.* 4. *v.* 2. & *cap.* 12. *v.* 32. Christus dicit minimum vocandum, hoc est nullum, in Regno Cœlorum, qui solverit unum de minimis præceptis, & docuerit sic homines, *Matth.* 5. *v.* 19. Solvere autem est falsò interpretari, ut observant Theologi. Paulus Anathema dicit illi, qui ἕτερον Evangelium tradit, *Galat.* 1. *v.* 8. Si autem Anathema qui ἕτερον tradit, quomodo non qui ἐναντίον seu contrarium? quanquam eo ipso sit contrarium aliquod Evangelium, quo est alienum.

XIII.

Et hæc significatio quoque non aliena est ab usu Eccesiastico. Ita enim Tertullianus *lib. de proscriptione hæreticorum cap.* 6. Paulus & alibi hæreses inter carnalia crimina enumerat, scribens ad Galatas, & Tito suggerit, hominem hæreticum post primam correptio-

reptionem recusandum, quod perversus sit ejusmodi, & delinquat, ut à semetipso damnatus. Sed & in omni penè Epistolâ, de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, hæreses taxat, quarum opera sunt adulterinæ doctrinæ: Hæreses dictæ græcâ voce, ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas, sive suscipiendas eas utitur. Ideò & sibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur, sibi eligit. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt. Itaque etiamsi Angelus de cœlis aliter evangelizaret, anathema diceretur à nobis. Et cap. XXXVII. Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo, quod de suâ electione sectati hæreticorum nomine admittunt. Unde autem extranei & inimici Apostolis HÆRETICI, nisi ex DIVERSITATE DOCTRINÆ, quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit, aut recepit. Illic igitur & Scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas invenitur doctrinæ.

XIV.

Specialiter verò *hæresis* dicitur Error in fundamento fidei, atque ita usurpatur hæc vox inprimis à Petro 2. *Epistolâ cap. secundo*, quo sensu etiam Ignatius dixit, dignum est à talibus abstinere, & neque proprium cum his, neque commune habere colloquium, sed intendere Legi & Prophetis & Evangelizantibus nobis salutare verbum, nefandas verò hæreses & schismata facientes fugere, sicut principatum malorum, *in Epistolâ ad Smyrnenses.*

XV.

Sunt qui putant, pertinaciam necessariam esse ad hoc Genus hæreseωs, nec abnuere videtur Augustinus *lib. 18. de Civitate Dei* scribens: Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sentiunt, si correpti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & morbifica dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt. Addatur Locus *ex Epistola 162.* ibidem corrigi paratis disertè dicit; nequaquam illos esse inter hæreticos deputandos. Quanquam autem transitoria & volatica co-

gitatio erronea, vel non profundè hærens conceptus nubilosus, non confestim faciant aliquem hæreticum, non tamen videmus, quî, præcisa etiam contumacia & perseverantia, non possit dici hæresis dogma aliquod, Articulis fundamentalibus adversum, cum metienda sit non tantùm ex duratione, quæ errorem pernitiosum continet, non facit, præsupponit non constituit. Sufficit, si assensus erroneus sit completus, ut mens acquiescat in conceptu adversus fundamenta fidei. Neque Augustinus negare voluit, talem esse hæreticnm; sed hoc solum intendit, corrigibiles non eo nomine esse confestim conspurcandos, dum non locutus fuit de Assensu fixo & formato, sed de sensu alicujus morbidi & pravi facilè mobili, de seductis & hærentibus, manumque quâ possint eluctari desiderantibus, ut quidem ipsa verba satis ostendunt.

XVI.

Sunt qui volunt, ad Hæresin requiri scientiam & advertentiam, ita ut is demum hæreticus pronunciandus, qui contra conscientiam & sensum interiorem Errores fovet atque propugnat; sed malè, quia hâc ratione omnes pessimi hæretici (ex. grat. Gnostici, Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi, Arabici, Henric.-Nicolaitæ, David-Joristæ, Francisco-Davidici, &c.) non tantùm seducti, sed & seductores ab hæresi in judicio Ecclesiastico absolvendi essent; quamdiu ipsis dicere liberet, se in conscientiâ ita sentire, nec aliter per conscientiam Dei & per reverentiam Scripturæ debitam sentire posse. Quandoquidem de occultis non judicat Ecclesia, nec hominum mentes inspicere, aut καρδιογνωσίαν sibi vindicare potest. 2. Quia idem φάρμακον omni infidelitati Judæorum, Muhammedistarum, Gentilium, quin & crassissimæ idololatriæ Dæmonolatrarum analogicè applicari deberet; & infideles ab idololatriæ, infidelitatis, superstitionis, apostasiæ crimine absolvi: quamdiu scil. protestarentur, se ita credere & agere secundum suam conscientiam. 3. Quia hâc ratione tolleretur distinctio hypocrisis in formalem & crassam; & nulla esset formalis hypocrisis aut deceptio proprii cordis, contra *Jacobi 1, v. 26. Jerem. 17.* ut nonnemo non malè colligit.

XVII.

Sunt denique qui opinantur, hæresin, qua talem, non subjicere hominem æternæ condemnationi; at contra hos militat. 1. Descriptio

ſcriptio hæreſeως ſcripturaria. Refertur enim inter opera carnis, *Galat.* 5. *v.* 20. Quod autem opus carnis eſt, quomodo non ſit damnabile? cùm apertè Apoſtolus addat, quod qui talia faciant, ſint futuri extorres & excluſi à regno Dei. Dicitur eſſe actus vel habitus *ἀπωλείας perditionis*, 2. *Pet.* 2. *v.* 1. Quod autem dicitur eſſe *τῆς ἀπωλείας* ſive exitiale, quia eſt à Spiritu *τῆς ἀπωλείας*, tanquam gangræna ſerpit & inficit, qui non hominem reum faciat æternæ damnationis? 2. Ipſa Natura hæreſeως; Dicit enim ignorantiam, tenebras & errorem in mente oppoſitam Luci Verbi divini; Dicit aliquid impietatis primo præcepto adverſæ; Dicit aliquid non bonum vel indifferens, ſed malum, ſed peccatum: quomodo itaque negari poteſt, illam eſſe damnabilem? 3. Effectus Aſſignatio; dicuntur enim Naufragium pati in fide tales, 1. *Timoth.* 1. *v.* 19. & Satanæ tradi, *v.* 20. dicuntur ſibi adducere *ταχινὴν ἀπώλειαν, celerem perditionem*, 2. *Pet.* 2. *v.* 1. & 3. dicuntur tales, qui in foveam ducant, & cum ſeductis concidant, *Matth.* 12. *v.* 3.

XVIII.

Succedit *Curioſitas*, quâ, quæ neſcire voluit optimus Magiſter, rimari tentamus, & quæ Intellectum tranſcendunt intra anguſtias illius arctare volumus; quo morbo laboravit maximè Theologia Scholaſtica, veterum & modernorum Doctorum in Papatu philoſophandi methodus, qui ſcil. relicto & ſepoſito Verbi Lumine temerè differunt, de illis, quæ nunquam viderunt, & ſpinam evellendo ſerunt agmina illarum. Reprehendit hoc peccatum egregiè Siracides *cap.* 3. *v.* 22. Chriſtus *Joh.* 21. *v.* 22. Paulus *ad Tit.* 3. *v.* 9. Accuſat ipſa fides, quæ ſimplex eſt oculus, cui curioſitas hæc adverſatur. Improbant ipſi Moraliſtæ Pontificii: Mortale peccatum eſt, ſecundum illos, etiam velle videre id, aut ſcire, cujus viſio, aut ſcientia in periculum peccandi mortaliter inductura creditur. Leg. Nav. *c.* 23. *n.* 24. Tol. *de* 7. *peccat. m. c.* 12. *n.* 7. Cajet. *verſ. curioſitas.* & alios. Addunt: Velle ſcire in mortalem finem, vel quæ ſub p. m. vetita ſunt; vel explicata in confeſſione, crimen eſſe. Navar. Tol. *l. c.*

XIX.

Illud adhuc monendum reſtat, opponi præterea fidei, ratione Notitiæ conſideratæ, *ἰδιογνωμοσύνην*, quâ quis ſuo nititur ingenio, nauſeat communia & recepta, Verbi Lucernæ non attendit, neque

que aliorum consilia expendit, & eo ipso, quo nova, quo singularis, quo paradoxa est sua sententia, eandem præfert cæteris, umbram captans pro corpore. Vitium hoc est multorum ex ordine Doctorum, qui fastidiunt etiam sincera, & tanquam Aquilæ in Nubibus omnia infra se despiciunt, illi Religioni non acquiescunt, quam profitetur Ecclesia Orthodoxa, sed superciliosè illud Comici ingeminant,

Odi profanum Vulgus, & arceo.

Imprudentiam in agendis; quâ negligitur circumstantiarum debita consideratio & causa etiam bona vitiatur. Denique Perversitatem animi, qua non attênditur ad Lucem divinam, sed ignes fatui eliguntur, nec æstimatur Deus ex verbo, sed proprio Cerebro, perspicaciæ politicæ omnia subjiciuntur, & ipsa religio ad illam temperatur, impugnatur, convellitur, Regulæ statûs opponuntur Regulæ infallibili Revelationis divinæ, & omnia potius in Ecclesia confunduntur, quàm ut Respublica aliquid detrimenti patiatur.

XX.

Non tantùm autem fides, ut est notitia, sua habet contraria, sed etiam secundò in quantum est Assensus. Opponitur enim eidem *Dubitatio*, quâ laborant Pontificii, Arminiani, & moderni Libertini vel Neutralistæ, qui non tantùm in Philosophia illam commendant, & viam esse volunt, medium laudabile, & conditionem prærequisitam ad Scientiam, sed etiam in Theologiâ eidem primas deferunt partes, cùm tamen nullibi in Scripturis ostendatur hæc methodus, nullibi commendetur Dubitatio, sed potiùs reprehendatur, imò in Eva Matre prima, tanquam accessus ad Lapsum, initium peccati, nobis ostendatur dicente illa, *ne fortè moriamur*, *Gen.3.* Principiis repugnet Theologicis. Solidè quippe hactenus demonstratum, Scripturam esse perspicuam in illis, quæ necessaria sunt ad salutem; qui itaque dubitatio citra peccati rationem locum habebit circa principium perspicuum, & illa quæ corpus doctrinæ Christianæ integrant? Num censendus erit naturaliter sani Cerebri, qui dubitat de radiis Solaribus in oculum influentibus? Num qui Veritati divinæ non assentitur, & Luminibus articulorum ex Scripturâ radiantibus non submittit animum, habendus erit dignus tanto

to Beneficio? Sanus in ordine Christianorum? Quis item Theologus tùm ex Antiquioribus tùm recentioribus hæc vestigia signavit ad veritatem, cùm potius Diabolus per hæc ipsa in præcipitium agat sequentes, & ex dubitatione ducat in Negationem & Apostasiam fœdissimam. Denique ipsa Indoles hujus dubitationis non possit non esse peccaminosa; unde enim dubitatio nisi ex caligine notitiæ sereno opposita? quid ipsa quam irrequietæ Mentis Morbus & ut Fungerus illam describit: *Motus indifferens in utramque contradictionis partem?* in quid arietat? annon in veritatem revelatam? quæ non fuisset revelata, nisi Deus ex immensa benignitate sua illâ voluisset mentem serenare, hominem sibi conjungere & assensum exigere atque firmare. Non malè ex ipsis Philosophis quidam. Dubitationis hoc Monstrum etiam ex circulo disciplinarum movent & explodunt ita disserendo: Quocunq; modo sumpseris, illegitimum & etiam illicitum est, ad scientiam in quavis re acquirendam, medium. Illegitimum; quia plane per accidens se habet ad scientiam, non aliter ac morbus ad sanitatem, mali mores ad bonas leges; neque propterea quisquam dubitationem affectare debet. Præterea quia si sumatur pro judicii suspensione, nihil ea dubitatione probari adversus quemquam possit, quod tamen fieri posse putant ii, qui hac methodo utuntur. Illicitum, quia de Deo dubitare illicitum est, & tamen licitum esset, si contingeret (quemadmodum hodierna experientia docet contingere) quem non satis evidenter percipere principia, quibus Dei existentiam probamus; adeo ut omnibus manifestum sit, hanc methodum periculosissimam esse.

XXI.

Tandem si Fides spectetur ratione *Fiduciæ*, opposita habet 1. *Fiduciam* vitiosam in aliquid, quod est extra Deum, Petram illam, cui soli inædificandum, extra Basim fidei 2. *Diffidentiam*, qua etiam Deo non confidit, qui tamen habet, quo niti posset, & tandem 3. *Tentationem Dei*, de quo ipsi Pontificii: Tentatio Dei est actus contra religionem, quo quis absque justa causa aliquid dicit vel facit ad capiendum experimentum de divina perfectione, ex. g. de potentia, de saptentia Dei, &c. ut si ineruditus velit absque justa causa concionari nulla prævia meditatione, seu præparatio-

ne, sperans sibi à Deo suggerendos conceptus, & hæc tentatio Dei manifestanda est in confessione, experiendumque, an fuerit tacita vel expressa. Committitur autem peccatum tentationis Dei, quando experimentum conjunctum est cum aperto gravis damni periculo, ut quando quis gravi laborans infirmitate respuit absque justa causa medicinas & remedia, sperans à Deo sanitatem; quando periculum est scandali, & quando fit intentione videndi opus aliquod supernaturale, ut quando petitur miraculum ex curiositate.

XXII.

Altera Virtus, quæ sub hoc præcepto imperatur, dicitur *Spes*; & definitur, quòd sit: *Virtus Theologica, qua voluntas nostra efficaciter tendit in Deum, ut est suprema Beatitudo nostra, legitimis mediis Deo opitulante possibilis obtineri.* Dicitur 1. *Virtus*, quia bonum facit habentem & opus ejus bonum reddit, secundum Aristotelem 2. *Eth. cap.* 6. 2. Virtus verò *Theologica*, quia immediatè versatur circa Deum, non solum ut Objectum quo Spes nititur, sed etiam ut Objectum, quod speramus & nobis sperando concupiscimus 3. efficaciter tendens, quia non est simplex Amor vel inefficax voluntas, aut simplex desiderium de Deo, sed efficax voluntas, & quasi intentio consequendi Deum ut est Bonum nostrum, 4. in Deum ut est suprema Beatitudo nostra, qua volunt discerni à Charitate, quia per hanc feramur in Deum diligendo eum propter se, sive prout secundum se ac in se est hominum Bonum, præcisâ ratione commoditatis ex ipso nobis obventuræ; 5. possibilis obtineri, cùm Spes sit tùm communi sua ratione Boni futuri possibilis, judicio saltem sperantis, tùm etiam in præsenti, quatenus est habitus virtutis, nempè secundum actum suum principalem & nomine significatũ formaliter hoc ipso, quod efficaciter fertur in Objectum ejusmodi. 6. Opitulante Deo per media. Spes enim, juxta Thomam, *duo* respicit, *Bonum* quod obtinere intendit tanquam causam finalem, & *auxilium*, per quod illud Bonum obtinetur tanquam causam efficientem illius Boni, quæ Deus, qui certa media ad hoc nobis præfixit.

XXIII.

Est hæc virtus Fructus Fidei & ex hac procedit. Unde etiam Pau-

Paulus, *Gal. 5. v. 5.* scribit: *Nos spiritu ex fide Spem justitiæ expectamus.* Et rectè dicitur, respicere Deum *tùm* ut Subjectum, *fides* enim *& spes nostra est in Deo*, teste Petro *1. Epist.cap. 1. v. 21.* *Tùm* ut fontem omnis Boni; quo monitum illud spectat Davidicum, *Devolve super Jehovam viam tuam, & confide in eo, nam ipse faciet, Psalm. 37. v. 5. & 6.* ita tamen dicitur Deum respicere, ut etiam feratur in media, quibus Deus nobis jungitur; quò vergunt illa Petri 2. *Epistola cap. 1. v. 13. Sperate in eam quæ vobis defertur Gratiam.* Et sicut generaliter est ἐλπιζομένων *Ebr. 11. v. 1.* & Bonorum quandoque temporalium 2. *Cor. 1. v. 10.* ita maximè est beatitudinis æternæ, quod Paulus docet *Rom. 8. v. 24.* adde illud *1. Cor. 15. v. 19.*

XXIV.

Secundùm Scripturam potest Spes commodè explicari per *Expectationem*, ut docet Apostolus *Rom. 8. vers. 25.* ubi, sicut Doctores quidam explicant, Occasione exspectationis creaturæ & nostræ Apostolus producit consolationis argumentum, à natura Spei, cujus proprium est exspectare, id est, in futuro bono fiduciam habere, & hac fiducia præsens malum patienter tolerare. Spes non est præsentium, quæ oculis cernuntur, manibus tenentur, sed futurorum, quæ cum patientia exspectantur. Quod enim quis possidet, non est cur speret: Nos spe servati sumus. Salutem igitur nostram licet nondum cernamus, exspectamus tamen per patientiam. Differt spes à fide ordine & objecto. Ordine, quod fides prior est spe, ut causa prior effectu. Fides spem generat: spes fide generatur & nititur. Objecto, quod fides proprie fertur in promissionem bonorum: Spes in ipsa bona promissa, vel certe si conveniunt objecto, differunt habitudine objecti: quod Fides amplectitur bona promissa, quasi præsentia, propter certitudinem promissionis & voluntatis divinæ dandi credentibus bona sperata: unde ὑπόστασις ἐλπιζομένων dicitur: Spes amplectitur eadem bona ut futura, quoad substantiam & impletionem. Etiam Aristoles in Ethicis virtutes discernit objectis vel objectorum habitudine: Liberalitatem & magnificentiam dicit versari circa pecunias, sed non eodem modo. Omnes virtutes dicit versari circa unum commune objectum, voluptatem & dolorem, sed non eodem modo. Atque hoc unum est spei argumentum. Alterum est, quod

ex ſpe patientiam conficit. Si enim quod non videmus ſperamus, utique per patientiam exſpectare debemus. Inter ſpem enim & rem ſperatam intercedit carentia rei ſperatæ, quæ nondum videtur, & videri tamen deſideratur. Intervenit etiam aliqua mora: & quia omnis mora eſt moleſta, tantoque moleſtior, quanto longior, & quanto ſperatum bonum eſt majus, quippe majus deſiderium ſui concitans: ideo patientia cum ſpe neceſſario conjuncta eſt, qua tum carentia boni ſperati ipſaque mora, tum etiam moleſtia placidè ſufferatur absque dolore ac murmure. Nam multa cadunt inter calicem ſupremaque labra. Sic in omni ſpe requiritur quaſi triplex patientia. 1. carentiæ boni. 2. moræ. 3. difficultatum intervenientium. Spes igitur Chriſtiana etiam patientiam Chriſtianam requirit in his omnibus. Non videmus adoptionem noſtram: quia ſperamus: Diu differtur adoptionis patefactio. Patienter ferenda mora: quia non eſt mora, ſed μακροθυμία Dei. Graviter affligimur: Patienter perferendæ ærumnæ, propter immenſam adoptionis gloriam, quam exſpectamus.

XXV.

Quamvis verò ex Fide oriatur Spes, non tamen cum illa eſt confundenda, & quidem eo ipſo, quo dicitur à nobis oriri ex fide, à fide tanquam Effectus à ſua cauſa, tanquam fructus à radice ſua diſtinguitur; Atque injuriam nobis faciunt Pontificii, qui accuſant nos talis confuſionis, quia fiduciam propugnamus, quæ in Negotio juſtificationis utramq; facit paginam, unde etiam in ipſos ſocios ſubiratus pugnat Rodericus ab Arriaga, & ſcribit *Tom. 5. Diſp. 26. Sect. 2. p. 356.* Quidam Auctores tribuunt Hæreticis noſtri temporis, quòd dixerint Spem eſſe actum intellectus, eundemque cum fiduciâ. Miror tamen hos Auctores, qui agentes de Fide dixerunt, ab Hæreticis noſtri temporis Fidem confundi quidem cum fiduciâ, ad voluntatem tamen reduci; ubi idſi fusè probant, Fidem & fiduciam non eſſe idem, illamque ad intellectum, hanc verò ad voluntatem pertinere; miror inquam: quomodo enim Hæretici hujus temporis Spem ad intellectum reduxerint, ſi fiduciam, cum quâ Spem confundunt, in voluntate reſidere dicunt. Sed quidquid de eâ conſequentiâ ſit, ſuo loco oſtendi, fiduciam ſupra affectum erga bonum, ſeu ſupra deſiderium illius, nihil omnino addere ex parte volun-

voluntatis; ex parte tamen intellectus connotare judicium probabile de futuritione, de quò major est probabilitas, eò majorem esse fiduciam; ideò non puto distinguendam fiduciam à Spe, & consequenter censeo debere poni in eâ duos actus, unum ad voluntatem spectantem, alterum ad intellectum; quia reverà desiderium boni absentis sine probabilitate futuritionis non est Spes; ergo hæc requirit ambos eos actus ut veras sui compartes, juxta ea quæ diximus sæpè de connotatis: id enim, quo formaliter ac præcisè ablato cessat denominatio totius, necessariò debet esse pars componens illud totum, & non aliquid purè extrinsecè ad illud requisitum.

XXVI.

Distinguitur aliâs fides, Spes & fiducia, ita secundũ quosdã Theologos: Ut fides arripiat promissionis veritatem; spes extensionem affectus, quasi appetitus irascibilis, dicat, in bonum arduum promissione sibi oblatum; atq; fiducia notet, cordis in Deo, & re tum creditâ, tum speratâ, acquiescentiam. *1. Petr. 1. v. 13.* sperate in oblatã vobis gratiam. *2. Tim. 1. v. 12.* scio enim cui credidi, habeo fidem. & persuasus sum, hæc est fiducia, quòd potens est depositum meum custodire in illum diem: hunc spes respicit, quæ pretiosissimum animæ depositum est, quod fides Deo credidit, & ab eodem fideli ac potente Creatore exspectat, *1. Petr. 4. 19.* Quemadmodum illa duo in creditore considerantur, ut potens sit, & fidelis; sic in deponendâ animâ Deo, illa duo in utroque loco de Deo prædicantur. Et significantur hic varia. Quod jus habemus in beatitudinem, tamquam nostram, fide nimirum acceptam in Christo, & hinc debitam nobis *Joan. 1. v 12.* At à Deo eam custodiri, quandoquidem non potentes sumus eam conservare ipsi. Cujus periculum factum in Adamo, sed tristem adeo eventum sortitum fuit, ut nunc meliores aut prudentiores nos futuros, non sit quod arbitremur. Ac proinde Deus dedit nos tutori optimo Jesu Christi. *Joh. 17. v. 6. 12.* & *c. 10. v. 28, 29.* *1. Petr. 1. v. 5.* interim usumfructum hic capimus sortis cœlestis, & primitias spiritus. *Rom. 8 v. 23.* Quæ plena plenissime aliquando reddenda est in cœlis. *Rom. 8. vers. 21.* libertatem gloriæ filiorum Dei. *1. Petr. 1. v. 4. 5.* hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarcessibilem, servatam nobis in cœlis: salutem paratam nobis revelari ultimo tempore.

XXVII.

Spei opponitur *Desperatio*, quæ vel versatur circa potentiam divinam, sive voluntatem gratiosam; & vel *totalis* est vel *partialis*, quarum prima vel inchoata in hâc vitâ, vel consummata. Exempla tristia occurrunt in Caino *Gen. 4. v. 13, 14.* Juda, *Matth. 27. v. 5.* Francisco Spiera, ut quidam volunt Petro Ilosuano, Ludimagistro in Hungaria. Apostolus illam describit per ἀποβαλεῖν τὴν παῤῥησίαν *Ebr. 10. v. 35.* Quanquam παῤῥησίαν alii malint vertere fiduciam. Pontificii Doctores describunt Desperationem: Vitium in voluntate situm, quo quis beatitudinem ultimam, tanquam Bonum quoddam nimis difficile vel etiam ad obtinendum prorsus impossibile refugit, & quasi despicit, adeoque ab ejus procuratione seu intentione desistit; videatur Gregorius de Valentia *q. 3. puncto 1.*

XXVIII.

In excessu pugnat cum hac virtute *Præsumptio*, cùm etiam non speranda expetuntur, vel citra fundamentum vel res vanæ & infirmæ Affectui supponuntur; Ita de præsumptione loquitur Deus, *Deut. 29. v. 19.* Ita Israelitæ habebant fiduciam in verbis falsis, minimè profuturis, clamabant Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, sunt ista *Jerem. 7. v. 4. & 8.* ita Pharisæi, Pelagiani Salutem non ex gratia & merito Christi sperabant, sed ex propriis meritis, & probitate quam jactabant, expectabant. Thomas de hoc vitio ita censet *2. 2dæ quæst. 21.* Præsumptio videtur importare quandam immoderantiam seu excessum spei: duobus autem modis potest quis quoad hoc excedere; quia cùm spes versetur circa bonum arduum & possibile, vel potest tendere in bonum ut sibi possibile, quod suam facultatem excedit: vel ut possibile per virtutem & misericordiam divinam, quod possibile non est, ut dum quis sperat se veniam obtenturum, sine pœnitentia aut gloriam, sine meritis.

XXIX.

Tertia Virtus hoc in præcepto commendata est *Charitas*, quæ *generatim* accepta juxta Augustinum *lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 10. est motus Animi ad fruendum DEO propter ipsum, & se atque proximo propter Deum.* *Specialiter* autem sub hoc præceptum refertur, in quantum dicit Amorem Dei tanquam Summi Boni atque unio-

unionem cum illo intimam; de quâ ipse Augustinus: Amor quem afficit in illud mutat, in quod amor defertur. Talis est quisque qualis ejus dilectio est, terram diligis, terra eris, Deum diligis, quid dicam Deus es, nec enim tantum tenemur Deum sitire & dicere ex *Psalm. 18. v. 2. & 3.* sed etiam per unionem in illo acquiescere & dicere ex *Psalm 73. v 25. 26.* Stimulat autem præter præceptum ad hunc Affectum ipsa Dei Bonitas atque Majestas, Gratia & Favor, quo nos complexus fuit antequam essemus, Beneficiorum multitudo, quibus nos cumulat per universam vitam nostram, & quæ sunt alia quamplurima, quæ Amorem suscitare & provocare solent. Modum autem diligendi ipse præscripsit, *Deut. 6. v. 5.* dicendo: *Diligas Dominum Deum tuum.*

XXX.

Non itaque probare possumus, quod quidam de Amore requisito ex hoc præcepto sibi imaginantur, nempè postulari ut Deum ex corde, id est verè non fictè & toto quidem corde totoque animo omnibusque viribus id est, ut Summum nostrum Bonum & supra res omnes cæteras diligamus, non tàm ratione intensionis, quàm æstimationis. Quod Exemplo declarant, dicendo: Sic pia mater sæpè intensissimum dolorem ex morte liberorum capit, & plurimis lachrymis filium, quem teneriter amabat, deflet, quam peccata sua, & tamen si vel filius mittendus sit, vel Deus offendendus, malit filio carere, quàm Dei gratiâ; addunt esse charitatem talem virtutem qua Deus amatur, quantum in hâc imbecillitate Naturæ possibile est, etsi enim charitas & impletio legis, ut ante dictum, est inter virtutes Theologicas. ut loquuntur, maxima, sicut dicitur *1. Cor. 13;* Nunc verò manet fides, spes, charitas, maxima autem harum charitas, quia fides est rerum quæ non videntur, & spes earum, quæ non tenentur, ut cum res ipsæ exhibebuntur eæ desituræ sint: charitas semper manet; Nam si amamus eum, quem non videmus, quomodo amaturi sumus cùm viderimus, sicut hoc S. Augustinus enarrat. *Psalm. 91.* explicat: Etsi etiam hæc est excellentior illa via, & excellentius donum, quàm prophetia & omnium mysteriorum cognitio, ut rursus Paulus *1. Corinth. 12. v. ult.* dicit, de quo pluribus vide S. Augustinum enarrat. *Psalm. 145.* Imperfecta

tamen

tamen hic est semperque crescere debet, donec in altera vita perficiatur.

XXXI.

Hæc si Pontificii dicunt, conformiter suis hypothesibus loquuntur, at excidisse hæc illi, qui Lutheranis accenseri vult, miramur. Nam, si loqueretur de charitate, *ut nunc in Subjecto existit* post lapsum vitiato, non haberet sibi quenquam adversum; liquidum enim est, & ex sensu conscientiæ nostræ clarum, quantâ laboremus imperfectione, quàm nihil in hâc vitâ & viâ omnibus suis Numeris absolutum; sed loquitur de charitate *abstractè*, de hâc virtute ut præcipitur in Decalogo, de illa ut Definitione repræsentatur. At sic non possumus eidem calculum addere; nam *primò* Deum diligere, ex toto corde, toto animo, omnibusque viribus, non tantùm est diligere illum, ut summum Bonum & supra res omnes cæteras, sed & Affectu illo diligere, qui summus. Phrasis enim hæc: *Diliges Deum toto ex corde, tota ex anima & omnibus viribus*, non tantùm *Objectum* exprimit, ut Summum Bonum, verum etiam & quidem maximè *Affectum* exigit intensum; & repræsentat. *Secundò* Definitio illa, quâ utitur, purè est Scholastica, purè Pontificia; qui enim quæso! solent differere de Amore ratione intensionis & appretiationis consideratæ, atque illum sufficere statuunt implendo præceptum? annon Doctores Pontificii & quidem in certamine cum nostris? *Tertiò*, si mater pluribus lachrymis deflet filium, quam peccata sua, etiam pluris æstimare videtur filium quam offensum Deum per peccata, adeoq; nè quidem ratione æstimationis præferre Deum filio, ut contradictorium sit, malle filio carere quàm Dei gratia & tamen Affectus indicio exteriore prodere majorem æstimationem filii in pectore, quam ipsius Dei;

XXXII.

Rectè nostri Theologi contra Pontificios. Definitio perfectionis quoad substantiam & ratione Objecti, non autem ratione Subjecti planè videtur absurda. Christus præcipit; diliges Deum tuum ex toto corde. Duo hic video. Primò, Deum (objectum) diligendum, ut ejus amicitiæ, tanquam ultimi finis, nihil præferatur. Non enim Deum diligit, qui aliud plus, quàm Deum, diligit. Hoc enim est ei Deus, quod Deo præponit. Secundò, Deum ex parte subje-

subjecti, ex toto corde, diligendum. Hic tu, impius Redemptoris tui castigator; dicis, ad Deum, ratione objecti, diligendum omnes obligari, ad eundem verò, ratione subjecti, ex toto corde diligendum non omnes obligari. Ita unum & quidem maximum mandatum obligat, & non obligat. Obligat, dum dicit: diliges Dominum Deum tuum. Non obligat, dum dicit: ex toto corde. Contradictio manifesta est in verbis tuis. Dicis perfectionem, quoad substantiam; addis, ratione objecti, non subjecti. Non possunt illa simul stare de substantia præcepti, quæ non tantùm est actus dilectionis, sed determinatus actus, id est, ex toto corde profectus. Dicere ergò perfectionem secundum substantiam, & dicere perfectionem non ex parte subjecti, est dicere perfectionem secundum substantiam, & dicere perfectionem non secundùm substantiam. Non satis explicas, quam dicas perfectionem, secundum substantiam. Vel enim perfectio, secundum substantiam, includit totum id, quod præcepto continetur, & requirit Deum, secundum Lyranum, ita diligi, ex toto corde, ut tota intentio in eum feratur (sicut enim cor corporale omnium temporalium motuum est principium, ita intentio voluntatis, respectu finis ultimi, est principium omnium motuum spiritualium) ex totâ mente, ut intellectus Deo subdatur, ex tota anima, ut appetitus noster inferior reguletur secundum Deum, ex tota fortitudine, ut exterior actus noster obediat Deo: vel includit, secundum Bellarminum, tantùm abstinentiam à furto & cæde, quæ etiam naturæ viribus præstari potest. Si primum: malè definis perfectionem istam tantùm ratione objecti, non subjecti, nec facilè dabis progressum in eo, quod ita totum est, secundum Augustinum, de perfectione justitiæ, ut carnalem concupiscentiam planè excludat. Si postremum: eam assignas viæ perfectionem, quæ solùm potest esse extra viam. Egregium verò gratiæ præconium, si auxilio ejus præstat renatus, quod sine eo præstat etiam non renatus! Lyranus affirmat ex Thomâ, implere præceptum, contingere dupliciter; uno modo perfectè, & hoc esse, quando pervenitur ad finem, quem intendit præcipiens; alio modo imperfectè, quando, etsi non pertingitur ad finem, quem intendit præcipiens, non tamen receditur ab ordine ad finem, quem intendit præcipiens; sicut, si Dux Exercitus præcipiat militibus, ut pugnent ad victoriam hostis, ille per-

fectè implet præceptum, qui pugnando hostem vincit, quod Dux principaliter intendit; ille etiam implet, sed imperfectè, cujus pugna, etsi ad victoriam non pertingit, pugnat sic, quod contra disciplinam militarem non agit. Intendit autem Deus per hoc præceptum, ut homo totaliter Deo vincatur, quod fiet in Patriâ, quando Deus erit omnia in omnibus, & ideò plenè atque perfectè in Patriâ implebitur hoc præceptum; in viâ verò impletur, sed imperfectè. Ecce! etiam Pontificii dicunt, præceptum (magnum illud de dilectione) non impleri perfectè in hâc viâ, ad intentionem præcipientis. Vel ergò mortuæ fidei etiam illi etiam accusandi, vel nos malè accusamur.

XXXIII.

Denique probare non possumus, quòd Charitatem dicit talem Virtutem, quâ Deus amatur, quantum in hac imbecillitate possibile est. Nam *primò* Virtutes in Decalogo præceptæ non mensurantur virium nostrarum Quantitate, sed Normâ voluntatis divinæ sanctissimæ, nec ad imbecillitatem, quam suo sibi homo contraxit vitio, sunt exigendæ, sed ad ipsam Revelationem & Mandatum Divinum. Num, qui bona Heri decoxit, non tenetur ad Restitutionem plenariam, quia non habet in ære, quod sufficiat? *Secundò*, qui tenetur Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus suis, ille non tantùm obligatus est ad dilectionem Dei, quantum in hâc imbecillitate naturæ est possibile; hoc enim non esset diligere ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus, sed infirmiter & modo imbecilli diligere, adeoque eo ipso non debito modo; tenetur diligere Deum, ut Adamus, qui in statu integritatis dilexit ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus; tenetur diligere, quantum non in hâc imbecillitate, & vita possibile est homini, contendenti per hanc viam ad Beatitudinem æternam, cum alia sit à Christo signata. *Tertiò*, qui Deum tantùm diligit, quantum in hac imbecillitate possibile est, is eo ipso Legi divinæ non satisfacit, & proinde, ut, qui exactè se illi conformat, inde Benedictionem consequitur, ita qui non exactè se illi attemperat, eo ipso à Lege recedit, & maledictionem imminentem defugere nequit; cum maledictus sit, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis.

XXXIV.

XXXIV.

Dicta allegata non conducunt ad hunc scopum. *Non primum*; Charitas enim *Rom. 13. v. 10.* dicitur quidē impletio Legis, verùm & e Subjecto & de Prædicato disquiri potest, quomodo dicatur? Nam *primò*, si Charitas dicitur impletio Legis, non sermo est de Charitate t nunc, existente in peccatoribus, sed de Charitate perfecta, quæ er totum Decalogum se diffundit, & notatur connexio Subjecti & rædicati citra Subjecti designationem; quomodo enim homo poest dici gaudere illa Charitate, quæ Legis est impletio? cum quod upit & vult, implere nequeat; ut Hieronymus dicat: cùm me puvero ad calcem virtutum pervenisse, tunc habebo principium, æc sola hominibus perfectio est, si imperfectos esse se noverint, *pistolâ 75. ad Ctesiphontem adversus Pelagium, Tom. 2. Secundò*, uid si πλήρωμα hic non notat impletionem, sed ἀνακεφαλαίωσιν, ecapitulationem, ad sensum versiculi noni præcedentis, de quo idendus Paræus. *Tertiò*, posito Charitatem hic notare illam, quæ n fidelibus existit, dici etiam πλήρωμα, non tamen vox πλήρωμα otabit exactam impletionem, aut talem, quæ à Deo habeatur juxta egem completa, quasi acquiescens in tali Charitate, quæ in hâc nbecillitate præstatur; ita enim homo per opera contenderet ad eatitudinem: sed tale πλήρωμα notabit, quod secundum quid tale, uod evangelicè spectandum, quod perfectionem dicit ratione exernorum officiorum, quæ transcendit observationem etiam inrioris sensus in Lege, nisi velimus subscribere Pontificiis, approare illa Cornelii à Lapide *in hunc locum* scribentis; patet ex hoc oco errare nostros Novantes, qui dicunt, in hac vita Legem non osse impleri. *Non alterum dictum*, quod *Primò* plus non dicit, quàm haritatem esse maximam in illo Numero, quem Apostolus constiuit. *Secundò*, non dicit Apostolus fidem vel spem desituram, sed icit de tribus hisce virtutibus verè mansuras omnes, & singulas n hac vita. *Tertiò*, Erasmus ita has virtutes restringit ad hanc vitam, ut etiam Charitatem cessaturam existimet; quem consules.

XXXV.

Adversantur huic virtuti primò, *Odium Dei*, quod vel tale, ut on ametur Deus, vel etiam positivè impii eidem contraveniant &

odio habeant, vel illius imperium vel præsentiam, vel justitiam vindicativam, & quia peccata punit, in ipsum exardescant, murmura opponant, fremant & indignentur. Secundò *Amor tepidus & præposterus*, cùm vel homo se magis amat, propinquos præfert, amatque Patrem vel Matrem, filium aut filiam supra illum, nec dignus est Deo *Matth. 10. v. 37.* φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι *2. Timoth. 3. v. 4.* vel Deum non sincerè amat, Mundum & quæ sunt in Mundo collateraliter amplecti studet, externa pietate illudit hominibus & Deo, ipsi glaucoma objicere tentat. Tertiò, *Amor creaturarum* Deo non attento, quales producuntur *Job. 22. v. 14, 15.* dicentes Deo, *recede à nobis, nam notitia viarum tuarum non delectamur. Quid est omnipotens, ut colamus eum;* vel si Deus attendatur tali Affectu, ut flante Favonio ei adhæreatur, insurgente autem tempestate sensim Amor defervescat, aut magis diligantur præmia quæ promittit, vel Beneficia quæ exhibet, quàm qui promittit & exhibet.

XXXVI.

Progrediuntur alii ita: Charitati huic opponitur 1. Metus ille, qui cruciatum habet ex præsentia Dei, & formidine pœnæ ab ipso infligendæ. *1. Johan. 4. v. 18. Integra Charitas foras ejicit metum: quoniam metus cruciatum habet.* Hinc Charitas consummata foras ejicit metum, ibidem; ratio est: quia metus ille est horror proveniens ex apprehensione mali, propter præsentiam Dei: atque adeò opponitur charitati, quæ fertur in Deum, tanquam in absolutè bonum. Eidem secundò opponitur Abalienatio à Deo, quæ à quibusdam dicitur odium abominationis. *Psalm. 14. v. 3. Johan. 3. v. 20. Unusquisque recessit. Odit lucem.* Sicut enim Charitas consistit in affectu unionis, sic abalienatio hæc est in disjunctione. Maximè autem adversatur Charitati Dei Odium, quod dicitur odium inimicitiæ. *Joh. 15. v 23, 24, 25. Oderunt tum me, tum Patrem meum.* Sicut enim charitatis amicitia est benevolentia; sic inimicitia ista erga Deum est in eo, quod impii malè ipsi cupiant, & vellent si fieri posset, ut non esset, vel saltem non talis, qualis est. Quamvis enim Deus, si ita apprehendatur, prout est in semetipso, non possit esse odii objectum; quatenus tamen apprehenditur ut peccatorum vindex, eatenus ab impiis peccatoribus odio sæpè habetur: quia illo respectu

respectu est ipsis maximè adversus. *Job. 3. v. 20. Quisque quæ mala sunt agens, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ejus.* Sicut enim amor Dei in piis causa est, ut odio habeant impietatem Deo adversam; sic amor iniquitatis in impiis efficit, ut Deum oderint, tanquam iniquitati suæ adversum. Gradus autem, quibus ad summam istam impietatem ascenditur: tales sunt, 1. Peccatores semetipsos inordinatè diligunt. 2. Volunt illud quod sibi placet, quamvis contrarium sit legi Dei. 3. Odio habent legem: quia repugnat huic desiderio. 4. Deum ipsum adversantur, quia talis Legislator est & Author. Opponitur etiam Charitati erga Deum amor hujus mundi. *1. Johan. 2. v. 15.* quia hic mundus cum Deo & ejus voluntate non consentit. *Ibid. vers. 16. Si quis diligit mundum, non est Charitas Patris in eo, Quoniam quicquid* est *in mundo, non* est *ex Patre.*

XXXVII.

Referunt hûc alii alias quoq; speciales virtutes: *Timorem* scil. *Dei*; quo Homo planè se submittit Majestati divinæ, iramque ejus & supplicia peccatoribus debita attendit & reformidat, cui opponitur *Securitas carnalis & Pusillanimitas.* *Humilitatem*; quâ quis coram Deo agnoscit cum Abrahamo, se pulverem esse, & prosternit se huic Figulo, qui ipsum fecit vas honoris; cui opponitur *Fastus & Elatio adversus ipsum Deum.* *Obedientiam*, quæ vel *generaliter* accipitur, atque sic omnes virtutes præcedit, imò includit: vel *specialiter*, prout peculiarem dicit promptitudinem & propensionem erga verbum divinum; cui opponitur illud *Obsequium, quod propriæ libidini & affectui attemperatur* extra verbum, quæque fingitur Deo grata obedientia, cùm tamen non sit ad mandatum Heri, voluntatem Domini, & eo ipso fatua, uni Deo adversa. *Patientiam*, quâ etiam in adversis Deo planè se submittit & constanter adhæret; cui contrariatur *Impatientia*, cùm insurgunt fluctus tentationum, mala externa circumfunduntur, & omnia videntur conspirâsse in exitium, murmurante carne adversus Deum, & conquerente de onere imposito importabili.

CAPUT IV.
ALTERA PARS PRÆCEPTI.
Verba Textus.

לא תעשה־לך פסל וכל־
תמונה אשר בשמים ממעל
ואשר בארץ מתחת ואשר
במים מתחת לארץ׃ לא
תשתחוה להם ולא תעבדם
כי אנכי יהוה אלהיך אל קנא
פקד עון אבות על־בנים
על־שלשים ועל־רבעים
לשנאי׃ ועשה חסד לאלפים
לאהבי ולשמרי מצותי׃

Ne facito tibi sculptile, aut ullam imaginem eorum, quæ sunt in cœlis suprà, aut quæ in terra infrà, aut quæ in aquis infrà Terram. Ne incurvans te honorem exhibeto eis, neque colito ea: Nam Ego Jehova Deus tuus Deus fortis Zelotes sum, visitans iniquitatem Patrum in filios, in nepotes, & in abnepotes, in eos qui odio prosequuntur me. Exercens verò benignitatem in millesimos, à patribus, qui diligunt me & qui observant mandata mea.

THESIS I.

ANtequam expendamus verba Textus, observamus *primò* hoc Effatum non peculiare constituere præceptum; *tùm* quia Imagines ad cultum expositæ Dii alieni in Scripturis dicuntur, *Gen. 31. v. 29, 30, 32.* ut & *cap. 35. v. 2. & 4. Exod. 20. vers. 23. Deut. 28. v. 36. tùm* quia omnis Idololatria primo præcepto prohibetur; Ergò etiam erectio Imaginum ad cultum & adorationem, cum Genus sub ambitu suo omnes species comprehendat; *tùm* quia præceptum de non habendis Diis alienis & non faciendis ad cultum sculptilibus unum idemque habent præceptum affirmativum de colendo vero Deo, adeoque ad unum præceptum pertinebunt.

II.

Frustrà itaque est Polanus, qui differre vult hoc præceptum à primo,

primo, quia, ut inquit, primũ præceptum determinat Subſtantiam, ſeu Subjectum proprium Religioſi cultus, docens ut ſolus Jehova Deus Iſraelis colatur: ſecundum præceptum circumſcribit modum cultus illius. Modus autem cultus religioſi eſt, qui divinitus præſcriptus eſt, abjectis vitatisve omnibus modis, quos homo, ratio, opinio, mundus, diabolus offerre poteſt & ſolet. Quum autem Deus Spiritus ſit, modum cultus divini ſpiritualem eſſe neceſſe eſt, qui perficiatur in ſpiritu & veritate, *Joh. 4. v. 23, 24.* Nam *primò* eo ipſo, quo præceptum primum determinat Subſtantiam ſeu Subjectum proprium cultus religioſi, docens, ut ſolus Jehova Deus Iſraëlis colatur, hoc de non faciendis ſculptilibus vel Imaginibus proſtituendis ad cultum, ſub ſe comprehendit; qui enim præcipit cultum ſui ſolius, ille eo ipſo omnem alium removet & excludit. *Secundò*, poſito circumſcribere hæc verba modum cultus, ut abjectis & vitatis omnibus modis, quos homo, ratio, opinio, mundus, diabolus offerre poteſt & ſolet, Deum veneremur; erit tamen hic ipſe modus ſub cultu ſolius Dei ſecundum Verbum præſcriptum comprehenſus; Anné enim non omnis Idololatria prohibetur hiſce verbis: non erunt Tibi Dii alieni? Et annon etiam imagines & ſculptilia ad cultum proſtituta Dii alieni? *Tertiò*, Deum eſſe Spiritum, & cultus modum debere eſſe ſpiritualem, non demum inſinuatur hiſce verbis: non facies tibi ſculptile &c. ſed eo ipſo quo Deus dixit, Ego ſum Dominus Deus tuus, voluit ſe ſiſtere ut Spiritum; Deus enim Spiritus, *Johan. 4. v. 24.* eo ipſo quo dixit, Ego ſum Dominus Deus tuus, rationali creaturæ intellectu & voluntate præditæ, populo in peculium electo, & vinculo ſpirituali unito, ſeſe exhibuit ut Spiritum, ſpirituali modo colendum; eo ipſo quo dixit, Non habebis Deos alienos coram me, excluſit omnem cultum ex proprio ingenio confictum? quid enim Idolum, niſi id quod colitur extra Deum noſtrum, nequit autem eſſe idololatria cultus ſpiritualis, cùm ex carne ſuam ducat originem, quapropter poſito, Jehovam eſſe Deum noſtrum, non eſſe debere nobis Deos alienos, colligendum erit, cultu ſpirituali, præciſa omni idololatria, Deum ſolum eſſe proſequendum; quanquam non negemus, expreſſiùs in hiſce verbis, Non facies tibi ſculptile &c. exponi diſplicentiam adverſus ſculptilia & imagines ad cultum proſtitutas.

III.

Frustra quoque ad Argumentum, quod Imagines ad cultum factæ sint Dii alieni, excipitur, Syllogismum laborare quatuor terminis. Rectè enim Mentzerus: in verbis *Deuteron. 7.* Ebraismus est, Sculptilia Deorum pro diis sculptilibus, cujusmodi etiam est, *1. Sam. 17. vers. 40.* glabrities vel lubricitates lapidum, hoc est, glabri & lubrici lapides. Nonnullæ imagines à gentilibus pro diis habitæ & adoratæ sunt, quemadmodum Philistæis Dagon Deus fuit, sicut *2. Sam. 5. v. 7.* Dura est, inquiunt, manus Dei Israel super nos, & super Dagon Deum nostrum. Si maximè concedamus, esse discrimen inter rem & ejus imaginem & similitudinem, & idololatræ nonnulli nolint videri colere imaginem, sed prototypum: judicio tamen Dei lignum & lapis, omnisque cultus & adoratio, contra præscriptum verbi ipsius facta per adventiones hominum, dii alieni dicuntur: Servies (inquit Dominus) diis alienis, ligno & lapidi. Addo quod libr. *Sap. 15. v. 8.* irridentur, qui colunt vano labore Deum de eodem luto. Hinc ex hoc ipso judicio Dei sic colligimus: Qui servit diis alienis, is peccat contra primum præceptum. Qui servit ligno & lapidi, is servit diis alienis. *Deut. 28. v. 36.* Ergo peccat contra primum præceptum. Rursus qui præter verum Deum facit & colit deos alienos, is adversatur primo præcepto: Qui facit argenteos & aureos deos, facit alios deos præter verum Deum. *Exod. 20. v. 25.* Ergo adversatur primo præcepto. Idipsum docet rei veritas. Quia enim unus Deus est, *1. Corinth. 8. v. 9.* atque ob eam causam nulli revera in mundo dii sunt, (præter eos, quos Scriptura per metaphoram deos appellat, magistratus nimirum, quibus suus ad quarti præcepti præscriptũ honos debetur,) sed sunt pura puta hominum figmenta ac mendacia, consequitur hunc honorem, qui eis exhibetur, ante oculos Dei in ipsis imaginibus ligno & lapide hærere, & terminari, cujus judicio, ut dictum, appellantur ligna & lapides, hominũ manibus fabrefacti. *Psalm. 115. v. 9.* Caveant dissentientes hîc in Dei judicium sibi virgulam censoriam sumere. Gentiles mutaverunt gloriam immortalis Dei in similitudinem imaginis mortalis hominis, & volatilium, & quadrupedum & reptilium. *Rom. 1. v. 23.* Et scriptura Judæos accusat, quod imagines, quas fecerunt, adoraverint, *Act. 7. v. 12.*

v. 23. Quod si mutarunt Dei gloriam in similitudinem imaginis hominis, ex illa certè Deum sibi finxerunt.] Quicquid igitur contra quartum nostrum argumentum pars adversa protulit, id tum praxi gentilium, tum judicio Dei, tum rei veritate refellitur.

IV.

Frustra denique Luthèrum vellicant Beza, Musculus, Piscator, & Sacrilegii reum agere volunt, quod hæc Verba omiserit: Si enim Verba in imaginibus tantùm explicationis ergò sunt addita; expers omnis sacrilegii erit, qui substantialia præcepta retinens, in enumeratione illorum verba de imaginibus tacet, & pòst in explicatione addit. Atqui prius est verum Ergò & posterius. Quia enim Explicatio non est de substantiâ præcepti, & Lutherus ejusque discipuli, licèt in ipsorum præceptorum enumeratione captui juniorum atque rudiorum & imbecillitati memoriæ illorum consulentes, verba de imaginibus non addant, nihilominus in explicatione videl. in concionibus & publicis scriptis, idololatriæ species disertè enumerant, & inter has explicitè quoque superstitiosum imaginum cultum recensent: unde quæso sacrilegii accusari poterunt? Aliquid etiam lucis huic quæstioni adferet sequens disquisitio. Nec Ecclesia ad recitationem hanc ita est adstricta & alligata, ut nefas sit ab ea quoquo modo discedere, prout opinantur Neomarburgenses, Moses enim *Deut. 5.* Quando historicè Decalogi præcepta & promulgationem recitat repetitque, non inhæret verbis, quæ in Exodo extant, sed quædam contrahit & omittit, quæ in Exodo habentur: quædam inserit, quæ ibi non leguntur: quædam etiam transponit. Hinc: Si necesse esset Decalogum à verbo ad verbum recitare, prout in Exodo descriptus legitur, procul dubio ipse etiam Moses, ordinis illius optimè conscius & verborum Exodi adhuc probè memor, verbis illis tenaciter inhæsisset, nec omittendo, inserendo & transponendo ab iis discessisset. At Moses non inhæret verbis Exodi, sed in Deuteronomio aliter recitat; Ergo non necesse est Decalogum à verbo ad verbum recitare, prout in Exodo descriptus legitur. Christus *Matth. 22.* totum Decalogum in duo præcepta compendiosè contrahit; quod procul dubio haud fecisset, si à serie & contextu verborum Exodi ullo modo discedere, nefas fuisset.

Item *Matth. 19.* in quæstione de consequenda vita æterna (ad quam non aliquorum saltem, sed omnium præceptorum observatio requiritur) non insistit verbis & ordini Mosaico, sed præcepta quædam omittit, quædam transponit. Quemadmodum & Paulus *Paulus 13* Inde sic argumentum. Si nefas esset verba Decalogi compendiosè contrahere, aut in recitatione tot literas & syllabas, quot in Exodo reperiuntur, non retinere: vel ab ordine Mosaico aliquantulum discedere, factum illud à Mose aut Christo non fuisset. At factum est, Ergo non est nefas.

V.

Notamus *secundò*, disputari de Qualitate hujus præcepti. Quidam enim volunt, illud quoad fabricam imaginum & Sculptilium esse cæremoniale, & ipsam *εἰκονομίαν* prohiberi Judæis, qui proni fuerint ad Idololatriam. Ita ex Pontificiis Gabriel Vasquez. *in tertiam Thomæ Tomo primo Quæst. 25. Disp. 104. Cap. 2. & 4. pag mihi 990 993.* Ex nostris B. Chemnitius eâdem incedit ferè viâ, *& in locis Theologicis pag. 103.* sequentia promit: Deus, cùm videret populum suum proclivem esse ad Ethnicam illam idololatriam, omnino interdixit illis fabricationem & usum imaginum quarumcunque, sive cœlestium sive terrestrium, sive aquatilium rerum, quæ vel exsistunt, vel non sunt in rerum natura. Hanc enim Origenes ponit differentiam inter Imaginem & Similitudinem. Alii similitudinem interpretantur, quicquid præter statuas & imagines, sine verbo Dei adhibetur ad cultum divinum; ut excelsa, luci, aliena altaria, currus solis. Quòd autem omnino interdictum fuerit Judæis, imagines & sculptilia in templo ponere, vel ex illo solo exemplo intelligi potest; cùm Pilatus imaginem Cæsaris in templum vellet inferre, de quo Joseph. lib. 18. cap. 5. Sicut ergo multi alii gentium ritus, qui per se & suo genere indifferentes sunt, prohibiti Judæis fuerunt in Legibus ceremonialibus, ne essent ipsis occasio impietatum & idololatriæ: Ità, quia imagines & statuæ præbuerunt occasionem, quòd vera religio etiam in membris populi Dei sensim, sub specie pietatis corrupta fuit (ut Genes. *cap. 11. v 31.* Nachor & Abraham cum Patre Thara discesserunt à Chaldaica idololatria: Laban vero filius Nahor, *Gen. 31. v. 30.* Theraphim vocat Deos suos, & Rahel illis aliquid tribuit, idque paulo plus 200. an-

200. annis post) Deus omnino interdixit; ne ipsi facerent, vel ab aliis fabrefactas imagines collocarent in loco, ubi cultus divinus erat tractandus. Nec in diversum abiit Hugo Grotius, *in Commentario ad Decalogum pag. mihi 32.* scribens: Hæc opinio, quod scil. in Imaginibus Spiritus delitesceret, quia apud Orientis populos latè invaluerat, eaque pravi dæmones ad fallendos homines abutebantur, Deus edicto hoc suo omnia sculpta animalis alicujus formam habentia inhibuit; facilius enim spiritus capacia illa simulacra videbantur ob recessus abditos. Notandum enim non tantum Hebræis vetitum, eis venerationem exhibere, verbis sequentibus, sed ne facere quidem ulla simulacra permitti. *Deut. 4. v. 16.* insuper aboleri jubentur *Exod. 34. v. 13. Num 33. v. 52. Deut. 7. v. 5.* Cùm Pilatus clypeos in Templo fixisset, Judæi non quievere, donec tollerentur, quia in iis erant προτομαὶ, vultus Cæsarum. Et trophæa Herodes cum statuisset, non prius iram populi effugit, quam iis nudatis ostendit, nullas ibi latere effigies. Aquila etiam aurea supra portam templi ab Herode posita, tanquam legi repugnans, dejecta est: ut narrat Josephus lib. 17. Neque vero in templo tantum, quod Tacito ac Dioni notatum, sed quovis alio in loco habere sculptas animantium imagines Judæis interdictum. Vide, si libet, Mosem de Kotzi in libro de præceptis jubentibus & negantibus, & Josephum belli Judaici libro 11. Contra hanc legem, quamdiu mansit legis sanctitas, venire nemini licuit, nisi Deo ipsi, legis conditori, qui sibi ipsi exceptionis potestatem non ademerat. Is suo jure in Templi ipso penetrali locari jussit Cherubinos, alatas humano effigies vultu, eo in loco quò solus Pontifex Maximus semel anno intrabat, gnarus non inesse illis divini aliquid: sed significari aut, ut Philo censet, celerrimas Dei actiones in benefaciendo bonis & in puniendo malos, aut quod Angelorum ad quæcunque vellet paratissimo ministerio Deus uteretur, ut Moses Maimonides aliique censent. Talis exceptio fuit etiam cum serpentis imaginem Deus jussit erigi. Extraordinario præcepto serpentis similitudinem induxit, ait Tertullianus de idololatria. Quod vero labro æneo boves & leones adjecit Solomo, id aut Deo fecit præcipiente, aut, si Dei veniam non habuit, initium fuit & gradus quidam ad alia quæ peccavit postea, quæ posterior magis plagit Jose-

pho & aliis Hebræis ſententia. Animantium ſculptas imagines cum dixi vetitas, etiam ſidera comprehendo, quia motum ſuum habent. Non enim orbes, ſed in cœlo liquido moveri ſidera, vetuſtiſſima Hebræorum ſententia eſt, ut nos docet Gemara ad initium Geneſeos. Figura autem ſiderum aut formam exprimebant ſingularem ſtellæ, Solis puta, Lunæ, Saturni, Luciferi, Jovis, (vide *Act. 7. v. 43.*) aut corpus è pluribus ſtellis conformatum redactumque ab hominibus in ſpeciem hominis, feræ, ſerpentis, aliuſve animantis. Apparet eſſe hæc de ſculptis deque animantium figuris interdicta ex eorum genere, quæ natura ſua illicita non ſunt, ſed quæ ad mali cujusdam cautionem prohibentur. At alia eſſe pleraq; in Moſis lege, per ſe *ἀδιάφορα*, ſed oppoſita directe inſtitutis Ægyptiorum, Phœnicum, Arabum, quo longius ἀπὸ τῆς *πλανήσεως* arcerentur Hebræi, notavit prudenter Maimonides.

VI.

Cornelius à Lapide ita cenſet de hoc Enunciato: Superiori v. vetuit deos alios in genere; hîc ſpeciatim ſimulacra deorum vetat; iis enim præcipuè deos ſuos colebant Gentes, imo & illa ipſa, ut deos habebant: quod licet neget Calvinus, diſertè tamen docet *Eſaias cap. 44. v. 17. Baruch toto cap. 6. Jerem. c. 10. Sapient. cap. 13. v. 10.* Vetat ergò hîc Deus ſimulacra deorum, tum fieri, tum coli: utrumque enim nefas eſt.

VII.

Commodiùs tamen dicitur, præceptum hoc eſſe morale, eſſe partem vel appendicem primi, nec prohiberi facturam ſculptilium aut Imaginum *ſimpliciter*, ſed *ſecundùm quid & relatè ad Cultum, partim*, quia Moſes ipſe ita exponit non tantum Diis alienis iſtiusmodi Imagines & ſculptilia ſubordinanda in Decalogo, ſed etiam clariſſimè alibi ſenſum legis explicando. Ita enim *Levitici 26. v. 1. Ego Dominus Deus veſter, non facietis vobis idolum & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum; Ego enim ſum Dominus Deus veſtèr. Partim*, quia communiter Patres docent, omnia præcepta decalogi, exceptâ determinatione Sabbathi, eſſe moralia. Videatur *Irenæus lib. 4. cap. 31.* Clemens Alexandrinus *in Oratione adhortatoria ad Gentes.* Imprimis verò Auguſtinus, qui ita *Epiſtola 119. Cap. 12.* Inter illa omnia decem præcepta

cepta ſolum ibi, quod de Sabbatho poſitum eſt, figuratè obſervandum præcipitur &c. Cætera tamen ibi præcepta propriè ſicut præcepta ſunt, ſine ulla figurata ſignificatione obſervamus. Nam & idola non colere manifeſtè didicimus. *Partim* quia noſtri Theologi agnoſcunt aliud longè eſſe εἰκονομιίαν, aliud εἰδωλομιίαν; neque illam prohibitam], ſed hanc, εἰδωλομιία verò non adverſatur Legi cæremoniali, ſed morali, eſt mala moraliter & conſequenter hic prohibita.

VIII.

Prohibetur autem factura Sculptilis & imaginis hiſce verbis: non facies tibi ſculptile atque omnem Similitudinem &c. Objectum eſt פסל *peſel* à פסל *ſculpere*. LXX. Interpretes reddiderunt εἴδωλον: alii græci γλυπτὸν: Gallicæ quædam verſiones: Imago taillée: quædam idole taillée; uſurpatur autem Radix פסל generaliter apud Ebræos, & notat non tantum ſculpere, ſed & dolare, ut Peſel, ut conſequenter ſit omne id, quod ſculpitur, finditur, dolatur, tornatur, atque legitur *Deut. 4. v. 16. Judic. 18. v. 14, 17, 18, 20. 30. 2. Paral. cap. 33. v. 7.* & eidem jungitur תמונה Imago, quã LXX. reddiderunt per ὁμοίωμα: Hiſpanicè: retrato, cõtrafactura: Imago quæ ab alio ducta vel expreſſa, & occurrit hæc vox *Deut. 4. v. 16. Judic. 23. v. 35. Deut. 5. v. 8.* præmittiturque vox כל, ut omnis imago intelligatur, ſive Deum verum ſive falſos repræſentare dicatur.

IX.

Cur autem hic duo vocabula hæc combinentur, & diſtincta copulentur, inter eruditos diſquiri cæptum eſt. Philo Judæus cenſuit, Moſem his verbis ſpecioſas illas & magni pretii Artes, Statuariam & Picturariam, ex ſua Republica excluſiſſe. Quidam ex Patribus & Pontificiis cenſent, hæc fuiſſe conjuncta, quia per prius prohibere Deus voluerit ſimulacrum, non ex hominis alicujus lineamentis expreſſum, per poſterius verò imaginem, quæ tali expreſſione fiat. Quidam denique volunt, ſculptile & ſimilitudinem hic memorari, quia ſculptilis imago diſtinctius & enixius prohibita ſit, cum Idolorum cultus verſatus fuerit potiſſimum in Imagine ſculpta vel ſtatua, quæ ſoliditate partium atque craſſitie magis exhibeat

perſo-

personam, quæ adoranda proponitur, quàm si hæc in superficie coloribus duntaxat exprimitur; vide Commentatores & Rungium.

X.

Primæ sententiæ subscribere non possumus, quia ipse Deus arte sculptoria exornavit Oholiabum & Bezalielem & ea illos uti voluit in effigianda figura Cherubim; altera quoque non videtur solida, quia sculptile generatim accipitur, præscindendo ab homine, & generaliter explicatur per sequentia, dum dicitur: *Ne facito tibi sculptile, aut ullam imaginem eorum, quæ sunt in cælis suprà, aut quæ in terra infrà, aut quæ in aqua infrà Terram. Ne incurvans te honorem exhibeto eis, neque colito ea: Nam Ego Jehova Deus tuus Deus fortis zelotes sum, visitans iniquitatem Patrum in filios, in nepotes, & in abnepotes, in eos qui odio prosequuntur me; Exercens verò benignitatem in millesimos, à patribus, qui diligunt me & qui observant mandata mea.*

XI.

Dicitur autem, ut actus prohibitus intimetur: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* In Ebræo occurrit vox עָשָׂה. quæ usurpatur de Deo creante, *Genes. 1. v. 7.* exornante, *Esaiæ 43. v. 7.* conservante, *Deut. 32. v. 6.* de Creaturis comparantibus, acquirentibus, *Gen. 12. v. 5.* parantibus aliquid, *Gen. 18. v. 7.* Generantibus 2. *Reg. 19. v. 30.* Sacrificantibus, *Ezechiel. 45. v. 17.* Curantibus, 2. *Sam. 19. v. 25.* Mutantibus, *Jeremiæ 8. v. 8.* adeoque generaliter notat hic omnem modum faciendi, parandi, curandi, omnem actum productionis. Quò collimant quoque LXX. Interpretes, adhibentes vocem generalissimam *ποιεῖν*, interim, si licet conjicere, videtur ex loco Jeremiæ octavo, maximè posse sensum hujus vocis hoc in loco usurpatæ illustrari. Dicitur enim ibi: in mendacium mutavit Legem stylus scribarum falsarius: Ut enim dicitur fecisse sive mutasse Pseudo-prophetas Legem in mendacium, ita hominis Sculptile vel Imaginem fabricantes faciunt sibi Deum falsum, mutant verum Deum ejusque gloriam in Imaginem similem hominibus, volucrum, quadrupedum, & reptilium; ut Paulus loquitur, *Rom. 1. v. 23. & 25.* Legem mutâsse, quæ nihil aliud est, quàm symbolum Dei Sanctissimi & justissimi, dicuntur illi falsarii malè interpretando, ita homines fabricando Sculptile vel imaginem, mutant illum, qui Sanctissimus & justissimus, in Idolum detestabile,

ſtabile, malè interpretando, Naturam Numinis, ad imaginem obliquando, quod ſolius Dei eſt; ut denique dicitur, Stylum Scribarum falſarium mutâſſe Legem in mendacium, ita fabricando ſculptile vel Imaginem hominis Inſtrumentis Sculptoriis, penicillis & cæteris utuntur, & iſtis mutant in mendacium, illum, qui prima Veritas: ita Aaron ad exemplar Boum, qui Apis & Menovis dicebantur, ſtylo effigiavit vitulum aureum, notas & maculas imprimendo, fuſum exornando *Exod. 32. v. 4.* Notanter verò loquitur Deus, & expreſſius Indolem iſtiusmodi facturæ prohibitæ ſignat, dum dicit: *Non facies tibi*, ad tuum ſcil. uſum in Religionis Negotio, tibi & tui ſimili; non tantum in Uſum ſibi fingere Idola, ſed aliis cujuscunque conditionis hominibus, illicitum eſt. Nec malè hic Amandus Polanus, ſed noſtris principiis conformiter ita diſſerit, Primò, inquiens, prohibetur factura imaginum, non quarumvis, ſed tantùm religioſarum, id eſt, quæ religioni & conſcientiæ ſerviant: Nam præcepta Decalogi ſunt à Deo promulgata religionis & conſcientiæ causâ. Illæ autem imagines fiunt religionis causâ, quæ fiunt ad repræſentandum Deum verum, aut falſos deos: aut ad colendum Deum verum, vel deos falſos per illas: aut ut ipſæ religiosè colantur, ſive pro Diis aut Divis ipſis habeantur, ſive pro illorum ſimulacris. Per imagines autem ſynecdochicè intelligitur etiam omnis cultus Dei ab hominibus confictus. Nam Deus non vult coli per imagines manu humanâ factas aut per cultus ab hominibus excogitatos. Dicimus diſertè, Deum nolle coli per imagines manu humanâ factas; de talibus enim in præcepto ſecundo loquitur Deus dicens: Non facies tibi ſculptile, &c. ut diſcernantur ab æterno Dei Filio, qui eſt naturalis imago Patris, ſed genita; & de quo eſt mandatum *Hebr. 1. v. 6.* Et adorant eum omnes Angeli Dei.

XII.

Neque ſubſcribimus illis, qui negligunt illud *Tibi*, & putant ex Idiotiſmo Ebraico redundare, nec aliud eſſe facere ſibi, quàm ſimpliciter facere, ut vade tibi, ſit idem, quod vade, atque ſimile volunt eſſe judicium de Expoſitione in præcepto negativo 20. & 21. Catalogi Ebræi, ut nemo pro ſeipſo faciat ſculptile aut alteri, & in 22. ne fiat figura aut ſimilitudo pro honore aliquo, ut hominis in argento vel auro. Nam etiam LXX. Interpretes notanter addunt

σεαυτῷ.

σταυτῷ. Ipſa conſequentium conſideratio ad hanc Emphaſin obſervandam manuducit, nec non Cajetanus, quem meritò cæteris Pontificiis opponimus, ſcribens: Non facies tibi ſculptile, quod ſcil. tibi ſit inſtar Dei & Idoli. Idem ſignificat id quod ſequitur: non adorabis ea, & non coles.

XIII.

Addit Deus prohibitioni illi, Non facies ſculptile tibi, *neque omnem ſimilitudinem*, deſcriptionem eorum quorum ſimilitudo fabricari & exhiberi ſolet, ſcil. illius, *quæ eſt in cælo deſuper & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis; ſub terra moventur.* Itaque *primò* ſimilitudo illorum quæ in cœlis deſuper: ubi diſquiritur, quid per illa notetur. Quidam volunt deſignari Solem, Lunam & Aſtra. Quidam addunt Aves cœli, quia Deuteronomii quarto, ubi idem præceptum repetitur & explicatur ita, ut per ea, quæ ſunt in cœlo, Aves intelligantur. Quidam utrumque conjungunt, ut ſenſus ſit omnium eorum Effigies inhiberi, quæ ſuperius cernuntur in aëre vel cœlo, ſuntque reipſa vel animata, vel certa gentium opinione talia. Nos exiſtimamus nomine illorum quæ in cœlis ſunt, intelligi primò Angelos & Animas Beatorum. Quò referimus illa Chemnitii: Ad cultum facere, proponere aut uſurpare, non tantùm imagines idolorum & dæmoniorum *1. Cor. 8.* nec tantùm irrationalium creaturarum, verùm etiam angelorum, ſpirituum juſtorum qui in cœlis ſunt, & hominum defunctorum, quorum corpora ſub terra ſunt, & ne ipſius quidem Dei imaginem ad cultum fieri, proponi & uſurpari, vult Lex Dei. Deus enim noſter in cœlo eſt. Et lex prohibet, ejus quod in cœlo eſt, imaginem ad cultum fieri. Secundò Solem, Lunam & Aſtra. Solem enim & Lunam Ægyptii, teſte Euſebio, venerati ſunt & Solem vocarunt Oſirim, Lunam Iſim, hoc eſt multoculum & priſcam. Et cætera aſtra quoque alii magnifaciebant & venerabantur. Occaſionem verò illius cultus oſtendit Jeſuita Amenionenſis *Commentario in Deuteron. 4. verſ. 19.* ſcribens: Tanta eorum pulchritudo, utilitas, incorruptibilitas, vel certè conſtans ac perpetuus ſtatus, quodque præterea nonnulli animata eſſe perſuaſerint ſibi; item quia opinio erat, hominem eſſe opus illorum; ita ut habeat cùm concipitur à ſole ſpiritum; corpus à luna; à Marte ſanguinem; ingenium à Mercurio; à Jove deſiderium; cupidita-

pidita-

piditatem à Venere; à Saturno humorem: ob has, inquam, & similes alias causas Genethliacorum, faciliùs allicere ad se hujusmodi corpora homines potuerunt, & ab iisdem venerationem religiosam elicere. Ut propterea forsitan præceptum expressum de non faciendo sculptili, seu imagine, ac similitudine, hic non repetatur; non solùm quia id ex dictis potest suppleri; verùm etiam, quoniam rerum perpetuò & continenter oculis subjectarum, ac per sese in sensus incurrentium, minùs necessariæ vel curandæ videbantur effigiationes; præsertim cùm non ita distinctæ fieri possent: licet Ethnici signis quibusdam confictis, sive Astrologi sive Poëtæ, stellas astraque repræsentaverint. In c. 17. cavetur severissimè, ut lapidetur adorator alienorum deorum, ac nominatim Solis, & lunæ, & omnis militiæ cœli, hoc est, astrorum; quæ militia cœli præterea sub istomet nomine sæpiùs aliis in locis memoratur, in quibus etiam reprehenditur idololatria, sicut & rursus alibi, ac peculiariter sub vocabulis Solis, & Lunæ, & quidem etiam adoratorum in Ægypto: præterea Milchom, Moloch, Remphan, quod appellatur sydus: item Astaroth, & Astarthe. Tertiò Aves quidam notare quoque volunt, tùm quia cœli nomine aër veniat, generaliter loquatur Deus de omnibus illis, quæ sunt in cœlo desuper, & tandem *Deut. 4. v. 17.* dicat: ne faciatis similitudinem Avium sub cœlo volantium. Sed de hac posteriori acceptione meritò dubitamus, quia quamvis vox cœli in Scripturâ non tantùm notet illud expansum, in quo sydera moventur, sed etiam aërem, non tamen probari potest in hâc significatione hîc usurpari, & si usurparetur, Aves etiam notari illis, quæ sunt in cœlo desuper, phrasi hâc designari. Secundò ita generaliter loquitur, ut tamen cœlestia contradistinguat illis, quæ in terrâ & aquis sunt; denique locus ex Deuteronomio *Cap. 4.* nihil probat, sed potius pro nobis militat, cùm ibi quidem mentio fiat Avium sub cœlo volantium, sed illæ adscribantur Ordini animantium contradistinctè ad Solem, Lunam & omnia astra cœli, de quibus in versiculo decimo nono demùm agitur.

XIV.

Secundum, quod prohibetur, est Similitudo illorum, quæ in terrâ desuper, per hæc intelliguntur homines, jumenta, reptilia, &, si non referamus ad cœlestia, Aves, illud quoque genus animantium;

Deuteronomii enim quarto recensetur imago masculi & fœminæ, secundò, jumenta & aves,& tandem reptilia, quæ moventur in terrâ, quorum Exempla ponit Tostatus, Episcopus Abulensis; ex primo quidem ordine mares: scil. Jovem, Saturnum, Martem, fœminas: Junonem, Dianam, Venerem, Vestam; Ex secundo, Apim Ægyptiorum & canes & alia monstra; ex tertio, Aquilam Jovis, Columbam Veneris bajulam, Pavonem Junonis, Corvum Phœbi; ex quarto Draconem, quia Æsculapius Deus in figura Colubri cristati de Epiro Romam transvectus est, ubi in Insula Tyberis colebatur. Nec inconvenienter hic Lorinus. Nondum extabant pleraque Idolorum istorum, quo tempore vivebat Moses, sub istis saltem vel formis vel vocabulis: estque verisimile, respectum habitum à Mose ad illa, quæ ab Ægyptiis, quibuscum tamdiu versati fuerant Hebræi, & ab aliis gentibus, quas in itinere ipso, vel non procul habuerant, vel quæ à Chananæis, in quorum regionem jamjam ingredi debebant, colebantur. Herodotus auctor est, ab Ægyptiis Græcos accepisse duodecim nomina deorum, eosque primos aras, & imagines, & templa, βωμὺς κὴ ἀγάλματα, κὴ νηὺς, diis erexisse: præterea existimasse è piscibus squamosum sacrum esse & anguillam, ἐγχέλυν: ex avibus vulpanseres, χηναλώπεκας, & phœnicem. Strabo recenset bovem, ovem, canem, felem, accipitrem, ibim, oxyrinchum, larum piscem Nili, cynocephalum, cetum, leonem, capram, hircum, murem, araneum, &c. Juvenalis crocodilon, porrum, cepe, oves, hœdos, ibin, cercopithecum, piscem, canem.

——————— *Quis nescit, qualia demens*
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat, &c.

Et,

Porrum, & cepe nefas violare, ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.

XV.

Tertium, quod reprobatur, estSimilitudo illorum, quæ in aquis sub terra; quod quidam accipiunt de piscibus, quidam etiam extendunt ad Dæmones, qui aliàs dicantur καταχθόνιοι; Et sanè pisces notari, atque sive monstra sive Numina marina, liquidum esse vide-

videtur. Nam in vicinia Judæorum colebantur Dagon, Numen scil. Philistæorum. Teste Xenophonte *lib. 1. de Expeditione Cyri*, qui de quodam flumine agens, Chalon nomine, in quo pisces conspiciebantur magnitudine insignes & mansuefacti, dicit: Eos Deos arbitrabantur Syri, nec injuria affici patiebantur, sicut nec columbas. Et cum illo conspirat Poëta, *Secundo Fastorum* canens,

Ne violent timidi piscibus ora Syri,

Adde Ciceronem, *lib. 3. de Natura Deorum*, Juvenalem, *Satyra decima quarta*. Descendit autem hoc Nomen secundùm quosdam à radice דָּג piscis, quanquam Schindlerus, Bochartus & alii malint derivare à דָּגָן frumentum; Secundò Antonius Nebrissensis, Dagon, dicit, eundem fuisse cum Derceto, de quo Diodorus Siculus testatur, quod ab Ascalonitis fuerit cultus; Tertiò, quia figura illius fuit ita, secundum Kimchium, exhibita, ut retulerit ἐκ μέρους piscem; Et quis nescit Neptunum, Thetyn, Tritones, Nereides & Nymphas, & consimilia aquarum Numina vel monstra?

XVI.

Non substitit Deus hic, sed progressus fuit ad ipsum cultum, & severè illum prohibuit, addendo: non adorabis neque coles לא תשתחוה lo tischtachavæh, non incurvabis te eis, non procumbere te facies eis, ut quidam reddunt, LXX. Interpretes verterunt οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς לא תעבדם lo taabhdem, non servies eis, οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς, ut habent LXX. Interpretes. Prioribus verbis prohibetur cultus externæ significationis; posterioribus internæ venerationis; Incurvare enim est aliquo corporis gestu testari submissionem & reverentiam, & generaliter illa indicia notat, qualia sunt capitis apertio, genuflexio, osculatio &c. Unde etiam in N. T. hæc vox explicatur per γονυπετεῖν *Marc. 1. v. 40.* per προσπίπτειν πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ, *Marc. 7. v. 25.* Hugo Grotius ad hanc phrasin sequentia annotavit: Non satis habuit Deus Israëlis populo consulere adversus pravas ejus sæculi sententias, & mores in id tempus, quo victuri erant in societate popularium, sed in longum prospiciens, adhibere cautiones voluit etiam illis Hebræorum, qui extra suum populum erant peregrinaturi. Namque ibi, cùm impedire non possent quo minus exstarent sculptæ animantium aut astro-

ſtrorum imagines, remedium aliud adhibendum eis fuit, ne pravæ opinionis ac inſtituti ad eos contagium perveniret: id autem melius fieri non potuit, quam ſi prohiberentur geſtus cum eis habere communes, quibus error ille nutriebatur. οὐ προσκυνήσεις in Hebræo eſt לא תשתחוה. Vox Hebræa שחה ſatis eſt generalis: neque verò animi actum deſignat, ſed corporis: ſive is fiat caput inclinando, ſive inclinando corpus totum, ſive curvandis genibus, ſive ſubſidendo in poplites, ſive, qui maximus eſt honos, procumbendo. Græci Interpretes per προσκυνεῖν hanc vocem ſolent vertere: non ſine cauſa. Nam ſicut apud Orientis populos, veneratio oſtendebatur variis flectendi corporis formis, ita apud Græcos manum ad os admovendo, quod propriè eſt προσκυνεῖν à κύω & inde κυνέω quod eſt oſculor: Nec aliud ſignificat Latinum adorare, non ab orare, id eſt precari, factum, ut imperiti homines exiſtimant, ſed ab eo quod manus admoveatur ori. In Gloſſis adorat, προσκυνῶ. Alibi προσκύνησις, adoratio, adveneratio. Manum ori admovere dixerunt Plinius, Tertullianus, Apulejus: φιλῆσαι δεξιὰν, manum oſculari Lucianus περὶ θυσιῶν. Idem περὶ ὀρχήσεως libro κύσας χεῖρα, manum oſculans. idem in Demoſthenis encomio apertè quod dixerat oſculari manum, mox dixit προσκυνεῖν. Euſtathius ad v. Od. προσκυνεῖν παρὰ τὸ κύειν, ὅ ἐστι φιλεῖν, ab oſculando. Quod in epigrammate veteri eſt:

Ingreſſus ſcenam populum ſaltator adorat:

idem eſt quod apud Phædrum: jactat baſia tibicen. Mos hic venerationis quàm ſit antiquus, ex *Jobo* apparet *31. v. 26.* Sed quod in pleriſque vocibus evenit, ut non maneant in ſenſu originis ſuæ, quinimò ut adoptivus ſenſus prævaleat, idem huic Græcæ voci προσκυνεῖν accidit; cœpit enim uſurpari de quovis geſtu reverentiam quandam teſtante: itaque id quod προσκυνεῖν adorare, dixit *Matthæi* interpres *8. v. 2.* idem eſt πεσεῖν ἐπὶ τὸ πρόσωπον, procidere in faciem, *Luc. 5. v. 12.* ſic quod apud eundem *Matthæi* interpretem eſt, προσκυνεῖν, adorare, *19. v. 18.* id *Marcus* dixit πίπτειν πρὸς τοὺς πόδας, procidere ad pedes, *5. v. 22.* Interdum apertioris ſignificatus cauſa alterum altero addito explicatur, ut πεσόντες προσεκύνησαν, procidentes adoraverunt, *Matth. 11. v. 11.* ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι, ſi cadens adoraveris me, *Matth. 4. v. 9.* πεσὼν ἐπὶ τοὺς πόδας προσεκύνησεν. pro-

σιν, procidens ad pedes ejus adoravit, *Actor. 10. v. 25.* πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον προσκυνήσει, cadens in faciem adorabit Deum, *1. Cor. 14. v. 25.* Chrysostomus ad cap. 5. epistolæ ad Ephesios προσκυνεῖν exponit per κάμπτειν ἑαυτὸν, se flectere. Sic in historia honorati ab Jacobo Esavi, ubi est in Hebræo וישתחו: Josephus & Græci ponunt προσεκύνησε, idemque faciunt in historia umbræ Samuelis, quam honore afficiebat Saul. Atque inde factum, re externa ad internam relata, ut interdum, sed rarius animi actum ea vox significaret, ut voces θυσία, sacrificium, προσφορὰ, oblatio, aliæque similes. Vide *Joh. Evang. 4. v. 23.* Hoc verò loco haud dubiè significatur omnis actus, quo honos habitus demonstrari solet; sicut enim alibi vetantur Hebræi nomina usurpare Deorum falsorum, *Exod. 23. v. 13.* ita etiam imaginibus ullum signum honoris, quocunque tandem animo id fieret, exhibere prohibentur, ut notat Moses de Cotzi præcepto vetante XIX. quæ omnes sunt προφυλακτικαὶ, cautiones contra τὴν πολυθεΐαν, deorum multitudinem; idem autem valent hæ locutiones, imagini se flectere, aut flectere se coram imagine; itaque quod in *Matthæi 4. v. 9.* est προσκυνήσῃς μοι, adoraveris me, id *Lucas* dixit *c. 4. v. 7.* προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου, adoraveris coram me. Sic quod per dativum exprimitur *Jer. 22. v. 9.* id per לפני coram enuntiatur. *2. Paralip. 25. v. 14.* & per על quod idem valet. *Levit. 26. v. 1.* Et quod in dativo est, *1. Reg. 19. v. 8.* & *Rom. 11. v. 4.* id Latina interpretatio explicat per præpositionem coram. Phrasi autem posteriore prohibetur internus cultus, servitus religiosa, quæ quandoque etiam ad externa progreditur, cum scil. imagines istæ ad cultum prostitutæ ornantur auro & gemmis, incensum illis offertur, peregrinationes ad illas instituuntur, lampades, altaria & alia munera iisdem consecrantur; quò referimus illa Grotii: Si honorem, qui hominibus eminentibus præstari solebat, nullo modo, non jam dicam imaginibus, sed apud imagines exhiberi hac lege non permiserat Deus, multò magis vetandum censuit, apud imagines ea fieri, quæ mos gentium propria fecerat divini numinis veri aut crediti talis honori. עבד, quod hic est in Hebræo, vox quidem est generalis, quæ quoties enuntiatur πρός τι cum relatione ad aliquid, verti à Græcis solet, non minus per δουλεύειν, quam per λατρεύειν, interdum & per λειτουργεῖν. Sed quia, ubi de rebus divinis sermo

 est, fre-

est, frequentius iidem interpretes usurpant verbum λατρεύειν, inde illud natum est discrimen, quod Latini Christiani magis quam Græci usurpant. Alioqui, si proprietas spectetur, non plus est in voce λατρεύειν, quam in voce δουλεύειν, ut apparet expensis locis *Psal.* 11. *v.* 11. 1. *Thess.* 1. *v.* 9. in quibus locis est δουλεύειν, servire, quod *Hebr.* 9. *v.* 4. est λατρεύειν. At vero, ubi de rebus divinis sive veris, sive ita putatis agitur עָבַד apud Hebræos, & inde deductum nomen עבדה solet significare illa, quæ proprie receptissimo more per Orientem, qui & per Græciam atque inde latius manavit, in divini Numinis veri aut crediti, honore usurpari, solebant, id est, sacrificia, libamina, suffitus, de suffitu vide 2. *Reg.* 18. 4. Hæc enim sunt, quæ quoties non in veri Dei cultum adhibentur, Hebræi vocant עבדת זרה, quod ut ante diximus, εἰδωλολατρείαν vertunt Judæi Græce loquentes, & eos secuti tum Apostoli, tum Apostolici viri, ob eam, quam modo indicavimus, causam. Est autem in Apostolico sensu idololatria, ut cum Tertulliano loquar, quicquid ultra humani honoris modum ad instar divinæ sublimitatis attollitur.

XVII.

Liquet autem ex dictis *primò*, non damnari ipsam Iconopœiam simpliciter; Agnoscunt hoc ipsi Calviniani. Ita enim Ursinus *in Explicatione Catechetica, pag.* 339. Non simpliciter hîc prohiberi simulacra, statuas, imagines fieri vel habere: quia ars pictoria, sculptoria, fusoria, textoria, inter eximia, & vitæ humanæ utilia Dei dona recensetur; & Deus ipse in tabernaculo imagines quasdam fingi: & Solomon in solio suo leones, in templo palmas & cherubim jussu Dei sculpi curavit. Nec obscura est ratio: quia scriptura & pictura ad memoriam rei gestæ, ad ornatum, & ad oblectationem vitæ liberalem pertinent. Vetat ergò lex non usum imaginum, sed abusum, qui est, cum vel ad repræsentandum, vel ad colendum Deum aut creaturas sculpturæ & picturæ fiunt. Proinde nec simpliciter omnes imagines vel statuæ, sed tantum aliquæ tanquam illicitæ prohibentur, videlicet: Primò omnes imagines vel statuæ Dei, hoc est, quæ ad repræsentandum aut colendum effinguntur, simpliciter hic damnantur. Id patet. 1. Ex fine præcepti, qui est cultus divini incorrupti conservatio. 2. Ex natura Dei;

Dei; Deus est incorporeus & infinitus: Impossibile est igitur, eum corporea & finita imagine exprimi aut repræsentari, sine divinæ majestatis diminutione, juxta dicta: Quis mensus est pugillo suo aquas, & cœlos palmo direxit? cui igitur assimilabitis Deum? & quam similitudinem disponetis ei? Cui assimilabitis me, & æquabor illi, dicit sanctus? Mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem mortalis hominis, & volucrium & quadrupedium & reptilium. 3. Ex Dei interdicto: Cavete diligenter animabus vestris: non enim vidistis ullam imaginem die, quo loquutus est Jehova ad vos in Horeb, è medio ignis: Ne fortè corrumpamini & faciatis vobis sculptile, aut imaginem ullius simulacri, effigiem masculi & fœminæ, effigiem cujuscunque animalis, &c. Ex causa hujus interdicti; quia nimirum hæc simulacra, non modò nihil prosunt, sed etiam multum nocent hominibus. Sunt enim eis occasio & causa idololatriæ & pœnarum. Breviter: Deus sculpi non debet, quia nec vult, nec prodest. Amandus Polanus distinguit inter imaginem Licitam & Illicitam, atque de priori ita censet: Imago licita est, quæ à Deo non est prohibita: cujusmodi est imago rei alicujus honestæ, & non contraria bonis moribus, serviens solummodo vel ad typum aliquem, vel ad ornatum, vel ad memoriam, vel ad disciplinam, veluti serpens æneus, imagines à Mose factæ in tabernaculo, & à Salomone in Templo Hierosolymitano & in palatio regio; imagines item parentum & aliorum hominum ornatus & memoriæ causa in ædificiis; imagines stirpium & aliarum rerum physicarum vel mathematicarum ad disciplinas humano generi utiles & necessarias pertinentium, &c. Imago illicita, est figura quævis à Deo prohibita: veluti omnis imago inhonesta & bonis moribus contraria, & inprimis facta ab hominibus cultus religiosi causâ, sive repræsentet rem verè exsistentem, ut imago veri Dei, imago Solis, Lunæ &c. sive fictam, ut imago falsorum deorum & eorum quæ nunquam fuerunt, nec erunt in rerum natura Imò etiam imagines divino jussu factæ, si religiosus cultus eis exhibeatur, fiunt illicitæ; veluti serpens æneus, quum ei incensum à populo offerretur, evasit idolum. Omnes igitur imagines factæ ab hominibus religionis causâ, vel post multa demum secula religiosè cultæ, sunt illicitæ. Ipse denique Rivetus ita definit: Verum non est, quod

tamen

tamen nonnullis veteribus placuit, artem omnem plasticam & picturas omnes atque sculpturas fuisse Judæis prohibitas. Contrarium docet structura Tabernaculi & Templi Salomonis, in quo variæ figuræ, Cherubinorum, boum, & aliarum rerum, elaboratè fabricatæ fuerunt, à peritis artificibus, quibus etiam Deus ad id mentem indidit. Agnoscendum igitur, non omnes figuras fuisse prohibitas, vel quaslibet imagines, sed eas tantùm quæ ad cultum essent accommodatæ & relatæ. Nec hîc rejicimus Vasquesii distinctionem cap. 6. Lectionum, Lege veteri non fuisse vetitam omnem similitudinem, aut effigiem quomodocunque, sed omnem cultum, & adorationem ipsius, atque adeò omnem quoque imaginem, seu effigiem modo accommodato adorationi erectam, aut constitutam: quare nec Cherubinis, nec aliis figuris in templo factis aliquem cultum fuisse delatum. Hæc ille verè & appositè. Addit non minus commodè, Modus autem accommodatus adorationi est, cum imago depicta aut sculpta est per se, non veluti appendix, & additamentum alterius rei, in ornatum illius. Secundò non prohiberi etiam εἰκονοποιΐαν historicam, privatam & usibus domesticis accommodatam; unde ipse Calvinus non abnuit, posse tales fieri & haberi, atque decernit *lib. 1. Instit. cap. 11. 12.* Licitæ imagines creaturarum esse possunt, quæ extra templa, citra periculum & speciem idololatriæ, superstitionis, aut scandali, ad usum politicum, hoc est, historicum aut symbolicum, vel ad honestum ornatum fiunt: cujusmodi imagines erant leones in throno Salomonis, imago Cæsaris in numismate, &c. Addit: Concedimus verbis legis non prohiberi absolutè omnem εἰκονοποιΐαν; sed eam tantùm, quæ ad cultum & religionem refertur. Nam cùm præceptum illud sequatur prohibitionem alienorum Deorum, quâ comprehenditur omnis Idololatria in genere, quæ committitur, quoties creaturæ aliquid tribuitur, quod ad Deum pertinet, sive cogitatione, sive verbis, sive gestibus & factis, ut anteà ostendimus; hîc Deus prohibere voluit eam idololatriæ speciem, quâ in figurâ aliquâ aut effigie corporeâ profitebantur idololatræ, se numen aliquod colere: sic enim gentes serviebant iis, quos Deos existimabant, quorum effingebant imagines, easque in locis illis collocabant, in quibus religiosus cultus exercebatur. Deus igitur non

solùm

ſolùm voluit Iſraelitas primo præcepto ab aliorum Deorum commercio avocare, ut nullum agnoſcerent vel colerent Deum, præter illum qui ſe eis revelaverat, & eos liberaverat ex Ægypto; ſed etiam hoc ſecundo prohibere, ne eum colerent eo modo, quo gentes colebant Deos ſuos, eis imagines affingentes. Senſus igitur primarius non eſt: non facietis vobis imagines & ſimilitudines Deorum falſorum, qui apud Gentes adorantur; ſed, non me coletis eo modo, quo gentes colunt Deos ſuos, nec vobis imagines facietis, quibus figuram aliquam mihi tribuatis, neque eas adorabitis, &c. Tertiò non reprehenditur quoque Iconopœia Theophaniæ, vel apparitionis alicujus ſingularis eminentis & viſibilis; Si enim influxit in oculos, pinxit ſe per ſpecies ſenſibiles, atque ita obtulit Intellectui ſpectandum ſeſe Deus ſub hac forma, quid ni etiam poſſit adumbrari per penicillum, ſtylum ſculptorium, & alia artis molimina? nam primò fit illa adumbratio ad prævium Exemplar apparitionis, vel viſæ vel in Scriptura delineatæ, ad Normam itaque & formam Veritatis; fit illa à manu Artificis, naturam imitantis, & præter id, quod prototypon refert, nihil intendentis, ſed in Expreſſione illius, quæ pro menſura artis variat, acquieſcentis; fit denique illa in noſtra Eccleſia fine bono, nempe ut qui literas non norunt, & ex illis non hauriunt iſtiusmodi Theophanias, Imaginibus erudiantur, atque oculis ſinceris hauriant id quod ſincerum, id quod eo fine nec pictum nec fictum, ut adoretur, ſed ut doceat.

XVIII.

Convellere nititur hoc argumentum Andreas Rivetus, & Gerhardo noſtro reſpondet, *aliud* eſſe, ſi viſiones illæ ſeorſim & quatenus à nobis leguntur & recitantur, per aliquas ſpecies intelligibiles interius in nobis efformantur, *aliud* ſi conjunctim hominis manu ſculpantur, & Trinitatis nomine donentur, quod neque fiat in Scriptura, neque à nobis fieri debeat. Deinde cùm Voluntas Dei Regula ſit omnium actionum noſtrarum, eaque nobis hanc neceſſitatem naturalem impoſuerit, ut per ſpecies & imagines internas intelligamus & percipiamus Objecta pro modulo noſtro, culpari non poſſe, niſi illis affingamus quæ ſunt indigna Deo, ſed cum prohibuerit expreſſo Mandato picturas & ſculpturas, opera manuum hominum in iis, quæ religionem & cultum ſpectant, fruſtra qui contra præce-

nostræ sententiæ esse videtur, ut quidem vult Rivetus. Nam primò, ideò Mosen Legem de non faciendo sculptili sanxisse, dicit, ut ad ea transiremus, quæ percipiuntur intelligentiâ, sensibilibus minimè attentis, ut scil. illis inhæreremus aut circa illa divagaremur, oculis etiam non à labe puris. Secundò loquitur non de apparitionibus divinis, sed de ipso Deo & illius Majestate, & dicit, ut Dei Majestas vilis & contempta reddatur, efficit, quæ est in promptu, videndi consuetudo: at de ipso Deo effigiando non est Quæstio, ipse enim præstruxit dicens, *Esaiæ 40. v.18.* Cui assimilabitis Deum fortem, & quam similitudinem ponetis ei? Tertiò dilucidius est illud quo concludit, illam, quæ Intelligentia percipitur, Essentiam colere per Materiam, est eam per sensum vilipendere; quanquam nolimus dissimulare, ut sine nævo non fuit Stromatum contextor, ita hic quoq; fuisse hallucinatum, tum quia Verba Mosis accepit de prohibitione Iconopœias, cum agat de Idolopœia, tum quia videtur absolutè sculptoriam & pictoriam damnare, & fallacis Artis Exercitium nomine infami vocare, tùm quia, si sensibilibus ad intelligibilia transferimur, oppositum potius concludendum erit, nempe etiam sensibilia esse aliquatenus attendenda, ut per ea transeamus ad ista, quæ percipiuntur Intelligentiâ.

XX.

Hactenus de prohibitione Fabricæ: Jam ad illud, quod maximè attendendum, nempè ad Cultum Imaginum, sive idololatriam. Notat autem Idolum generaliter quamvis imaginem non subsistentem, si ad usum attendas inter scriptores prophanos hujus vocabuli, ita Plato εἴδωλον cogitationis dicit esse in voce, pictas imagines vocat εἴδωλα λεγόμενα, ea quæ ex Catoptris resplendent, εἴδωλα esse asserit, nec abit ab illo Aristoteles, cui εἴδωλα sunt species visivæ *lib. de sensu & sensili cap. 2.* illa quæ in aquis apparent & reflectunt *lib. de Insomniis cap. 3.* quandoque verè subsistentem e. g. statuam. Sic Herodotus *in Clio* εἴδωλον mulieris appellat, & in Erato dicit, erectum fuisse Regi Lacedæmoniorum ante obitum εἴδωλον, simulacrum sive statuam. In scriptura verò notat ipsum Numen superstitiosè cultum, quo quidem sensu Gentium Dii dicuntur εἴδωλα, *1. Chron. 16. v. 26.* Nam etiam Dei citra imagines exteriores cultus à Gentilibus, extra Lumen Scripturæ, nihil aliud quam idolum; quam-

vis enim à parte rei Deus ſit immutabilis, nec deformari poſſit; ab homine tamen, in quantum concipitur in Gentili, qui ſibi fingit Deum hoc vel illo modo, talem vel talem, e. g. unum cum excluſione perſonarum, in tantum cultus etiam Dei degenerat in Idololatriam, neque alio poteſt nomine appellari. Secundò notat imaginem externam, quæ repræſentare fingitur Deum, & ita Iſraelitæ dicuntur feciſſe vitulum, & obtuliſſe Hoſtiam εἰδώλῳ, *Act. 7. v. 41.* Tertiò, ipſam opinionem divinitatis, & figmentum, cum voluntatis Religioſa propenſione; quo ſenſu Apoſtolus dicit idolum eſſe nihil. Quamvis enim aurum, argentum, marmora & ligna ſint aliquid, ex quibus idola fabricantur, nihil tamen ſunt formaliter, quatenus ſcilicet ut Dii exhibentur, quia totum illud σέβασμα, totum illud Eſſe Divinitatis, quod ipſis tribuitur, nihil eſt niſi figmentum, utpote nec inhærens, nec verè competens, ut, ſi habes opinionem, præſcindas ab Imagine vel materia illius Idolum, eo ipſo eſſe deſinat.

XXI.

Liquet ex dictis, quid cenſendum ſit de diſcurſu Roberti Bellarmini, *qui libro ſecundo de Imaginibus Sanctorum cap. 5. pag. mihi 2019.* hæc habet: Henricus Stephanus in ſuo Theſauro in voce εἴδωλον, ſcribit, apud Eccleſiaſticos idolum vocari omne ſimulacrum, numen aliquod repræſentans, quod cultu & honore dignamur. Ex quo ſequitur apud Eccleſiaſticos imagines Chriſti & Sanctorum, & præcipuè imagines Trinitatis rectè vocari idola. Et ſi quidem Henricus per Eccleſiaſticos intelligit Doctores ſuos, Calvinum, Martyrem, Illyricum, & alios ejuſdem claſſis, rectè dicit; illi enim vix unquam aliter imagines noſtras appellant, quàm idola. Si autem per Eccleſiaſticos intelligit ſanctos Patres, vel Apoſtolos, & Prophetas, falſiſſimum eſt, quod ipſe dicit; nam inprimis VII. Synodus, act. 5. & act. 7. anathema dicit iis, qui imagines Chriſti & Sanctorum vocant idola.

XXII.

Nam primò fruſtra incuſat Stephanum & noſtros: Illum quidem, quod Idolum vocaverit omne ſimulachrum, Numen repræſentans, quod cultu & honore dignemur; Hos verò, quod Imagines Pontificiorum appellent Idola; dicunt enim, quod res eſt, quanquam & Ima-

&Imagines à nostris appellentur, nec septima Synodus opponenda erat; nã & antiquitate non gaudet sincera, octavi seculi scil. conventus, & severior justo videtur Anathematis fulmine in nomen Eidolon, quod cum imagine sæpius etiam apud profanos commutatur, & tandem de Imaginibus Christi & Sanctorum loquitur, quæ si non cultu religioso afficiantur, à nobis non Idola vocabuntur, cum ipsimet alium usum illis in Ecclesia assignemus. Origenes & Theodoretus peculiares habent conceptus, nec dextrè explicant differentiam inter Idolum & Imaginem, imò prior, loco Pauli ex 2. *Cor. 8.* adhibito, deviat à vero sensu illius loci, & tandem non dicunt, quod Bellarminus dicit; Illis enim est Idolum, quod repræsentat aliquid non subsistens: Bellarmino autem Idola sunt statuæ Jovis, Veneris &c. Jupiter autem, Venus &c. Gentilium numina fuere utique homines & substantiæ.

XXIII.

Secundò in ipsa Explicatione peccat aliquoties; dicit Imaginem esse veram rei similitudinem: Idolum verò falsam; Nam primò apertè prohibentur non tantùm sculptilia & Imagines, ut falsæ similitudines vel ut repræsentant, quod revera non est; sed etiam, ut repræsentant id quod est; dicitur enim disertè: non facies similitudinem eorum quæ sunt &c. & eo ipso, quo LXX. Interpretes non dicunt, ὁ ποιήσεις non facies, sed ὁ ποιήσεις σεαυτῷ non facies Tibi, supponit, non tam ratione repræsentationis quam adhibitionis ad cultum esse æstimandum Idolum: & Deuteronomii quarto, versiculo 15, 16, 17, 18. πᾶσαν εἰκόνα ad cultum religiosum prostitutam prohibet, Imaginem masculi vel fœminæ: Judæi etiam adorantes Imaginem reptilium dicuntur Idololatræ *Ezech. 8. v. 10. 11.* anne autem reptilia non fuerunt existentia? & annon firmiter concluditur, Imaginem cultui inservientem, cujuscunque sit, esse Idolum, imò imaginẽ, non quà rei veræ vel falsæ, existentis vel non existentis similitudo est, sed qua honore religioso s. cultu divino afficitur, patet ex eo, quia Israelitæ accusantur, quod εἰδώλῳ obtulerint sacrificium vitulum offerentes, qui tamen ipsis fuit Imago Jehovæ *Actor. 7. v. 41.* & Ephraimitæ profitentes se colere Jehovam *1. Reg. 12. v. 28. 2. Reg. 17. v. 56. Oseæ 1. v. 13.* dicuntur coluisse Idola, imò Diabolum, ob vitulos ad cultum erectos in Bethel *Oseæ 4. v. 12, 15. 1. Reg. 14. v. 9.*

v.9. Johannes prima Epistola capite quinto, versu primo, dicit: Custodite vos ab Idolis, à Cultu imaginis Cæsaris, Herculis &c. non itaq; quod non repræsentat Ens est Idolum, sed quod repræsentat etiam aliquid, ad Cultum talem destinatum. adde Tertullianũ *lib. 1. de Idol. c. 3.* qui demonstrat quamlibet imaginem esse idolum, dicens: εἶδος formam sonat, ab eo per diminutivum εἴδωλον æque apud nos formulam fecit: igitur omnis forma vel formula idolorum sic dici exposcit. Inde idololatria omnis circa omne idolum famulatus & servitus. Et cap. 4. omnia colit humanus error, præter omnium conditorem. Earum imaginum consecratio idololatria. Secundò, ponamus aliquem colere Imagines latriâ propter se, e. gr. Christi vel Sanctorum, is sanè ipsius Bellarmini judicio erit Idololatra *libro de Imaginib. cap. 24.* at illæ Imagines, secundum ipsos, sunt Prototypi seu veræ Imagines, non falsæ, &, si imagines in Idola degenerant, non repræsentando id quod revera est, quot Imagines etiam in papatu hoc nomine Idola erunt vocanda? neq; enim Pictores aut Sculptores tam profundæ sunt notitiæ aut exquisitæ artis, ut referant penicillo aut stylo omnia exactè ad πρωτότυπον. Tertiò Cardinalis Cajetanus ex hoc capite differentiam arcessit inter Imaginem & Idolum, quod illud ad cultum usurpetur, & aliàs pro iisdem habet, teste ipso Bellarmino scribente: Tertia opinio est Thomæ Cajetani in c. 20. Exodi, qui docet, non esse prohibitum facere ullam imaginem, vel idolum, sed solùm prohibitum esse, ne quis faciat sibi imaginem, quam habere velit pro Deo suo: & probat, quia non est dictum: Non facies sculptile: sed, non facies tibi sculptile, ad quam sententiam ille reponit: Hæc sententia displicet solùm in modo loquendi; nam Cajetanus pro eodem habet idolum, & imaginem, cùm falsum sit, ut suprà ostendimus. Deinde videtur concedere licere facere idola, quæ habeantur pro Diis, modò non habeat pro Diis ille, qui facit. At Tertullianus, toto libro de idololatria, probat evidentissimis rationibus, prohibitum esse Christianis pictoribus, aut statuariis facere idola Gentilibus. Et Ecclesia celebrat VIII. Novembris martyrium sanctorum Claudii, Nicostrati, & sociorum, qui necati sunt, quia noluerunt simulacra Gentilibus facere, cum essent peritissimi statuarii. Neque Cajetanus hoc negaret, quippe, qui in *2. 2. quæst. 10. art. 4.* docet, non licere vendere idola Gentilibus, ideo incautè loquutus est in com-

commentario Exodi. Nec obſtat illa particula, tibi; nam ſecundum Hebraicam phraſin redundat. Adde Cornel. à Lapide ad Caput *Deut. 5. v. 8.* Ipſum Bellarminum, qui Imaginem & Idolum confundit *libro de Imaginibus cap. 7.*

XXIV.

Tertio argumenta producta nullius ſunt pretii. Non primum, tum quia Scriptura etiam tribuit nomen Idoli veræ Imagini, id eſt, rei exiſtentis, ut ſupra oſtenſum, nec tantùm Simulachris Gentilium, ſed & Judæorum, ut conſtat *Judic. 17. v. 5. 1. Reg. 14. v. 9.* & ſi ſimulachra Gentilium fuerunt hominum, quos ſuperſtitio DEOS fecit, fuerunt veræ Imagines hominum, utut DEORUM falſæ. Pater mœrens ob filium præmaturè ereptum, effictam & ſuffectã Imaginem, quæ vera defuncti ſimilitudo, ſi colere incipiat, Idololatra erit *Sap. 14. v. 15.* Secundo filius dicitur Imago Patris, non verò Idolum, quia filius eſt Imago Subſtantialis; de quo genere Imaginum non controvertitur. Tertio Cherubim, de quorum forma diſputatur adhuc, ſi dicuntur Imagines, nec fuerunt Idola, id ideo fuit, quia non proſtituti ſunt ad cultum. Alterum non concludit, tum quia Scriptura Idola Vanitates & mendacia vocat, non ratione repræſentationis, ſed opinionis, tum quia etiam alia præter hæc adhibet nomina. utpote אֱלֹהִים *Gen. 31. v. 32. Ex. 18. v. 11. c. 32. v. 1. Joſ. 24. v. 14. 15. 1. Reg. 19. v. 2. c. 20. v. 10.* אֱלֹהִים אֲחֵרִים (אֵל אַחֵר reperitur, *Exod. 34. v. 14. Exod. 20 v. 3. cap. 23. v. 13.* אֱלִילִים *Lev. 19. v. 4. 1. Paral. 16. v. 26.* גִלּוּלִים ſtercora, excrementa, (ſatanæ) Dii ſtercorarii, ſordes quæ conſpurcant, Dreckgötter/ *1. Reg 15. v. 12.* צִרִים tormina, cruciatus, dolores graviſſimi, quales parturientium, *Eſa. 45. v. 16.* תֹהוּ indigeſtio, inanitas, res informis, wüſte/ leere götter/ *τὰ μηδὲν ὄντα* ut legunt 70. *1. Sam. 12. v. 21. Eſa 41. v. 29. cap. 44. v. 8.* אֵל נֵכָר *Deut. 32. v. 12.* אֱלֹהֵי הַנֵּכָר Dii alienationis, extranei, alienigenæ, quos non agnoſcimus, Dii alieni populi, Tremell. Dii ſpurii (ſicut filius alienationis *Geneſ. 17. v. 12.*) Baſtarte/ Luth. frembde Götter / *Gen. 35 v. 2. 4.* Aurum & Argentum, *Pſalm. 115. v. 4. Pſal. 135. v. 15.* Dii auri, *Exod. 32. v. 31.* Dii argenti & auri, *Exod. 20. v. 23.* Dii, fuſionis

fusionis, fusiles, *Exod. 34. v. 16. Lev. 19. v. 2.* Dii auri, argenti, æris, ferri, &c. *Dan. 5. v. 4.* Dii, opus manuum hominis, *Deut. 4. v. 28. 2. Reg. 19. v. 18. Psal. 115. v. 4. Ps. 135. v. 15.* θεοὶ διὰ χειρῶν γινόμενοι *Act. 19. v. 26.* ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων, *Sap. 13. vers. 10.* εἴδωλα χειροποίητα, *Dan. 14. v. 4.* Sculptilia Deorum, *Deut. 12. v. 3.* פֶּסֶל sculptura, *Deut. 4. v. 16. Exod. 4. v. 16. Exod. 20. v. 4. &c.* סֶמֶל simulacrum, *2. Chron. 33. v. 15. Ezech. 8. vers. 5.* vel פֶּסֶל הַסֶּמֶל sculptile simulacri, *2. Chron. 33. v. 7.* מַסֵּכָה fusio, *Deut. 9. v. 12. cap. 27. v. 15. 1. Reg. 14. v. 9. &c.* Vel פֶּסֶל וּמַסֵּכָה sculptile & fusile, *Deut. 27. v. 15.* בִּנְיָן aptatio figurarum, ut quidam vertunt hanc vocem) *Amos. 5. v. 6.* תְּמוּנָה similitudo, *Exod. 20. v. 4. Deut. 5. v. 8. cap. 4. v. 16. 23. 25. &c.* Item, תְּרָפִים Imagines, *Gen. 31. v. 19. 34. 35. Jud. 17. v. 5. cap. 18. 20. 1. Sam. 15. v. 23. (cap. 19. v. 13. 16.) 2. Reg. 23. v. 24. Os. 3. v. 4. Ezech. 21. v. 21. Zach. 10. v. 2.* Abominatio, res abominanda Jehovæ, *Deut. 7. v. 25. 26. c. 13. v. 14. c. 18. v. 9. c. 27. v. 15. Jer. 16. v. 18. Ezech. 7. 20.* הֶבֶל Vanitas *Jer. 10. v. 3.* שֶׁקֶר falsitas *Jerem. 10. v. 14.* שֶׁקֶר & הֶבֶל falsitas & vanitas, in quibus nihil utile est, *Jerem. 16. v. 18. c. 10. v. 15. c. 51. v. 17.* הַבְלֵי שָׁוְא vanitates vanitatum (mendacii) vanissimæ, & vanitatem docentes, Luth. das Nichtige / *Jon. 2. 9.* הַבְלֵי נֵכָר vanitates alienationis, *Jer. 8.* eruditio vanitarum, *Jerem. 10. v. 8.* μάταια *Actor. 14. v. 14.* μάταιοι θεοὶ *Sap. 15. v. 8.* qui non possunt auxiliari, *Esa. 45. vers. 20. Deut. 32. v. 37. 2. Chron. 42. v. 17.* Opus errorum, seductionum, aberrationis maximæ 70. ἔργα ἐμπεπαιγμένα, μεμωκημένα, illusoria, risu digna *Jer. 10. v. 15. c. 51. v. 18.* שְׂעִירִים δαιμόνια uti vertunt 70. *Deut. 32. v. 16. Ps. 106. 37.* quasi devastatores dicas, Luth. Feldteuffel: Dii gentium *Exod. 23. v. 24. 32. cap. 34. v. 15. Num. 23. v. 2. Deut. 6. v. 14. c. 7. v. 16. cap. 29. v. 18. 2. Reg 18. v. 33. c. 19. v. 12. 2. Chron. 32. v. 14.* εἴδωλα ἐθνῶν *Sap. 14. v. 11. cap. 15. v. 15. &c.* Plura si quæ sunt Idolorum Epitheta, sedulus scripturæ lector sponte observabit. Et hactenus vidimus quid nominis, restat ut etiam: quid Rei sit quodnam objectum, quæ ratio formalis sive definitio, quæ divisio, quæ causæ, quæ consequentia Idololatriæ

triæ sunt, paucis videamus. Tum Habacuc idolum non vocat Imaginem falsam, sed falsum dicens: videantur Commentatores. Tertium denique non conducit adversariis, partim, quia licet nihil sit formaliter Idolum, non tamen nihil formaliter est Idolum ratione repræsentationis, partim quia Idolum nihil esse dicitur, secundum quosdam, ratione virturis efficaciæ ac pretii, quò referri possunt loco *Esaiæ 44. vers. 9. Jeremiæ. 6. vers. 19. Esaiæ 45. vers. 20.* In quantum dicit illud figmentum hominis, quod Materiæ alicui adhæret, quatenus præsumitur hoc vel illud Materiale esse venerabile quid, esse cultu aliquo religioso prosequendum. Quartum pro nobis militat, nam si Hæresis cum Idolis comparetur ratione falsitatis, consequens est, ut illa falsitas Hæreseos est in Mente & verbo per affirmationem; ita Idolum esse in Mente per appropriationem ad materiam indebitam: secundò Hieronymus confert Hæresin sive Idolum Mentis cum Idolo Cereris juxta, ut ipse loquitur, Tropologiam: tertiò ut Hæresis potest esse circa rem existentem, ita non repugnabit Idolo esse Imaginem existentis. Quintum non infert, tum quia non de Usu vocum harum apud profanos Scriptores est Quæstio, sed de Usu Biblico; tum quia ex Vocis proprietate Idolum non est diminutivum, quod notaret Quantitatem parvam, quum etiam statua Nabuchodonosoris fuit Idolum, de quo *Dan. 3. v. 1.* tum quia parva Imago est non tam ratione repræsentationis, quam Comparationis cum prototypo.

XXV.

Idololatriæ ergò non tantum rei gentiles, veteres & hodierni, de quibus videri possunt ex Patribus Eusebius, lib. 5. præp. Evangel. cap. 18. Augustinus, nec non Petrus Crinitus, & illi, qui Asiæ, Africæ, Americæ, theatrum pandunt, & monstra illa imaginum publico exponunt, cujus authores in singulis assignare provinciis difficile, ut & originem, quibusdam deducentibus fabricam & cultum idolorum à temporibus antediluvianis, quibusdam à tempore Tharæ, Patris Abrahami, qui serviebat diis alienis, *Jos. 24. v. 2.* interim hoc certum, hoc venenum à Satana non seris tantùm temporibus fuisse in genus humanum effusum, sed cum primo afflatu, & halitu in paradiso comunicatum esse, ex ipsa tenta-

tione, lapsu, & peccati originalis natura constat, quanquam per imagines exteriores cultus heterogeneus demùm cœperit apud segreges ab Ecclesia, & ab Hermete, sive Mercurio Trismegisto, qui Mosis tempore vixisse creditur, aliis σύγχρονον facientibus illum Abrahæ, referatur ad priscos Majores, teste August. lib. 8. de civitate Dei cap. 24. inter Chaldæos Ninus dicitur primus fuisse, qui imaginem Beli Patris subditis adorandam prostituit: Ægyptios fuisse idolis colendis deditissimos, constat, tùm ex eo, quia aversati fuerunt Jacobitas, qui pecudum custodes. *Gen. 46. v. 34.* quia simulachrum Bovis Israelitæ in deserto æmulanter expresserunt, tum ex eo, quia Juvenalis, *Satyra 15. v. 2.* scribit: Ægyptus Crocodilon adorat. &c. Græcos ad cultum idolorum inclinavit Cecrops, Rex Atheniensium, de quo Sedulius, in Exodo lib. 1. Operis Paschalis,

Quò lethale malum, quò vanis dedita curis,
Attica Cecropii serpit doctrina veneni!

Legatur Augustinus lib. 18. de civitate Dei, cap. 11. Carolus Magnus, in Capitulari lib. 2. cap. 30. Romani, teste Varrone, apud August. lib. 4. de civitate Dei, cap. 31. Deos coluerunt absque idolis, plusquam annos centum & septuaginta, postea verò in tantum excrevit idololatria, ut urbs Roma omnium idolorum officina, & theatrum fuerit; quis Scythis animalia, Persis fluvium, Arabibus lapidem colendum, primus persuaserit, & ad hæc idola flexerit mentes eorum, non constat. Verùm & Pontificii idololatriæ jure accusantur. Nam primò lex de colendis imaginibus illos convincit, quæ sancita fuit in Concilio Tridentino, Sess. 25. his verbis: Mandat Sancta Synodus omnibus Episcopis & cæteris docendi munus curamque sustinentibus, ut &c. Doceant Imagines Christi, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas; eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per Imagines, quas osculamur & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.

Id quod

Id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicenæ Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum; si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit, Anathema sit. Secundò Doctorum consensus, qui pro imaginum cultu, tanquam pro aris & focis, pugnant, Tannerus: Fatendum est, Imagines non solum abusivè & impropriè, sed etiam verè & propriè, licet respectivè, colendas & adorandas esse. Praxis denique quotidiana in papatu, non tantùm populo simplici & rudi, ad imagines excurrente, sed & principibus, literatis, Theologis, & varii ordinis Clericis ad statuas, & imagines sese prosternentibus, quod cum stupore ipsi vidimus, & quis nescit, imagines coli à papistis, adoratione, processione, peregrinatione, dedicatione, suffitûs exhibitione, templorum erectione.

XXVI.

Quanquam autem tàm manifestum sit, Pontificios esse idololatria contaminatissimos, omne id tamen distinctionum confictarum præsidio amoliri nituntur, & fœditatem abstergere verbis, & illa fœmina, *Prov. 30.* In compendium redegit omne id, quod adhibetur ab illis, Bellarminus, quinque conclusionibus, quarum prima hæc est: Imagines Christi & Sanctorum venerandæ sunt non solum per accidens vel impropriè, sed etiam per se & propriè, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solùm, ut vicem gerunt exemplaris. Secunda, quantum ad modum loquendi, præsertim in concione ad populum, non est dicendum, imagines ullas adorari debere latria, sed è contrario, non debere sic adorari. Tertia, si de re ipsa agatur, admitti potest, imagines posse coli impropriè vel per accidens eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur. Quarta, imago per se & propriè non est adoranda eodem cultu, quo ipsum exemplar, & proinde nulla imago est adoranda cultu latriæ per se & propriè. Quinta, cultus qui per se & propriè debetur imaginibus, est cultus quidam imperfectus, qui analogicè & reductivè pertinet ad speciem ejus cultus, qui debetur exemplari.

XXVII.

Sed hoc pallium nimis tenue est, hoc nitrum longè impar maculæ diluendæ. Prima enim propositio non Apologia, sed Cate-

goria eſt: Si enim imagines Chriſti & Sanctorum non ſolùm per accidens vel impropriè, ſed etiam propriè & per ſe ſunt adorandæ, habetur intentum: quid enim eſt, idololatria, niſi, juxta ipſum Cajetanum, actus, quo alteri, quàm Deo, divinus exhibetur honor? at ſanè hic honor, qui religioſus eſt divinus eſt, & alteri exhibetur, quàm Deo; quid eſt colere non impropriè, ſed propriè, non per accidens, ſed per ſe, niſi colere cultu religioſo verè tali, directo in ipſam imaginem? at qui imaginem per ſe veneratur, vel ſtultitiæ inſimulari poteſt, ſecundum Vaſquezium, quia irrationali rei exhibet ſe ſervum, vel idololatriæ, quia, dum illi ſe ſubmittit, aliquod Numen aut dignitatem, aut virtutem illi tribuit; Si denique imagines Chriſti & Sanctorum venerandæ ſunt, non ſolùm per accidens vel impropriè, ſed etiam per ſe & propriè, ita, ut ipſæ terminent venerationem, ut in ſe conſiderantur, & non ſolùm, ut vicem gerunt Exemplaris, non venerandæ erunt, ut ſtatuæ Principum, impropriè, neque ut purpura Regis, per accidens, ſed, ut objectum, terminans venerationem, & ſubiens quaſi id, in quo figitur & cultus, & veneratio. Unde deprehenditur tanquam Concilio ſeptimo diſſonum, ſi ita dicantur Imagines adorari, ut terminus proprius adorationis non ſit Imago; unde urgetur ab ipſo Purpurato Patre, quod aliquid verè inſit in ipsâ Imagine ſacrum, nimirum ſimilitudo ad rem ſacram & ipſa dedicatio. ſive conſecratio divino cultui, ita ut ipſa in ſe & non ſolùm, ut prototypi vicem gerit, honore digna cenſeatur; unde inter Imagines ipſas eſt diſcrimen, quod quædam majoribus viribus abundent, quædam minores habeant; neq; placet aliis Pontificiis illa Opinio, quam Bellarminus primo poſuit loco, ſcribens: Prima ſententia eſt, quod imago non ſit ullo modo in ſe colenda, ſed ſolùm coram imagine colendum exemplar: ita quidam, quos refert & refellit Catharinus: idem videtur ſenſiſſe Alexander *3. par. quæſt. 30. art. ult.* nec non Durandus *lib. 3. ſent. diſt 9. q. 2.* & Alphonſus à Caſtro in verbo, *Imago.* Fundamentum hujus ſententiæ eſt, quia ſecundum Baſilii ſententiam in VII. Synodo ſæpius repetitam, honor imaginis tranſit ad exemplar; non ergo, inquiunt hi Doctores, in imaginem terminatur: proinde ipſa imago non eſt, quæ honoratur, ſed ſolùm per illam & in illa honoratur exemplar. Et confirmatur ex verſibus, qui dicuntur compoſiti

positi tempore VII. Synodi, quique visuntur Venetiis in æde aurea antiquissimo opere incisa, & referuntur à Sabellico *lib. 8. Enneadis 8.*

Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Quod autem dicitur de imagine Christi Dei, dici etiam posset de imaginibus Sanctorum, nimirum: Nam Petrus est, quod imago docet, sed non Petrus ipsa, &c. Altera propositio pro nobis stat, nam, si in concione ad populum non est dicendum, Imagines illas adorari debere latriâ, sed è contrario, non debere sic adorari, idque ideò, quia Concilia simpliciter negant, Imagines adorari latriâ, Patresque passim dicunt, Imagines non esse adorandas; cùm distinctio inter duliam & latriam sit figmentum, cùm Concilium Moguntinense loquatur simpliciter; cùm Augustinus disertè dicat: nulla Imago DEI coli debet, nisi illa, quæ hoc est, quod ipse, consequens est, propositionem nostram de non adorandis, vel religiosè colendis imaginibus, esse orthodoxam, esse ex ambone populo proponendam. Secundò agnoscit Bellarminus, si dicatur populo, Imaginem Christi vel crucem esse adorandam cultu latriæ, magnum periculum esse insecuturum, modum loquendi offensurum aures Catholicorum; satiùs itaque, abstinere ab hoc dogmate, quàm defendere illud. Tertiò, quàm insigne hypocriseos vestigium apparet in hac assertione? Volunt enim Pontificii, ut etiam latria aliquatenus colantur Imagines, & tamen dicere nolunt, concionandum esse; suadent, Imagines non debere adorari latriâ, & nihilominus non sufficienter honorari contendunt Imagines, si non etiam latria iisdem deferatur. Tertia propositio primò laborat contradictione. Si enim Imagines coli possunt impropriè, vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipsum, ergo idem cultus, qui exhibetur exemplari, exhiberi poterit Imagini, quomodo autem idem manet cultus, qui exemplari defertur propriè, & imagini impropriè? num idem cultus est, qui defertur statuæ Principis & Principi, purpuræ Regis & Regi? Secundò, si impropriè imagines sunt colendæ latria, ergò non colendæ illo genere, quemadmodum prata ridere dicuntur impropriè, hoc est, non ridere: Tertiò, imagines ita sunt colendæ latria, quemadmodum concionatores alloquuntur imaginem crucifixi, eique dicunt: tu nos redemisti, tu nos patri reconciliasti,

 ut ipse

ut ipſe Robertus exponit; at quis verè dicat, imaginem crucifixi nos redemiſſe, patri reconciliâſſe? ſanè hæc nec propriè, ut manifeſtum, nec etiam impropriè videntur poſſe de imagine enunciari, quanquam iſtiusmodi locutiones, in papatu conſuetæ, ſordeant Orthodoxis, nec ab illis admittantur. Quarta propoſitio itidem non uno modo laborat. Nam, ſi imago non eſt per ſe, & propriè, adoranda, eodem cultu, quo ipſum exemplar, non idem motus erit in imaginem, quà talem, & exemplar, ſive rem deſignatam; & quamvis variæ excogitatæ fuerint ſolutiones, an tamen ſint ad mentem Philoſophi, meritò dubitatur. De memoria agit Ariſtoteles, & requirit duo ad conſtitutionem ejus, Exemplar, & Imaginem. Exemplar vocat rem antè in natura viſam, ſed abſentem nobis & quæ præterierit à viſu noſtro: Imaginem vocat τὸ φανταζόμενον εἶδος ſpeciem in phantaſia formatam ex viſione exemplaris, & intellectui noſtro ſive voluntati à phantaſia oblatam. De imagine mentali ſive phantaſiæ pura loquitur Ariſtoteles, quæ ſubminiſtratur memoriæ per phantaſiam ex conceptu rei præteritæ; non autem de quavis imagine: & dicit, unum eſſe motum memoriæ ad exemplar, quo rem recordatur abſentem viſam, & ad imaginem φανταζομένην, quam phantaſia repræſentat memoriæ noſtræ. Longè aliud eſt imago mentalis, immateriata, & perſæpe dignior exemplari ſuo: aliud imago materiata & pictura exemplaris, quæ nunquam dignitate adæquat exemplar, nunquam mentalem imaginem. Diſpar eſt ratio imaginis mentalis & materiatæ: nec valet conſequentia de una ab exemplo alterius. Demonſtratur illud partim ratione motus, partim Pontificiorum ipſorum conteſtatione. Memoriæ motus uno ſanè feratur actu ad ideam mentis præſentem phantaſiæ, & ad exemplar abſens, licet hoc quoque controverti poſſet: at certè ſi movetur ad imaginem pictam, motus diverſus eſt: nam memoria ideam videt actu phantaſiæ, rem ideæ videt actu ſuo, imaginem pictam videt ſenſu: omninò, quò ſe cunque vertant Pontificii, duplicem agnoſcant motum, neceſſe eſt. Ne Ariſtoteles quidem, ſi viveret, aliud dicturus eſſet. Conteſtantur verò hoc ipſum Pontificii, qui imaginem mentis & à phantaſia obverſantem memoriæ non adorant, & adorant pictam; Ergò duplex motus eſt: & quod Ariſtoteles de motu memoriæ dicit, peſſimè ad motum ſenſus accommoda-

moda-

modatur, cui imago picta obversatur, non effingens, sed adumbrans rem sensu perceptam & conceptam ejus ideam mente, velut utriusque εἴδωλον commune, τοῦ ὁρωμένου καὶ τοῦ φανταζομένου. Est igitur & inconsequens argumentatio, & alienæ omnes solutiones istæ, nec ad institutum facientes quicquam. Secundò, si imagini non convenit cultus internus, nec externus veræ latriæ; ergò nullus: Tertiò, si sacrificium est proprium soli Deo, latria, quæ summo debetur principio, & quidem spirituale, (nam externa cessârunt sacrificia) quî poterit negari, sacrificia etiam deferri imaginibus? Quinta denique propositio disputat de cultu, qui per se & propriè debetur imaginibus, & asserit, esse cultum imperfectum, nec latrian, nec hyperdulian, nec dulian, nec ullum alium eorum, qui tribuuntur naturæ intelligenti, hoc est, in rei veritate, nullum. Consulatur Tannerus, *Tom. 3. pag. 1386.*

XXVIII.

Acquiescimus itaque in sinceritate cultus, &, rejecta imaginum veneratione, soli Deo nos prosternimus, hunc solum adoramus; Argumentum enim firmissimum suppeditat Scriptura, quæ simulachrorum cultum non tantùm *Exod. 20.* parte hujus præcepti prima, improbat, prohibet, rejicit, sed & *Levit. 25. Deut. cap. 4. & 5.* nec non *cap. 27. & Rom. 1.* quæ testimonia tàm manifesta sunt, ut cæcutiat, qui non videt, quantum displiceat Deo, venerari religiosè aliquid, quod Majestate caret divina, inferius est ipso homine, ab Ecclesia V. & N. T. exulare jussum. Nec obstat, si dicatur, Scripturam reprehendere idololatriam, vel cultum imaginum, quæ habentur pro Diis, vel per quas coluntur, tanquam Dii, qui verè non sunt: Contrarium enim patet Exemplo Judæorum & gentilium: Illorum quidem, qui vitulum fabricantes aureum, dicebant, isti sunt Dii tui, Israel, qui te eduxerunt è terrâ Ægypti. *Exod. 32.* non itaque imaginem hanc vitulinam habebant pro Deo, aut coluerunt, tanquam Deum, qui verus non esset, sed ipsum JEHOVAM, qui eos eduxerat ex Ægypto, volebant venerari in imagine: unde festum indicturus Aaron in honorem vituli, præconis voce jussit dici: cras solennitas JEHOVÆ, sive Domini est: Horum verò, qui non mutarunt Deos suos. *Jerem. 3. v. 11.* mutârunt verò simulachra,

nec

nec æra, nec lapides, adorárunt, ut Arnobius loquitur, ſed illos, quos dedicatio ſacra intulit. Adde ſcandala ex imaginum cultu, ſecundum bullam Urbani Octavi; Animadvertens enim Pontifex paucis abhinc annis, pictores Romanos ad repræſentandum vultum Virginis Mariæ depingere ſuarum amaſiarum, aliarumque libidinoſarum mulierum facies, ut ſuſpenſæ in templis impuras excitarent cogitationes in oculis & animo impiorum, ante eas in genua procumbentium & adorationem ſimulantium, publico diplomate tam deteſtabile & enorme ſcelus execratus eſt. Vide Urbani VIII. Diploma, per Ferdinandum Principem Electorem, Epiſcopum Colonienſem promulgatum, ante aliquot annos impreſſum ac per totum imperium Romanum ſparſum.

XXIX.

Argumenta adverſariorum ſunt invalida. Opponunt, imagines Cherubim, ſuper arcam exiſtentes, fuiſſe adoratas ab iis, qui arcam adorabant: Serpentem æneum quoque non potuiſſe non honorari, cùm in loco ſublimi à Deo poſitus fuiſſet, & ſalutem ipſum aſpicientibus intulerit. Secundò, creaturas honorandas eſſe religiosè, propter ſolam relationem ad Deum. *Pſalm. 95.* adorate ſcabellum pedum ejus. *Matth. 5.* nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei: ſimilem autem relationem habere imagines, quapropter eâdem ratione eſſe colendas. Tertiò, creaturas dici ſanctas, & venerabiles, propter relationem ad res ſacras. *Exod. 3.* locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt, propter Angeli ſcil. præſentiam, *Exod. 12. & cap. 28. Eſa. 11. 2. Tim. 3.* dici, dies, veſtes, ſepulchrum, Scripturam ſanctam, imagines autem eſſe inſtitutas, ad ſignificandas, & repræſentandas res ſacras Addunt Concilia, Patres, miracula, rationes, à venerabilitate hominis, qui imago Dei, Regis, cujus imago magnifiat, capacitate injuriæ, & contumeliæ, cui ex adverſo reſpondeat capacitas cultus, & honoris, gentilium idolorum execratione, tanquam imaginum falſorum Deorum, improbitate illorum, qui Cultum negarint illis, & infelici exitu.

XXX.

Sed hæc talia ſunt, ut potius ſtabiliant veritatem, quàm oppugnent. In primo enim evidens eſt, ſupponi, Cherubim fuiſſe adoratos: nam, ſi ipſa arca non fuit adorata, quantò minus Cherubim, ſupra

ſupra illam collocati; imò, ſi arca fuiſſet adorata, non tamen conſequens eſſet, etiam Cherubim fuiſſe adoratos, propter conjunctionem: Statuæ, ſive imagini, quandoque pallium adjicitur in templis Pontificiorum, num propterea, qui imagini procumbunt, & eam adorant, etiam palliolo circumjecto hunc honorem exhibent? Serpens æneus in honore quidem fuit apud Iſraelitas, tanquam ſalutare ſignum, Dei juſſu erectum, adoratum verò fuiſſe, nullo argumento oſtendi poteſt: imò, cùm eò usque progreſſi eſſent quidam, & cultum ei deferrent religioſum, dejectus fuit: & quæ hæc conſequentia? fuit in loco ſublimi poſitus, ergò religiosè cultus: num, quia galli ſignum in ſublimi ponitur, & templi verticem inſidet, erit adorandum, cultu religioſo proſequendum? videatur Azorius *lib. 9. cap. 6. quæſt. 7.* qui ita ſcribit: Mihi nullus videtur apud Judæos fuiſſe cultus imaginum. Nec enim puto, Cherubinos fuiſſe ideò depictos ſculptosque, ut colerentur, ſed ob ornatum, & pulchritudinem tabernaculi, vel templi, & ad majeſtatem Dei plenius oſtendendam. Serpens æneus, nequaquam eſt divino juſſu in altum ſublatus, ut coleretur à Judæis, ſed ut conſpiceretur à cunctis, cujus conſpectus à ſerpentinis eos morſibus curaret. In altero item inconſequentia transparet: nam, ſi creaturæ ſunt honorandæ illo honore, quem Pontificii volunt, propter ſolam relationem ad Deum, omnes erunt religiosè colendæ: nulla enim eſt, quæ non relationem dicat ad Deum: Secundò, quî probabitur, imagines, quas in papatu videmus coli religiosè, dicere relationem ad Deum? num, quæ fingitur relatio, eſt relatio? num, quod à Deo prohibetur, relationem habebit ad illum? Tertiò, verba Pſalmi ex mera Pſeudhermenia huc referuntur, ut ex ſuperioribus conſtare poteſt: Simili vitio laborat, quod ex Matthæo opponitur: longè enim aliud eſt, prohibere, ne juremus per cœlum, ſive etiam imaginem, & aliud, cœlum eſſe religiosè colendum, vel imaginem, propter relationem ad Deum: in tertio iterum nullus eſt nexus: creaturæ ſunt ſanctæ, & venerabiles, propter relationem ad res ſacras, ergò religiosè venerabiles: Secundò, ſi ad ipſas imagines procedatur, papatûs ſcil. inſtrumenta, repræſentatio illa, & relatio, ad res ſacras eſt ex inſtituto humano, imò figmento cerebri, in adulteria ſpiritualia proni: Tertiò, locus fuit ſanctus, merè extrinſecùs, & pro illo tempore, non ex præſen-

tia angeli, sed ipsius Dei: Dies Paschæ dicitur sancta, & venerabilis, figuratè, non sub ratione objecti, religiosè colendi: Esaias non loquitur de sepulchro Messiæ, sed habitaculo illius, quod Ecclesia, &, si loqueretur, non nisi figuratè vox, sepulchrum, esset accipienda: imò, si ponamus, ipsum sepulchrum esse gloriosum, num propterea religiosè adorandum?

XXXI.

Concilia, quæ allegantur, canitie destituuntur veneranda. Nam illa, quæ laudantur, sunt infra seculum septimum, nec, si dicunt, imagines esse venerabiles, σεπτὰς, agnoscunt cultum religiosum; fuerunt talia, in quibus quidem legati Pontificis Romani, sed non Consensus Ecclesiæ. Patres etiam non dicunt, quod volunt Pontificii. Basilius enim allegoricè loquitur, cujus verba torquet ad alium sensum Adrianus: Chrysostomi liturgia allegata non est illius: Ambrosii verba truncatè adducuntur: Augustinus loquitur de honore debito, vel conveniente, non verò religioso: Paulinus imagines sacras vocat, & quidem in carmine, non autem dicit, religiosè esse venerandas: Gregorius & Damascenus, recentiores sunt, nec authoritatem habent in hoc argumento; quæ de cruce adducuntur, maximam partem figurata sunt, nec tàm lignum, in quo pependit Christus, quàm ipsum Christum designant.

XXXII.

Quæ de miraculis dicuntur, per imagines Christi & sanctorum patratis, facilè dissipantur. Nam primò, non omne paradoxon nostris oculis confestim est miraculum: Secundò, etiam Pseudoprophetæ, producto aliquo mirabili opere, non sunt attendendi. *Deut.* 13. *v.* 1, 2, 3. utut itaque, (quanquam plurima fingi, sit in propatulo) ostendi possent talia stupenda, facta per imagines, nondum tamen cultus earum religiosus esset evictus: denique, si verum contigit miraculum, non imagini illud tribuendum, sed Deo, nec in finem hunc, in quem obliquant Pontificii, sed in gloriam solius Dei; nec, quæ olim extraordinariè facta sunt, ad incredulitatem gentilium expugnandam, sinceriore adhuc cultu vigente in Ecclesia virgine, confundenda cum illis præstigiis, quibus Diabolus ludere solet per imagines. De statua Salvatoris alibi, ex Eusebio.

XXXIII.

Argumenta rationis planè non concludunt: non illud de homine, qui dignus veneratione, quia imago Dei; tùm, quia honor hominis fundatus eſt in ipſa Scriptura, principio revelationis, non imaginum qualiumcunque; tùm, quia homo non eſt dignus cultu religioſo, de quo diſputatur; tùm, quia homo in Scriptura non dicitur imago Dei, ſed vel ad imaginem Dei, vel in imagine Dei factus: Stultum autem eſt, ſi ponamus, hominem, imaginem Dei, proſternere ſeſe inanimatæ, & manu hominis effictæ, imagini: non illud de Rege, quia ex verbo ſapiendum in negotio religionis, non ex congruentiis, quas humanus adornat intellectus; quia Rex colitur, ſaltem civiliter, & imago illius; quia denique Chriſtus nusquam ſuam imaginem exhibuit religiosè colendam, ut Reges imagines ſuas ad cultum & venerationem quandoque publicârunt: non illud de capacitate Injuriæ; nam, ſi de Injuria propriè ſic dicta, non poteſt Imago dici capax Injuriæ, cum ſolus homo illius capax, ſolum vivens & intelligens, adeò ut etiam Bruta removeantur ab hac capacitate, ubi enim non eſt capacitas Juris, ibi nec Injuriæ, ſecundò, ſi de Injuria loquamur quocunque modo, dicimus, exponi poſſe quidem Injuriæ, quia, ſi læditur aut contumelia afficitur Imago alicujus, in Injuriam cedit illius, cujus eſt Imago, ſed non eſt conſequens in ratione: verſatur Injuria circa Imaginem, ergo illa eſt capax honoris & quidem religioſi, tertiò, ut Injuria illata Imagini non eſt Imaginis, ſed illius cujus eſt Imago, qui eam venerandam ſtatuit: ita honor, ſi quis exhibetur Imagini, non erit ipſius, ſed potius illius, quem refert, poſito etiam, quod voluerit illam honorari & quousque quoque gradu: non illud de gentilium Imaginibus confringendis, non enim, ſi Imagines falſorum Numinum deteſtabiles, aliæ ſunt ſubſtituendæ, quas religiosè veneremur, nec, ſi imagines posſunt dejici, contemni, confringi, etiam aliæ poſſunt honorari religiosè, cum priorum capacitas non repugnet, repugnet verò poſterioris, nec ſi parallelismus admittatur, plus ſequitur, quam Imagines Chriſti & Sanctorum eſſe venerabiles, quod extra Controverſiæ lineam: non illud de Improbitate Iconomachorum & pietate colentium Imagines, prius enim eſt dubium & controverſum, nec ſi admittatur ad præſens negotium facit, poſſunt enim etiam

 impii

impii quandoque perſpicere nobile verum & in aliquo puncto prævalere, nec Iconomachi omnes & ſinguli cenſendi ſunt impii, alias etiam Heſeckias in illorum numerum eſſet referendus; poſterius verò docet, tales fuiſſe ſuperſtitioſos potius quam pios. Religio abſque oculo cœca eſt, nec Deo placere poteſt: non denique illud ab infelici exitu Iconomachorum, tum quia univerſaliter nequit doceri, tum quia ab Eventu ductum argumentum malè currit, tum quia, ſi ex hoc capite infelices fuerunt, fuerunt infelices ob exceſſum & ſævitiem in Imagines, quam ipſi improbamus.

CAPUT V.

PARS TERTIA PRIMI PRÆCEPTI.

Th. I.

ADdit Deus: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam & quartam Generationem eorum, qui oderunt me & faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me & cuſtodiunt præcepta mea.* Verba Textus Hebræi, ita habent: כִּי אָנֹכִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֵל קַנָּא פּוֹקֵד עֲוֹן אָבוֹת עַל־בָּנִים עַל־שִׁלֵּשִׁים וְעַל־רִבֵּעִים לְשֹׂנְאָי׃ וְעֹשֶׂה חֶסֶד לַאֲלָפִים לְאֹהֲבַי וּלְשֹׁמְרֵי מִצְוֹתָי׃ LXX. Interpretes reddiderunt ita: Ἐγὼ γάρ εἰμι Κύριος ὁ θεός σου, θεὸς ζηλωτὴς, ἀποδιδοὺς ἁμαρτίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, ἐπὶ τρίτην καὶ τετάρτην γενεὰν τοῖς μισοῦσί με, καὶ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας τοῖς ἀγαπῶσί με, καὶ τοῖς φυλάσσουσι τὰ προστάγματά μου.

II.

De hiſce verbis Hugo Grotius ita ſenſit, quod ſint clanſula non ad ſecundum præceptum tantùm; ſed & ad primum pertinens, & quidem principaliter, ad ſecundum vero, quatenus primo inſerviat; verum malè! nam primo diviſio illa inter primum & ſecundum præceptum, quaſi hoc eſſet de Imaginibus à nobis non admittitur, cum ſecundum nobis ſit de nomine Dei, in vanũ non uſurpando. Secundo ad illud punctum de Idolo ſive ut Grotius vocat, ad ſecundum præceptum,

ptum, non pertinent hæc verba tantum, quatenus primo inservit, ad primum verò principaliter, supponitur enim positiva in hoc secundo tantùm tradi, quod suprà excussum. Tertiò quamvis primo præcepto hæc immediate sint subnexa, nobis tamen non est dubium, esse clausulam generalem, respicere omnia & singula præcepta à DEO in Monte Sinai promulgata, esse stimulum quendam universalem, quo Deus partim terrere voluit proclives in devia ab hoc tramite, hac Sanctissimæ Voluntatis effigie, hac agendorum & omittendorum regula, partim excitare pios in observationem suorum mandatorum, profectum in pietate erga DEUM, charitate erga proximum, & sanctitate vitæ, quo quidem sensu etiam accepit, ac intellexit B. noster Gerhardus scribens: Hanc promissionem ac comminationem dicimus generalē esse, ad omnia omninò Decalogi præcepta referendam, id quod plurale מִצְוֹתָי Mizvothái, præcepta mea h. l. usurpatum manifestè evincit. Quemadmodum enim primum præceptum est, ὡς ἀπῶν, præceptorum fons & caput cæterorum omnium, cujus vis ad reliqua omnia spargitur & promanat: ita promissio & comminatio primo huic præcepto addita generalis est per omnia Decalogi præcepta deducenda. Idipsum repetitio horum verborum *Exod. 34. v. 6. & 7.* itidem non obscurè confirmat.

III.

Dicit autem Deus: Ego sum Dominus Deus tuus. Utitur voce Jehovah, addita voce Elohecha, Deus tuus, quo ipso innuit, quia, ut Deus Israelis, elegerit hunc populum, in peculium sibi, desponsarit sibi in gratia, ideo se esse Zelotypum, nec posse ferre, ut unà idola colantur, prout sponsus nequit ferre corrivalem, non posse admittere, ut suæ voluntati & mandatis contraveniatur: &, sicut hoc non possit ferre, quia Deus Israelis, ita quoque non posse admittere, respectu aliorum, quorum Deus sit, creationis titulo, beneficiorum exhibitione, fœderis vinculo. Dicit: Ego sum Dominus Deus tuus, Zelotes; tribuit sibi nomen El, quod fortem, atque potentem notat, & ita fundare vult potestatem, vindicandi ea, quæ committuntur adversus Decalogum, potestatem benefaciendi morigeris: Zelotem verò vocat se, & æmuli impatientem, amorem, & indignationem, subinnuens, nec malè Origenes dicit: Qui

legitimo utitur matrimonio, non patitur uxorem peccare, sed accenditur zelo ad servandam castitatem matrimonii: sic animam sibi spiritualiter conjunctam Deus non patitur peccare, nec ferre potest, ut alludat adulteris. Si autem viderit eam temerantem conjugii jura, dat ei libellum repudii, *Esa. 50. v. 1.* est autem novum genus bonitatis ejus, ut etiam post adulterium revertentem & toto corde pœnitentem suscipiat, *Jer. 3. v. 1.* Denique se visitare iniquitatem patrum, in filios, loquitur de visitatione iræ: in Ebræo enim est פקד quod sensu vindicandi solet accipi, quò etiam LXX. respexerunt, usurpando vocem ἀποδιδὺς, adeoque Deus ostendere vult, se non esse, ut Deastros gentilium, qui nec bene nec male facere possint, nec autem tantùm notat peccatũ, quod admittitur circa falsa Numina, ut vult Grotius, ex falsa hypothesi, suprà excussa, sed summa extantiora: visitare verò dicit se hæc parentum peccata in filios, sive posteritatem, ut eò magis absterreat, & quidem, in tertiam, & quartam generationem, ad abnepotes usque, eorum autem, qui oderunt ipsum, sponsum deserunt, & aliis adhærent, mandata transgrediuntur, & eo ipso odium suum in Deum manifestant. Ut autem dicit, se visitare iniquitatem patrum, in filios, in tertiam, & quartam, generationem, eorum, qui oderunt se, ita dicit, facere se misericordiam in millia his, qui se diligunt, & custodiunt præcepta sua, & eo ipso inæqualem rationem justitiæ, & benignitatis intimat, quoad exteriores effectus, magis se propensum esse ad misericordiam, quàm ad vindictam, respicere verò sua gratia obedientes, diligentes amore sincero, ut sponsa prosequi solet sponsum, uxor maritum, custodientes mandata, attentos ad observationem, & ipso opere contestantes, sive effectu, sinceritatem Affectus. Adde Lorinum scribentem, millia, multaque millia, sumuntur pro pluribus. Non malè προσδιορισμὸν hunc exposuit, ex nostris B. Feurbornius, *fasciculo secundo, thesi 42, 43.* scribens: Dicit Deus, in filios se visitaturum iniquitatem patrum non quorumcunque, sed eorum, qui odio prosequantur ipsum *Exod. 20. v. 5.* & *Deut. 5. v. 9.* Qui προσδιορισμὸς primò intelligitur de parentibus; ut clariùs patet ex Hebræo textu, ubi est לְשֹׂנְאָי. En! in hac restrictione non habetur particula עַל, al, quæ fuit in præcedentibus;

bus: ſed præfixum ל lamed, quod cum ab antegreſſo nomine regitur, notat genitivum. Eſt autem hîc Ellipſis duarum vocum עַל־בְּנֵי al-bené, id eſt, in filios, quæ voces repetendæ ſunt ex verbis præcedentibus. Ut integra oratio hæc ſit: Viſitans iniquitatem patrum in filios, in pronepotes & abnepotes, in filios, inquam, eorum, (parentum) qui oderunt me. Etenim hîc manifeſtè ſermo habetur de viſitatione iniquitatis patrum; quæ viſitatio ſeu punitio exaggeratur ex continuatione in filios, & quidem non tantùm in filios, propriè dictos, vel etiam ab illis proximos, id eſt, nepotes: ſed etiam pronepotes, & abnepotes. Nec tamen hinc excluduntur, ſed reverà includuntur & connotantur liberi, Deum odio proſequentes: Et pii inſontesque liberi hîc excipiuntur: ſeu liberos, filiali amore & fiducia Deum patrem complectentes, & patrum peccata fugientes, caneque pejus & angue caventes non ferit hæc Dei comminatio; ſiquidem *Ezech. 18. v. 4.* inquit Jehova: Anima (non innocens ſed) quæ peccaverit, ipſa (non alia inſons) morietur. Et *v. 14.* Quod ſi genuerit filium, qui videns omnia peccata patris ſui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit ſimile eis &c. hic non morietur (NB.) in iniquitate patris ſui, ſed vitâ vivet. Et *v. 19.* ulterius præoccupat & refellit Judæorum querelam. Et dicitis, inquit. Quare non portabit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius judicium & juſtitiam operatus eſt, omnia præcepta mea cuſtodivit, & fecit illa, vitâ vivet. *v. 20.* Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur; filius nôn portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum, non ſuper alium innocentem.

IV.

A litera itaque recedunt primò Origenes, qui per patrem intelligit Diabolum, per filios, peccatores, quos ſcil. inducit ad peccatum, ut Judæ proditionis ſcelus perſuaſit, per tertiam & quartam generationem, quos ſibi quis adſciſcit facinoris ſocios, cujusmodi fuerunt Phariſæi, & Pontifices, quos Judas adiit, ut de modo inter ſe convenirent: Secundò, quidam, apud Hieronymum, in *Ezech. 18.* qui patrem interpretantur peccati ſuſurrationem, & primam titillationem, ac incitationem ad peccatum, filium peccatum, cogitatione, & voluntate interius admiſſum, quartam generationem, ſeu

ſeu pronepotem, ſi non tantùm exterius facinus admittas, ſed etiam de admiſſo glorieris. Tertiò, Auguſtinus contra Adiamantum, cap. 7. qui patrem, dicit eſſe Abraham, & primam generationem eſſe ab Abrahamo usque ad Davidem, ſecundam generationem, à Davide, usque ad captivitatem Babylonicam, tertiam generationem, quam cœperunt Judæi à captivitate Babylonica, usque ad Christum, quartam à Chriſto, & deinceps, cùm perfectè puniti ſunt. Non itaque probare poſſumus illas expoſitiones, quia non tantùm litera retinenda, quousque neceſſitas non ad figuram compellat, maximè in præceptis, promiſſionibus, & comminationibus, ſed & Scopus Dei non fuit ille, quem hi per has expoſitiones prodere volunt, ſed alius, ſtabilitio ſcil. obedientiæ, decem verbis exhibendæ, neque per patres, phraſi Scripturæ, intelligi poſſunt, vel diabolus, vel ſuſurratio, vel Abraham, nec ſolos Judæos reſpicit hæc comminatio, vel promiſſio, & cauſa, quæ compulit hos interpretes, ad hanc exegeſin myſticam, ſcrupulus fuit, quomodo citra iniquitatem aliquis pro alienis peccatis punire poſſit, qui ſtante verborum proprietate, commodè tolli poteſt.

V.

Ut itaque hoc expediatur, notamus quosdam dicere, prophetiam Ezechielis pertinere ad N.T. & non amplius vigere illam ſeveritatem, qua filii ob parentum peccata puniantur, vel damnatione exilii à regno cœleſti, vel longa captivitate, ſicuti Babylonica; pro qua ſententia referunt Franciſcum, Sohnium, & Andream Crocquitium: quosdam verò reſpondere, Deum, cùm nemo coram ipſo ſit innocens, poſſe punire, in tertiam, & quartam generationem, filios parentum impiorum, & ſolere, ſed vetare aliis. *Deut.* 24. ideoque inter pœnas divinas & ſupplicia civilia, eſſe diſtinguendum: quosdam intelligere hunc locum de punitione peccatorum parentum, in tertiam, & quartam generationem, nempe in illis liberis, & filiis, qui imitantur peccata parentum, & iisdem criminibus ſe involvunt. Primum ex eo capite non admittitur, quia confundit Legem cum temporibus Novi Teſtam & V.T. Evangelium, cum Novo hoc quidem certum eſt, Effatum Ezechielis eſſe Evangelicum, ſecundum diſpoſitionem gratiæ accipiendum, hoc verò de punitione filiorum propter peccata parentum eſſe legis,

& vo-

& voluntatis justæ, sed quòd distinctione temporis possit tolli illa oppositio, quæ videtur esse inter hæc duo effata, nunquam conceditur: præterea negari nequit, etiam sub Oeconomia N. T. Deum visitare iniquitates parentum in filios, in tertiam & quartam generationem, nec hoc proprium fuisse illis temporibus, quæ adventum Christi in carne præcesserunt; denique ostendi nequit, damnatione exilii in regno cœlesti fuisse punitos filios in V. T. ob peccata parentum, & non posse in N. T. similem captivitati Babylonicæ calamitatem, vel exilium, ob peccata parentum, posteritati immitti, cùm aliud doceat fatum Ecclesiarum Orientis, & exempla, passim in historiis obvia. Alterum itidem ex eo non probatur, quia, si dicamus, injustum quidem esse secundum leges civiles, si quis puniat ob peccata parentum filios, non autem secundum legem divinam, judicium superius nihilominus adhuc manet dubium, quomodo id iniquum in foro humano, non divino? quomodo ille, qui non tantùm est justissimus, sed & misericordissimus, qui hoc ipso in loco misericordiam suam deprædicat, quantum ad extensionem præfert justitiæ, possit eo usque progredi, ut filii sentiant in tertia & quarta usque generatione, quod Majores deliquerunt, omne exedendú natis, quod illorum parentes intriverint? cui si obviam ire velis distinctione judicii humani, secundum leges civiles, & divini, secundum perspicaciam illam infinitam & καρδιογνωσίαν administrati, principium petes, dubio non satisfacies, quia hoc est, quod quæritur, num scilicet judicium divinum, citra suspicionem nimii rigoris, ita possit esse comparatum? Secundò si ad καρδιογνωσίαν confugias, cui innitatur judicium divinum, eo ipso in hâc distinctione non subsistes, sed admittes aliquid deprehendi in malis, ex quo justitia hujus actus possit doceri, quod quia non est probitas, quæ visitationem iræ declinat, erit impietas, & consimilis vitiorum praxis, quo ipso ad tertiam sententiam delaberis. Tertio Ezechiel, ut &, qui paria dicit, Jeremias non agunt de civili judice, sed de ipso Deo, & hoc propugnant, etiam ipsum Deum ita exequi judicia sua, ut anima quæ peccavit, ipsa moriatur, filius non portet iniquitatem Patris, justitia justi sit cum ipso, & improbitats improbi cum ipso, non hoc in foro humano tantùm valere, sed vel maximè in foro divino observari. Tertiæ sententiæ modóque conciliationis, qui nostris placuit

Theologis, sese opponit Andreas Rivetus, & dicit, non tantùm illam non convenire cum fonte, sed & immotis refelli argumentis sequentibus, sc. secundum illos, primò iis, qui oderint Deum, opponit Deus eos qui ipsum diligunt & ipsius mandata servant. In posteriori autem membro, intelligi parentes ipsos, non autem eorum generationem, vix est qui dubitare possit. Nam postea *Exod. 34.* utrumque absolutè ponitur: qui custodis misericordiam in millia, & qui reddis iniquitatem Patrum filiis, ac nepotibus, in tertiam ac quartam progeniem. Si loqueretur de filiis, qui oderunt Deum imitantes parentes suos, loqueretur etiam de iis qui Deum diligunt eodem modo, ac proindè aut diceret, in tertiam & quartam generationem, & non in millia; aut certè ergà eos qui Deum oderunt, in mille etiam & penè infinitas generationes protenderet. Quis enim nescit, Deum visitaturum impiorum Patrum impiam generationem in perpetuum? Hoc cum vidisset August. lib. 1. quæstio. veter. Testam. cap. 24. voluit positam esse tertiam & quartam generationem pro universis generationibus, quæ septenario numero significantur. Sed ubi litera facilis est, quid opus est, mysticos sensus excogitare? Periret gratia omnis comparationis, in quâ ita opponit misericordiam justitiæ, ut eam extollat in eo, quod misericordiam exerceat in filios, in mille generationes, propter parentes; cum tamen non puniat eorum peccata in filiis, nisi usque ad tertiam & quartam generationem. Denique, non tam puniret Deus peccata parentum, quam filiorum. Quænam autem esset hæc dehortandi ratio: Cavete vobis ab Idololatriâ, quia si filii vestri ad quartam generationem Idololatriam committant, eos puniam?

VI.

Subtilia hæc in speciem videri possunt, solida censeri non debent. Primum non concludit: Nam si ponamus in posteriori membro intelligi parentes ipsos, non autem eorum generationem, institutam esse etiam hic oppositionem, quod negari nequit inter illos, qui oderint Deum, & illos, qui ipsum diligunt, non tamen propterea concludi poterit, parentes solos in priori membro intelligi, longè enim alia est ratio gratiæ divinæ, alia justitiæ vindicativæ, prior poterit conferri & extendi absolutè citra respectum ad pieta-

tem

tem posteritatis; hæc verò necessariò & semper præsupponit aliquod demeritum etiam ratione illius, qui ex occasione paternorum scelerum punitur, cum pœna & culpa sint relata; Secundo siquis negaret, in posteriori membro intelligi parentes simpliciter, & non eorum generationem, quid solidè illi responderi posset, nondum vidimus, consulitur hic locus *Psalm. 25. vers. 10.* Tertiò Exodi trigesimo quarto versiculo septimo, absolutè quidem dicitur: Qui reddis iniquitatem Patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam generationem: verùm non absolutè hoc intelligendum, sed ut probè in paraphrasi sua B. Osiander monet, in posteritate impiâ Patrum, quia hoc ipsum supponitur ex præsenti effato cum circumscriptione aliqua edito, partim, quia hoc evidenter colligitur ex Levitici vigesimo sexto, versiculo decimo nono, ubi disertè propter peccata patrum suorum & sua affliguntur, tabescunt in iniquitatibus suis, vel propter iniquitates suas, & parentum suorum, quos imitati sunt, partim quia sic judicant Patres & ex illis Augustinus contra Adiamantum c. 7. Alterum argumentum iterum non est solidum: Nam primò non absurdum est dicere, Ezechielem loqui de filiis, qui Deum diligunt. Secundò non necessum, si loquatur de filiis, qui Deum diligunt, addi debere etiam, ut in illo membro de impiis, in tertiam vel quartam generationem, cùm benevolentia divina excedat justitiam vindicativam & inæqualiter ad illam se habeat; quî itaque laxius porrigi nequeat misericordia in pios, quàm justitia in impios? sanè ipse Catechismus Gallicus ad hæc verba observat, Deum ad humanitatem magis & clementiam, quàm ad severitatem esse propensum; & huc referenda sunt loca illa *Exod. 34. v. 6. Esa. 28. v. 21. Thren. 3. v. 33. Amos. 2. v. 7.* Tertiò, non in mille usque generationes & penè infinitas protendi debere justitiæ exercitium, supposito stante concluditur, tum quia Deus potuit instituere terminum punitionis peccatis communicatis, qui aliàs in propriis aliter solet progredi, tùm quia si animadverteret Deus in tertiam & quartam generationem usque, plerumque talis familia improborum contabescit & expirat, ut ex Historia Regum constat, qua desinente furor divinus quoque cessat; tùm quia peculiaris fuit Deo ratio, hunc terminum tertiæ & quartæ generationis figere, quia scilicet propagatio ad eum usque fieri solebat,

bat, & idcirco filii videre ac imitari parentum vitia, parentes verò punitionem natorum intueri, cum Corderio notante Acacio in catena & Gregorio quæst. 15. moral. cap. 22. Tertium non ſtringit, nam ad comparationem non ita attendendum, ut vult Rivetus, aut ſtrictè urgenda, prout ipſe urget illam, cum ipſe Deus ita puniverit filios, ita viſitarit iniquitatem Patrum in illis, ut intra hunc terminum non perſtiterit, ſed ultra eum fuerit progreſſus, ut Amalekitarum docere poteſt exemplum. Secundò planè non perit gratia comparationis, ſed etiam in noſtra ſententia Deus extendit miſericordiam ſuam præ juſtitia, dum ad pietatem parentum reſpiciendo piis in mille generationes benefacit, ut ex proprio gaudeant præmio pietatis, & ex parentum pietate aliquid in tot generationes accommodat. Denique falſum, ſuppoſitâ hâc ſententiâ, Deum non tàm punire peccata parentum, quàm filiorum: duplicat enim pœnam, non intendit, ut luant poſteri ex propriis & etiam paternis, & tantâ calamitate involvantur, ut ſentiant ſe puniri, ſe affligi ad menſuram ſcelerum & flagitiorum completam, de qua ipſe Chriſtus *Matth. 23. v. 32. & 35.*

VII.

Non deſunt autem exempla, quibus Deus voluntatem verbo expreſſam confirmavit. Diluvio involuti fuerunt liberi cum parentibus, infantes cum adultis, de quo *Geneſ 6. v. 12, 13. 1. Pet, 3. v. 19, 20. 2. Pet 2. v. 5.* Poſt diluvium Canaan Chami filius maledictioni fuit ſubjectus cum tota poſteritate. *Genes. 9. v. 25.* Nec ſulphurea pluvia tantùm abſumpſit adultos, ſed in Pentapolitana regione ad aliquot milliaria ſe protendit etiam ad infantes, de quo *Gen. 19.* Abimelechus peccans adduxit malum in totam familiam ſuam *Gen. 20. v. 17, 18.* Primogeniti in Ægypto tolluntur propter Pharaonis & parentum contumaciam. *Exod. 11. v. 5, 6. Num. 16.* (Terra abſorbet non tantùm rebelles contra Moſen, ſed & filios) Exſcinduntur ad voluntatem divinam non tantùm adulti Chananæi, ſed & pueri *Deut. 3. v. 6.* Non tantùm lapidatur Achan ob ſacrilegium commiſſum, ſed & familia ejus *Joſue 7. v. 24, 25.* Davidis filius ex Bathſeba natus moritur, patre peccante. *2. Sam. 12. v. 14, 15, 18.* Saulis filii ſuſpenduntur ob peccatum patris. *2. Sam. 21.* Jeroboam peccando facit, ut poſteritas illius luat. *1. Reg. 14. v. 9, 10. 11.*

10, 11. peccata Achabi vindicantur in posteritate 2. *Reg. 21. v. 21, 27.* Avaritia Gehasi punitur leprâ etiam in filiis & nepotibus. 2. *Reg. 5. v. 26, 27.* Ipsa Ecclesia Judaica agnoscit se pœnam ferre paternorum criminum *Thren. 5. v. 7.* & Christus *Matth. 23. v. 35.* superventuras pœnas illorum peccatorum, quæ à majoribus patrata, disertè interminatur.

VIII.

Interim hoc notamus, posteros & filios pios sive innocentes ob majorum flagitia non affici pœnâ aliquâ, propriè sic dictâ, sed iniquitatem ita ferre, ut miseriis fiant obnoxii, quæ iniquitatem illam majorum consequuntur, neque Deo sermonem esse de visitatione aliquâ pœnali æternâ, adeò quidem, ut ne ipsi etiam impii liberi & posteri ob majorum peccata in inferno puniantur intensius. Addatur hic Feurborn. *fascic. 2. pag. 176. & seq* observat etiam B. Hülsemannus, qui ita scribit: Estius in annot in h. l. calumniatur, tametsi Manasses resipuerit, Deum tamen peccata ejus in posteris fuisse ultum, quod est contra divinam promissionem *Ezech. 18. v. 21, 22.* Cùm converterit se impius, nullæ defectiones ejus memorabuntur, Peccata Manassis peccatis similia Deus quidem ultus est in Judæis, 2. *Reg. 21. v. 11. 22. c. 23. v. 16. c. 24. v. 3.* Sed eadem numero peccata, quæ Manassi remisit, nunquam legitur in posteris ejus ultus. Castro hanc pœnam esse ait, quòd Deus impiorum liberos cum Parentum impiis habitibus nasci facit. At ea non est pœna, sed voluntariè contracta labes à primis parentibus, quam si Deus non permitteret propagari in posteros, miraculum faceret, quod utique non tenetur, nisi dicamus teneri Deum, ut corruptæ naturæ cursum sistat. Deinde pœnas filiorum innoxiorum, Castro ait, non esse pœnas, sed medicinas adversus futurum malum; quæ principii petitio est, cùm nemo puniatur ob peccatum alterius, nisi ejusdem noxius sit, & inter pœnas impiis inflictas, piorumq; castigationes hoc intersit, quod eæ, quanquam fine emendationis etiam immittantur, irati tamen Dei sint, ut Judicis, non ut Patris. *Sap. 11. v. 10. 2. Maccab. 7. v. 33. 1. Cor. 11. v. 32.* Denique hoc interesse, ait Castro solut. ult., inter beneficentiam Dei, & punitionem, quòd beneficentia etiam in peccatores extendatur, usque ad mille generationes; pœna autem contra innoxios non egrediatur tertiam vel quartam generationem.

Quod utrumque est contra Ezechielis testimonium, supra allatum. Et Moses quando ait, vindicare Deum peccata parentum in filios in tertiam & quartam generationem, qualitatem filiorum simul expressit, quod sint odientes Deum. Nam verbum hoc immediatè ad filios, non ad parentes refertur, ut patet ex præfixo, & ex tota constructione. *Exod. 20. v. 5.* Quomodo Hieronymus & Theodoretus hîc & *in c. 18. Ezech.* Augustinus libro contra Adiamantum Manichæum, *c. 7.* Gregorius *l. 15. Moral. c. 31.* Rabanus, Hugo, Dionysius exponunt; Deum nunquam punire filios insontes, propter peccata parentum, nec sontes quidem, propter peccata Parentibus jam remissa, sed ita puniri parentum peccata in filiis, quando Deus imitantes filios majori pœnâ afficit, quâ aliàs affecturus non fuisset, nisi etiam parentes ipsorum peccassent, quæ propriè non pœna, sed tantùm intensio pœnæ est, Deo libera, quemadmodum intensio beneficiorum apud inæquales nonnunquam æqualis est. adde Bonfrerium *in Pentateuchum. pag. 452.* Creguti Galerazia *pag. 1028. & seq.* Menasse Ben Israël.

IX.

Fundamentum autem illius visitationis non tàm petendum ex Dominii universalis ratione, quàm justitiæ, si scilicet consideratur visitatio illa ut pœnalis, tùm quia omnis pœna est ex justitia, dicit enim irrogationem aliquam intuitu culpæ factam, tùm quia ipse Deus dicit, se visitare iniquitates Patrum in filiis sanè non visitatione gratiosâ, ergò vindicativâ, nec dicit simpliciter, se visitare aliquid in natis, sed iniquitates Patrum, ut indicet peccata esse materiam incendii, esse fomitem iræ divinæ, quæ per justitiam vindicatur; tùm quia addit, se visitare istiusmodi peccata, quia sit Zelotes, hoc est justissimus vindex scelerum; & sicut remissio peccatorum sive propriorum, sive alienorum est actus misericordiæ divinæ; ita actus imputationis sive visitationis peccatorum paternorum in filiis actus erit justitiæ. Supponitur verò huic actui justitiæ conjunctio vel naturalis, qualis in hâc comminatione occurrit, scilicet quæ est inter Patrem & liberos; vel politica, qualis est inter Imperantem & subditum; vel denique voluntaria, qualis inter reum & fidejussorem.

CAPUT

CAPUT VI.

Errores circa primum Præceptum.

Th. I.

QUanquam Decalogus paucitate verborum & claritate ſenſus omnibus ſe commendet, inventi tamen ſunt in ipsâ Eccleſiâ, qui nebulas offundere, duxerunt eſſe artis & ingenii, inter quos Pontificii Doctores primas tenent. Nam *primò* circa hoc præceptum errant ignorantiam excuſando. Statuunt enim *primò* Deum poſſe invincibiliter ignorari. Diſertè enim Rodericus ab Arriaga Lucronienſis Hiſpanus, Academiæ Pragenſis Cancellarius: Probatiorem cenſeo ſententiam Molinæi dicentis: Deum poſſe ignorari invincibiliter; nam ut ſupra oſtenſum, non eſt veritas per ſe nota, Deum exiſtere: debet ergo diſcurſu & ratiocinatione colligi. Hic autem diſcurſus indiget magnâ conſideratione, utpote res valdè à ſenſibus aliena; atqui frequentiſſimè experimur homines multos, etiamſi rationis ſimpliciter capaces, ita tamen hebetis ingenii, ut etiam quando conatur alius res faciliores eis perſuadere, exemplis facillimis eas res declarando; tamen vel non percipiant, vel ſummè difficulter. Quo ergo fundamento poſſumus dicere, iſtos & ſimiles etiam ſine ullo magiſtro ex ſeipſis incepturos & continuaturos ratiocinationem & diſcurſum adeò metaphyſicum, quo Dei exiſtentia probetur? ego ſanè vix dubito, quin multi poſſint inveniri, in quibus nec per umbram ſimilis excitetur ratiocinatio, poterunt ergo habere ignorantiam invincibilem Dei. Et circa finem ſectionis tertiæ concludit ad objectionem: Ergò talis Homo ignorans Deum non peccabit mortaliter, etiamſi alium occidat, & putet, ſe malè facere. De hoc, ſcribit, egi in materia de moribus humanis, dixiq; talem non promeriturum per illud factum pœnam æternam Dei; Nec enim tantùm in illis, qui ſunt extra Eccleſiam, ignorantiam elevari; ſed & in illis, qui ſunt in gremio illius. Clarè Becanus *Tom. 5. opuſc. 5. q. 1. pag. 633.* Ex noſtra ſententia ſequitur, omnes ſecuros ac tutos eſſe, qui judicio ac ſententiæ totius Eccleſiæ acquieſcunt. *Secundò* polytheiſmi opinionem admittendo: Ita Caramuel, Deorum pluralitatem, ſtando puris principiis naturalibus, defendi poſſe & propugnari aſſerit, nec non prudentiam humanam viribus naturæ derelictam probabiliſſimè crede-

credere, dari plures Deos. *Tertiò* fiduciam expungendo, hanc quippe præsumptionis nomine traducit papatus, qua quis vult beatitudinem sola divina misericordia consequendam, absque suo ullo bono opere & cooperatione, uti loquitur Toletus *lib. 4. cap. 67. p. 204.*

II.

De Spe fovent sequentes opiniones: Primò actum spei, non esse in substantiâ suâ supernaturalem, quia viribus naturalibus ab homine possit sperari quodcumque bonum, quod possit ab ipso suâ virtute conferri. Sotus de natura & gratia c. 22. Secundò non obligari aliquem elicere actum spei, etiamsi gravi desperationis tentatione vexetur, quia quis possit non agnoscere, medium esse necessarium ad superanda desperationis tentamina, actum spei elicere; cum sint plurima alia media à Deo instituta, ad quamlibet gravem desperationis tentationem superandam? Ferdinandez de Castro *tom. 1. tract. 5. d. uni. pun. 4. num. 3.* Nec quando aliquid à Deo petimus, quia tunc non est spei directa obligatio, sed indirecta, quatenus est medium necessarium ad orationem. Quod inde constat, quia si orationem debitam omittas, non peccas contra spei virtutem, sed contra religionem, cujus actum exercere tenebaris. Ita Castro Palao *tom. 1. tract. 5. dub. unic. punct. 4. num. 3.* Tertiò sperare in Deo principaliter, & minus principaliter in sua, vel cr[illegible]arum opera, non est secundum quosdam præsumptio, nec De[illegible]tatio, cum ipsemet Deus eam operam in nobis velit & jubeat.

III.

In Charitate præceptâ consimilia deprehendes *αἰχύσματα*. *Primò* enim Jesuitæ stant pro amore Dei naturali, de quo Ludovicus Montaltius *pag. 273. §. 60. seq.* contra Thomam; qui aliter & ita pronuntiat; Homo in statu naturæ integræ non indiguit divinæ gratiæ gratuito auxilio, viribus naturalibus superaddito, ad Deum super omnia naturaliter diligendum, quanquam Dei ad hoc moventis auxilio ei opus esset. At in statu naturæ corruptæ, indiget ad hoc gratiâ ipsam naturã interiùs sanante. In statu naturæ corruptæ homo ad hoc deficit secundum appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei. *Secundò* statuunt, non teneri hominem in rigore per totam vitam suam elicere unquam actum amoris divini, ut habet Articulus vigesimus

simus quartus illorum, qui die 4. Maji 1657. à Facultate Theologica Lovaniensi sunt examinati. Conformiter illi Thomas Tamburinus *in Decalogum lib. 2. cap. 3.* scribens: Mihi placet, inquit, doctrina Azor, qui docet hoc præceptum charitatis impositum fuisse ob justificationem impii: Solum igitur tunc obligare, quando impius, quia Sacramentum pœnitentiæ non est in promptu, non habet aliam viam, qua se justificet, nisi eliciat actum contritionis, quæ semper aliquo tandem modo actum amoris Dei super omnia dilecti involvit: Consequenter igitur, & indirectè ratione suæ justificationis ad actum charitatis fideles obligantur. Azor. *tom. 1. lib. 9. c. 4. q. 1. circa fin:* Confirmat: quia licet communis sententia doceat, dari præceptum speciale de amando Deo in illis verbis, *Diliges Dominum Deum tuum*, & alibi; tamen non ignobiles Doctores docent hoc præceptum non esse speciale, & speciali tempore implendum, sed generale inhibitum in omnibus præceptis, sicuti secundum præceptum de dilectione proximi non est speciale, sed in Decalogi præceptis contentum; nam propterea dicitur *in his duobus præceptis*, id est dilectione Dei & proximi, *universa lex pendet, & Prophetæ*, &, *qui habet præcepta mea, & servat ea, ille est, qui diligit me;* & *Plenitudo legis est dilectio.* Si enim qui servat præcepta, diligit, quique diligit, servat, jam unum ex his continetur in alio, & consequẽter præceptum charitatis indirectè solùm & ratione alterius obligabit. Antonius Sirmundus, observante Montaltio, in libro, quem inscripsit Defensionem virtutis, hanc quæstionem movet, & disputat circa præceptum de diligendo Deo: Utrum sub pœnâ ignis æterni, ad Deum continenter amandum obligemur? Hic cùm statuisset perennè illum amoris actum patriæ esse, non viæ, & propterea hominibus in hac vita nequaquam præceptum; ad illam, quæ una hîc agitur, quæstionem accedit. Cùm igitur, inquit, Tract. 2. Sec. 1. cap. 2. pag. 12. affirmativa præcepta certis tantùm temporibus obligent, quandonam obligabit illud amoris? Inde varias Theologorum sententias refert, & improbat. Ad extremum difficultatem ita in summam colligit: Si quod sit Dei diligendi præceptum, ad observationem sui obligat, transgressio verò ad quid obligat? An mortali piaculo præceptum illud violaret, qui NULLUM UNQUAM divini amoris actum eliceret? Non potuit clariùs quæstionem constituere. Quid

ergo pronuntiabit? Sanctus Thomas, inquit, 2. 2. *q. 44. art. 6.* videtur id negare; idque demùm ad vitandam damnationem exigere, ne quid contra sacram dilectionem agamus. A tanto errore suo loco vindicabitur sanctus Thomas; sed Sirmundum nunc sequi juvat. Si hæc, inquit, quemadmodum quidem videtur, est sancti Thomæ doctrina, ejus authoritate fretus LIBENTER DIXERIM: Cùm Deus amorem suum nobis imperat, nihil præcisè aliud à nobis exigit, quàm ut ipsi in aliis mandatis pareamus. Deinde ut Divum Thomam, sic Evangelium corrumpit, Præceptum est, inquit, amandi Dei; sed opere & veritate, hoc est, implenda ejus voluntate, quasi ipsum affectu diligeremus, quasi divinus amor pectora nostra succenderet, quasi ista mandata charitatis intentione servaremus. Hoc si fit, tantò melius: sin minùs, tamen in rigore divino mandato satisfacimus. Itaque vide bonitatem Dei! Non tam præcipit amorem sui, quàm odium vetat; sive formale & actuale, quod non humanum, sed diabolicum est; sive materiale, quòd in mandatorum transgressione positum est. Habes initia Sirmundi, progressum videamus. Quærit sequenti capite, quis sensus sit illius præcepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo? Hic jam ipse loquitur Sirmundus, nec sub sancti Thomæ larva delitescit. Quid ergo ille expromat de suo, videamus. In præcepto, inquit, duo distinguenda sunt; rigor & clementia: in amore item duo; motivum & effectus: vel potiùs duo distingue præcepta; alterum rigoris, alterum clementiæ: duos amores; alterum affectus, alterum effectus. Qui quantum potest præcipit, at nullam apponit pœnam, saltem gravem, hujus mandatum totum melleum est. Adde minas, jam fit rigoris mandatum. Ita qui alteri servit SINE INTENTIONE ET AFFECTU, solo illum effectu diligit, non affectu; qui autem præterea ipsum interno amore prosequitur, utrumque habet, affectum scilicet & effectum. Definivit omnes voces, omnemque ambiguitatem planè sustulit. Ergo quid decernat audiamus. Quid igitur, inquit, de ipso amoris præcepto, aut amoris mensura dicendum, quæ nobis maximo omnium mandatorum præcipitur: nempe clemens quoddam est mandatum (videlicet sine pœna) erga ipsum amoris affectum, amorem intentionis, amorem motivi: at mandatum est rigoris erga ipsum amorem effectus & operis. Ut isti legi

obe-

obedias, quatenus lex clementiæ est, id est sine pœna, necesse est, cor tuum vero affectu tangi, veris charitatis motibus incitari, qui omnes animi motus, cogitationes, ad Dei vel minima jussa studiosè servanda secum rapiant. Huc tendere debemus, si quidem perfecti esse volumus. At qui divino illo caret affectu, & tamen, quadam alia bona intentione, ita officii sui tenax est, ut malit ab omnibus cogitationibus, desideriis, utilitatibus suis recedere, quàm divinas leges sub pœna mortalis peccati obligantes violare; huc qui pervenit, in rigore obedit magno mandato, quantum satis est ut salvus sit. Hâc doctrinâ toties iteratâ rationem adjungit, similis aut etiam majoris impietatis. Sic, inquit, debuit Deus, & potuit sanctum nobis amorem præcipere. Debuit effectum præcipere in rigore & intentatis pœnis. Ubi enim Principem ac Dominum egisset, nisi obedientiam exigeret? At verò ad eliciendum illum amorem sincerum aptior omninò clementia, id est, imperium sine pœnarum metu. Si hoc dixisset, perdam vos, quamcunque mihi obedientiam præstetis, nisi etiam ipsum in me amorem ac cor transferatis; quæro an huic consilio convenisset hic finis? Licet enim conveniens sit, ut quilibet se, suaque omnia in Deum dirigat, cùm primum rationis usum assequitur; at hoc ex obligatione fieri, nec severitati legis divinæ, nec humanæ imbecillitati consonum esse potest: imò potiùs videtur impossibile, nisi aliquo speciali superno lumine illustretur. Quia ad hujus præcepti executionem requiritur illius perfecta cognitio: At ante usum rationis nequeunt pueri perfectè cognoscere, quonam modo Deus sit super omnia diligendus: Si verò usu rationis antecedente præcepto ligantur, sine illius ligantur cognitione. Profectò nullus est, qui cognoscat primum instans, quod est suæ rationis principium. Quomodo ergò ligari præcepto pro illo tempore poterit? Ita Azorius *part. 1. l. 4. c. 10. q. 6.* Valentia. 2. 2. *d. 3. q. 19. punct. 3.* Suarius *tomo 4. de pœnit.* Sanch. *l. 2. Decal. c. 35. n. 7.* Conink. *d. 24. dub. 3. n. 48.* & alii apud Azorium. Solùm obligat præceptum eliciendi charitatis actum pro vitæ fine. Quia dum vivimus, Deum habituali dilectione prosequimur: actum autem amoris elicere oportet specialem, dum morimur, è quo fortasse nostra æterna felicitas pendet. Sic Vasquez *de pœnit. q. 86. art. 2. dub. 6. num. 11.* & hoc speculativè loquendo indicat esse verius Sancius *in select. d. 1.*

 num. 21.

num. 21. Tempus hujus obligationis est indeterminatum, & unicum tantummodo: Unde qui semel in vita huic præcepto satisfecit, non tenetur alium actum charitatis hujusmodi elicere. Quia, cum nullum tempus Deus assignet, quo diligi debeat, sed liberum homini relinquit, ut tempore à se electo obligationem exequatur, fit, mortis tempore obligatum esse, si antea obligationem non implevit; ultra illud enim non restat aliud eligendum. Si verò jam vel semel in vita dilectionis actum gessit, præcepto satisfecit, nec tenebitur alium actum elicere. Sic nonnulli, quos pressis nominibus memorat. Sotus *l.* 1. *de nat. & gra. c.* 22. Adultus non tenetur annis singulis actum dilectionis elicere ex præcepto charitatis. Quia id esset nimis durum, & ideò ejus assertio nullo firmo fundamento niti videtur. Ita Castro Palao *Tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 1. *punct.* 4. *num.* 10. Tertiò asserunt, non peccare illum contra charitatem, qui ultimum finem in hâc vitâ constituit, volendo hic perpetuò manere. Ita enim Castro Palao *Tomo* 1. *tract.* 6. *v.* §. 1. *de charitate p.* 2. *n.* 6. Sanchez cum Bonacina, aliique affirmant peccare mortaliter, quia præfert Deo, ejusq; visioni & fruitioni delicias hujus seculi; at desiderare longam vitam affirmat vacare culpâ. Sed hoc dictum alii non universaliter approbant; Si enim ex eo, quod velis in hâc vitâ perpetuò durare, infertur, te delitias humanas divinæ fruitioni præferre, etiam cum longam vitam desideras, præfers pro illo tempore delitias humanas divinæ fruitioni. Ergò hoc etiam sufficit ut pecces; Quia summa perversitas est, pro uno & minimo instanti divinam fruitionem humanæ voluptati postponere. Quapropter cum vitam sine termino desideras, solùm videris desiderare, hâc vitâ non privari. Hoc autem per se malum non est, sed potius bonum. Ergò; quamvis autē mitior videatur hæc sententia, tamen adhuc inter rejiculas referēda.

IV.

De Adoratione Dei hæc prodit Tamburinus: Nunquam præceptum aliquod obligat, nisi sit determinatum, cum enim non possit, ut indeterminatum exire in executionem, non censetur esse practicè completum; ex quo socii religionis colligunt, quod etsi Deus millies ingeminaret: Dominum Deum tuum adorabis; quamdiu nullum determinatum tempus præstitueret, hominem equidem per se & ex naturâ rei liberum prorsus ab adorationis executione mansurum.

ſurum. Quapropter primo iſti Decalogi præcepto non parùm derogare videntur novelli levitatum patroni, ſignanter Tamburinus & Caramuel; quorum prior omnem vim per ſe ac directè obligandi adimit præcepto adorandi Deum ex naturæ dictamine; perinde ac præcepto credendi, ſperandi, diligendi, pœnitendi, orandi: quinimò negat ullum horum, aut conſimilium præceptorum affirmativorum ſine determinatione temporis ſancitorum, habere completam rationem præcepti: Nunquam, inquiens, præceptum aliquod obligat, niſi ſit determinatum: cùm enim non poſſit ut indeterminatum exire in executionem, non cenſetur practicè eſſe completum. Ex quo principio conſectariè elicitur, quod etiamſi Deus millies ingeminaret, Dominum Deum tuum adorabis, quamdiu nullum determinatum tèmpus executioni præſtitueret, homo equidem per ſe & ex naturâ rei liber prorſùs ab adorationis executione maneret. Inofficioſa proinde fuerit, ut concludunt religioſores, ex ipſis Pontificiorum Primatibus, illa Domini expoſtulatio cum veteri ſuo populo apud Malachiam: *Filius honorat patrem, & ſervus Dominum ſuum: ſi ergò pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Non urget hic Dominus determinationem præcepti quoad tempus exequendi, ſed nudè titulum Patris reſpectivè, ac Domini. Si Tamburinianæ ſententiæ patroni filios haberent aut ſervos, nullo unquam tempore reverentialem honorem aut timorem ſibi impendentes, ſub prætextu indeterminationis temporis ad id præſtandum: nonne juſtè ſuccenſerent, & identidem ingeminarent, Filii honorant patres, & ſervi Dominos ſuos: ſi ergò patres nos ſumus, ubi eſt honor noſter? & ſi Domini ſumus, ubi eſt timor noſter? Tamburinus illud ſaltem à ſe alibi ſcriptum replicaret: Obſtringitur filius ſigna benevolentiæ externa parentibus oſtendere. Unde verò iſta obſtrictio, niſi ex illo Decalogi præcepto, quo Parentes honorari jubentur? Et tamen iſtud præceptum non minùs eſt indeterminatum quoad tempus, quàm illud de quo agimus, Dominum Deum tuum adorabis. Quâ ergo ſermonis cohærentiâ alterum dicitur abſolutè obſtringere, alterum non obſtringere? An arctiori vinculo tenetur genitus venerari genitorem, quàm creatura creatorem, plaſma plaſmatorem, redemptus redemptorem? Nunquid Deo tam ſublimiter ac

supéreminenter competit titulus Patris, ut Apostolo teste, *Ex ipso omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominetur?* Nunquid in comparatione superexcellentissimæ istius paternitatis terrena omnis paternitas quasi nihilum reputatur, dicente ad suos Magistro irrefragabili, *Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim pater vester, qui in cœlis est?*

V.

Putant nonnulli non peccari contra primum præceptum, si quis palam coram Idolo exhibitis adorationis Symbolis clàm dirigat intentionem ad Deum, ut repræsentatum in Imagine penes se vel secus idolum latente, de quo hæc habemus ex Sinnichio Missionarii Apostolici ad Chinenses, qui dum contenderunt, externam hujusmodi adorationem cum prædicta cautione exercitam immunem esse ab omni labe Idololatriæ, adeoque non adversari præcepto de uno solo Deo vero adorando, Controversia fuit delata Romam, & Sacræ congregationi de propaganda fide proposita, & quæsitum septimum inter septendecim ita sese habuit: In omnibus illius Regni Chinensis scil. civitatibus & villis, templa cuidam Idolò, CHACIMCHOAN dicto, erecta ac dicata reperiuntur; quod fingunt Chinenses esse Protectorem, Regentem, & Custodem civitatis: stabilitâque regni lege ordinatur, ut omnes Gubernatores civitatum & villarum, quos Mandarinos vocant, quando Regiminis possessionem assumunt, & anni decursu bis in mense, sub pœnâ privationis ab officio, templa adeant præfata, ibique ante dicti Idoli altare prostrati genibus flexis, capiteque ad terram usque inclinato, Idolum illud adorent ac venerentur, eidem candelas, odoramenta, flores, carnes, vinumque in sacrificium offerant: & cum sui regiminis possessionem accipiunt, ante prædictum Idolum jurant de rectè administrando; & si contra fecerint, se submittunt supplicio ab Idolo infligendo: simulque ab illo petunt modum benè gubernandi, & alia hujusmodi. Quæritur, utrùm istius gentis fragilitates tolerari possint pro nunc, quando tales Gubernatores Christiani deferunt quandam crucem, quam occultè inter altaris Idoli flores, vel in manibus propriis reponunt; & facere, intentione non ad Idolum, sed ad crucem directâ, omnes illas genuflexiones, reverentias, & adorationes ante altare illud, exteriùs tantum & fictè; omnem

bant

cultum interiùs & in corde ad crucem dirigendo? quia si hujusmodi Gubernatores cogantur ad hoc non faciendum, priùs apostatabunt à fide, quàm relinquant officium Regiminis. Ecce Missionariorum disceptantium Quæsitum, ordine septimum inter septemdecim Sacræ Congregationi oblata, & per eandem, ut suprà decisa. Sequitur ibidem Congregationis decisoria Censura, quâ censuit, nullatenùs licere Christianis hujusmodi actus publicos reverentiæ & cultûs tribuere Idolo, prætextu vel intentione crucis, quam vel in altari inter flores abscondant. Quanquam negari non possit, obtinuisse ita in praxi.

VI.

Statuunt, stantibus conditionibus illis, quas D. Thomas requirit 2.q.83.a.15. scil. ut sit oratio necessaria seu utilis ad salutem, piam, perseverantem, & pro nobis, (aut pro aliis probabiliter) effusa, Deum ex justitia petita concedere. Quia Deus promiserit rectè petenti se concessurum postulatum: ergò de justitia. Nam justitia petit, ut unicuique jus suum servetur: sed quilibet petens rectè jus habet fundatum in divina promissione obtinendi quod postulat. Ergò; sic Medina *tr. de orat. q. 18. fine.*

VII.

Afferunt, non teneri nos oratione uti, cum primum rationis usus incipit, quia illa obligatio de conversione ad Deum in primo rationis usus instanti non sit adæquatè firma. Et si foret firma, eam posse absque oratione geri: Ita Valentia 2. 2. *dist. 6. quæst. 2. pun. 3.* Lessi. *l. 1. c. 37. dub. 3.* Suar. *l. 1. de Orat. c. 30. n. 18.*

VIII.

Docent Religionem, quâ Deus colitur, non distingui à Religione, quâ coluntur Sancti, quia charitas, quâ amatur Deus, & qua proximus propter Deum amatur, eadem sit: Ergò etiam fore eandem Religionem, quâ Deus, & Sancti propter ipsum vel oratione vel reverentia colantur. Sic Marsil. *3. q. 8. a. i. in fine.* probabile reputat Lessi. *l. 1. cap. 36. dub. num. 16.* Secundo posse nos animabus purgatorii nos commendare, & ad illas orationem fundere, quia probabilius sit, animas in purgatorio constitutas pro nobis orare, nostrasque orationes cognoscere. Ergò inutile non fore, nec otiosum, preces ad ipsas dirigere. Ita Palaus

tom. 2.

tom. 2. d. 1. punct. 4. n. 7. Bonac. alios referens *d. 1. de bor. canon. quæst. 1.* & alii. Tertiò animas purgatorii posse pro nobis orare, quia pœnæ, quam animæ in purgatorio existentes patiantur, impedire eas non possint ab oratione pro nobis instituenda: tùm quia æquo eam animo sustineant: tùm quia nos ferventi charitate prosequantur, nec desiderium, quod in hâc vitâ degentes nostræ habuerint salutis, sit illis imminutum; tùm quia videant, se hâc oratione summè Deo placere. Ita Bellar. Medi. Valent. Lessi. Suar. Palaus & alii.

IX.

Concluserunt quoq; circa Superstitionem *Primò*, posse Zachories, (qui dictitant se videre aquarum seu Metallorum venas, thesauros, & cadavera in terræ visceribus abdita, apostemata & alia humorum genera intra corpus latitantia, non impediente corpore nec vestitu) omnia illa naturaliter gerere, quia hujusmodi vis possit ex humore Melancholico & consurgentibus inde Spiritibus ex vehementia oriri. Sic Cœlius Rhodig. *l. 17. antiq. lect. c. 2.* Veracruz *l. 2. de fasci. c. 4.* *Secundò* posse sortes consultorias adhiberi, quia si debito modo fiant, nulla appareat in hisce sortibus malitia, sed potius religionis actus resplendeat. Ita Suar. Lessi. Bonac. Palaus & alii communiter. *Tertiò* citra superstitionem licere Sanctorum reliquias collo gestare, de quibus ita Escobar: Ut ligaturæ, quas Nominas vocitant, collo gestatæ, licitæ sint, ac à superstitione liberæ, oportet, nullam circumstantiam vanam adesse, v. gr. ut sic vel sint, scripta verba Sacra in eis contenta, vel in vase talis figuræ, vel talis materiæ, tribuendo vim formæ vel materiæ vel scripta in pergamenæ charta virginea, vel tali tempore vel oriente sole, vel alligata sint à tali persona, ut virgine: vel tali modo, ut tot filis, vel talibus. Item oportet, ut nulla adsit figura præter signum Crucis nullaque imago, præterquam Christi, aut sancti alicujus noti. Praetereà ut nulla barbara vel incognita Dei, vel Angelorum nomina scripta sint, nec aliud vanum vel mendax. Quod, si nulla talis vana circumstantia ex his addatur, licet omninò. Quin id esse pium, usus Ecclesiæ comprobat. Hoc enim non est per se malum, atque adeò non est jure naturali prohibitum, cum ex piâ affectione in Sanctorum honorem fiat, nec ullam indecentiam, aut malitiam

per

per se conjunctam habeat. Sanch. Armil. Rosel. Sylvest. Tabie. Navar. D. Antonin. Delrius. Suar. Vasq. Azor. Sayr. *Quartò* excusat usus scindentes venas jumentorum in alicujus Sancti solemni, aut colligentes herbas, aut alia similia gerentes, quia id ex devotione quadam simplicitateque procul dubio geruntur. (Cajet. 2. 2. *q. 96. art. 4.* & alii. *Quintò* permittendæ sunt fœminæ carminatrices, vulgò Ensalmadoras, Santiquadoras; Escobar: Existimo, scribit, hujusmodi fœminas superstitiosas non esse, si solis orationibus licitis absque vana aliqua circumstantia, utantur,: ut per passionem Christi Domini, &c. supplicantes, ut prosint medicamina naturalia, quas ægritudini applicant: Quia in hoc nil mali reperio, atque pium esse, eum effectum orationibus à Deo petere, judico. Quia cum possint verbis his ac rebus uti sine aliqua vana circumstantia, præsumendum est, eas sine superstitionis suspicione operari. Sic D. Antonin. Angel. Sylvest. Navar. Manu. Ludo. Lop. Cirvel. & alii. *Sextò* Missæ illæ, quæ de Amador, aut D. Gregorii vocitantur, non continent superstitionis suspicionem. Assolent celebrari Missæ, quæ de S. Amador appellant, cum certis ceremoniis, nempe, ut inchoari, ac terminari debeant certis destinatis diebus, & absque interpolatione, & certo candelarum numero. Assolent etiam dici Missæ triginta D. Gregorij, quæ quidem vocitantur vulgariter, *Del treintanario revelado.* Quæ (teste Cajetano 2. 2. *q. 96. a. 4.*) ortum habuere ex eo, quod D. Gregorius fecerit, triginta diebus pro defunctis orari. Non continent autē superstitionis vanitatem, quia ceremoniæ speciales illæ Missæ ceremoniis minimè admiscentur, nec ei addicuntur, sed piè extra exercentur. Ita Ildefonsus de Sanz. Episcopus Ijennensis in sua Synodo Anno 1511. *tit. 2. de vit. & honest. Cleric. c. 24.* *Septimo* non damnandum est ut superstitiosum Salutatorum munus, quia licet communiter non sint probatæ vitæ, gratia hæc gratis data potest impiis à Deo ad commune bonum impertiri. Et potest in eis hæc naturalis virtus inesse, sicut Psylliis scribunt Authores probati inesse vim naturalem contra serpentium virus, Ita Navar. *sum. cap. 1. num. 36.* Margarita Confess. *fol 185.* Castannege. *l. de superst. cap.* 2. Palaci. *sum. v. Incantationes*, Azor. *tom. 1. l. 9. c. 25. quæst.* 2. Et illa virtus est gratia gratis data, non vis naturalis. Quia vis

ſanandi naturalis non poteſt competere voci, aut viſioni, contactui, oſculo habituive alicujus hominis, quod latiſſimè ac diſertè probat Delrius. *l. 1. Diſq. Magic. c. 3. tota q. 4.* *Octavò*, Superſtitioſus non eſt uſus Imaginum, numerorum, & figurarum Aſtrologiæ artificialium ad quosdam miros effectus. Qualia ſunt Imagines, quas vocant Aſtrologicas & Characteres; ut annulus ſub tali conſtellatione confectus; vel imago in lapide impreſſa ſub tali ſigno, quæ ad ſanitatem, vel alios extraordinarios effectus applicantur. Quia poſſunt componi, & ita agnata valetudini comparandæ materia, ut naturales pariant effectus. Sic Cajetanus. 2. 2 *quæſt. 96. art. 2.* Pompanic. *l. 4. de Incantat.* Praxeos ſuperſtitioſæ Exempla in Papatu obvia exponit Tamburinus, ex quibus ſaltem aliqua adducere liceat: Icteritiam, quam Siculi zafaram vocant, aliqui ſanant quodam filo confecto à telarum textricibus, quem iidem Siculi Lizzum appellant, quo quidem filo ægri ſtaturam ejusdemque extenſa brachia ter metiuntur, mox filum complicant, vulgarique forfice ſuper caput, humeros, pectus infirmi complicatum idem filum ſecant, addentes interea quædam verba deprecatoria, nam ſecare ſic, & profligare morbum profitentur: ſanitatemque inducere, ſi id ſemel, bis, tertiò, continuis tribus diebus, faciant, certò putant: nonnulli cæremoniam illam dimenſionis omittunt, cætera quæ dicta ſunt expedientes. Imò non nemo ſolùm ſupra caput, non vero ſupra humeros pectuſque filum ſecat. Sunt & alii, qui eandem curant jubentes, ut Icteritiam patiens mingat in herbam marrubium, quæ in ipſo fundo vaſis urinarii, in quo mingunt, ſit impoſita. Morbo caduco quidam arreptus in via publica pene mortuus humi proſtratus cum jacuiſſet, acceſſit quidam ex plebe, me præſente, qui obmurmuravit quidpiam in ægri auriculam: quo murmure æger, quaſi expergefactus poſt paululum ſenſus recuperavit: Curioſus ego à ſene, forte aſtante familiari meo, interrogavi, num ſciret, quidnam ille in ægri aurem inſufflaverit: Reſpondit, ſe ſcire, fuiſſeque hæc ſola verba; O creatura Dei, memento Creatoris tui: Præſens amuletum, inquiens, contra mali Caduci affectionem: Simile quid uſurpant nonnulli, cum equi dolore inteſtinorum vexantur: quædam enim verba inſufflant in eorum ægrotantium aures, quibus eos ad ſanitatem revocare ſe jactant. Qui die feſto

Sanct

Sancti Stephani Protomartyris pane & aqua jejunat, & ritè confessus communicat, non moriturum ab alio læsum, etiamsi multis ictibus sit impetitus, nonnulli prædicant. Si fortè ad Convivium invitati sint tredecim, pro infelici omine habetur, nam sicuti in Cœna ultima Christi Domini ex tredecim unus Christus defunctus est; ita unus ex discumbentibus moriturus timetur: sanè cur non & duo, sicut duo id est Christus Dominus & Judas ex illa ultima Cœna defecerunt? Non nemo gladium, quo quis ab inimico vulnus accepit, quibusdam medicamentis fovet; & interim sanitatem recipit ille, qui vulnere affectus domi suæ distans jacet. Filum Cannabis quidem assumebat, quod puella virgo neverat, eoque submurmuratis quibusdam precibus utebatur ad sanandos infirmos. Filum cujuscunque materiæ, à quo pendeat aliquid graviusculum sive lapillus, sive annulus, sive aliud inter pollicem & indicem apprehendunt nonnulli, suspenduntque in medio interiori cujuscunque vasis, cyathi, amphoræ, etiam caldarii (sanè admirans vidi cum essem junior, nihil superstitionis inesse suspicans) nam sic suspensus à filo, pendensque lapillus, ex vi pulsus (ut quidam ajebat) qui est in Summitatibus digitorum pollicis & indicis, sensim se incipit movere in utrumque latus, motum augendo, donec alterum ex lateribus vasis tangat: totque ictus in illud impingit, quot horæ Italicæ sunt eo tempore quo id moliris; Quæsivi postea sæpius, an apud Hispanos, v.g. qui utuntur Astronomico de meridie ad mediam noctem, horæ Astronomicæ, ac Italicæ notentur, à prædicto filo, sed quæstioni nemo mihi unquam expertus, potuit respondere. Hactenus ille, qui plura addit. *Nono*, licet à Malefico solvere maleficiis maleficia parato, id petere, quia id non est ad malum inducere, sed uti malitia parati ad illud perpetrandum, cogente salutis obtinendæ necessitate. Aureol. *in 4. dist. 34. quæst.* 2 Angel. *v. superstitio num. 13.* *Decimo*, licitum est maleficum minis cogere, ut maleficificium solvat. Esto non liceat, à malefico petere, ut maleficium maleficio solvat, rogando illum: at licitum est, minis eum cogendo. Quia hujusmodi extorsio ab omni vacat cum Dæmone pacto, ac in ejus dedecus cedit. Sic Remig. *l. 3. Dæmon. cap. 3.* *Undecimo*, Quando Maleficus nescit medium licitum, & illicitum maleficii solvendi, integrum est, absolutè ab eo male-

ficii petere dissolutionem. Quia ferè omnes fatentur, licitum esse ex causa justa petere mutuum ab usurario, & juramentum ab infideli: quamvis petenti constet, fore, ut ille peccet exigendo usuras, & hic per Idola jurando. Nam tunc petit quisquam rem, quam alter licitè præstare potest, ac necessitatem petendi habet: & ideò non censetur ad malum inducere, nec moralem peccandi occasionem exhibere: & alter suá solá malitiá delinquit. Quæ quidem ratio omninò procedit eodem modo in nostro casu: cum similiter possit res illa à malefico licitè præstari, nec petatur modus illicitus atque urgeat necessitas salutis obtinendæ, ad eam maleficii petendam dissolutionem. Ita Suar. *citat. n. 9.* Lessi. *l. 2. c. 4. dub. 6. n. 46.* Sanch. *de matrim. d. 95. n. 11.* Petr. de Ledes. *de mat. q. 58. a. 2. dub. 2.* *Duodecimo*, Licet adjuratori præcipere Dæmoni superiori, ut inferiorem è corpore pellat, quia hoc est directè Dæmonem inferiorem superioris potentia divexare, licet consequenter obsessi hominis liberatio resultet. Sic Sylvest. *v. Adjuratio. q. 5.* *Decimotertio*, Ex curiositate aut levitate res vanas & inutiles dæmonem in energumeno existentem interrogare, lethale non est, sed veniale solummodo, quia quasi obiter fit, & quia nulla in hoc casu alia videtur inesse malitia, quàm actus otiositas. Sic. Cajet. Sylvest. Armil. Suar. Tabie. Navar. Pedraza. Medina. Valent. *Decimo quarto.* Superstitiosum non est, signum à Dæmone petere, quo testetur, se à corpore energumeni exire & nunquam esse rediturum. Quia in Sacerdotali Romano instruitur Exorcista, ut hoc signum petat: Ergò licitum est, imò oportet ejusmodi petere signum, nempè extinctionem luminis, vel vitri alicujus ruptionem vel quicquam aliud. Ita Thyrræus *de Dæmoniac. c. 46. num. 23. & c. 52. n. 4. c. 53. n. 4.* Delrius *l. 6. disq. Mag. c. 3. lit. B. & c. 2. quæst. 3. sect. 3. in 4. remedio.* Sanch. *l. 2. sum. & 42. n. 28.* *Decimo quinto*, Non est superstitiosum, flagellis, & alapis Dæmoniacum percutere. Quia Dæmon nimis confunditur, dum hæc, tanquam contemptus sui argumentum assumi intelligit. Et quia ad ipsius etiam Dæmonis ejectionem, hæc valere videntur: eo, quod dissolvuntur conditiones, quas ipse in humano corpore postulat, ac próinde aufugit, utpote, qui aptum sibi domicilium minimè invenit. Ita Thyrræus *de Dæmoniac. c. 46. n. 31.* *Decimosexto*, Non sapit superstitionem, fumo hypericon-

ricontis, rutæ, cornuum, stercorisque caprini Dæmoniacum ab Exorcista defatigari. Quia fumus ex illa speciali materia prodiens ab Exorcista assumitur, non quod specialem habeat, ad torquendum Dæmonem efficaciam; (nullam enim ad id munus fumus ex quaque materia procedens habet) sed quia fœdior cum sit, aptior apparet, ad superbissimi hostis contemptum & irrisionem. Ita Sanch. *l. 2. sum. c. 42. num. 30.* Abul. *ad 1. Reg. 16. quæst. 42.* Thyrræus *de dæmoniac. c. 52. n. 4.* Philiarc. *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. l. 3. c. 11.* *Decimoseptimo.* Licet Exorcistis connivere petitioni Dæmonis ab obsessi corpore egressuri, quando rem iniquam non postulet. Quia hujusmodi petitio non iniqua, nec contra Dei honorem, nec proximi incommodum potest præstari: Ut si petat, non relegari in tartarum, aut novis non affici tormentis. Id enim non est aliquid tanquam amico concedere, eive placere curare, sed ut facilius ab obsesso corpore egredi cogatur. Ita Thyrræus *de dæmoniac. c. ult. à num. 1. ad 8.* Sanch. *l. 2. sum. c. 42. num. 36.* *Decimo octavo*, Non est superstitio lethalis irrationales creaturas nocentes fructibus vanè adjurare. Quia est sola vanitas quædam, nec animus sic adjurantis est, ridiculos facere exorcismos, eosve contemnere. Ita Sylvest. Tabie. Margar. Confessor. Suar. Sanch. *Decimo nono*, Superstitiosum non est, irrationalibus animalculis litem excitare, ne, sententia lata adversus ea, fructibus noceant. Quidam adjuratores se Judices constituunt ad dirimendam litem inter irrationabilia animalcula, & plebem, cui nocent; instituuntque accusatorem & advocatum, & irrationalium procuratorem, & dant accusationis copiam, audiuntque procuratoris defensionem ac denique utriusque partis rationibus auditis sententiam proferunt. Lis hujusmodi nec vana est, nec superstitiosa. Quia si vana ac superstitiosa esset, ei Deus non annueret effectus fœlicis expressione. Constat enim experimento, quod oculati testes annotarunt, sæpè animalcula sententiæ obediisse, desiisseque nocumenta fructibus adjicere. Sic Castaneus & Anonym. *tract. de exorcis.*

X.

Vigesimo, Circa Tentationem. Non tentat Deum, qui miraculoso effectu vult, ut Deus suam voluntatem manifestet circa aliquem futurum eventum. Quia non fit hæc probatio de aliqua Dei perfe-

perfectione; sed de aliquo objecto suæ voluntatis, cujus dubitatio per se mala non est. Sic Valent. 2. 2. *d. 6. quæst. 1. punct. 1. Vigesimo primo*, Tentatio interpretativa aut virtualis Dei, absque infidelitate contingens, potest venialis esse culpa ex materiæ parvitate. Quia si ex sola curiositate videndi aliquod mirabile opus, à DEO quis peteret, ut illud comprobaret fidei veritate, non videretur mortaliter delinquere: nam talis petitio non videtur gravem habere deordinationem; Item si levi morbo oppressus nollet medicaminibus uti, sperando vanè salutem à Deo absque miraculi petitione, non censebitur mortaliter delinquere, sed venialiter solùm, ut docet Sanch. *l. 2. Sum. c. 34. num. 5.* Tolet. *l. 4. c. 19. num. 7.* Sayr. *in Clavi. l. 4. c. 7. num. 14* Valent. 2. 2. *d. 6. quæst. 14. punct.* 2. Lessius *l. 2, c. 45. num. 4. Vigesimo secundo*, Purgatio seu probatio illa innocentiæ, in qua dabatur Eucharistia suspectis de crimine, ut illâ sumptâ se immunes esse à crimine ostenderent, per se est licita. Quia nulla ibi Dei tentatio invenitur, cum non speretur ex sumptione Eucharistiæ effectus aliquis miraculosus. Ita nonnulli Doctores, quos presso nomine memorat Delrius *l. 4. c. 4. quæst. 3.* favet Suar. *citat. cap. 3. fine.* & Sanch. *ubi supr. num. 13. Vigesimo tertio*, Eligere possumus sorte sanctos quosdam, de quo vide Drexelium.

XI.

Num verò hæc menti Legislatoris conveniant, unicuique piæ menti expendendum relinquimus. Sanè si hæc admittantur, Pietas & omnis nervus Religionis laxabitur, nec conscientia serenabitur in illis, quæ sunt ad Deum, sed expungetur. Nam *primò*, quomodo potest excusari ignorantia Dei, cum Paulus apertè testetur τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ esse φανερὸν in gentibus. *Rom. 1. vers. 19?* cum non possit quis intueri creaturam, spectare hoc universum, quin ex ipso Deus resplendeat, laudato loco versiculo vigesimo? vide Durellium *in Theol. reflex*, cum tàm ignorari nequeat Deus, quàm prima principia theoretica & practica: Impossibile est idem simul esse & non esse: Totum est majus sua parte: Honestè vivendum: Nemo lædendus: Suum cuique tribuendum? Quomodo itaque invincibilis Ignorantia potest locum habere in aliquo, cui tot stricturæ discutiunt tenebras? *Secundò* etiam absurdum est dicere: discursu non innotescit existentia Dei, Ergò Deus invincibiliter ignoratur; nam &

ante-

antecedens est falsum, si simpliciter accipitur, de quocunque discursu ex ratione profecto, etiam citra artis regulas & contra Paulum *Rom. 1. vers. 20. Invisibilia Dei è Creatione mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & divinitas,* ad minimum de potentia. Et posito illo etiam, nondum tamen ignorantia invincibilis stabilitur propter congenitam & habitualem Dei notitiam, quæ citra discursum in nobis existit; quàm absurdum est, talem supinè ignorantem occidendo vel contra legem divinam agendo non peccare ad reatum usque æternæ damnationis, cum peccatum describatur à Johanne formaliter per ἀνομίαν, præscindendo à principii agentis qualitate & scientiâ? quàm absurdum, talem hominem meriturum pœnam temporalem, non æternam? annon peccatum dicit deordinationem à summo fine ultimo Bono? qui itaq; non merebitur peccatum, & quidem tàm grande & atrox, æternam damnationem? Annon omnes homines distinguuntur in salvandos & damnandos à Scripturâ? num medius Ordo erit confingendus inter hos, ignorantium scilicet, qui non damnandi nec salvandi? Annon disertè Paulus 2. *Thess. 1. v. 7. 8. 9. Si tamen justum est, apud Deum, retribuere retributionem his, quis vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum, in revelatione Domini Jesu de Cœlo, cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis, dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus?* Annon satis dilucidè Augustinus, de quo alibi. Tertiò ipsi socii abhorrent à tàm cruda sententia. Ita Gerson: Ita enim Adrianus postea Pontifex, Ignorantia Juris naturalis Dei. Ita Vasquez professus se sequi Antonium de Corduba lib. 2. q. 4. conclus. 1. Concedimus, inquiens, nunquam contingere ignorantiam invincibilem in primis principiis naturalibus, neque in præceptis Decalogi, quæ sunt propinquæ conclusiones, nisi ex culpâ aliquâ, ut explicatum est. Et ita nostra sententia confirmatur testimonio etiam S. Thomæ. Ubi alludit ad locum S. Thomæ §. 378. sub initio descriptum: cui addi possunt & alia ejusdem Sancti Doctoris testimonia §. 361. relata. Subdit porrò Vasquez ibidem mox: Dico, prima principia moralia, & præcepta Decalogi, adeò esse nota lumine naturali, ut si simpliciter, & sine circumstantiâ aliquâ peculiari occurrant, nunquam

quam ignorentur sine culpâ. Breviter & dilucidè Durandus, rationem assignans, cur minùs præcepta Decalogi excusabiliter ignorari queant, quàm articuli fidei: Non est simile, inquit, de præceptis, & de articulis: quia præcepta sunt de jure naturali, & nota in lumine naturali; & ideò nullus excusatur, si per ignorantiam faciat contra ea, cùm recta ratio naturalis dictet ea. Articuli autem sunt supra rationem, nec habentur nisi ex alterius revelatione seu doctrinâ; propter quod ignorantia eorum est in toto excusabilis, quoad illos, quibus non fuissent per aliquem modum expliciti, si per eos non stetisset. Fidei verò implicitæ bruta simplicitas supra fuit tacta, tanquam indigna homine Christiano, cui lucerna verbi in Ecclesia non prostat, ut, ad illam oculos claudat, sed aperiat & videat, cui non pulvillos ignaviæ substernit Deus, sed soporem excutit, & vult, ut per ἄδολον γάλα adolescat *1. Pet. 2.* & in notitia rerum divinarum quemadmodum in virtutibus proficiat, qui alphabetarios in Articulis taxat & reprehendit. *Ebr. 5.* Cum non constitutum ministerium Ecclesiasticum, ut Asinos pascat, sed homines doceat.

XII.

Secundò Polytheismi Opinio admissa contra rectam pugnat rationem & principia insita. Secundò, si non tantùm Deorum pluralitas poterit defendi & propugnari à prudentiâ humanâ non tantùm probabiliter, sed & probabilissimè credi, dari plures Deos, non succensendum erit gentibus, ad tot Deastros prolapsis, probabilissimè enim crediderunt; si itaque qui probabilem opinionem sequitur, excusabilis nec reprehendendus, quantò minus gentiles secuti probabilissimam? Frustranea itaque, vel nimium rigorosa, erunt omnia illa fulmina in Scriptura, districta in illos, qui multitudinem Deorum Unitati Numinis prætulerunt, quid quod ita non obscurè stabiliatur ipse Atheismus, cum multitudo Numinum, secundum Tertullianum, sit Nullitas Numinum? Si itaque multitudo probabilis, imò probabilissima etiam, Nullitas erit ejusdem conditionis. Tertiò, si Polytheismi Opinio tantâ gaudet probabilitate, utique & plures Dii poterunt coli religiosè latriâ, ut loquuntur Pontificii, ubi enim est Numen, ibi est σέβασμα quoddam venerabile, quomodo itaque subsistet primum præceptum: Ego sum Dominus Deus tuus, non habeas Deos alienos coram vel præter me? quomodo illud ex

lege

lege repetitum à Christo: Dominum Deum Tuum adorabis, & illi soli servies. *Matth. 4. v. 10.* *Tertiò* fiduciæ negatio est pietatis destructio, nam *primò* eo ipso quo Deus dicit: Ego sum Dominus Deus Tuus: fiduciam exigit, id enim alicui Deus est, in quo confidit. *Secundò* fides in Scripturis per fiduciam describitur. *Hebr. 11. v. 1.* ubi dicitur: *Est autem Fides sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium.* Denique fiducia tàm necessaria est homini, ut sine illâ non possit in tentationibus consistere, qui enim non adhæret Deo suo, qui petræ huic non innititur, qui non confidit Sapientiæ, Omnipotentiæ, & Benignitati Divinæ, quomodo subsistet, adversitate urgente? quomodo non tanquam folium exarescens aut stipula levis & derelicta in agro vento & turbine calamitatum abripiatur & succumbat?

XIII.

DeSpe quæ dicunt, illius naturam evertunt. Nam primò Spes est fructus Spiritus, quî itaque in substantiâ suâ non supernaturalis? Secundò non obligari ad actum spei, etiamsi desperationis tentatione quis urgeatur, est dicere, non teneri ad id, quod Deus imperat, militem non esse obligatum ad arma capienda hoste coram castris tumultuante, spicula Satanæ non esse reprimenda, sed recipienda, ut ille vincat & triumphet, homo verò vincatur & succumbat; Non sperare debere nos, si aliquid à Deo petamus, est Deum mendacii arguere. Tertiò sperare in Deo principaliter & in creatura minùs principaliter, est dividere cor suum, nec in solidum Deo inniti, ex creatura facere Deum, licet minus principalem.

XIV.

De Amore Dei naturali nos nihil novimus, quia affectus est spiritualis & regenitorum proprius secundum Scripturam *1. Joh. 1. v. 7.* ubi dicitur: *Si in luce ambulam, sicut & ipse in luce est, communionem habemus invicem.* Secundò, quomodo amor Dei naturalis potest esse in homine, cujus voluntas & affectus penitus sunt corrupti, cujus cor officina malarum cogitationum *Matth. 15.* cujus appetitus non est nisi in illa, quæ sensibilia, carni grata & amica? anne Arbor mala potest facere fructus bonos? contra effatum Christi *Matth. 7.* Tertiò ipsis Pontificiis candidioribus sordet hic Amor naturalis, ut docet Wendrokius *pag. 273.* Nihil verò quod mereatur

Discussionem reposuit Stubenrok contra Wendrok, ut videre est in notis ad notas *pag. 166. & seq.* Secundò impia est sententia illorum Moralistarum, qui audacter asserunt, non teneri hominem in rigore per totam suam vitam elicere unquam actum amoris Dei, num itaque præceptum primum: Ego sum Dominus Deus Tuus, non habebis alienos Deos præter me, vel coram me, sed tantùm me coles, me amabis, mihi adhærebis, non stringit? non obligat omnes & singulos per universam vitam? Sanè ut omissio Idololatriæ amoris & affectus in alium præter Deum singulis momentis strictè observanda, ita quoque amor oppositus soli Deo debitus nullum momentum vitæ nostræ transmittit, si præcepto huic satisfaciendum, si, ut fieri debet, Deo in Decalogo imperanti, & voluntatem suam manifestanti, parendum. Secundò, si maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in lege omni tempore. *Deut. 27.* sanè qui pro aliquo tempore non diligit Deum ex toto corde &c. maledictus erit, quomodo itaque per totam vitam suam non tenetur ad actum dilectionis, cujus omissio non foret maledictioni obnoxia, nisi observatio sit præcepti. Tertiò, quomodo potest esse maximum & præcipuum præceptum in lege mandatum de diligendo Deo, teste Christo. *Matth. 22* & tamen non obligare per universam vitam? num præcipuum præceptum non præcipuè, maximum non maximè, sed planè non obligat? Rectè Socius Religionis adversus laxos illos & dissolutos Moralistas: Nullo modo admittenda, aut in praxi sequenda, sed prorsùs ab auribus mentis & corporis repellenda est illa Tamburini positio, dicentis: Licet communis sententia doceat dari Præceptum speciale de amando Deo, in illis verbis, *Diliges Dominum Deum tuum*, & alibi: tamen non ignobiles Doctores docent hoc præceptum non esse speciale, & speciali tempore implendum; sed generale imbibitum in omnibus præceptis: sicuti secundum præceptum de dilectione proximi, non est speciale, sed in Decalogi præceptis contentum: nam propterea dicitur, *In his duobus præceptis*, id est, dilectionis Dei & proximi, *universa lex pendet & Prophetæ:* &, *Qui habet præcepta mea, & servat ea, ille est qui diligit me:* & *Plenitudo legis est dilectio.* Si enim qui servat præcepta diligit, quique diligit servat, jam unum ex his continetur in alio: & consequenter præceptum charitatis indirectè solùm

& ra-

& ratione alterius obligabit. In quibus verbis illud ſaltem rectè agnoſcit Author, *Communem ſententiam docere, dari præceptum ſpeciale de amando Deo, in illis verbis, Diliges Dominum Deum tuum, & alibi.* Sed illud certè omnibus ſanum ſapientibus jure merito diſplicet, quòd ipſe ab eâ ſententiâ, quam communem rectè agnoſcit, in contrariam deflexerit, nullâ ratione vel authoritate ullius momenti ſuffultus. Obtendit quidem pro ſe authoritatem non ignobilium Doctorum, ſed in genere duntaxat, nemine nominatim expreſſo: ex quo conjicere licet, vel nullos ei occurriſſe, vel non niſi tales quos nominare ſuppuduerit. Suo ergo ſilentio ſatis prodit quàm ſit deſtitutus ſuffragiis non ignobilium Doctorum. Refert quidem Dominicus Sotus quandam ſententiam aſſerentem, præceptum dilectionis Dei obligare duntaxat pro articulo mortis: ſed cùm eam cenſeret ut ridiculam, proculdubiò ſi Tamburini ſententia ei oblata fuiſſet, eam plusquam ridiculam dixiſſet: Si dixerit, ait ille, ſatis eſſe ſemel in vitâ, idque in articulo mortis, implere: profectò longè à naturâ præcepti aberras. Cùm enim præceptum hoc cæterorum omnium ſit præambulum, &, ut ait Paulus, *finis*, nam *finis præcepti eſt charitas*, Ridiculum eſſet dicere, quòd liceat tranſigere totam vitam antequam nos obliget. Pluſquam ridicula ergo huic Theologo eſt ſententia Tamburini, quæ ne quidem pro articulo vitæ extremo obligationem ejusdem præcepti agnoſcit; niſi fortè per accidens, quia nimirum tunc quis eſt in ſtatu peccati mortalis, & caret opportunitate ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, quod cum ſolâ attritione juſtificet. Sed nec minùs ridiculæ ſunt rationes, quas in probationem ſuæ poſitionis Tamburinus adducit. Nam præceptum dilectionis proximi non eſſe ſpeciale, falſum eſt: prout evincit authoritas Chriſti dicentis, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem;* & Joannis Apoſtoli ſcribentis: *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Deinde etiamſi verum foret non dari ſpeciale præceptum diligendi proximum, ridicula tamen non eſt conſequentia quâ inde infertur non dari ſpeciale præceptum diligendi Deum. Neque enim proximus ſortitur rationem ſummi boni ſeu finis ultimi humanæ vitæ, ſicut Deus: atque adeò longè potiori jure obſtringimur diligere Deum, quàm proximum: Bonum enim noſtrum, inquit Auguſtinus, de cujus fine inter Philoſo-

losophos magna contentio est, nullum est aliud, quàm illi cohærere, cujus unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur fœcundaturque virtutibus. Hoc enim bonum diligere in toto corde, in totâ animâ, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere: sic complentur *duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet & Prophetæ: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ: & diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quò referret omnia quæ ageret, ut beatus esset: non enim qui se diligit, aliud esse vult, quàm beatus. Hic autem finis est, adhærere Deo. Jam igitur scienti diligere seipsum, quid aliud mandatur, cùm mandatur de proximo diligendo sicut seipsum, nisi ut ei quantùm potest commendet diligendum Deum? Non est ergo par, sed longè dispar obligatio diligendi Deum, ac diligendi proximum: Deus enim est finis ultimus, & quidem unicus, totius vitæ humanæ, propter quem primariò ac per se dilectum diligenda sunt reliqua, quæcunque diligenda sunt. Quapropter si unica sola creatura rationalis aut intellectualis in rerum natura existeret, dilectionem Deo impendere deberet: non autem proximo, cùm utique nullum haberet: Quisquis ergò rectè proximum diligit, hoc cum eo agere debet, ut etiam ipse toto corde, totâ animâ, totâ mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui & ipsius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur. Ab hoc debito persolvendo longè profectò abest Tamburinus, cum suis non ignobilibus Doctoribus, quos nominare vel non potuit, vel puduit: qui proximos suos docent, non teneri eos totâ vitâ diligere Deum, nisi fortè indirectè, & ratione alterius. Nec eos juvat, quod Christus dixerit: *In duobus præceptis universam legem pendêre & Prophetas.* Non enim ideò hoc ille dixit, quòd duo illa præcepta nullam specialem obligationem importent distinctam ab obligatione cæterorum præceptorum: sed quòd eorum observatio pariat observationem cæterorum præceptorum. Quis enim dicat non distingui à fructibus arborem, eò quòd fructus pendeant in arbore vel ex arbore? Dilectio Dei & proximi est illa arbor bona, quæ, causando observantiam præceptorum Decalogi,

calogi, facit fructus bonos: Lex igitur, inquit idem Augustinus, adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, diffundit Spiritus charitatem, implet charitas legem. Ideò lex vocatur *Pædagogus*, sub cujus minacissimâ severitate, *qui invocaverit nomen Domini salvus erit: quomodò autem invocabunt, in quem non crediderunt?* Proinde ne littera sine Spiritu occidat, Spiritus vivificans credentibus & invocantibus datur: *Charitas* verò *Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;* ut fiat quod idem Apostolus dicit: *Plenitudo legis est charitas.* Nimis igitur impertinenter finalia ista Apostoli verba in suæ positionis probationem adduxit Tamburinus; quippe quæ non aliud important, quàm quòd charitas seu dilectio impleat sive impleri faciat omnia legis præcepta. Cui sensui planè congruit illa Christi sententia, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Cui sententiæ mox subditur & ista velut è contrario, *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Ex quibus sententiis apparet, quàm impertinenter pro se alleget Tamburinus illa Christi verba ibidē præmissa, *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me.* Genuinus quippe sensus est, signum unde colligatur inesse cuipiam mei dilectio, est mandatorum meorum observatio: quia nimirum fructus observationis subindicat arborem dilectionis: Audistis, ait Papa Gregorius, quid veritas dicit, *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Tertiò quàm crudum, quàm à pietate alienum est illud assertum de veniali, siquis nullum finem in hâc vitâ constituat? sanè talis homo non est dignus nomine hominis, sed porci & pecoris, quod natura finxit pronum & ventri obediens, ita scilicet mortaliter non peccant illi, qui dicunt ex *Sap. 2. v. 1. & seq.* Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est, qui agnitus sit reversus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus, quoniam fumus afflatus est in naribus nostris &c. Secundò, qui nullum finem in hâc vitâ constituit, vitam sine termino desiderat, & ita videtur solùm desiderare hâc vitâ non privari, ille contra expressam voluntatem divinam desiderat & constituit, aliud Deus quippe intimat dicendo: Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & cætera omnia adjicientur vobis. *Matth. 6. v. 33.* Aliud Paulus: Si consurrexi-

stis cum Christo quæ sursum sunt, quærite ubi Christus est, in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *Col.* 3. *v.* 1, 2. πολίτευμα nostrum in cœlis. *Phil.* 3. Aliud Petrus: Expectamus novum cœlum & novam terram secundum promissa ipsius, in quibus justitia habitat. 2. *Ep. c.* 3. *v.* 13. Et annon in Scripturis describimur ut viatores *Matth.* 7. peregrini 1. *Pet.* 2. extorres, qui non habent civitatem manentem, sed futuram quærunt. *Eb.* 13. Nec desiderat talis tantùm hâc vitâ non privari, quod tamen per se etiam peccaminosum, sed carere etiam vult alterâ eo ipso, & beatitudinem vilipendit, præfert hanc vitam alteri, neque hoc bonum per se, sed malum Christiano homine indignum. *Tertiò* motivum illud, cur quis desiderare possit hâc vitâ non privari, est illa incertitudo de salute in papatu, quæ utiq; mortem facit terribilium omnium terribilissimum, sed quæ nullo argumento doceri potest, fundamentum petit Christianismi, omnia solatia subducit, & desperationi præparat, quam aliàs Theologi nostri exploserunt.

XV.

Insulsam sententiam de Adorationis debito completè non præcepto discussit socius Religionis *pag.* 407. Adorationem coram Idolo censura congregationis Sacræ Romæ non potuit sustinere, sed satis severè prohibuit illam. Secundo quomodo Deus etiam positis hisce conditionibus ex justitia petita concedit, qui nihil debet præterea. Annon stantibus hisce conditionibus exigere posset orator & dicere: Domine redde quod debes. Tertiò ipsi Pontificii in contrarium concludunt hoc modo: Concurrentibus his quatuor conditionibus non concedit Deus ex justitia, petita, sed ex fidelitate. Quia petitio est solùm conditio, ut promissio habeat effectum, &, ut talis expostulatur, ut opus recompensandum postulati concessione; ad obligationem autem justitiæ necessarium erat, ut Deus postulata concederet in recompensationem petitionis, sicuti concedit gloriam in meritorum recompensationem. Ita Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 2. *pun.* 4. Suar. *l.* 1. *de orat. c.* 27. *n.* 4. Palaus *p.* 2. *d.* 2. *pun.* 7. *num.* 20. Tertio qui dici poterit etiam usu rationis incipiente nos non teneri ad usum orationis, cum primum id esse debeat creaturæ rationalis, & ad illum se convertere oratione, à quo vitam, motum & omnia habet. Prætereà ita non obligarentur infantes ad usum orationis, nec à teneris essent pietati ex præ-

præcepto admovendi. Denique qui non obligati censendi sint ad usum orationis, qui tamen eum in finem tanquam regeniti acceperunt Spiritum Sanctum?

XVI.

Qui putant Religionem qua Deus colitur, non distingui à Religione, qua coluntur Sancti, & latriam assignant sanctis, Nostros à calumnia liberant, qui Pontificiis objiciunt, Cultum multorum Numinum comparem gentilium Idololatriæ!, & à suis deseruntur Thomâ 2 2. q. 81. art. 4. *Quæst.* 103. *Art.* 3. Durando, Richardo, Gabriele, Bonacina, nec non Palao. *tomo* 2. *d.* 1. *n.* 6. Qui tenent, posse nos animabus purgatorii nos commendare & orationes ad illas fundere, primo præcepto contraveniunt, Utin Homericum & Non Ens objectum adorabile faciunt, cum nullum sit purgatorium, nec animæ in illo, & à suis ridentur Suarezio, Azorio, Valentiâ. Qui statuunt animas in purgatorio posse pro nobis orare, non autem posse loqui, & intercedere apud Deum, statuunt illos, qui ex propria sententiâ sunt in statu satisfaciendi, non impetrandi, & potius aliorum ope precibus & auxilio indigent ut liberentur, posse opitulari, impetrare, statuunt, quod socii improbant Thomas Alensis, Navarrus & alii.

XVII.

Superstitioni dum patrocinantur Pontificii, ostendunt cujus Spiritus filii sint, albi scilicet, an atri. Nam *primò* Zahories posse absque arte Dæmonis videre aquarum seu metallorum venas, thesauros, cadavera recondita, apostemata abdita & cætera, est dicere, posse tales videre & assequi, quæ fines naturæ transcendunt, quomodo enim potest visus acies corpora, tàm densa tàm opaca naturaliter penetrare? *Secundò* visio regulariter & naturaliter non fit nisi objecto posito in debita distantia, medio diaphano, organo rectè se habente, ubi verò hic præsentia objecti in terræ visceribus delitescentis? ubi medium diaphanes? ubi oculus tantæ virtutis? *Tertiò* ipsi Socii manifestam agnoscunt hic Dæmonis operationem. Sanchez, Delrius, Castro Palaus. *tom.* 3. *tract.* 17. *dist.* 1. *punct.* 4. *n.* 9. *Secundò* de sortibus quod asseritur consultatoriis, à vero abludit; fixum enim illud: Dominum Deum Tuum non tentabis. *Matth.* 4. Ipse Pontifex Leo IV. relatus in Jus canonicum ita decernit: Sortes, quibus

quibus cuncta vos vestris discriminatis provinciis, quas Patres damnaverunt, nihil aliud, quàm divinationes, & maleficia esse decernimus. Quamobrem volumus, illos omninò damnari, & inter Christianos ultra nolumus nominari: & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus. Alii quoque Pontificii illas improbant: videatur Thomas, Sanchiez *l. 2. in Decal. c. 28. num. 85.* *Tertiò* reliquias Sanctorum collo gestare est contra scripturam, quæ omnia istiusmodi Amuleta proscribit, Sanctorum corpora vult terræ mandari, de reliquiarum usu nihil præscribit, contra Pontificiorum hypotheses prohibentes, ne reliquiæ de loco in locum transferantur absque Episcopi facultate, contra concilium Braccarense & Pontificios doctores. Illud enim reprehendit Episcopos, qui in martyrum solennitatibus ad Ecclesiam progressuri reliquias collo suspensas gestabant: Hi verò reclamant cum Angelo & Cirvelo in superstitione. *part. 3. c. 4.* *Quartò* quis negabit superstitiosum esse, si sanum illi sit sinciput, venas jumentorum in alicujus Sancti solennitate scindere, aut herbas colligere, aut consimilia facere. Num enim ille dies festus habet aliquid virtutis ad has actiones, num confert aliquid ad istiusmodi negotia festi illa Solennitas? præterea annon illæ ipsæ solennitates & festa Sanctorum sunt contra voluntatem divinam, ut quidem in papatu celebrantur? annon temerat cultum soli Deo debitum, vi primi præcepti. Denique annon ab ipsis Pontificiis agnoscitur superstitiosum cum lege ordinaria non sit solitus Deus hujusmodi conditiones, in quibus aliquid vanæ observantiæ apparet Divis inspirare, ut ipsi loquuntur, & proinde temerarium sit, quod sibi hujusmodi persuadere videntur. Martinus Delrio *lib. 3. disq. part. 12. quæst. 4. sect. 2.* *Quinto* Impium est, permittere fœminas carminatrices, cum illarum orationes sint abusus meri precum, cum adhibeant signa, & vanis circumstantiis vestiant suas curas, quæ nullam habent proportionem ad effectum, nullumnaturalem nexum cum illo. Cum denique sint viles & profligatæ vitæ ac judicio Victoriæ sine dubio Dæmones illis operationibus assistant, illorumque actiones & orationes improbent Sanchez & alii. *Sexto* Missas simpliciter improbamus, multò magis illas, quæ de Amador aut divi Gregorii vocantur, maximè si considerentur ceremoniæ. Unde etiam

etiam reprobantur à Concilio Tridentino & Pontificiis tanquam superstitiosæ. Quia Tridentinum Sess. 12, in decreto de observandis ac vitandis in Missæ celebratione, ait: Quarundam Missarum, & Candelabrorum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quàm à verè religioso inventus est, omninò ab Ecclesiâ Episcopi removeant. Ita Cirvel. Alcocer. D. Christophorus de Rojas Præsul Oveten: in suâ Synodo. Didacus Ramir. Episc. Conchens. in suâ Synodo. D. Didacus de Alaba. Episc. Abul. D. Martinus de Ajola. Santius, & alii communiter. *Septimò* Salivatores illi sunt Impii homines, ut ipsi Pontificii agnoscunt, neque docere possunt, se charisma quoddam extraordinarium accepisse, dispallescentibus istiusmodi Luminibus donorum cum Ecclesia primitiva. Secundo saliva illorum non habet vim naturalem nec supernaturalem ad medendum; Non naturalem: quippe medicina naturalis non omnibus eadem prodest, at horum saliva omnibus prodest. Non supernaturalem, quia sæpè sunt hi homines flagitiosi & Baccho addicti: & quamvis hoc non concludat, non tamen mediocre indicium est. Sic Cirvel. *de superst. part.* 3. *c.* 7. Victor. *de arte magi. quæst.* 4. *num.* 17. Tertiò ab ipsis Pontificiis superstitionis rei aguntur, qui hoc genere hominum utuntur & suspectos reddunt, quales sunt Cirvellus, Victoria, Verracruz, Suarez, & alii. *Octavo* superstitionem utique sapit applicatio Imaginum ad effectus quosdam: mera quippe signa sunt illæ Imagines Astrologicæ, & proinde nullius virtutis vel efficaciæ. Præterea fingitur influxus Cœli peculiaris in istiusmodi annulos & alia subjecta talium imaginum, sub hâc vel illa constellatione, & tandem ab ipsis Pontificiis exploditur, Thoma, Delrio, Lessio, Tabiena, Sinanca, & cæteris. *Nono*, A malefico ad solvenda maleficia parato solutionem petere, est à Diabolo petere aliquod Bonum, qui totus malus, & hostis generis humani, derelicto Patre Luminum, à quo omne Bonum *Jacobi* 2. Est cultum deferre Spiritui tenebrarum, & precum Sacrificio eidem sese submittere; est ire ad Baalem-Sebub, Deum Accaronitarum, & Deum in cœlis ad iram provocare: unde etiam ipsi Pontificii hic subsistunt, & damnant istiusmodi petitiones, quia id solummodo licet à parato petere, quod ipse licitè potest præstare, quia id non est ad malum inducere, sed uti mali-

malitiâ parati ad illud perpetrandum, cogente salutis obtinendæ necessitate. Sic Aureol. *in 4. dist. 34. quæst. 2.* Angelus *v. superstitio, num. 13.* *Decimo*, cogere minis Maleficum, ut maleficium solvat, est, cogere illum, ut artes Diabolicas exerceat. Secundo ex sententiâ ipsorum Pontificiorum gravius hoc est crimen, quam si à Malefico postularetur: siquidem ad peccandum gravius inducitur, & illius est causa. Quare nullâ ratione possunt à gravi culpâ liberari Judices, cogentes Maleficum benedictione quadam maleficium aufferre. Sic Lessi *l. 2. c. 44. dub. 6. num. 44.* & Delrius *l. 5. disq. Mag. Sect. 9. dub. 3.* Unde etiam tertiò ipsi Pontificii plures ab hâc sententiâ recedunt: Sanchez, Delrio, Palaus, Suarez & alii. *Undecimo*, Integrum non esse, quando maleficus nescit modum licitum & illicitum maleficii solvendi, petere ab eo maleficii dissolutionem, ex superioribus constat; præterea ex eo, quia Malefici ut sic opus petitur; denique ex ipso Pontificiorum quorundam dissensu, inter quos Cajetanus & Delrius, quia malefici ut sic opus petatur, petitâ absolutè eâ maleficii dissolutione: sicut cùm aliquid ab alio artifice postuletur. Et quia peculiare opus sit necesse petere, & non vagè linquendo arbitrio hominis diaboli petitionem propriam. Cajetanus, *Opusc. tom. 2. tract. 12. de malef. quæst. unic. in fine corp.* Delrius *l. 6. disq. Magic. c. 2. sect. 1. quæst. 2.* *Duodecimo*, non licet Adjuratori præcipere Dæmoni superiori, ut inferiorem è corpore pellat; nam quid hoc aliud est, quàm sibi jus arrogare in Diabolos, beneficium petere ab hoste humani generis, supponere superiorem Diabolum habere potestatem in inferiorem, ut illum expellere possit? quid illa adjuratio, nisi abusus Nominis Divini? quid illa petitio à superiore Diabolo, quam cultus cujusdam exhibitio, unde etiam sordet ipsis Pontificiis quibusdam Soto, Suarezio, Delrio, Sanchezio. *Decimo tertio*, ex curiositate qui interrogat, vel levitate res vanas & inutiles Dæmonem in Energumeno existentem, is peccat mortaliter ex objecto, quod res vanæ & inutiles, quas scire non interest, nec scire aliquis debet, mortaliter ex respondentis electione, quia Diabolum sibi constituit Doctorem, & discere vult ab illo, qui est Pater mendacii *Job. 8.* Sed hoc etiam Jesuita non attendit Cottonus, qui Diabolo istiusmodi quæstiones proposuit, de quo videndus Thuanus. Adstipulantur nobis, qui mortale

tale hic agnoſcunt peccatum contra alios Sanchez Sotus & alii. *Decimo quartò*, ſuperſtitioſum utique flagellis & alapis Dæmoniacum percutere; nam quomodo poteſt Diabolus percuti, qui Spiritus? quomodo cædi, cui verbera ſunt fulgura ex pelvi, qui ſub Leviathanis nomine deſcribitur, ut non attendens ad ferrum & lanceas *Job. 41.* Denique quis non impoſturam Diaboli animadvertit? qui fingit ſe dolore affici & affligi, ut decipiat fatuos, & corpus Energumeni, quod miſericordiâ dignum torqueatur, cædatur, dolore afficiatur, adeoque gemino malo miſer homo ſubjiciatur, unde etiam hæc ſententia diſplicuit Simancæ, Delrio, & aliis. *Decimo ſexto*, Sapit ſuperſtitionem, fumo hypericonis, rutæ, cornuum, ſtercoris caprini defatigari Dæmoniacum ab Exorciſta; nam *primò* quis Exorciſtam conſtituit? quis illi facultatem dedit Dæmonem ejiciendi, fatigandi, pellendi? *Secundo* quis hæc media præſcripſit? Num hìc Lucerna verbi allucet? Num quicquam in Bibliis de iſtiusmodi remediis occurrit? *Tertiò*, quæ hìc proportio cauſæ vel medii ad effectum. Eligere enim hæc media, fumum ſcilicet ex hiſce ſpeciebus, nihil aliud eſt, quàm aſyſtata componere, & tribuere aliquid fumo, quod ſupra illius vim & efficaciam, num enim Diabolus fatigari poteſt? num hiſce mediis? agnoſcentibus ipſis quibusdam Pontificiis, Simanca, Delrio, Cirvelo; *Decimo ſeptimo*, Quomodo liceat Exorciſtis connivere Dæmonis petitioni, ab obſeſſi corpore egreſſuri, non videmus; Num enim licet Diabolo gratificari, beneficium indulgere, facere quod ille vult? Præterea totus talis actus eſt ludicrus: quis enim Exorciſtæ dedit hanc poteſtatem, ut Diabolo poſſit faventer facere & diſponere, in hoc actu juxta proprii cerebri phantaſma? Tertio, quamvis Chriſtus permiſerit Diabolo tranſire ex obſeſſo in porcos, tamen hic actus fuit ſummæ poteſtatis Creatoris in creaturas extraordinarius, illi ſoli proprius, à quo ad Exorciſtas nulla decurrit conſequentia, adſtipulantur nobis Sylveſter, Tabiena, Navarrus, Valentia. *Decimo octavo*, Extremè ſuperſtitioſum eſt, creaturas nocentes fructibus vanè adjurare, tùm ex parte objecti, quod creaturæ irrationales, locuſtæ, mures Nubes, pelliculus vulgò pulgos, quæ non percipiunt, quid dicatur; tùm ex parte actus, quia eſt teter Nominis divini abuſus, nec ex Pontificiorum ſententia res levis ſed gravis eſt, ridiculos facere

exorcismos Ecclesiæ, tùm ex parte finis, quia Diabolus cessat ad adjurationes illas creaturarum, non nocendo ulterius per illas corporaliter, ut animam vastet; & quid, quæso, vanè adjurare, quàm impiè, quapropter etiam quidam ex Pontificiis ab illis adjurationibus abhorrent, Angelus, Navarrus, Tabiena. *Decimo nono*, Maximè superstitiosum esse censemus, irrationalibus animalculis litem excitare, ne sententiâ latâ adversus ea fructibus noceant. Nam talia animalia sunt litis & sententiæ incapacia, sique terminativè lis moveatur Diabolo, non convenit illum vel accusare vel defendere, nec actus hic alius, quàm merum ludibrium; nec denique si ad talem sententiam cessarunt, profectum est vi sententiæ, sed operationis Diabolicæ, in illusionem hominum, pro nobis stant contra socios Sotus, Navarrus, Cirvelus, Delrius, Sanchez & alii.

XVIII.

De Tentatione Dei quæ asseruntur, probare se nobis nequeunt. Non 1. illa assertio, quod Deum non tentet, qui miraculoso effectu vult, ut Deus suam voluntatem manifestet circa aliquem futurum Eventum. Nam quid est tentare Deum, quam explorare circa Eventum futurum voluntatem illius interventione medii extraordinarii? Secundò, num non inter homines alter alterum tentare dicitur, qui Affectum illius explorare intendit medio indebito? Tertiò, quid Diabolus magis fecit tentando Christum, quam præscribendo medium dimissionis ex alto; cui respondit Salvator, ordinariam providentiam opponendo & dicendo: *Dominum Deum tuum non tentabis Matth. 4.* Conspirant hic contra Assertores illos Cajetanus, Suarez, Castro Palaus & alii. Non 2. illa, quod Tentatio Dei interpretativa aut virtualis absque infidelitate contingens, possit esse venialis culpa ex parte materiæ; nam *primò* nulla tentatio Dei est, quæ non sit cum infidelitate conjuncta, fide enim præsente non id, quod supra revelationem vel promissionem divinam, expetitur. *Secundò*, quomodo non mortalis sit illa Tentatio Dei, cum omne peccatum ex suâ naturâ mortale sit, & hic peculiaris malitia deprehendatur. *Tertiò* ipsi Pontificii concludunt, mortalem esse ex eo, quia tota malitia hujus tentationis æquanimiter procedit in signo levì expostulato in levis periculi liberationem, ac procedit in signo gravi pro

vi pro gravis periculi liberatione expoſtulatio: Sed cum grave ſignum pro liberatione gravis periculi indebitè expoſtulatur, omnes docent, peccatum mortale committi: Ergò etiam committitur, cum leve ſignum pro levi periculo expoſtulatur. Majorem probant: Quia malitia hujus vitii in eo ſita eſt, ut opus quis faciat, quod ad nihil aliud eſt utile, niſi ad probandam Dei bonitatem & poteſtatem: ſed ad probationem impertinens eſt eſſe opus grave vel leve; magnum vel minimum: quodcunque enim illud ſit, ſi ex illo, quis interpretatur, divinam potentiam examinare, tota malitia & deordinatio tentationis in illo conſiſtit. Ita Suarez *tom. 1. de relig. tract. 3. l. 1. cap. 2. num. 16.* Sanch. *l. 2. ſum. cap. 34. n. 1.* Palaus *tom. 3. tract. 17. dub. 2. punct. 1. num. 9.* Non deniq; 3. illa aſſertio, quod probatio Innocentiæ, in quâ datur Euchariſtia ſuſpectis de crimine ſumpta, ut ſe immunes eſſe à crimine oſtenderent, per ſe licita eſt: Nam *primò* hæc probatio eſt manifeſta Numinis tentatio, dirigitur ad aliquid extraordinarium, medium aſſumit à Deo in hunc finem non inſtitutum; *Secundò* rectè improbatur à Balduino *caſ. conſc. l. 4. cap. 9. c. 3.* & aliis denique ipſi Pontificii hîc ſe opponunt, Thomas, Sayrus, Valentia & alii. huc refer purgationem per ferrum candens, ovellum, aquam, oleum ſervans, probationem laminarum &c.

XIX.

Sortitio Sanctorum ad invocationem & imitationem impia eſt, ex cultu qui defertur Sanctis, ex modo, qui fit per ſortitionem, ex vigore præcepti primi, unde etiam prohibetur in Jure Canonico. Teſte Arnoldo *pag. 274. 275.* qui ita ſcribit: Sortilegi propriè dicuntur, qui ſub nomine fictæ religionis, per quasdam, quas Sanctorum ſeu Apoſtolorum vocant, ſortes divinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcunque Scripturarum inſpectione futura promittunt.

Errores Calvinianorum.

Th. I.

CAlviniani impingunt contra primum hoc præceptum, *primò* Deum alium conſtituendo, quàm qui in verbo revelato renidet, talem ſcilicet, qui abſolutâ voluntate quosdam, eosque paucos

elegerit, quosdam verò, imò maximam partem hominũ citra intuitum infidelitatis vel peccati reprobarit, & exitio æterno devoverit, ut nihil dicam ratione essentiæ de errore Piscatoris, qui Spiritum statuit genus Dei in definitione Dei, quod de Deo & Angelis & animabus συνωνύμως sive univocè prædicetur *vol. 1. Disp. 2. th. 3.* Bezæ, qui essentiam divinam cœlo includit, atque concedit quidem gloriam Patris fuisse & esse ubique, sed ejus tamen, qui cœlum & terram implet veluti thronum & sedem in cœlis illis excelsissimis totam Scripturam collocare asserit, & Christum ex illis missum & resumptum *vol. 1. v. 239.* Bucani, qui unitatem vellicat, tres causas socias statuendo. *loco 29. q. 8.* Keckermanni ratione Trinitatis, qui tres personas vult distingui tantùm modaliter. Chamieri, qui Filium dicit figuratè dici λόγον & Imaginem. Adde Woltheri generationem Tropicam. Calvini Filium inferiorem dicentis Patri, cui Nomen Dei κατ' ἐξοχὴν interdum adscribatur. *lib. 1. Inst. c. 13. §. 23.* Crocii, Spiritum Sanctum Vicarium Patris profitentis. 3. Ratione attributorum Petri Martyris, qui dicit Deum omni sua vi non posse efficere, ut corpus humanum sit in pluribus locis, atque ita Omnipotentiam pulsat, in Dialogo contra Brentium. Calvini, qui statuit Deum vocem dirigere suam ad homines, ut magis obsurdescant, lucem accendere, ut reddantur cœciores, doctrinam proferre, sed quâ magis obstupescant, remedium adhibere, sed ut saucientur. *lib. 3. Inst. cap. 24. § 113.* atque ita veritatem solicitat; Piscatoris, qui dicit, Quicquid agit homo, id voluntati Dei conforme est, licet impium & sceleratum sit, atq; contra sanctitatem pugnet. *lib. de prædest. pag. 161.* Secundò. Imaginum picturæ aut structuræ insidiando. Primò enim nolunt ullas pingi Imagines Dei, de quo videndus Walæus *pag. 527.* Secundò Imagines in Templo erectas etiam Sanctorum nolunt sustinere, multò minus erigi Walæus *pag. 540.* Tertiò volunt effringi, dijici, aboleri, tùm publica authoritate, tum zelo privato. Polanus *Tit. 2. Syntag. lib. 10. cap. 65 pag. 44. 89.* Tertiò, Imaginem crucifixi detestando, nota est Bezæ vox, quam sequitur Walæus *pag. 531.* respondens ad quæstionem propositam: an fabricari liceat Imaginem Christi crucifixi?

Erro-

Errores Anabaptistarum.

Th. I.

ANabaptistæ hic errant, dicendo: Unicam tantùm esse Personam Patris, intellectam & agnitam fuisse in Veteri Testamento nomine unius veri Dei Israëlis: mysterium sacrosanctæ Trinitatis, minime revelatum, sed velatum fuisse in Veteri Testamento, Ut, religione primi præcepti illius, Ecclesia Vetus unum Deum Patrem cognoverit & coluerit, ut solum Verum Deum. Ut habet Summa Confessionis Faukelio oppositæ *Artic. 2. à pag. 43. ad 48.* cui prætexerunt hypothesin istam: quod in pluribus Scripturæ locis nomen Deus Patri præcipue & soli appropriatum sit, qui ea propter etiam nominetur solus verus Deus *Joh. 17. v. 3.* & Deus Domini nostri Jesu Christi *Eph. 1, v. 17.* Quem & Christus Dei Filius, ut Deum invocarit *Matth. 27. v. 45.* & Deum suum agnoverit *Johan. 20. v. 17.* Addunt etiam severius esse in N. T. prohibitam communicationem cum Idololatris. Templum Judaicum mansisse olim domum Dei, quamvis pollutum cultu Idololatrico; Nunc contra impossibile esse, ut in unâ Ecclesiâ habitent Christus & AntiChristus.

II.

Non opus esse existimamus singula excutere, partim quia alibi id præstitimus, partim quia ex dictis constare poterit, quid hic sentiendum, partim quia nimium excresceret præsens argumentum.

Errores Arminianorum.

Th. I.

TRansimus itaq; ad Arminianos. Nihil dicimus de Unitate essentiæ divinæ, quam vellicat Geisteranus scribens: In Deo, Essentia, & personæ unum sunt, & si tres personæ, etiam tres debere essentias esse. De Immutabilitate, quam impugnat Episcopius scribendo *Disp. de volunt. Th. 7.* Volitiones aliquæ Dei cessant certo quodam tempore *Thes. 21.* Ridiculum & ineptum est, dicere, nequire esse seriam, & veram voluntatem Dei, nisi effectum sortiatur. De Omni-

præ-

præsentiâ, quam Henricus Slatius tollit: Constat Dei manum, & potentiam ubique esse, quia Spiritu oris sui ubique est, non aliter quam Sol ubique terrarum est, non respectu Essentiæ, sed respectu virtutis, & potentiæ, atque hanc sententiam improbare minimè possum. Video enim perfectiones rerum terrestrium in eo consistere, quod potentiæ ipsarum latius sese extendant, quam ipsarum essentiæ, quam perfectionem eæ procul dubio à Deo habent, qui eas ad imaginem suam creavit. De justitiâ essentiali, quam Apologetæ disputant disputando: Num Scriptura doceat, Justitiam Dei absolutè, & simpliciter postulare, ut peccatum puniatur, ea pœna, quam secundum sui gravitatem est commeritum, sic ut non possit Deus illud condonare, nisi illata, vel peccatori ipsi, vel alteri alicui pœna condigna. Cum necessitas satisfactionis hujus, fundetur in voluntate ipsa divina, citra ullam mentionem, an Deus secundum naturæ necessitatẽ, id velle debeat nec ne: Item quæritur num necessario statuendum sit, & agnoscenda ejusmodi naturalis necessitas, & an non illa imminuat nonnihil de summa, ac liberrima Dei potestate, sapientia, & philanthropia. An in Deo talis sit Justitia, quæ necessitate naturali pœnam pro peccatis requirat, ita ut hac salva, Deus non possit non punire peccatum: Et an non potius tota hæc puniendi peccata necessitas, à Dei libera voluntate dependeat. De Trinitate, quæ impugnatur ab Henrico Wölffingio De Filii Divinitate, quam aggreditur Arminius, de generatione æterna Filii, quæ non placet Apologetis, de Adoratione Christi, quam fundant in authoritate & honore Apologetæ. De Spiritus Sancti Divinitate & Personalitate, de qua Henricus Wölffing & Geisler: in eo hic maximè errare censendi sunt, dum asserunt nusquam in lege divinâ apertè præcipi omnibus & singulis orationem ac ne statis quidem temporibus, solennibusque festis. Episcop. *lib. 3. Inst. sect. 2. p. 61.*

Errores Photinianorum.

Th. I.

IMpietas Photiianorum de Deo Uno & Trino in personis non colendo, sed illo, qui unus ut essentiâ, ita quoque personâ, hoc tantùm notamus, errare illos vel maximè hic, dum asserunt, huic præcepto esse additum non tantum generale mandatum de precibus

sun-

fundendis, sed & 2. additam esse formulam & modum orationis Dominicæ, præceptum de invocando Christo. 3. Denique severiorem prohibitionem Idololatriæ. Ita enim Catechismus Rackoviens: Quæst. Quid verò ad hæc addidit Dominus Jesus? Resp. Primum hoc, quod nobis certam orandi rationem præscripserit. Quæst. Quæ verò isthæc est? Resp. Ea quæ *Matth. 6. v. 9. & seq.* & *Luc. 11. v. 2. & seq.* habetur Pater noster, qui es in cœlis. Quæst. Quid præterea Dominus Jesus huic præcepto primo addidit? Resp. Id, quòd etiamnum Dominum Jesum pro Deo cognoscere tenemur, id est pro eo, qui in nos potestatem habet divinam, & cui nos divinum exhibere honorem obstricti sumus. Quæst. Eâ verò additione, quòd Christum pro Deo agnoscere & eum cultu divino prosequi teneamur, nonne hoc præceptum prorsus immutatur? Resp. Nequaquam ipsum præceptum immutatur, omnis enim qui Christo exhibetur cultus, in Dei Patris gloriam redundat, verùm ipsius ratio & modus nonnihil immutatus est. Etenim ante Christum immediatè tantùm, at sub Christo etiam mediatè Deus colitur. Præterea, cùm ea lex velit, ne Deos alienos habeamus coram Deo; Christus verò Deus alienus non sit, sed in eo ipso cultu, qui ipsi exhibetur, Deo sit subordinatus, apparet, legem nullo modo mutari, cùm subordinata non pugnare notissimum sit. Diffusius Smalcius, lius *lib. 4. de verâ Religione cap. 8. 9. 10.* Latissimè Johannes Volke- *11. 12.* qui *primò* explicat primum præceptum: ita considerandum est, quid sit habere Deum, & quid, habere Deos alienos &c. *Secundò*, quomodo lex & divini cultus ratio, an ita fuerit, exponit & duplicem modum assignat *p. 512.* *Tertiò* docet quomodo Deus per Christum colendus, sit, & quomodo ipse adorandus, & dupliciter hoc perficiendum esse, dicit *pag. 533. & seq.* *Quartò* de Christi invocatione agit. Tandem de cultu imaginum differit, atque ita pronunciat: spectat hoc præceptum, non minus quam primum, ad divini cultus rationem. *pag. 566. & seq.*

II.

Hic aliquantum subsistendum, &, quantum recedant à veritate hi hæretici, ostendendum. Nam primò ipsum præceptum non dextrè exponitur, dum asseritur Deos alienos habere, nihil aliud

esse, quàm non solùm Deo, qui ex Ægypto eduxit, sed etiam aliis divinum Imperium, quod tamen revera non habent, assignare, præsertim ita, ut Imperium istud intelligatur à nullo pendere; partim quia non tantùm contra hoc præceptum peccatur assignando divinum Imperium illis, qui revera id non habent, sed etiam fingendo Deum aliter, quàm in verbo suo se revelavit, essentiam divinam aut Majestatem tribuendo illis, qui carent ea, colendo illos, qui natura Dii non sunt; partim quia alicui assignare Imperium divinum est, virtualiter & consequenter aliquem statuere ipsa essentia infinitum, omnipotentem, omniscium; partim quia Imperium divinum absque essentiæ divinitate, dependens à nullo superiore, absque eo, qui non est independens & summum Ens, est oppositum in opposito, & si ponatur ab aliquo talis Deaster, cui divinum Independens Imperium tribuatur, non possit non etiam divinum Esse ei assignari, quanquam si dependentia in aliquo agnoscatur, nec tribuatur illi Imperium independens, contra primum præceptum hoc peccetur, modo colatur ille, cum ex cultu religioso, quicquid sit de objecti conditione, quod vel sic vel aliter aliquis sibi fingit & pingit, æstimetur Deus alicujus, neque Diabolo frustra opposuerit Christus illud: Dominum Deum Tuum adorabis & illi soli servies. Etsi Diabolus ipse agnoverit, se suum Imperium in mundum & regna illius habere dependenter. *Luc. 4. v. 6. 7. 8.* Deos itaque alienos habere, est jungere Deo Uni creaturas vel collateraliter, vel subordinatè, quocunq; modo sub ratione alicujus Entis cultu digni. Quæ de Ethnicorum Numinibus dicuntur, facilè tolluntur, cum non sequatur, Gentiles in illo Triumviratu Deorum concipiebant unum ab altero independentem; Ergò in aliorum cultu non supposuerunt dependentiam. Falsum etiam est, Jovem non agnitum fuisse ab illis supremum & cæteros non aliquâ ratione dependentes. Et tandem si ponatur, hoc unicum Numen tribus tantùm Nominibus distinctum, forsan repræsentare voluerunt Gentiles illud, de quo Augustinus *lib. 4. de Civit. cap. 11 & lib. 7. c. 11.* dum secundò asserit, præcepto hoc nequaquam caveri, ne is, quem ipse Deus præfecit, & sic Imperii honorisque participem fecit, pro Deo ita à nobis habeatur, ut omnis ille cultus ad ipsum Deum altissimum, tanquam ultimum scopum referatur, tùm quia Deus, gloriam suam nemini daturum extra

tra se, disertè professus fuit *Esaiæ 42. v. 8.* Si itaque ponamus, aliquem, qui extra divinam essentiam & rebus regendis præfectus, quanquam talis non detur aut dari possit citra providentiæ divinæ pulsationem, non poterit illi dare Deus suam gloriam, & consequenter nec velle, ut religiosè colatur; tùm quia, si cultus talis, qualis fingitur, deferendus Enti extra Deum, dicitur terminari in Deo, & in ipsum, ut ultimum scopum referri, & sic non peccari contra primum hoc præceptum, excusabilis erit Sanctorum cultus in papatu, qui non aliter eundem explicant, in Deo terminari contendunt, imò ipsorum etiam gentilium; tùm quia Deus quidem sibi ipsi legem non tulit, contra tamen divinam Majestatem esse docet, associare sibi creaturam in cultu, neque si Christus supponatur esse creatura mera, negari nequit, illum, qui colit eum, esse Idololatram, & à Deo se convertere ad creaturam; Et quam exiguum hoc, si Christus dicatur colendus ut Principes & Reges, qui figuratè Dii, nec alio, nisi politico cultu digni; dum denique tertiò asseritur, alienos Deos habere coram Deo, esse, non tantùm in conspectum producere Dei, sed etiam esse præter Deum extra vel juxta unum illum & summum Deum nulli alii Divinitatem, quàm ipse Deus ei non concesserit, tribuendam, divinumque honorem deferendum esse statuere, partim quia nullus est, cui Divinitas fuerit concessa à Deo extra Deum, partim quia Christo competit cultus ex eo, quia est Deus super omnia benedictus. *Rom. 9. v. 5.* partim, quia Christo secundum humanam naturam ita est concessa Divinitas, ut etiam secundum illam sit Filius Dei naturalis.

III.

Transimus ad Orationem. Hujus verò præceptum extitisse, aliter quàm opinantur Photiniani, constat, quia *primò* Deus disertè præcepit *Deut. 6. v. 13.* Dominum Deum Tuum adorabis, & illi soli servies, ac per Nomen illius jurabis; quid est adorare, nisi se ita inclinare coràm, ut si subjectum procumbens indigeat divino auxilio, hoc gestu, hâc veneratione, hoc actu desideret opem divinam, eumque in finem se inclinet? Quid jurare per Nomen Domini, quàm invocare illum; ut testimonium ferat de hoc vel illo negotio, hâc vel illâ re, in cujus testificationem Deus solicitatur. *Psalm. 50. v. 15.*

Invoca Me in die tribulationis & eruam te, & honorificabis Me. *Psalm. 37. v. 45.* Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. adde *Ps. 27. v. 8. Ps. 62. v. 9. Esa. 55. v. 6.* Et quid vult primum præceptum, nisi cultum Dei; dum itaque invocationem aliorum Numinum proscribit & damnat, unius exigit, & probat. Ipsi Judæi ex 613. præceptis sextum dicunt esse illud, ut fundamus preces ad Dominum, probantque ex *Exod. 23. v. 25.* ut docet Thesaurus præceptorum Isaac Ariæ Judæi. Ipsi Photiniani in Catechismo, & quidem explicatione primi præcepti dicunt, duo exigi, ut Deum pro nostro Deo habeamus, eique divinum honorem præstemus, & ne alium præter eum pro Deo nostro habeamus, eumque honorem nulli alteri præstemus, honorem autem illum consistere in Invocatione. Quia *Secundò* Deus actûs precandi tempora certa & loca determinavit, quid enim quæso fuerunt sacrificia, nisi cultus divinitus institutus, in quibus preces maximè obtinuerunt, devotio cordis & oris reluxit? videatur locus *Levitici 16. v. 17. 21. 24. 29.* tempus fuit destinatum cultui ab origine mundi, cujus pars oratio, Sabbathum scilicet. *Gen. 12. v. 1. 2.* loca selecta fuerunt, & precibus destinata Schilo, Hierosolyma, hæc enim οἶκος προσευχῆς, Domus orationis *Esa. 66. v. 7. Matth. 21. v. 13.* Et expressè Deus: Ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis. In loco quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit Nomen ejus in eo. Illuc om[illegible], quæ præcipio, conferetis holocausta vestra, & hostias, ac dec[illegible]nas, & primitias manuum vestrarum, & quicquid præcipuum est in muneribus, quæ vovistis Domino. *Deut. 12. v. 8. & 11.* *Tertiò* praxis docet orasse veteres; Abel fide sacrificavit, qui itaque non preces quoque fuderit *Gen. 4.*? Noah obtulit holocaustum sanè non absque precibus *Genes. 8. v. 20. 21.* Abraham oravit pro Ismaële. *Gen. 17. v. 18.* pro Sodomitis. *cap. 18. v. 23.* Loth pro Zoar. *cap. 19. v. 19.* Abraham pro Abimelech *cap. 20. v. 17.* Famulus Abrahæ pro successu negotii cœpti. *Genes. 24. v. 12.* Isaac pro Rebecca. *Gen. 25. v. 21.* & pro Filio. *cap. 27. v 28. 29.* pro Jacobo. *cap. 28. v. 3.* Jacob pro se & familia *Gen. 32. v. 11.* Moses. *Exod. 8. v. 12. 9. v. 35. 10. v. 11. 32. v. 11. 33. v. 13. Num. 11. v. 2. 12. v. 13. 21. v. 8.* quomodo autem jurare & invocare poterunt absque fide? & si

non

non sine hâc? quomodo absque verbo revelato, mandato, indice voluntatis divinæ. *Rom. 10. v. 13. 14. 15.* & qui potuissent reprehendi illi, qui non invocarunt? *Psalm. 14. v. 4. Esaiæ 64. v. 7.* nisi sub præcepto fuisset Oratio.

IV.

Neque obstat, quod Volkelius ingerit de Consilio, de mandato cæteris in fœdere ipso comprehensis impari, de tempore tantùm afflictionis. Nam *primo* frustra hic distinguitur inter Consilium & Præceptum, tùm quia verba hæc: invoca me, disertè sunt præceptiva sub formâ mandati proposita, tùm quia pari ratione possent præcepta N. T. eludi, & quidem in specie illud Christi. *Matth. 7. v. 7.* petite & dabitur vobis, dicendo, non hic præceptum dari sed consilium, tùm quia si esset consilii, tamen assurgeret ad naturam præcepti, quia si, quod Magni viri consulunt, præcepti vim habere dicitur, quanto magis quod Deus consulit, in omnes habens imperium, & si non transit consilium Dei in naturam præcepti, non obligatorium erit, potuit itaque à piis & fidelibus V. T. citra peccatum precum usus omitti, & lingua citra hoc ornamentum in usus quoscunque alios adhiberi. *Secundo*, Deum in Psalmis non dedisse præcepta generalia, temerè dicitur, neque enim alia præcepta David proposuit, vel Deus per Davidem, quàm quæ Moses vel Deus per illum. Prætereà annon generale hoc mandatum est, & latè patet, quàm latè afflictiones pios exercentes in hâc vitâ? Tertio quò referet hoc præceptum Volkelius, aut ad legem, aut ad Evangelium, si prius, Ergò in fœdere per Mosen cum populo Israelitico facto fuit contentum; Si posterius, Ergo doctrina Evangelii etiam sub V. T. obtinuit, quod ipse cum sociis negat. *Tertiò* quod de tempore dicitur, intempestivè opponitur, partim quia demonstrari nequit, restringi invocationem ad tempus tribulationis, cum non sequatur, Deus est invocandus tempore tribulationis, Ergò aliò non est invocandus; Preces enim non sunt talis cultus, qui certo tempori adstrictus, & sicuti alibi citra determinationem temporis præcipiuntur, ita, generale officium pietatis esse exercitium illarum, rectè colligitur, videatur *Psalm. 27. v. 8. Es. 58. v. 9. Ps. 37. v. 4.* partim quia etiam Scriptura N. T. addit afflictiones, nec tamen ad tempus illud tantùm restringit suffitus precum. Sic *Jacobi*

5. dicitur *v. 13.* æger est aliquis inter vos, oret; stimulus precum est afflictio, non causa adæquata, partim quia nullum datur tempus in hâc vitâ, quod expers omnis mali, nullum quod absque nube, nec dies aliquis, cui non sit sua afflictio. *Matth. 6. v. 34.*

V.

Neque Smalcii rationes concludunt, quod scilicet promissa omnia in lege proposita non superarint id, quod homines facere tenerentur, imò plus Lex visa fuerit præcipere, quàm promittere, & quæ lex præcepit, absque singulari ope divinâ potuisse præstari; nam & principium petitur, falsumque supponitur, quasi vita æterna non fuerit sub lege promissa, & corporalia quoque promissa exuperant nostram obedientiam, cùm hæc debita, illa gratuita *Luc. 17. v. 10.* vide loca *Gen. 32. v. 10. 2. Sam. 7. v. 18.* Et tandem impiè statuitur, nullis singularibus ad præstanda præcepta viribus opus fuisse, nec proinde precibus ad illas à Deo impetrandas, unde noster B. Thummius ita declamat: Falsissimum, quod absque Spiritus sancti auxilio homines in Veteri Testamento legem observare potuerint. Audi enim Petrum, *Act. 15. v. 10.* Nunc ergò, quid tentatis Deum, ut imponatur jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus. Sic *Act. 13. v. 38.* Notum igitur sit vobis, quòd per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, *vers. 39.* & ab omnibus, à quibus non potuistis per Legem Mosis justificari; per hunc omnis omnis, qui credit, justificatur. *Rom. 8. v. 3.* Impossibile Legis, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati, ac de peccato condemnavit peccatum in carne. Et nemo certè meliùs agnovit, opusne haberent homines Spiritu sancto, quàm ipse Deus, de quo tamen *Nehem. 9. v. 20.* dicitur: Et Spiritum tuum bonum dedisti, qui doceret eos, & manna tuum non prohibuisti ab ore eorum. Denique indiguisse auxilio Spiritus Sancti patet, quia nullus legem servare & implere potuit. *Exod. 34. v. 7.* qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, Nullusque apud te per se innocens est. *Gen. 8. v. 21.* Figmentum cordis humani malum ab adolescentiâ suâ. *3. Reg. 4. v. 46.* Non est homo, qui non peccet. *Job. 9. v. 2.* Verè scio, quòd non justificetur homo compositus Deo. *cap. 15. v. 14.* Quid est homo,

mo; ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere? &c. Non autem quicquam decedit justitiæ divinæ, quòd legem perfectissimam concepit, ac si danda esset homini ante lapsum. Sic enim ostendit Creator, quid jure à nobis exigere queat, & quanto nos ipsi debito simus obstricti: interim remedium etiam dedit sufficientissimum, Messiam peccata expiaturum & cuivis verâ fide ipsum amplectenti vitam æternam daturum, in Veteri Testamento per typum sacrificiorum; ut frequenter, ita patenter adumbratum.

VI.

Alterum quod examinandum, est additamentum Orationis Dominicæ. Ubi notamus orationem Dominicam posse spectari vel secundum materiam vel secundum formam, seriem, structuram & ordinem petitionum, utut posteriori hoc modo oratio Dominica non demonstrari possit in V. T. Libris, aut ex praxi piorum fideliumque sub istâ œconomiâ; priori tamen modo Patribus nec incognita nec neglecta fuit. Secundo notamus, posse demonstrari sigillatim, quicquid occurrit in oratione Dominica, etiam in V. T. fuisse expositum non tantùm quantum ad petitiones ipsas, sed & præfationem atque exordium; Dicimus: *Pater Noster, &c.* At ita quoque locuta fuit Ecclesia V. T. *Esa. 63. v. 16.* Tu etenim es Pater noster &c. tu Domine es Pater noster. *Deut. 32. v. 6.* nonne ipse est Pater tuus, qui te acquisivit? *Jerem. 3. v. 4.* annon abhinc clamabis ad me, Pater tuus? Ergo hic saltem sermo, & allocutio ad Deum, non nova est & recens, vel in solo demùm Nov. Testamento instituta, aut usurpata. *Qui in cælis.* Sic *1. Reg. 8. v. 39.* tum tu exaudias in cælo; loco habitationis tuæ. *Jes 63. v. 15.* intuere de cœlo, & vide ex habitaculo sanctitatis tuæ, & ornatus tui, ubi nunc est zelus tuus? *Psalm. 11. v. 4* Jehova, in templo sanctitatis suæ, Jehova; cujus solium in cœlis, cujus oculi vident, &c. *Psalm. 115. v. 3.* atqui Deus noster in cœlis est, quicquid placet, facit. Hoc ergo etiam agnovere Veteres, testatique in precibus & cultu divino fuerunt, Deum, Patrem suum, in cœlis esse. *Sanctificetur nomen tuum. Num. 14. v. 17.* nunc igitur magnificetur virtus Domini, quemadmodum pronunciasti, dicendo, Jehova est longanimis &c. *Num. 20. v. 12.* Quamobrem dixit Jehova Mosi & Aaroni,

roni, quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me ante oculos filiorum Iſraelis. *cap. 27. v. 14.* ut me ſanctificaretis. *Levit. 10. v. 3.* id eſt, quod dixit Jehova, in appropinquantibus ad me ſanctificabor, & ante conſpectum totius populi glorificabor. *Deut. 32. v. 51.* eo quod non ſanctificaſtis me in medio filiorum Iſraelis *Ezech. 36. v. 23.* ſanctificem nomen meum maximum, quod profanatum fuit in gentibus. Noverunt ergò fideles illi, nomen Dei ſanctificari debere, & hoc ſpectandum omnibus, curandumque unicè eſſe, ut ſanctificaretur. *Pſalm. 115. v. 1.* Non nobis Jehova, non nobis; ſed nomini tuo da honorem. Quod quid aliud, quam, ſanctificetur nomen tuum? Nihilque frequentius in Pſalmis, & euchariſtiis, quam ſanctificari Dei nomen. *Pſalm. 113. v. 1.* Benedic anima mea Jehovæ, & omnia inteſtina mea nomini ſanctitatis ejus. *Pſalm. 148. & 149. & 150.* & alibi. ***Adveniat regnum tuum.*** In nos, atque in alios. Sic ſæpè precatos Veteres novimus. *Pſalm. 4. v. 7.* attolle ſuper nos lucem faciei tuæ Jehova. *Pſalm 67. v. 2.* Deus gratioſus ſit nobis, & benedicat nobis, lucere faciat faciem ſuam ſupra nos. *Pſalm 22. v. 28, 29.* Recordabuntur & convertentur ad Jehovam omnes fines terræ, & incurvabunt ſe coram te omnes familiæ gentium, Quoniam Jehovæ eſt regnum. *Pſalm. 33. v. 8.* Timeat à Jehova omnis terra, ab ipſo metuant omnes habitatores orbis. *Pſalm. 49. v. 2.* Audite hæc omnes populi, auribus percipite omnes habitatores mundi. ***Fiat voluntas tua ſicuti in cœlo, ita etiam in terra.*** Quod ad voluntatis divinæ obedientiam, negare haud poſſunt, eam & præceptam ſub V. quoque Teſtam. fuiſſe, quare & viguiſſe, & pro eâ orare Deum fas & æquum fuiſſe, tum etiam, ne minus neceſſarium. *Pſalm. 25. v. 4, 5.* Vias tuas, Jehova, notas fac mihi, ſemitas doce me. Fac incedam in veritate tua, & doce me. *Pſalm. 119. v. 4, 5.* & adeo per totum: Tu præcepiſti mandata tua obſervari valde. Utinam comparentur viæ meæ, ad obſervandum ſtatuta tua. *2. Sam. 15. v. 26.* quod ſi ita dixerit, non delector te, ecce me, faciat mihi prout bonum in oculis ſuis. *1. Sam. 3. verſ. 18. Job. 1. v. 21.* Jehova dedit, & Jehova abſtulit; ſit nomen Jehovæ benedictum. Quod ad additum exemplar & rationem obedientiæ Angelorum, hoc uti præceptum non facit, tantùm pro ratione adfertur atque ſimilitudine, ita nec eo modo urgeri poteſt, uti Smalcius

cius facit: quis unquam in V. Test. Deum oravit, ut ita facerent Dei voluntatem homines, quemadmodum eam faciunt Angeli cœlestes? contra Frantzium, *p.231.* quandoquidem David se ad cultum, & laudes Dei excitans, Angelos quoque adducit, & postquam dixisset, benedicite Jehovæ Angeli ejus, ad se rediens, dicit iterum, benedic anima mea Jehovæ. *Psalm. 103. v. 20. 22.* Quod revera huc redit, quod sibi voluntatem divinam faciendam existimarit, prout idem Angelis incumbit, atque ab iis præstari solet in cœlis. Similiter *Psalm. 148. v. 2.* laudate Jehovam cœlites, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes exercitus ejus. Præterea quomodo vitam suam ad exemplum Angelorum componerent, patet ex comparationibus, quas quandoque inter homines & Angelos, in ratione vitæ instituebant. Sic Rex Achis, ad Davidem, *1. Sam. 19. v. 9.* es tu gratiosus in oculis meis, sicuti Angelus Dei. Tekoitis illa, *2. Sam. 14. v. 17.* Uti Angelus Dei, ita Dominus meus Rex, ut audiat, quod bonum & malum. Mephiboseth, ad eundem: verùm dominus meus Rex est uti Angelus Dei. Insuper, non ad Angelorum exemplum, quinimo ipsius Dei, jubet lex vitam componere: ergo, uti quod minus majori includitur, quum lex istud imperet, imitationem Angelicam non excludit aut amovet tanquam alienam, quæ quasi novum aliquod præceptum accedat in Testamento Novo. *Levit. 19. v. 2.* Sitis Sancti: nam ego Jehova Deus vester sanctus sum. & *cap. 11. v. 44.* & *20. v. 7.*

26. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ipsissima oratio extat *Prov. 30. v. 8.* ale me cibo demensi mei. *Psalm. 145. v. 15, 16.* Oculi omnium ad te spectant, quibus tu das escam suo tempore. Aperis manum tuam, & saturas, quidquid vivit, ex beneplacito. *Gen. 28. v. 20.* Si Deus mecum fuerit, & servaverit me in via ista, qua ego profecturus sum, dederitque mihi panem ad comedendum & vestimentum ad induendum, 21. reversusque prospere fuero ad domum patris mei, erit Jehova mihi Deus. Nec puto, pro corporalibus precatos fuisse Veteres, quibus haud alias dicunt contigisse promissiones, Adversarios negaturos. Videri interim & hæc loca possunt, *Deut. 26. v. 15. 1. Reg. 8. v. 35, 36. 2. Chron. 7. v. 13, 14. Psalm. 144. v. 13. 14.* Mirum autem, Smalcium per panem quotidianum in Orat. Dominicâ intelligere panem spiritualem: qui adeo

 nihil

nihil ſpirituale in Toto V. Teſt. promiſſum videre potuit, hic ſub rei corporalis nomine & involucro, ſpiritualia percipere? Quod nec probamus, quia ſpiritualia cæteris orationibus comprehenſa ſunt: & nulla ratio videtur, quare non expreſſe & diſtinctè Chriſtus id, ſi voluiſſet, expreſſiſſet: & ſi concedamus, uti plurimis, qua Veteribus, qua Recentibus, inter quos etiam Salmaſius viſum, nihil cauſæ vel theſi noſtræ decedit: nam nec negant, corporalem panem etiam comprehendi, Adverſarii. Ita Smalcius, *pag. 232. Diſput. 7.* petitio panis illius neceſſarii, qui non tantum eſt cibus corporis, ſed etiam, iſque multo magis, animi, nempe Spiritus Dei. Quâ ratione ſub pane Spiritum Dei connotatum nunc judicant, & in toto V. Teſt. ubi tamen Spiritus S. frequens mentio, & panis, & multæ petitiones pro pane, inter alia, occurrunt, nihil adeo Spiritus S. promiſſum Patribus vident; ut hinc quoque Orationem Dominicam pro novo legis auctario habeant, quod pro Spiritus S. gratia & dono nemo unquam Deum precatus olim fuerit? ita Smalcius, *p. 231.* Quis unquam talia ad neceſſitatem ſuam pertinere intellexit, ut detur nobis Spiritus Sanctus? cum hoc ſit proprium promiſſum novi fœderis, & nemini datus ſit Spiritus Sanctus priuſquam Jeſus glorificaretur? Profanum dogma, nemini datum olim Spiritum Sanctum, nemini promiſſum, imploratum à nemine unquam retro fuiſſe, ante Chriſtum glorificatum: & hoc tamen ſub ſpecie panis hic deprehendere poſſunt? Quaſi non Spiritum David petierit, quando dixit, *Pſ. 51. v. 12, 13.* cor novum crea in me Deus, quod unde, niſi à Spiritu, venit? *Ezech. 36. v. 26, 27.* ſed & addit ipſe: ac ſpiritum novum renova in medio mei. Ne me rejicias à facie tua, & ſpiritum tuum ſanctum ne auferas à me. *Neh 9. v. 20.* & ſpiritum tuum bonum dediſti, qui erudiret eos. *Et remitte nobis debita noſtra.* Pro remiſſione peccatorum precatus Moſes fuit, *Exod. 34. v. 9.* & dixit, ſi nunc inveni gratiam in oculis tuis Domine, condones iniquitatem noſtram & peccatum noſtrum, *Num. 14. v. 18, 19.* Jehova longanimis & multus benignitate condonans iniquitatem & defectionem. Condona quæſo iniquitatem populi hujus pro magnitudine benignitatis tuæ. David, *Pſalm. 25. v. 7.* Peccatorum pueritiæ meæ & defectionum mearum ne recorderis. *Pſalm. 32. v. 5.* dixi, confitebor

tebor defectiones meas Jehovæ, & tu sustulisti pœnam peccati mei. *Psalm. 51. v. 3.* gratiam fac mihi, ô Deus, secundum benignitatem tuam: secundum amplitudinem miserationum tuarum, dele defectiones meas. *Psalm. 130. v. 3, 4.* Si iniquitates observes Jah, Domine, quis posset consistere? Verum apud te est condonatio, ut reventer colaris *Psalm. 143. v. 2.* At ne congrediaris judicio cum servo tuo. Adde *Rom. 4 v. 6, 7, 8.* *Sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* Atque hoc etiam præceptum sub V. Test. fuit, ut sibi mutuo remitterent offensas, neque servarent eas animo, vel quovis pacto ulciscerentur. *Lev. 19. v. 18. Prov. 25. v. 21.* *Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo.* Quod David precatus est *Psalm. 19. v. 13. 14.* Ab occultis meis munda me. Tum à contumaciis subtrahe servum tuum, ne dominentur in me, tunc integer & insons ero à defectione magna. *Psalm. 51. v. 12, 13.* & *119. v. 36, 37.* Flecte animum meum ad statuta tua, non ad avaritiam. Averte oculos meos, ne respiciant vanitatem: in viis tuis fac ut vivam. *Quia tuum est regnum & potentia & gloria in secula, Amen.* Sic *1. Chron. 29. v. 11.* David in solemni populi benedictione loquitur, Tua est, ô Jehova, magnitudo, & potentia, & gloria, & æternitas, ac majestas, imo omnia in cœlo, & in terra: tuum est regnum. Tertiò, quid si conjunctim secundum materiale tota oratio Dominica ostendi posset præscripta in V. Test. Sanè si quis attentè consideret *Psalmum 90.* qui oratio Mosis, negari nequit, exhiberi compendium in illo orationis Dominicæ, ita autem habet ille: ℣. 1. Domine habitaculum TU fuisti nobis in generatione & generatione. ℣. 2. Priusquam montes nascerentur, & formares Terram & Orbem: & à seculo usque ad seculum tu Deus! v 3. Convertis hominem ad contritionem, & dicis, Convertimini filii hominum. v. 4. Quoniam mille anni in oculis tuis, sicut dies hestèrna, cùm transierit, & custodia in nocte. v. 5. Inundâsti eos, somnus erunt: in mane sicut herba mutabitur. v. 6. In matutino florebit, & transibit: in vespera excidetur & siccabitur. v. 7. Quia consumpti sumus in naso tuo, & in excandescentia tua territi sumus. v. 8. posuisti iniquitates nostras coram Te, & absconditum nostrum ad luminare faciерum tuarum. v. 9. Quoniam omnes dies nostri declinaverunt in via tua, consumpsimus annos nostros, tanquam sermonem. ℣.

10. Dies annorum nostrorum in ipsis LXX. anni, & si in fortitudinibus, LXXX. anni, & fastus eorum Labor & iniquitas: quia resecatur citò, & avolavimus. v. 11. Quis cognoscens fortitudinem naris tuæ? & sicut timor tuus, ira tua. v. 12. Ad numerandum dies nostros, hoc modo fac scire, & adducemus in cor sapientiam. v. 13. Convertere Domine usquequo: & consolare super servos tuos. v. 14. Satura nos in matutino misericordia tua: & orabimus, & lætabimur omnibus diebus nostris. v. 15. Lætifica nos juxta dies, (quibus) afflixisti nos: annos, (quibus) vidimus malum. v. 16. Conspiciatur in servis tuis opus tuum, & decor tuus in filiis eorum. v. 17. Et sit Jucunditas Domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum fac stabile super nos, & opus manuum nostrarum confirma illud. In hoc Psalmo singula momenta Orationis Dominicæ inveniuntur. Quod enim Christus noster in Exordio & Conclusione dixit, Pater noster, qui es in cœlis, tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula: hoc Moses dixit. v. 1. & 2. his verbis: Domine Habitaculum tu fuisti nobis in generatione & generatione. v. 2. Priusquam montes nascerentur, & formares terram & orbem, & à seculo usque ad seculum tu Deus. Quod Christus noster I. II. & III. petitionibus, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, &c. hoc Moses v. 16. & 17. Conspiciatur in servis tuis opus tuum, & Decor tuus in filiis eorum. Et sit jucunditas Domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum fac stabile super nos, & opus manuum nostrarum confirma illud. Quid elucidatius, quæso? Quod Christus noster IV. pet. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: hoc Moses v. 14. Satura nos in matutino misericordiâ tuâ, & exultabimus, & gaudebimus omnibus diebus nostris. Quod Christus noster V. pet. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: hoc Moses, v. 3. Convertis hominem in Contritionem, & dicis, convertimini Filii hominum. v. 8. Posuisti iniquitates nostras coram Te, & absconditum nostrum ad luminare facierum tuarum. v. 13. Convertere Domine, usquequo, & deprecabilis esto, הִנָּחֵם super servos tuos. Luth. HERR / kehre dich doch wider zu uns/ und sey deinen Knechten gnädig. Quod Christus noster VI. & VII. pet. Et ne inducas nos in tentationem, sed liberá nos à malo: hoc

Moses

Moses v. 15. שמחנו, Exhilara nos pro diebus, (quibus) afflixisti nos; annis, (quibus) vidimus mala. Lege, relege hæc, quisquis cordatus es, & summam harmoniam inter hunc Psalm. 90. antiquissimum, & Orationem Dominicam miraberis, Photinianam verò impudentiam debitè exsecraberis. Certè videtur Christus noster ex hoc ipso Psalm. desumpsisse suam formulam, quam ipse prius per Spiritum suum Mosi dictaverat. Plures sunt ejusmodi Psalmi, & precum formulæ in Veteri Testamento, ubi hæc singula momenta conjunctim continentur, quæ loca sedulus Scripturarum lector ipse facilè notabit & observabit. Disjunctim materialia Orationis Dominicæ in Mose, Psalmis, & Prophetis sæpissimè inculcantur, ut supra ostēsum addimus ex nostris. Exordiū Orationis *Deut. 32. v. 6.* Nonne ipse est Pater tuus, qui acquisivit te, qui fecit & præparavit te. *Es. 63. v. 16.* Tu Domine Pater noster, Redemptor noster; à seculo nomē tuum. *Jer. 3. v. 4.* Ergò saltem amodò voca me, Pater meus es tu. v. 19. Ponam te in filios, & dixi: Patrem vocabis me. *Ps. 95. v. 3.* Deus noster in Cœlis omnia, quæcunque voluit, fecit. *Psalm. 103. v. 19.* Dominus in cœlo paravit sedem suam, & regnum ipsius dominatur in omnibus *1. Reg. 8. v. 39.* Tu exaudies in cœlo, propitius eris, remittes peccata. Tu enim solus vides, & nosti corda omnium filiorum hominum. *Psalm. 113. v. 5.* Qui in Altis habitat, ut humilia respiciat in cœlo & in terrâ. *Psalm. 11. v. 4.* Domini sedes in cœlo, oculi ejus pauperem respiciunt, palpebra ejus explorant filios hominum. *Psal. 20. v. 2.* Exaudiat illum de cœlo potentia salvifica dexteræ suæ. *Esa. 63. v. 15.* Attende de cœlo, & vide, ubi nunc est zelus tuus, fortitudo tua, multitudo miserationum, &c. I. & II. petitio proponuntur *Psalm. 22. v. 28. 29. Ps. 33. v 8. 9.* Timeat Dominum omnis terra. *Psalm. 47. v. 2.* Omnes gentes plaudite manibus. *Psalm. 49. v. 1.* Audite hæc omnes gentes. *Psalm. 57. v. 10. 11. 12. Psalm. 66. Psal. 67. Psalm. 96. Psalm. 98. Psalm. 117.* Lobet den HErrn alle Heyden. *Psalm. 126.* & breviter omnibus locis, quibus cunctæ gentes invitantur ad laudandum & confitendum nomini Domini. Sic sub ipsa lege Moses sanctificationem nominis divini petit. *Num. 14. v. 14.* Ut audiant Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum, & habitatores terræ hujus, qui audierunt, quòd tu Domine in populo isto sis & facie videaris ad faciem, & nubes tua protegat illos, & in

 columna

columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem: v. 15. Quòd occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, & dicant: v. 16. Non poterat introducere populum in terram, pro qua juraverat: idcircò occidit eos in solitudine. v. 17. Magnificetur ergò fortitudo Domini, sicut juràsti, dicens: v. 18. Dominus patiens & multæ misericordiæ, &c. Similia habentur *Exod.* 32. *v.* 12. & *Deut.* 9. *v.* 26. 27. 28. 29. Sic 1. *Reg.* 8. *v.* 60. Sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, & non est ultra. *Esa.* 37. *vers.* 20. Et nunc, Domine Deus noster, salva nos de manu ejus, & cognoscant omnia regna terræ, quia Tu es Dominus solus *Psal.* 83. *v.* 19. Et cognoscant, quia Nomen Tibi Dominus, Tu solus altissimus super omnem terram, &c. Exempla sanctificati nominis divini habes *Lev.* 10. *v.* 3. *Ezech.* 36. *v.* 23. *Num.* 20. *v.* 14. & 27. *v.* 14. *Deut.* 32. 51. &c. Tertia petitio habetur toto *Psalm.* 119. Toto *Ps.* 148. Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli ejus, &c. Sic 2. *Sam.* 15. *v.* 25. Si invenero Gratiam in oculis Domini, reducet me & ostendet mihi arcam & tabernaculum suum. v. 26. Si autem dixerit mihi: Non places, præstò sum, faciat quod bonum est coram se. *Job.* 1. *v.* 21. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum! 1. *Sam.* 3. *v.* 18. Dominus est: Quod bonum est in oculis suis, faciat. Quarta pet. habetur *Ps.* 104. *Ps.* 144. *Ps.* 147. Sic *Gen.* 28. *v.* 20. Vovit Jacob votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum. v. 21. reversusque fuero prosperè ad domum Patris mei; Erit mihi Dominus in Deum, &c. *Deut.* 26. *v.* 13. Loqueris tu in conspectu Domini Dei tui. v. 15. Respice de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, & benedic populo tuo Israël, & Terræ, quam dedisti nobis, sicut juràsti Patribus nostris, terræ lacte & melle mananti. 1. *Reg.* 8. *v.* 35. Si clausum fuerit cœlum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam; v. 36. Exaudi eos in cœlo, dimitte peccata servorum tuorum, & populi tui Israel, & ostende eis viam bonam, per quam ambulent, & da pluviam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in posses-

possessionem, &c. Vide etiam responsum Jehovah, 2. *Paral.* 7. *v.* 13. 14. *Prov.* 30. *v.* 8. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: Tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum, &c. Plura loca ubivis obvia. Quinta petitio, *Psalm.* 32. *v.* 5. Dixi, confitebor super prævaricationes meas Domino: Et tu abstulisti iniquitatem peccati mei, Selah. v. 6. Super hoc orabit omnis sanctus ad te tempore convenienti. *Psalm.* 130. *Psalm.* 143. Sic in ipsa lege Sacrificia erant præcepta quotidiana, quibus omnibus petebatur remissio peccatorum. Sic *Num.* 14. *v.* 19. Dimitte, obsecro, peccatum populi tui hujus secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum. v. 20. Dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum. *Exod.* 34. *v.* 9 Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, auferas iniquitates nostras, atque peccata, nosque possideas. Quod verò & ipsi debuerint remittere debitoribus suis, patet, quia debuerunt proximum diligere sicut semetipsos. *Lev.* 19. *v.* 18. Sexta & Septima petitio, *Psalm.* 50. Invoca me in tribulationibus, & eripiam te. *Psalm.* 27. Mein Hertz hält dir für dein Wort: Ihr sollt mein Antlitz suchen. Darumb suche ich auch HErr dein Antlitz. Sic tentatus Job per Sathanam ait cap. 1, Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita quoque factum est, sit Nomen Domini benedictum.

VII.

Non subsistunt autem Photiniani in illo principio falsissimo, quod primum præceptum auctum fuerit præcepto orationis Dominicæ, sed & ipsas petitiones non dextrè explicant. De quarta, quinta & sexta determinatè hæc habet Volkelius: Tribus petitionibus res omnes, quibus perpetuò nobis opus est, complecti volunt, primò enim non ea petere à summo illo Patre nostro nos jubet &c. Errat autem primò, quod de pane spirituali & vitâ petitionem illam accipit, imò ipsum Spiritum S. panem ἐπιούσιον interpretatur. Nam primò nullo testimonio Scripturæ nititur, neque probari potest, ullibi Spiritum S. appellari panem aut assimilari eidem, qui itaque tàm insolens significatio vel expositio admittenda. Secundò, quæ urget Necessitas, ut duplicem statuamus in vocabulo panis significationem, ut huic petitioni inseramus Spiritus Sancti desiderium, quem

eo ipso

eo ipso quo dicimus: **Pater Noster qui es in cœlis,** compellamus, & petendo, ut Nomen divinum sanctificetur, Regnum Dei adveniat, expectamus. Tertiò, si petendo panem quotidianum petimus Christum, quomodo petimus Spiritum Sanctum, Christus enim assimilat seipsum pani. *Joh. 6.* At de Spiritu Sancto nihil legimus simile. Si petendo panem petimus ἐπιούσιον quotidianum panem ad essentiam substantiamq; nostram spectantem, velut Syrus Interpres vult, panem necessitatis nostræ, quomodo spiritualis panis intelligi potest? Si petendo panem petimus τὸν ἄρτον τὸν καθ' ἡμέραν *Luc. 11.* hoc est μέρος sive particulam panis quotidiani sive recurrentis quanta scilicet pro die sufficit, quomodo de Christo vel Spiritu S. qui in particulas non dividuntur, hoc intelligi potest. Quamvis autem de Christo etiam acceperint hanc petitionem Cyrillus & Cyprianus, non tamen de Spiritu Sancto intellexerunt, & à sensu literali ad tropicum citra urgentem necessitatem discesserunt. Errat *Secundò*, dum vult debitorum nomine magis proprio illa intelligi, quæ præterita tanquam scelera hodiernis lapsibus immaniora, unde enim hoc constat; præterea peccata sive sint præsentia sive præterita debitorum nomine veniunt, quî itaque distinguenda erunt hâc ratione, ut illa magis notentur, quæ ante conversionem commissa, quàm quæ post illam. Denique si etiam lapsus fidelium sunt graves, si excutere possunt Spiritum Sanctum, si atrociùs quandoque peccant irregenitis, qui non etiam sub nomine debitorum vel maximè comprehendentur præsentia peccata, lapsus fidelium, qui norunt voluntatem Domini, nec sese præpararunt & proinde digni sunt, ut multis vapulent. *Luc. 12. vers. 47.* Et quamvis prolapsiones in fidelibus repugnante fiant Spiritu, tamen quandoque, etiam committuntur ad excussionem usque Spiritus, adeoque voluntariè; interim observamus falsam hypothesin Photinianorum, qui τὸ voluntarium ad peccatum requirunt, & facilè ita fideles eximere possunt peccatis, quia ante conversionem peccata illorum tantùm fuerunt voluntariè commissa, aliter autem sese habent prolapsiones hodiernæ; quod de absoluta ignoscentia peccatorum dicit differenda in resurrectionem, repugnat Christo dicenti paralytico: remissa sunt Tibi peccata tua. *Matth. 9. v. 2.* Paulo dicenti: Justificati pacem habemus cum Deo. *Rom. 5. v. 1.* Johanni dicenti: Sanguinem

guinem Jesu Christi emundare nos ab omni peccato. *1. Ep. c. 1. v. 7.* Symbolum pulsat, quod jubet dicere: Credo remissionem peccatorum: Hier alle Sünd vergeben werden. Statum fidelium in hâc vitâ temerat, cum illi jam sint extra judicium, & vitam æternam intra se habeant teste Christo *Joh. 3. v. 18. 36.* Unde Apostolus pronunciat Beatos illos, quorum peccata remissa *Rom. 4. v. 7. & 8.* *Tertiò* cespitat, dum per tentationes intelligit varia periculorum, calamitatum & afflictionum genera, quibus propter Christi nomen vexamur. Laxius quippe se porrigit vox, & per πειρασμὸν hic vel maximè intelligitur tentatio etiam illa, quæ per blanditias erupit, non vi quadam & impetu, ex quô diabolus dicitur πειράζων. De cætero subscribimus Augustino.

VIII.

Tertium quod additum de invocando Christo dicitur, vel Deo per Christum, nihili est; Nam *primò*, qui verus & æternus Deus, nec demum cœpit in N. T. temporibus, ille non demum adorandus vel invocandus fuit in N. T. Christus autem est verus & æternus Deus, ut nostri pridem demonstrarunt, qui itaque demum in N. T. adorandus vel invocandus? *Secundò* annon invocavit Filium Dei Jacobus benedicens liberis suis. *Gen. 48. v. 16.* annon præceptum *Psalmo secundo v. 12.* Osculamini Filium, annon disertè dictum: Cave tibi ob præsentiam hujus Angeli, ne exacerbes eum, quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo *Exodi 23. v. 2.* Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israël, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarum. Et dixit: Veruntamen populus meus est, filii non negantes, & factus est eis Salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, & Angelus faciei ejus salvavit eos: in dilectione suâ, & in indulgentiâ suâ ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus seculi. *Esa. 63. v. 7. 8. 9.* *Tertiò* idem cultus, eadem religiosæ venerationis species fuit in V. & N. T. nec hoc præceptum primum fuit mutatum; imò ipse Christus in N. T. iisdem formalibus confirmavit cultum solius Dei veri, quibus in V. T. fuit stabilitus, nempe

dicendo: Dominum Deum Tuum adorabis, & illi soli servies. *Matth. 4. v. 14.*

IX.

Superest hic aliquid monendum de præcepto sculptilium, quod volunt Photiniani distinctum à primo, & sub ratione auctarii in N. T. à Christo propositum. Primum in antecedentibus excussimus, Tractatu scilicet de lege, in quo de Divisione Decalogi egimus, nec faciunt contra nos, quæ Smalzius Franzio opponit, scribens: Errat Franzius, qui pro appendice vel declaratione primi præcepti habet, præscriptionem tam luculentam de vitandis, vel non honorandis Sculptilibus. Qui error nulla ratione defendi potest, & absurditas ejus ex eo apparet, quòd præceptum ultimum in duo præcepta non nisi coactè & absurdè dividere eos oporteat, qui secundum hoc præceptum non agnoscunt. Esse autem declarationem primi præcepti hoc alterum, vanum est commentum. Quomodo enim declaratio est præcepti alicujus id, quod ab eo ita diversum est, ut alterum sine altero esse possit? Potest enim aliquis habere Deos alienos coram Deo, & tamen sculptile, vel imaginem nullam colere vel adorare. Jam pridem erroris hujus convicti sunt ab aliis ante nos Lutherani: sed malunt hactenus authoritatem humanam, quàm manifestam rationem, non sine pertinaciæ suspicione, sectari. Nam quod Smalcius dicit præceptum de concupiscendo non dividi in duo, quia unum vel res saltem unius generis tantùm in omnibus verbis prohibeatur, inverti potest, quia etiam præceptum de colendo Deo & non fabricandis Idolis sunt ejusdem generis & eò collimant, ne quis Idololatriâ se polluat. Calumnia est. nam decem Verba admittimus, receptam divisionem propugnamus. Quod dicit secundò in Exodo non legi: Non concupiscas domum proximi tui, non concupisces uxorem ejus, sed post verba, non concupisces domũ proximi tui addi, nec desiderabis uxorem ejus. Diversitas enim vocabulorum non comparet in Hebræo unâ voce adhibitâ Chamad. Quod dicit *tertiò* in Deuteron. ἀνακεφαλαιώσει legis verbum concupiscendi in altero præcepti membro planè esse omissum, falsum, cum in Hebræo duæ voces occurrant, scilicet Chamad & Avah. Quod *Quartò Deut. 5. v. 21.* prius prohibeatur concupiscentia uxoris quàm domus, præcepta autem non ita facilè inter se commutari possint, nihil ad rem; nam frequens est præceptorum transpositio, *Matth.*

19. v.

19. v. 18. 19. *Marc.* 10. v. 19. *Luc.* 18. v. 20. Quod *quintò* dicit sic licitum fore, plura præcepta conficere, cum etiam prohibeatur concupiscentia agri, servi &c. nihil dicit, cum tantùm binis vicibus usurpet vocem concupiscere Scriptura in Exodo & Deuteronomio. Sic ad illa rectè respondent nostri. Quod ad citata loca attinet, idem prohibetur in Veteri Testamento. *Exod.* 20. Non coles ea. 2. distinguendum est inter cohabitationem in locis idololatricis. Vel fit sine metu seductionis, sine metu collusionis, necessitatis extremæ gratiâ, ita, ut nostrum dissensum apertè testemur. & sic nec in Novo nec in Veteri Testamento prohibita legitur, imò in Veteri Testamento Elisæus Naamani conversationem cum infidelibus concedit 2. *Reg.* 5. v. 19.

CAPUT I.

PRÆCEPTI SECUNDI.

Verba Textus.

לֹא תִשָּׂא אֶת־שֵׁם־יְהוָה
אֱלֹהֶיךָ לַשָּׁוְא כִּי לֹא יְנַקֶּה
יְהוָה אֵת אֲשֶׁר־יִשָּׂא אֶת־שְׁמוֹ
לַשָּׁוְא׃

Non assumes nomen Jehovah Dei tui in vanum; quia non habebit insontem Jehovah, qui assumpserit Nomen suum frustrà.

THESIS I.

Linguam exiguum Membrum esse & se magnificè efferre, Jacobus conformiter Experientiæ asserit *cap.* 3. v. 5. usus voce *μεγαλαυχεῖν*, quam quidam cum Pagnino Vatablo & aliis ad jactantiam magnorum restringunt; quidam ad magnarum turbarum excitationem cum Emanuele Sà; quidam denique ad magnorum Effectuum & Operum illustrium productionem, quæ in Dei culminant Gloriam cum Piscatore, Herbornensi Theologo & Guilielmo Esthio, Duacensis quondam Academiæ Cancellario: non tamen satis commodè & ad mentem Spiritus Sancti; comparat enim Apostolus Linguam fræno & gubernaculo navis, quòd

quemadmodum illa exiguæ sint formæ & quantitatis, stupendæ tamen Virtutis & efficaciæ, pariter Lingua exile sit humani corporis membrum, quæ tamen in illud potestatem habeat insignem, regat & dirigat illud, coërceat atque compescat: Si verò sermo tantum sit de Jactantia magnorum, non dextrè aptabitur hoc Scopo Jacobi, sed oppositum potiùs emerget; cùm enim Lingua quamvis magna in speciem, reverà tamen inania jactet, non erit illius tanta vis & potestas in corpus reliquum: eadem ratio militat contra illos, qui τὸ μεγαλαυχεῖν vertunt *magnificè se efferre*, quod ferè in primum recidit. *Secundò* de turbarum excitatione accipere hoc Verbum vetat formalis sensus hujus vocis; μεγαλαυχεῖν enim non est, *turbas ciere*, ex primore significatu, sed tantùm consequenter & materialiter; neque Apostolus intendit Linguæ describere Indolem ex particulari aliquo effectu, eoque vitioso, sed vim & efficaciam comparat ad regimen fræni & gubernaculi in Navi. *Tertiò*, qui volunt commendare Linguam ab Effectis, Deo gratis & acceptis, non attendunt ad Nexum; confestim enim dicitur! *Ecce! ignis exiguus quantam materiam incendit?* & in sequentibus talia occurrunt, quæ vitii, non laudabilis officii rationem habent: quapropter videntur meliùs interpretari hoc Verbum, qui Generaliter illud accipiunt, atque tum de bonis tum de malis exponunt hoc effatum Apostolicum Operibus, quòd scil. Lingua, quamvis membrum exiguum intra dentium septa clausum, si prodeat, possit magna jactare & efficere, partim bona, partim mala; Stat pro hoc sensu vocis nativa significatio, quoad bona hujus Membri cum fræno & gubernaculo Comparatio; denique quoad mala, uberior in subsequentibus Declaratio. Hanc Linguam, hoc Membrum, hoc Organum, quo vel benedicimus Deo & Patri, quóve execramur homines ad similitudinem Dei factos, format, dirigit & fingit Secundum hoc Præceptum, ut Cor à primo ad Cultum sincerum fuit obligatum, de quo jam σὺν Θεῷ.

II.

Dispescitur verò hoc Præceptum in duas Partes, *Interdictionem* sc. *& Comminationem*. Quantum ad prius, *Primò* observandum *Objectum*; *secundò actus prohibitus*. Objectum est hîc שֵׁם יְהוָה *Schem Jehovah*, *Nomen Dei*, per quod non intelligitur hoc Nomen, vel

vel consimilia, qualia sunt: El, Elohim, Adon, &c. secundum literas & syllabas, quò quidem modò B. Chemnitius Judæos hoc accipere docet scribens: Judæi pueriliter ludunt quando scilicet nomen πετεαχάμματον (quod ita vocatur) vel non integrè suis literis & punctis vocalibus, sed pro Jehova, Elohim scribunt: Vel legendo non exprimunt, sed loco ejus pronuntiant Adonai: Vel literas tantùm pronuntiant, existimant se secundo præcepto egregiè & abundè satisfecisse; licèt interim meras blasphemias & perjuria eructent. Ita enim intelligunt & interpretantur secundum præceptum: nomen Jehova non esse pronunciandum, & librum in quo integrè scriptum est, nudis manibus non esse contrectandum: sed modis omnibus mundissimè tractandum; sed Deus non loquitur de literis & syllabis. Sed intelligitur Ipse DEUS, & ratione Essentiæ, & Personarum & Attributorum & Operum; nam primò Nomen Dei esse Ipsum Deum constat ex *Deut. 28. v. 5.* ubi dicitur: *Nisi custodieris & feceris omnia Verba Legis hujus, quæ scripta sunt in hoc Volumine, & timueris Nomen gloriosum & tremendum, Dominum Deum tuum:* constat ex eo, quia permutantur Deus & Nomen illius; ita David *Psalm. 66. v. 3.* dicit: *Te adorabunt omnes habitatores terræ & psallent tibi, & psallent Nomini tuo:* constat denique ex eo, quia prædicata eadem habet Deus & Nomen ejus; sic *Psalm. 99. v. 3.* dicitur: *Confiteantur Nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum est;* *versu* verò *decimo* dicitur: *Quoniam Sanctus Dominus Deus noster:* Non tantùm autem Essentiam Nomine Dei designari, sed & Personas, demonstrari potest ex *Proverbiorum cap. 30. v. 4.* ubi quæritur: *Quod est Nomen ejus, & quod est Nomen Filii ejus?* Ex ipsius Filii, Angeli scil. Increati Responso, dato Manoæ Danitæ, Viro illustri; dixit enim *Judic. 13. vers. 18. Quare quæris de Nomine meo, cùm id Mirabile sit?* i.e. occultum, juxta quosdam, vel incomprehensibile: denique ex Petri Testimonio dicentis: *Non est in alio quoquam Salus; neque enim est aliud Nomen sub Cœlo, quod datum sit in hominibus, in quò oporteat nos salvari. Act. 4. v. 12* Trium Personarum unum Nomen esse constare potest ex Formulâ Baptismi, cùm Apostoli jubentur baptizare εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Matth. 28. v. 19.* Præterea designari Deum per שֵׁם יְהוָה *Shem Jehovah* Ratione Attributorum & Operum, ostendi po-

di potest ex collatione *Exodi 3.* ubi Deus dicit: *Ego sum Deus Abrahami Isaaci & Jacobi, hoc est Nomen Meum in seculum & Exod. 6. v. 3.* ubi dicitur, Nomen Dei, sive Deum, quoad Nomen Jehova, non fuisse cognitum Patribus; nondum Operis exhibitione demonstrasse, sese esse Veracem in Promissionibus, Immutabilem in Decretis, Potentem in Executione; Ex Præcepto *Levitici 19. v. 12.* quô in locô Deus dicit: *Non jurabitis in Nomine meo falsò, & non profanabis Nomen Dei tui:. Ego Jehovah:* Quod autem falsò juramentô non temerandum, illi debetur Cultus religiosus, sincerus; quod non profanandum, utique gaudebit Majestate Jehovæ, omniumque Attributorum & Axiomatum divinorum Lumine & Ornamento; Ex descriptione Nominis divini: ita David dicit: Confiteantur Nomen tuum magnum & tremendum; est itaque Nomen Dei magnum, ut Ipse Deus, tremendum, ut Ipsum Numen, quod illustre Axiomatibus & Operibus stupendis.

III.

Secundò per Nomen Dei hic intelligitur Deus Patefactus: Nam *primò*, ut nomen aliàs est Signum vel Symbolum rei aut personæ, atque illam manifestat: ita nomine Dei non intelligitur Deus Absconditus aut in profundo Lucis inaccessæ habitans, sed Revelatus, sed Patefactus. *Secundò* cùm Ecclesia Judaica dicit; *Assertor noster ab æterno est Nomen tuum. Es. 63. v. 16.* quid aliud vult, quàm hoc Nomine nobis innotuisti, hoc de te credi voluisti, nempè ab æterno Te nos pro tuis assumpsisse & vindicasse. *Tertiò* Scriptura, nominare Dominum & agnoscere illum, pro iisdem habet, ut constat ex *Rom. 15. v. 20, 21.* maximè verò Patefactum in Verbo, unde B. noster Chemnitius: Progressus Deus ex Luce illa inaccessibili Voce & Verbo se revelavit & patefecit. Et ejus patefactionis in verbo correlativum est Nomen Dei. Significat ergo quicquid de Essentia & Voluntate Dei in verbo ipsius patefactum est, vel quod in Scriptura de Deo prædicatur. Et huc pertinent omnia miracula & opera, quibus Deus de se & sua voluntate testificatus est. *Exod. 9. v. 16.* Idcirco posui te, ut narretur nomen meum in omni terra. Et ipse Christus eò digitum intendit, dicens: *Nemo novit Filium, nisi Pater, & nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui Filius vult revelare. Matth. 11. v. 27.* Cùmque Deus & Nomen ejus sint unum & idem, nemo cognoscit Nomen Dei, nisi Filiô revelante.

IV. Ter-

IV.

Tertiò Nomine Dei hîc intelligitur Deus Patefactus Celebrabilis, Venerabilis, Adorabilis, vel ut agnitus, colendus, celebrandus, adorandus: Hoc docet ipsa Præcepti Indoles atque Structura, quæ hoc Nomen ita proponit, ut non assumatur in vanum, sed magni æstimetur: magni autem æstimari non debet nisi illud Objectum, quod est æstimabile, celebrabile, adorabile. Docet hoc passim Scriptura: ita David *Psalm. 8. v. 2. & 10. Quam ingens, Domine, est Nomen tuum*, inquit, *in tota terra? & Psalm. 48. v. 11. Ut Nomen tuum; ita Celebratio Tui; Psalm, 29. Adferte Domino Gloriam Nomini ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus.* Tertiò ipse Deus hoc Nomen, ut adorabile, sistit; nam felicitatem N. T. & Voluntatis suæ Revelationem ad Gentes diffundendam deprædicaturus dicit: *In omni Loco Hostia offeretur Nomini meo & Munus purum, quia magnum est Nomen meum in Gentibus. Mal. 1. v. 11.* quô ipsô docet, Nomen suum esse celebrabile, religiosè glorificabile & adorandum.

V.

Actus prohibitus exprimitur voce נָשָׂא Nasâ & לַשָּׁוְא temerè. Vox נָשָׂא Nasâ notat *jurare*; atque ita accipitur *Esaiæ 3. v. 7.* notat *proferre ore & disseminare Exod. 23. v. 1.* notat denique *levare, tollere Esa. 53. v. 4.* Latissimè autem hîc accipitur, atque prohibetur, nè juremus temerè, nè proferamus leviter ore Nomen hoc, nè levemus pretiosum hoc frustrà; *τὸ* לַשָּׁוְא enim notat, *gratis, temerè, frustrà;* atque ita usurpatur *Job. 35. v. 13. & Oseæ 12. v. 11.* quod ita exposuit B. Chemnitius: Prohibet nomen suum levari in vanum, frustrà, temerè. Significat enim in vanum sumi, quando verba ex incogitantia temerè præcipitantur, ut quando res levis & nullius momenti est, quæ non magni fit, sed despicitur illa per jocum, contemptum, & temerè nominatur, non cogitatur, wie man darvon reden wölle/ sed ut verba in buccam venerint.

VI.

Comminatio, quæ alteram Partem facit, exponitur his verbis: Non enim habebit insontem Jehovah eum, qui assumpserit Nomen ejus in vanum: in Hebræo est לֹא יְנַקֶּה *non mundificabit, non*

habe-

habebit insontem, non relinquet impunem: ita enim hæc vox usurpatur in Sacris: Sic notat, immunem esse, *Jerem. 49. v. 12. Num. 5. v. 31. Psalm. 19. v. 14.* Sic notat, impunitum dimitti, *Exod. 21. v. 19. Num. 5. v. 19. Jerem. 25. v. 29.* Vacuum fieri aliquô munere vel alio, *Zach. 5. v. 3.* quæ ita sunt comparata, ut magis faveant significationi forensi, quàm physicæ; hinc quamvis cum quibusdam Interpretibus etiam verbotenùs mundificabit, & LXX. illius loco quandoque adhibuerint vocem καθαρισθήσομαι vel καθαρὸς ἔσῃ, ut constat ex *Psalm. 19. v. 14. Gen. 24. v. 8.* non tamen necessum est, ut Physicam significationem admittamus, cùm prævaleat forensis, & allegata quoque loca possint ita exponi, ut forensis obtineat: ita *Psalm. 19. v. 13.* commodè accipies verba Davidis hoc modo: Ab occultis meis liberum me pronuncia; Unde etiam Lutherus: Verzeih mir: & *versiculo 14.* Immunis ero à defectione amplâ; nec non *Gen. 24. v. 8.* Verba Abrahami: Solveris jurejurando meo hoc: nec non, si ponatur, Physicum esse hoc Verbum, nihilominùs ad sensum forensem & politicum ipse Vulgatus ducit, & Textus consideratio. Est autem hæc Comminatio expressa negativè: *Non impunitum dimittet Jehovah,* ut designetur, vel maximè Deum puniturum talem, quàm certissimè & gravissimè animadversurum in illum, qui Nomen Domini in vanum assumserit, adeoque hic locum habet λιτότης, exponente & animadvertente B. Luthero, qui scribit: Istæ Negativæ (*Non derelinques, Non dabis*) longè vehementiores sunt Affirmativis, & firmiùs resurrectionem testantur. Sicut cùm *Lucæ 10.* dicitur: *Maria optimam partem elegit, quæ ab eâ non auferetur,* i. e. certissimè manebit: Ita hîc: *Non derelinques,* i. e. velocissimè reduces; adeoque sensus est juxta illum: Nemo impunè laturus est Nominis mei in vanum assumptionem, sed pœnas graves dabit blasphemiæ. Cur autem addita sit hæc Specialis Comminatio huic præcepto, facilè est divinare; *Primò* enim vix aliquod membrū est in Homine, volubilius linguâ, & quod sæpiùs sua exercet officia: nè itaq; peccatum hoc frequentetur sub opinione, ac si facilis esset Linguæ lapsus, sepimentum aliquod ori ponere voluit & frænū injicere comminatorium. *Secundò*, quia novit Deus, quàm fœdum peccatum perjurium, quàm mendacium illô cumulatum Syrma malorum post se trahat, & Judices magis propensos esse in eradicationem vitiorum, quæ Socie-

Societatem, quàm Ipsum Deum lædunt. Denique *Tertiò*, quia maximè monendi erant Parentes & Superiores, nè quicquam hîc indulgerent liberis aut illorum Inspectioni concreditis, nè teneræ mentes corrumperentur, & Lingua potiùs spicula mittens, quàm Laudes Dei decantans, summo æternæ & temporalis perniciei sese & totum hominem exponeret periculo.

VII.

Prohibetur hoc Edicto 2. *Incuria Glorificationis*, cùm scil. negligitur Meditatio Majestatis divinæ & Beneficiorum, quæ jugiter in nos descendunt, atque Deprædicatio, de qua conqueritur Deus *Esa. 1. v. 3. Deut. 32. v. 6. & 15. Osee 2. v. 8. Obliquatio Glorificationis*, cùm scil. ille Cultus, illa Gloria, quæ soli Deo debetur, dividitur & ad aliud Suppositum extra Deum transfertur. De quo, quantum ad ipsum Cultum, actum est in Expositione Primi Præcepti: Talis Obliquatio est 1. Oratio ETHNICORUM, quâ non ipsumDeum, sed ejus creaturas, videlicet astra cœli, heroicos homines, eorumq; statuas adorant, *Sap. 3. v. 1. 2. 2 Reg. 17. v. 16. Sap. 14. v. 20. Esa. 42. v. 8.* 2. OratioJUDÆORUM, qua adorare quidẽ vidẽturDeum, non autem in nomineChristi, per quẽ Pater solum vult honorari. *Job. 5. v. 23.* adeoq; non verè nec sincerè. 3. OratioPAPISTARUM, quâ mortuosSanctos invocant, utOpitulatores, quosGentium more certis calamitatibus certos præfecerunt: quâq; Deum magis in S. Angelorum & hominum, quàm in nomine Christi invocant: Quæ Invocatio damnatur & rejicitur: 1. Quia in universa Scriptura nullum habemus mandatum: 2. Nullum Exemplum: 3. Nullam exauditionis aut liberationis promissionem: 4. Quia Sancti nos ignorant, *Esa. 61. Job. 14. v. 21. Eccl. 9.* 5. Quia ipsimet noluerunt invocari: Exemplum, *Act. 14. v. 14. Apoc. 19. v. 10.* 6. Sunt nostri conservi, *Apoc. 19. v. 10. & 22.* 7. Creaturæ nudæ. 8. Quæ preces nostras non exaudiunt: 9. Nec auxilium ullum præstare possunt. 10. Quia ex fide proficisci non potest, cùm fides verbo Dei tanquam fundamento innitatur, *Rom. 10. v. 17.* 11. Quia in Sanctos, utpote homines credere fas non est, *Jerem. 17. v. 5.* Et tandem vera Invocatio ad eum tantùm dirigenda sit, in quem credere, spemque & fiduciam ponere possumus, *Rom. 10. v. 14.* 4. Oratio EPICURÆORUM, qui pollutas in precibus attollunt manus, quo-

rum preces Deo abominabiles, *Deut.* 1. *v.* 45. 1. *Sam.* 8. *verſ.* 18. *Deut.* 31. *v.* 18. *Job.* 27. *v.* 9 *c* 35. *v.* 13. *Pſalm.* 18. *v.* 42. *Eſa.* 29. *v.* 13. *c.* 59. 2. *Prov.* 1. *v.* 28. *c.* 15. *v.* 29. *c.* 21 *v.* 13. *c.* 28. *v.* 9. *Ezech.* 8. *v.* 18. *c.* 14. *v.* 16. 20. *Mich.* 3. *v.* 4. *Zach.* 7. *v.* 13. 2. *Maccab.* 9. *v.* 13. *Matth.* 6. *v.* 5. *c.* 15. *v.* 8. *c.* 23. *v.* 14. *Marc.* 12. *v.* 40. *Luc.* 20. *v.* 46. *Joh.* 9. *v.* 31. 5. Βαττολογία QUORUNDAM, quâ ſomniant, preces ſuas, aut propter lamentabiles geſtus, vel verborum prolixitatem, placere Deo, 1. *Reg.* 18. *v.* 26. 28. *Eſa.* 58. *v.* 2. *Eſa.* 1. *v.* 15. *Ezech.* 8. *v.* 18. *Matth.* 6. *v.* 7. *c.* 23 *v.* 14. Plus placet Deo latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorum, quàm βαττολογία Clericorum luxuriantium. *Extenuatio Glorificationis*, cùm etiam præſentibus Bonis & Donis à Patre Luminum, tamen illa vilipenduntur, elevantur, contemnuntur.

VIII.

Maximè verò à Theologis huc refertur *Blaſphemia*, quæ dicit Probrum conjectum in ipſum Deum, & quævis Oratio, contemptum ejus redolens, quæ committitur vel *poſitivâ aſſertione* alicujus, quod Divinæ Majeſtati, in Attributis maximè relucenti, eſt contrarium, ut ſi quis dicat cum Caino: Non eſt judicium &c. vel *negatione*, ut ſi quis inficias eat illius Potentiam, Scientiam, Providentiam, ut ſi quis dicat cum Rabſake ex 2. *Reg.* 18. *v.* 32. 33. Committitur autem hoc grande peccatum *vel* directè contra Deum, *vel* indirectè contra media & organa Gratiæ, de quo *Rom.* 3. *v.* 8. 1. *Cor.* 4. *v.* 13. *Apoc.* 2. *v.* 9. *Tit.* 3. *v.* 2 2. *Pet.* 2. *v.* 10. *Judæ v.* 8. & 10. Et eſt vel *Simplex*, quæ ex Ignorantia ſupina aut prava Conſuetudine aut Vanitate aut Perturbatione proficiſcitur; aut *Determinata*, quæ ſcil. certâ aliquâ Formâ emittitur & ex Propoſito procedit. Diſpoſitio de hoc peccato legi poteſt *Lev.* 24. *v.* 10. 11. Exempla occurrunt in Sacris *Judith.* 6. *v.* 2. *Eſa.* 36. *v.* 18. *c.* 37. *v.* 10. 11. 12. 13. 2. *Reg.* 8. *v.* 2. 2. *Reg.* 19. *v.* 9. 2. *Paral.* 32. *v.* 13. 14. 15. & 17. 18. 19. 1. *Maccab.* 7. *v.* 33. 34. 35. 36. 40. 42. 43. 47. Summa verò Impietas ad hanc Claſſem reducenda eſt, *Peccatum in Spiritum S.* cujus Definitionem exhibent Theologi talem; Peccatum in Spiritum Sanctum eſt Veritatis agnitæ malitioſa & voluntaria abnegatio, blaſphematio & oppugnatio, omniumque ſalutis mediorum abjectio: Vel, eſt Repulſa Officii Spiritûs S. proæretica in homine, ſatis illuminato,

minato, convicto, libero, apostatica, blasphema, irremissibilis, consequenter ad finem perseverans.

IX.

Secundò, *Execratio*, quæ est Imprecatio mali alicujus à Deo explicitè aut implicitè, sive in ipsum execrantem sive in alium hominem ex animi malitia. Exemplum illius exhibuit Petrus, qui cœpit se devovere *Matth. 26. v. 14.* Jobus, qui maledixit diei suæ. *cap. 3. v. 1.* Jeremias, qui itidem locutus fuit paria Principi Idumæo. *cap. 15. v. 10.* Judæi, qui devoverunt se in excidium Pauli, *Actor. 23. v. 12.* Quanquam hic occurrat magna in Gradibus Disparitas, cùm Petrus egerit ex metu, Job & Jeremias ex calamitatum nimbo præsente; Judæi autem illi ex obstinata malitia; Exemplum verò hujus Simei, qui maledixit Davidi maledictione pessima. 2. *Sam. 15. v. 7. 8.*

X.

Liquet è dictis, Execrationem esse vitium quoddam immane, neque posse adduci exempla Sanctorum, qui quandoque imprecationibus usi, Deum solicitârunt, ut hostiles conatus adversariorum retundat, vel confundat, obluctantes Ecclesiæ, vel deprimat illos, qui notabili & extantiori peccato se contaminârunt, de quo *Gen. 9. v. 25. Num. 16. v. 15. 2. Sam. 15. v. 31. 2. Reg. 1. v. 24. Psal. 5. v. 11. Ps 109. v. 6. 20. Ps. 125. v. 5. Psal. 144. v. 5. 8. Actor. 8. v. 20. 21. 23. 1. Cor. 16. v. 22. Gal. 1. v. 8. 9.* quia non tàm fuerunt imprecationes, quàm divinæ prædictiones.

XI.

Tertiò, *Perjurium* sive juramentum falsò præstitum, quod committitur vel contra alium dicendo falsum testimonium in Judicio, & juramento confirmando, de quo *Deut. 19. v. 16*; vel Extrajudicialiter in alia re aut negotio; vel Deo promissum & juramento confirmatum non præstando, contra illud *Ezechielis 17. v. 18. 19. Amos 1. v. 9. Malach. 3. v. 5. 1. Tim. 1. v. 10.* Illustre Exemplum Patrum nostrorum Memoriâ præbuit Uladislaus Poloniæ & Hungariæ Rex, de quo Historici: Adde his *Temeritatem Jurandi*, illorum scilicet, qui nullâ vel quâvis de causâ levi etiam, imò levissimâ jurant, sine certitudine, sine reverentiâ, sine necessitate Nomen divinum profanant, quos Christus castigat *Matth. 5. v. 34. 37.* dicens:

cens: *Esto sermo vester, Etiam, Etiam; Non, Non: quod autem supra hæc redundat, malum est sive à malo est.*

XII.

Quartò, Verbi divini Contemptus vel Vilipendium, si scil. prædicetur, legatur, audiatur, repetatur absque reverentiâ, quæ debetur illi, quales reprehendit David *Psalm. 50. v. 16. Impio dixit Deus: Quid tibi, ut enarres statuta mea, & assumas pactum meum in os tuum;* adde *Esa. 66. v. 2. 2. Thess. 2. v. 13.* Ita peccant, qui auditum Verbum respuunt, Dicta Biblica in Jocos vertunt, Effata Divina superstitioni adhibent, Ministros rident & exibilant, quales describuntur *Ezechielis 33. v. 31. v. 31. 32. Jerem. 44. v. 16. Esa. 30. v. 10.* Sacramentis non religiosè & debitè utuntur, de quibus videndus Petrus 2. *Epist. cap. 2. v. 22.* & Paulus *1. Cor. 11. v. 29.* Pietatis exercitia ludibrio exponunt, aut ipsimet minùs devotè exhibent.

XIII.

Hactenùs Vitia; nunc Virtutes. Præcipitur autem hoc in Mandato *Primò* Invocatio Nominis Divini sive Oratio. Utut verò Majestas & Authoritas Imperantis, ipsius Rei præceptæ Qualitas & Comminatio transgressionibus annexa omnem compleant rationis paginam, cùm tamen Ipse Deus stimulos subdat in Verbo, itemque rationes, cur Nomen Domini non ducendum in vanum, sed invocandum: Sat multas collegit B. noster Thummius, qui videndus. *pag. 47. usque 76.*

XIV.

Debet autem Oratio esse ita concepta *primò*, ut dirigetur ad solum Deum, tùm quia ipse solus novit animum *Psalm. 139. v. 1. & seq. Jerem. 17. v. 10. Job. 4. v. 23.* tùm quia solus novit necessitates nostras. *Matth. 6. v. 8. & 32.* tùm quia solus novit precum indolem *Psalm. 65. v. 3.* solus etiam potest & vult subvenire. *Ephes. 3. v 23. Job. 14. v. 13 14.* Huc referenda verba Mandati. *Deut. 5. v. 9. Exod. 20. v. 5 Deut. 6. v. 13. Psalm. 50. v. 14. Psalm. 77. v. 2. & 3. Psalm. 91 v. 15. & Matth. 4. v. 10.* *Secundò*, ut petantur à Deo Bona quævis *Jacobi 3. v. 3.* cum hac tamen definitione, ut primùm simus solliciti de Regno Dei, deinde de adjiciendis *Matth. 6. v. 33.* primùm de divinis, dein de humanis *Col. 4. v. 13.* primùm de Animi Bonis, dein de Corporis. *Hebr. 13. v. 9.* primùm de necessariis,

cessariis, dein de utilibus, nunquam de superfluis *Matth. 6. v. 8.* *1. Cor. 14. v. 4. Prov. 30. v. 8.* *Tertiò*, ut debito & decenti modo Deus adeatur per Mediatorem Christum, *Dan. 9. v. 17.* In sinceritate cordis sine labiis dolosis, *Psalm. 17. v. 1.* Fiduciâ cordis indubitatâ absque hæsitatione, *Psalm. 18. v. 4.* Desiderio ardenti ex abysso cordis nostri, *Psalm. 5. v. 4.* Gemitibus cordis humiliati & contriti, *Joel. 2. v. 12. 13.* Animo mansueto, ac ab omni offensione in proximum puro, *Psalm 10. v. 17.* Non in multiloquio, *Matth. 6. v. 7.* Expansis manibus, *Psalm 134. v. 2.* Cum perseverantia adeoque omni tempore, ut ne hilum quidem ad nos Pontificiorum distinctio dierum & horarum, quæ in N. Testamento sublata est, sanctimoniæ scilicet peculiaris & religionis respectu, *Galat. 4. v. 10.* Ubique locorum, *Job. 4. v. 21.*

XV.

Sunt autem preces *vel publicæ vel privatæ.* *Publicæ* sunt, quæ fiunt in Ecclesia, Cœtu vocatorum; *Domus enim Domini est domus orationis Matth. 21. v. 13* *Privatæ* sunt, quæ vel in familiâ aliquâ & domô fiunt, quò respexit Christus, dicens: *Ubi duo vel tres sunt congregati in Nomine meo, ibi sum in medio illorum Matth 18. v. 19. 20* vel à personâ quâdam singulari funduntur, quales fuerunt preces Danielis, de quibus *cap. 6. v. 4.*

XVI.

Instituuntur etiam Preces *vel nostri causa vel aliorum*, aliorumque vel amicorum vel hostium. Orandum enim etiam pro inimicis *Matth. 5. v. 44.*

XVII.

Secundò præcipitur hic *Verbi Divini Lectio, Auditio & Meditatio*, quæ fieri debet ex Mandato divino, quod legitur *Deut. 6. v. 6. Job. 5. v. 39. Col. 3. v. 16.* Promissionum Illicio. *Apoc. 1. v. 3.* Exemplorum laudabili Typo, Eunuchi, Berrhoënsium &c. Debet fieri debitè & decenter, devotè, juxta illud *Esa. 1. v. 2.* fructuosè *2. Tim. 3. v. 16.* studiosè *Luc. 8. v. 15.*

XVIII.

Tertiò imperatur hîc *Propagatio veræ Doctrinæ* de Dei Essentia, Voluntate, Operibus, ad quam etiam privatus hoc præcepto

adſtringitur, juxta illud *Deuter. 11. v. 19. Luc. 22. v. 32. 1. Theſ. 5. v. 11.*

XIX.

Quartò præcipitur Veritatis Confeſſio de DEO cognitæ ad promovendam ſalutem Proximi & gloriam Dei illuſtrandam, ſecundum illud Pauli *Rom. 10. v. 10.* Corde creditis &c. *1. Pet. 3. v. 15.* Promiſſiones, quæ leguntur *Matth. 10. v. 32. 33.* Exempla Petri, Matthæi ut & Pauli *Act. 24.*

XX.

Quintò imperatur *Benedictio* in Nomine Dei, quâ Bona à Deo aliis dari optamus, quæ vel divina & humana Auctoritatis vel Charitatis, & fit vel generaliter vel ſpecialiter per Salutationem & Benedictionem, cujus mandatum habetur *Matth. 5. v. 44. Rom. 12. v. 14. 1. Petr. 3. v. 9.* promiſſiones *Jeremiæ 29. v. 7. Prov. 2. v. 11. Sir. 3. v. 11.* Exempla. *Gen. 9. v. 26, 27. cap. 27. v. 4, 19. 20. 29. cap. 48. v. 9, 15, 16, 20. cap. 49. v. 26. Deut. 33. v. 1. & ſeq. Marc. 10. v. 16. Luc. 24. v. 50, 51. Num 6. v. 24, 25, 26. 1. Chron. 16. v. 2. Gen. 24. v. 60. cap. 31. v. 55. 1. Sam. 2. v. 20. 2. Sam. 13. v. 25. Ruth. 2. v. 4. cap. 4. v. 11, 12.*

XXI.

Sextò Gratiarum Actio & Nominis divini Concelebratio, quæ notat agnitionem accepti Beneficii. *Pſalm. 103. v. 2.* Celebrationem *Marc. 5. v. 18.* Gratiarum diffuſionem *Eſa. 12. v. 1.* ut autem Deo grata fiat, inſtituenda eſt in Nomine Jeſu vel per Jeſum, *Coloſſ. 3. v.* 2. In ſpiritu & veritate, *Epeſ. 5. Pſalm 49.* 3. Sine intermiſſione, in toto vitæ noſtræ decurſu, *Pſalm. 34. v. 104. 146.* 4. Cum admiratione; *Pſalm. 36. v. 92. 104.* 5. Cum gaudio & ſuavi cordis affectione. 6. Non ſolùm corde & ore, ſed, ubi fieri poteſt, etiam inſtrumentis Muſicis, *Pſalm. 71. v. 22.* 7. In omnibus vocationis noſtræ laboribus, ut omnia ad divini nominis gloriam directa ſint. Mandatum illius habetur *Deut. 8. v. 10, 11. Ephеſ. 5. v. 20. 1. Theſ. 5. v. 18.* Promiſſio; Nihil enim tàm gratum Deo, ut anima grata, & gratias agens: ideò nihil aliud à nobis exigit, quàm habere gratias pro his, quæ nobis facta ſunt, ut pro illa ipſa gratiarum actione ad ampliora danda provocetur. Chryſoſt. Invitat ad magna, qui gratanter ſuſcipit modica, & ſpem de futuris recipit, qui trans-

acta

acta beneficia recognoscit, Cassiod. in Psalm. Hâc enim gratitudine mentis & linguæ, Deus summè delectatur. *Psalm. 50. v. 14. Psal. 60. v. 31. Psal. 92. v. 2. Psalm. 116. v. 17. Psalm. 147. v. 1. Syr. 3. v. 1. Ephes. 1. v. 6. Hebr. 13. v. 15.* denique Exempla Piorum, Davidis *Psalm. 103. v. 1, 2, 3. Psalm. 116. v.* Salomonis, *1. Reg. 8. v. 56.* Esaiæ *Esa. 12. 1. &c.* Dividitur hæc in Publicam & Privatam; Illa est, quæ in publico peragitur Cœtu vel Loco, de qua David *Psalm. 111. v. 1. 2 Psalm. 149. v. 1, 2.* Hæc verò, quæ domi peragitur, sive in loco privato, de qua David *Ps. 149. v. 5, 6.*

XXII.

Septimò, Votorum Oblatio, quæ requirunt primò Materiam possibilem; frustrà enim vovetur, quod non est in potestate nostra; inde etiam Votum filiæ in domo Patris, nî accesserit Consensus Superioris, non censet[illegible] ratum *Num. 30. v. 3. & 3.* quæque vel cultum directè vel pe[illegible] adminiculi spectant: Prioris Exemplum habemus in Jacobo *Gen. 28. v. 21,* posterioris *Jobi 31. v. 1. & seq.* & Davidis *Psalm. 132. v. 3. & 5.* Nuncupanda autem sunt illa vel communiter, ut fit in Baptismo; vel specialiter, occasione vel mali avertendi, de quo *Gen. 28. v. 20. Jon. 1. v. 16.* vel boni obtinendi, de quo *1. Sam. 1. v. 11.* vel boni obtenti aut mali depulsi intuitu, ex Gratitudine *Psalm. 116. v. 8.*

XXII.

Octavò, Juramentum, quod describitur per *religiosam & necessariam rerum maximè dubiarum Confirmationem*, quâ Deum invocamus, ut testis Veritatis ac Vindex mendacii esse velit. Confirmatio dicitur ex *Ebr. 6. v. 6.* religiosa ex *Esa. 29. v. 18.* necessaria ex hoc ipso præcepto: Non duces Nomen Domini Dei tui in vanum; & Verbis Christi: *Matth. 5. v. 34. & 37.* Distinguitur in Juramentum Assertorium, quo rei Veritas præsentis aut præteritæ confirmatur simpliciter; & promissorium de re aliqua futura, quod & vim habet assertorii, de præsenti sc. Consilio & Proposito, atque vim obligationis ex pollicitatione in futurum: Habet autem utrumque tale Objectum, talem Materiam, quæ possibilis, cùm ad impossibile, juxta illud Vulgatum, nemo obligetur; & justum, quod enim injustum est, illud ut voveri, ita nec juramento substerni vel confirmari debet. Jurandum etiam per Dei Nomen, secundum dicta

Deut. 1.

Deut. 1. v. 13. cap. 10. v. 10. Jos. 23. 7. Esa. 65. v. 51. Non verò per Creaturas aut Deastrorum fictitiorum & idolorum nomina, quò faciunt loca *Exod. 23. v. 13. Osea 4. v. 15.* Firmatur autem Usus juramentorum positis ponendis in Theologis nostris (1.) ex mandato divino *Exod. 22. v. 10, 11. Deut. 6. v. 13. cap. 10. v 20. Esa. 19. v. 18. cap. 65. v. 16. Ebr. 6. v. 13.* (2.) Exemplo Dei, *Gen. 22. v. 16. 17. cap. 23. v. 3. Deut. 31. v. 20. Esa. 14. v. 24. cap. 45. v. 22. &c.* Christi. *Joh. 14. v. 12.* Angelorum. *Dan. 12. v. 7. Apoc. 10. v. 5. 6.* & Hominum Abrahami. *Gen. 14. v. 22. 23.* Josephi *Gen. 47. v. 31.* Davidis *2. Sam. 3. v. 35.* Petri. *Matth. 26. v. 72. 74.* Pauli *Rom. 1. v. 8.* Et tandem (3.) ex Natura & Fine juramenti, qui bonus est & voluntati Dei consentaneus: pertinet enim. *1.* ad confirmationem fidei & veritatem. 2. Ad Celebrationem & Illustrationem Nominis Dei. 3. ad proximi periclitantis salutem. 4. ad decisionem litium & controversiarum. *Psalm. 110. v. 4. Jer. 44. v. 26. Amos. 4. v. 2. Gen. 14. v. 22. 23. Philip. 1. v. 8. & seq. Gen. 24. v. 2. Jud. 15. v. 12. Gen. 21. v. 23. 1. Sam. 20. v. 3. Hebr. 6. v. 16. Ex. 22. v. 11.*

CAPUT II.

ERRORES.

Th. I.

DEvii à Regula etiam hac inveniuntur inter Christianos, imò adversi 1. Pontificii; Statuunt enim *primò*, Blasphemiam in Deum & Divos non differre specie, quia utraque contraria religioni: Amplectuntur hanc sententiam Cajetanus, Valentia, Ledesma, Sanchez, Azorius. *Secundò*, Præter fraternam correctionem, jure naturali requisitam, non debere illum, qui audit Blasphemiam, reprehendere, quia consuetudine Decretum illud sub Leone X. *Sessione 9. in Concilio Lateranensi* abrogatum; ita statuunt, Azorius, Sanchetz, Castropalao, Bonacina, & alii. *Tertiò* Blasphemum non est juramentum falsum vel injustum, quia sic jurans non æstimat Deum posse testem esse Falsitatis, aut Injustitiæ Assecuratorem. ita Sanchez. *lib. 2. cap. 32. num. 33.*

II. Circa

II.

Circa juramentum *primò* Pontificii confinxerunt usum licitum reservationum mentalium in humanis conversationibus, juramento etiam firmatis vel firmandis: inter articulos exhibitos Facultati Theologicæ Lovaniensi, hic quoque fuit ordine quintus: Licitum est tàm in judicio, quàm extra judicium jurare cum restrictione mentali, non habito respectu ad intentionem ejus, qui fecit juramentum. *Secundò* articulus decimus nonus ita se habuit: Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de Mandato Regis vel similibus exigi solet, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. *Tertio* articulus decimus, ita fuit conceptus: si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis gratia, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel alium diem ab eo, in quo fecit, vel quodvis aliud addititium verum, revera non mentitur, nec est perjurus. *Quartò* statuunt, quod qui habeat jurandi consuetudinem, sed non mentiendi, non sit in statu peccati lethalis, etiamsi non conetur ejusmodi consuetudinem evellere, quòd talis consuetudo non sit magis prava, quàm sint ipsi actus jurandi: habitus enim suam desumere malitiam ab actibus, sed actus non esse mortaliter malos, cùm non sint perjuria. Sic Valentia, Reginaldus, Sanchez, Filliucius. *Quintò* dicunt, Pontificem in omni juramento, posse ex causa rationabili dispensare, cessante tertiæ personæ damno: ita Toletus, Aragonius, & alii. *Sexto* Episcopus ex causa cum sibi subditis non solùm potest declarare, quando dubium subest, an aliquid sub juramento promissum sit debita Voti materia, sed etiam dispensare in omnibus juramentis, quæ si essent vota, posset in illis dispensare, quia juramenti vinculum minus est, quàm vinculum Voti. Ita Thomas, Sayrus, Filliucius, Bonacina; imò extendunt ad Regulares exemptos ab ordinario, Confessores ordinis mendicantium, & Confessores regulares, qui ordinum mendicantium privilegiis & indulgentia Innocentii Octavi & Eugenii Quarti fruuntur. *Septimò* jurare fal-

 sum

ſum ſine animo jurandi non eſt peccatum lethale, quia non intendit Deum in teſtem advocare, ſed ſimulare, definiente Leſſio. *Octavò* jurare verum ſine intentione jurandi, non eſt lethale peccatum, quia neque Deo fit gravis irreverentia, neque homini gravis injuria, ſecundum Leſſium, Sanchezium, Bonacinam & Caſtropalaum. *Nonò* non eſt mortale, juramentum petere ab Ethnico, qui per falſos Deos eſt juraturus, quia plures graviſſimi Doctores ſentiunt, ſolùm eſſe culpam venialem: ita Sanchez. *lib. 3. cap. 8. v. 23.* *Decimò* ex juramento factoDecuriones, vulgò Regi doret jurados, non tenentur peccata publica ſub mortali inquirere, quia juramentum illud proſpiciens bono communi Reipublicæ, intelligendum de bono temporario, ita Palaus, Azevedo *in Curia Piſana. lib. 2. cap. 3. n. 1.* *Undecimò* ex vi juramenti non tenentur Decuriones, (ſeu Regidores vein riqua tros Jurados) Auditores Regii &c. Sub mortali ſervare ſecretum earum rerum, quæ in Conſiſtorio, aut Aula tractantur, quia ſecretorũ levis momenti revelatio nullatenus gravem culpam inducit, nec Reipublicæ aut Curiæ grave infert damnum, nec juramenti religionem graviter offendit, ſecundum Sanchezium & Caſtropalaum. *Duodecimò*, Procuratores, Scribæ, aliique officiales Curiæ, non tenentur ſervare juramentum emiſſum de ſervanda Taxa à Rege ſibi præſcripta, vulgò el Arancel, quia cenſendi ſunt ſe non voluiſſe obligare illi, nec potuerunt obligari, ut volunt Sanchez & Capropalaus.

III.

De Voto hæc ab illis propugnantur; *Primò* de Præceptis, non poſſe eſſe votum, quia votum quis aſſumat ad firmandam ſuam voluntatem, illamque obligandam operis promiſſi executione. Ita ſentiunt Durandus, Antoninus, Sylveſter, Tabiena, & alii. *Secundò* votum in matrimonio contrahendo, quando quis ſe experitur adeò ad carnis piacula proclivem, ut vix ſe poſſit continere, non eſt validum, quia, ſcil. poſita adhuc illa facilitate & peccandi conſuetudine votum de matrimonio impedit majus bonũ formaliter, vitam ſc. cœlibem & religionis ſtatum. Defendunt hanc ſententiam Sotus, Aragonius & alii quam plurimi. *Tertiò* patrem & matrem non poſſe poſt pubertatem irritare vota filii ante pubertatem emiſſa, nec in pubertate confirmata ſeu approbata, quia licet emiſſa

emissa fuerint sub tacita conditione; si parenti placuerint tamen, hæc conditio intelligenda, cum addito, si parenti placuerint, dum personam filii gubernat. Ita Sotus, Aragonius, Alcazar, Rosella, Sanchez. *Quartò* non posse votum castitatis emissum ab uxore absque viri consensu ab illo irritari, quia illud votum continere potuerit obligationem abstinendi à debito, solutione & redditione, venerisque delectationibus, qua parte ergò continet abstinentiam à debiti venerisque delectationibus, firmum est & inevitabile, secundum Suarezium, Palaum & alios. Adde Abusum Nominum divinorum ad Papam translatorum, Evangelii Adhibitionem superstitiosam, Benedictiones super creaturas, speciales ad effectus supernaturales exorcismos, Bibliorum vilipendium & contemptum.

IV.

At hæc non consonant menti divinæ, non conveniunt mandato præsenti. Nam *primò* si Blasphemia in Deum & Divos non differt specie, 1. Divi gaudebunt eadem cultus specie qua Deus, adeoque decantata distinctio inter Latriam & Duliam, effugium illud commune & Jesuiticæ Sophistices latibulum concidet. 2. Quomodo æquari potest irreventia adversus divos illi, quæ est adversus Deum, qui summum Numen, qui solus adorandus, cui soli serviendum, *Matth.4*? 3. Ipsi Pontificii abhorrent ab hac distinctione, ut videre est apud Suarezium, Lessium, Castropalaum & alios. *Secundò* quare audiens blasphemantem, non debeat reprehendere illum? cum tamen 1. unumquemque pius zelus deceat, unicuique gloria Nominis cordi esse debeat, salus proximi & totius communitatis curæ. 2. Ipse Pontifex Leo X. Quicunque blasphemantem audiverint, eum graviter verbis objurgare tenentur, si citra periculum suum id fieri contingat, definivit *Sessione 9*. Et quanquam illa objurgatione non corrigendus sit quandoq; blasphemans, officio suo tamen non deesse debet Christianus, quemadmodum Pastor, etsi non semper fructum consequatur concionum, desistere ab illis non debet atque cessare. 3. Ipsi Pontificii in contraria sunt sententia. Lessius, Ledesma, Lopez, Navarrus, alii. *Tertiò*, blasphemum non esse juramentum falsum vel injustum dicere est 1. asserere illum, qui Deum testem & confirmatorem falsi efficit & Deum proponit assecuratorem injustitiæ, non blasphemare. 2. Quomodo juramentum

falſum & injuſtum non poteſt non eſſe blaſphemum, cùm, quamvis forſan in foro exteriori non puniatur ut blasphemus, ſumme tamen conſpurcet Majeſtatem divinam? 3. Ipſe Caſtropalaus hic hæret, atque pro noſtra ſtat, oppoſita ſcil. ſententia, quanquam nolit decidere.

V.

Secundò quæ de juramentis produntur, digna ſunt tenebris æternis; Nam *primò* uſus reſervationum mentalium eſt contra Deum opificem hominis, contra linguæ officium, contra ſocietatis humanæ Regulas, & ſi accedat juramentum, ſumma profanatio Majeſtatis divinæ. *Secundò* juramentum poſſe præſtare illum, qui mediante commendatione ad officium publicum promotus eſt, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, impiè dicitur, cùm hoc nil aliud ſit, quàm juramento ut aſtragalis uti, Dei nomen conculcare, exigentem ludere. *Tertiò*, ſi non perjurus eſt aut mentitur quæſiſitus de aliqua re, quam fecit, dicendo, non feci, nullus erit perjurus, poteruntq; homines ſemper aliquid in receſſu volvere contrariũ exteriori ſermoni, imò omnis exactio juramenti ſatius omittetur quàm adhibebitur, utpote quod ſtante hac hypotheſi non erit finis controverſiarum, contra illud Pauli. *Eb. 6. verſ. 16.* Indignabundus hanc impietatem graviter retundit Sinnichius, argumentis ſoliдiſſimis uſus, & ut ipſe loquitur peremptoriis *pag. 415, 416. 417.* *Quartò* illud de jurandi conſuetudine à pia mente admitti nequit; Nam 1. qui habet jurandi conſuetudinem, ille habet peccandi conſuetudinem, habet conſuetudinem nomen Domini profanandi, & conſequenter, non poteſt non eſſe in Statu peccati lethalis 2. falſum ſupponitur, conſuetudinem jurandi, ut ſumitur pro habitu inclinante ad actus, ſimiles illis, quibus fuit productus, per ſe non eſſe peccatum lethale, quaſi peccatum non conſiſtat in habitu, quid enim fiet de originali peccato? & annon illa conſuetudo, ille habitus eſt *ἀνομία*, difformitas legalis? anne actus, ex quibus hic habitus, non ſunt mortaliter mali, quia non perjuria? num abuſus Nominis divini, ſi abſit perjurium, non eſt peccatum lethale? 3. Agnoſcunt ipſi Pontificii Confeſſionarium pœnitentem monere debere, ut negligentiam excutiat in extirpanda hâc pravâ conſuetudine, fateatur:

tur: videantur Laymannus, Diana Caſpenſis, Suarezius. *Quintum* pronuntiatum nititur omnipotentia Pontificis, tribuit homini in cauſa Dei, quod non tribuendum, & ab ipſis cordatioribus Pontificiis repudiatur. *Sextò*, Epiſcopos, Prælatos, Regulares & Confeſſores ordinis mendicantium diſpenſare poſſe in juramentis, falsò aſſeritur, atq; iisdem rationibus expugnatur, ipſis etiam Pontificiis moderationem quandam adhibentibus Thomâ, Cajetano, Sanchezio, Valentia & cæteris. *Septimò*, Jurare falſum ſine animo jurandi eſt abuſus nominis divini, profanatio majeſtatis ſummæ, & conſequenter lethale & grande peccatum; præterea quomodo Deus hic poteſt advocari in teſtem? unde etiam hoc aſſertum ſordet ipſis Pontificiis, videatur Caſtropalaus *tom. 3. tract. 14. diſp. 1. part. 8. n. 5.* *Octavò*, lethale utique eſt, jurare, verùm ſine intentione jurandi, cùm in re maximi momenti non adhibere debitam intentionem, grave peccatum ſit, cùm inſuper id juramentum ſit perniciosum in ordine ad Deum, cujus divino teſtimonio per illud illuditur, dum ſcil. actu externè illud invocatur, internè autem ejus invocationi diſſentitur, nec non toti humano generi tollens juramento externo finem, qui eſt, verè adhiberi in veritatis confirmationem, quapropter contra hanc ſtant ſententiam ex ipſis Pontificiis Cajetanus, Armilla & Covarruvias. *Nonò* juramentum petere ab Ethnico, qui per falſos Deos eſt juraturus, extra caſum neceſſitatis, probari utique nequit, nam juramentum etiam per verum Deum non niſi urgente neceſſitate eſt exigendum, propterea tale juramentum eſt peccatum, latria, quæ defertur non vero Deo, ſed creaturæ præ illo, quo modo itaque exigi poteſt à nobis, qui obſtricti ſumus cavere peccatum proximi? inde etiam hæc aſſertio diſplicet Caſtropalao. *Tom. 3. tract. 14. d. 1. p. 10. n. 7.* *Decimò* ex juramento facto Decuriones utique tenentur peccata publica ſub mortali inquirere, quia juramentum emittunt, velle ſe proſpicere bono communi Reipubl., & munus ſuum fideliter obire, quia res ipſa & objectum hujus juramenti eſt honeſtum, nempe inquirere, num ſint publici concubinarii, an menſæ ad ludum expoſitæ adſint, num ſint mulieres medicatrices maleficæ, num vigeant, rixæ, jurgia, odia, malum quippe ex Iſrael tollendum, cui ſubſervire tenentur vi Juramenti, & huc inclinant Petrus, Navarrus, Marcel. *tom. 2. Summæ. cap. 28.* *Un-*

decimò ex vi juramenti tenentur Decuriones quoque ſervare ſecretum, juramentum enim tale eſt licitum & validum, quod ſi non attendit jurans, perjurii ſe reum facit; præterea falſo innituntur ſuppoſito, qui hic laxant, putant enim ex pravitate malitiæ eſſe æſtimandum veniale peccatum, unde ſi ſit in re modica non eſſe lethale peccatum; præterea contrarium illis definit Antoninus & Navarrus, *Sum. cap. 12. n. 23. Duodecimò* juramentum de ſervanda Taxa, ſive Arancel, tenentur Procuratores, Scribæ, & alii officiales ſervare, quia eſt de re honeſta & licita, quia vanum eſt, quod prætexunt, pretia rerum poſt taxam notabiliter excreviſſe: nam ut non dicam, juramentum etiam, poſita aliqua conditione difficili, circa taxam eſſe adhuc ſervandum, ſi urgeret neceſſitas, non violandum juramentum, ſed adeundus Rex, ut Taxam ampliaret, atque ita etiam ſentiunt quidam Doctores Hiſpani, quos conſuluit moralium Problematum compilator.

VI.

De Voto quæ aſſeruntur, ab Orthodoxis nunquam conceduntur. Nam *primò* votum quoque eſſe poteſt de rebus præceptis, ut probat *votum Jacobi* dicentis: *Erit mihi Jehova in Deum. Gen. 28. v. 20.* Et votum Baptiſmi, quod dicit profeſſionem publicam Renunciationis & Adhæſionis: *illius* quidem reſpectu Diaboli, ſeculi & pompæ illius; *hujus* verò reſpectu Chriſti, cui baptizatus inſeritur. Probat *natura præcepti* ex ſententia quoque adverſariorum, qui dicunt, illud non neceſſitare voluntatem; & tandem *Teſtimonium* quoque *Pontificiorum*, Valentiæ, Navarri, Azorii, Sanchezii, Laymanni, Leſſii. *Secundò* votum in Matrimonio contrahendo, quando quis uritur, eſt votum *contra Regulam* Pauli, *1. Cor. 7.* pronunciantis: *Satius eſt nubere, quàm uri*; eſt *contra rectam rationem*, quæ ſuadet oppoſitum; eſt *contra ipſos ſocios* Religionis, Cajetanum, Sanchezium, Bellarminum, Navarrum, Toletum & alios. *Tertiò* Patrem & Matrem non poſſe irritare vota filii ante emancipationem vel pubertatem emiſſa, adverſatur *Legi divinæ Num. 30. v. 5.* adverſatur *poteſtati patriæ*, adverſatur denique *ipſis Pontificiis* quibusdam, Cajetano, Valentiæ, Suarezio, & aliis. *Quartò* votum caſtitatis emiſſum ab uxore, abſque viri conſenſu, irritari non poſſe, eſt dicere contrarium legi divinæ. *Num. 30. v. 9.* eſt dicere repugnans ſubjectioni

ni uxoris & fini conjugii, est denique dicere displicens ipsis Doctoribus Pontificiis, præprimis Sanchezio. *lib. 9. de matrimonio. disp. 3. n. 7. disp. 37. n. 4.*

VII.

Nec Calviniani hîc immunes sunt à culpâ; peccant enim contra hoc præceptum, verbum divinum suâ vi & efficaciâ divinâ privando, ut videre est apud Christianum Massonium. *part. 2. Ant. cap. 19.* imò ipsam confessionem Helveticam. *p. 7. Secundò*, Sacramenta pariter virtute sua & re cœlesti destituendo, atq; in Signa mera commutando, ut Sebastianus Curtius *in dissertatione sua theol. s. 9. p. 10.* Cronius in Anti-becano. *Tertiò*, verbum divinum in sensus alienos detorquendo. Demonstravit luculenter B. noster Hunnius, quomodo Calvinus Oracula Mosis enervare & obliquare studuerit, graviter propterea monens in Scriptis suis: *Quartò* Deum in Scripturis loquentem simulationis arguendo. Docent enim, Deum quidem vocare in Scripturâ verbis, non animo verò, omnes ad se, voluntate signi, non beneplaciti. Piscator *part. 2da. disp. pag. 243. 175.* Beza *resp. 2. ad Colloq. Momp. 174.* *Quintò*, Scripturæ dictis detrahendo, ita Beza in plerisque locis N. T. ubi vocabulum πᾶν sive omnis occurrit, illius loco *quivis* supposuit, ut particularitati posset eò felicius patrocinari, videantur loca *Actor. 2. v. 17. Rom. 10. v. 4. & 12. Rom. 1. v. 16. 1. Tim. 2. v. 1. Coloss. 1. v. 28.* addendo verò peccavit Calvinus & sequaces, inserendo textui Paulino. *1. Cor. 10. v. 3.* particulam *nobiscum*: ita Anno 91. Francofurti impressa sunt Biblia operâ Calvinianorum, in quibus *1. Pet. 2. v. 8.* Græca verba εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν versa, in quod etiam conditi sunt. *Sextò* soloecismos & Barbarismos intra castæ virginis gremium admittendo, ita Beza in N. T. *pag. 317.* scribit Lucam *cap. 20. vers. 22.* commisisse soloecismum: Ita Vorstius *pag. 2. Antipis. s. 4.* Piscator in analysi hujus loci. Goclenius *lib. 5. problematum Grammaticorum. pr. p. 226.* in verbis institutionis baptismi vult esse soloecismum *Matth. 28. v. 19.* ut & *Apoc. 7. 6. Proverb. 23.*

VIII.

Photinianos si audiamus, præceptum hoc Christus in N. T. perfecit. Unde Catechismus Rakoviensis *p. 364.* Quæst. Quid huic præcepto

cepto additum ſub novo fœdere? Reſp. Primò non ſolum Deum, verùm etiam Dominum Jeſum Chriſtum in teſtimonium vocare poſſumus, cum Dominus Jeſus corda & renes ſcrutetur *Apoc.* 2. *v.* 23. Deinde quod nobis non ſolum pejerare non liceat, verùm etiam ne in veris quidem jurare, niſi longè graviſſimis cauſis adactis, iiſque, quibus Dei gloria nitatur, ad idque non temerè, verùm cum magno Dei metu & cautione ſumma accedendum. Quæſt. Ubi ea de re ſcriptum eſt? Reſp. *Matth.* 5. *v.* 33. 34. 35. 36. 37. Audiſtis dictum fuiſſe antiquis, non pejerabis, ſed reddes altiſſimo vota tua, Ego verò dico vobis: Ne juretis omninò; neque per cœlum, cum ſit thronus Dei; neque per terram, cum ſit ſcabellum pedum ejus: neque per Hieroſolymam, cum ſit urbs magni regis; neque per tuum ipſius caput, cum nec atrum nec album pilum facere queas. Sermo verò veſter ſit, Ita, Ita, Non, Non: Quod verò ſupra hæc eſt, à malo eſt. Quæſt. Ergò cum Dominus jurare vetet omninò, unde probabis in graviſſimis licere jurare? Reſp. Ea vox omninò non eum ſenſum habet, ac ſi nullo modo jurare liceret. Eſt enim oppoſita juramentis ſpontaneis & è levitate proficiſcentibus, qualia, modò vera eſſent, lex Moſaica non prohibebat, cui hâc in parte Dominus Jeſus ſuam doctrinam opponit. Præterea legimus Apoſtolos juraſſe, ut videre eſt *Rom.* 1. *v.* 9. 2. *Cor.* 1. *v.* 23. & 11. *v.* 31. *Phil.* 1. *v.* 8. 1. *Theſſal.* 2 *v.* 5. 10. Quæſt. Cur verò Dominus Jeſus in veris ultrò ac leviter jurare vetat? Reſp. Ut Nomen Dei altiſſimi & ipſius Domini Jeſu apud nos ſit in ſummâ veneratione: deinde ne levitate jurandi pejerare conſueſcamus. Præcipit Lex, ne nomen Domini in falſum vel vanum aſſumamus, perfecit eam & implevit Jeſus, dum nec in rebus veris illud aſſumere vel invocare permittit, niſi tale quid à nobis exigat gloria Dei, & ita nomen Dei apud nos ſemper ſit ſacroſanctum & nunquam vileſcat, & ne ſæpe jurando pejerare etiam aſſueſcamus. Diffuſius Johannes Volkelius, qui poſtquam præmiſiſſet paraphraſin præcepti, addit, Chriſtum addidiſſe huic præcepto duo, quorum alterum expreſſum, alterum evidentiſſima ratione adjunctum eſſe conjiciatur. Conſilia habet Smalcius in libro de Divinitate Chriſti.

IX.

Sed hæc omnia extra veritatis lineam: Nam primò non tantùm

tùm possumus in Testimonium Dominum Jesum Christum assumere, sed etiam debemus, secundò si Jesus Corda & Renes scrutatur secundum illud *Apoc.* 2. *v.* 23. erit verus & æternusDeus, hoc enim nemini competit nisi Deo, ut constat ex 1. *Reg.* 8. *v.* 39. Tertiò, falsissimum hoc additum esse præcepto secundo, neque illo argumento hoc probat Catechismi Compilator, sanè si Christus in testimonium vocari potest, ideo quia corda & renes scrutatur, & hoc tale est axioma, quod Deo soli competit, quod non in tempore accepit, etiam in V. T. potuit & debuit vocari in Testimonium, si Christus Deus est, ut nostri luculenter evicerunt, etiam illud de illo erit accipiendum, quod *Deut.* 6. legitur *v.* 13. per nomen Dei jurabis. Si Jacob juravit per Deum Abrahami & Isaaci. *Gen.* 31. *v.* 53. & ille fuit Angelus ille, qui illum liberavit ab omni malo, sive Messias. *Gen.* 48. *v.* 15. 16. per Angelum increatum quoque juramentum fuit exhibitum in V. T. Alterum illud additum itidem non à Christo, sed maleferiato ingenio est additum. Nam primò falsum est, juramentum in rebus levioribus in V. T. non fuisse prohibitum, vana & temeraria juramenta lege non fuisse, etiam illo rerum statu, exclusa, tum quia lex generaliter loquitur, non assumas nomen Domini Dei tui in vanum, לשוא ἐπὶ ματαίῳ, & ita quoque legit Philo initio libri de specialibus legibus; verbum autem שוא non tantùm notare falsum, sed & vanum, constat ex plurimis locis *Mal.* 3. *v.* 14. dicitis vanum (inutile, ut Thargum habet) esse colere Deum, quid emolumenti, quod custodieris custodiam ejus? *Jerem.* 4. *v.* 40. in vanum ornabis te, contempserunt te amatores, animam tuam quærent. *Psalm.* 127. *v.* 1. 2. Si Jehovah non ædificet domum, frustrà שוא laborant ædificantes: Si Jehovah non custodiat civitatem, frustrà vigilat custos. Frustrà vobis est maturantibus, &c. *Psalm.* 89. *v.* 48. Memento ergò, quid sim, quod tempus, propter quid frustrà creaveris omnes filios hominum? Lutherus: Warumb wilt du alle Menschen umbsonst geschaffen haben? *Jer.* 2. *v.* 30. Frustrà percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. *cap.* 7. *v.* 29. combustum sufflatorium, ab igne consumptum est, plumbum frustrà conflavit conflator, & mali non sunt avulsi. *cap.* 18. *v.* 15. Quid oblitus est mei populus meus? frustra adolent, & impingere eos faciunt. *cap.* 46. *v.* 11. Ascende in Galaad, & tolle

Balſamum, virgo filia Miſraim, fruſtrà multiplicabis medicamina, ſanitas non erit tibi. *Eſa. 1. v. 13.* Ne addatis offerre ſacrificium שׁוא vanum, irritum, &c. Et qui Concordantias Hebraicas conſulet, deprehendet hoc vocabulum ferè omnibus locis aut vanum, aut vanum & falſum ſimul denotare: Sicut & de duobus iſtis citatis locis non probant Oſtorodius & Smalcius, tantùm falſum ſeu mendax teſtimonium ſignificare, cùm nec vanum, nec falſum teſtimonium de proximo ſit vel dicendum, vel recipiendum. Adde teſtimonium AbenEſræ ſcribentis: Sunt hic multi, qui putant, non magnam eſſe transgreſſionem, ſi quis nomen Dei in vanum acceperit. At ego oſtendam eis, quod eſt major & gravior omnibus ſequentibus exceſſibus. Nam qui eſt occiſor aut adulter, quæ quidem magnæ ſunt transgreſſiones, non poteſt omni tempore occidere aut mœchari: eſt enim in timore כי יפחד. Qui autem ſeipſum aſſuefecit ad vanas dejerationes, committit uno die innumera juramenta, & usque adeò venit in conſuetudinem hujus transgreſſionis, ut non advertat, cum jurat. Et ſi tu eum corripueris, quare nunc ſic juraſti? tunc jurat, quod non juraverit, idque præ nimia conſuetudine jurandi. Nam tales, antequam aliquod proferant verbum, præmittunt juramentum, elegantiam putantes eſſe ſermonis, ſic dejerare. Tum quia fideles V. T. tenebantur Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine ſua, quomodo autem cum hoc amore & affectu poſſunt conſiſtere juramenta vana & temeraria? & annon illa ratio, quam ipſi Photiniani afferunt, quod leviter jurare non liceat, ut ſcil. nomen Dei altiſſimi apud nos ſit in ſumma veneratione, & ne levitate jurandi pejerare conſueſcamus, æquè convenit temporibus V. T. ac Novi, tum, quia procul dubio levitas jurandi etiam peccatum fuit in V. T. & conſequenter contra legem, ni velimus admittere abuſum Nominis non eſſe ex malo; cuſtodia oris præcepta ſimpliciter, quantò magis circa Nominis Divini Majeſtatem. *Pſalm. 34. v. 14?* ita præceptum ſecundum expoſitum, ut facilè etiam qualiscunque abuſus intelligatur eſſe prohibitus. *Syracidis 23. v. 10.* Locus autem ex Matthæo adductus non facit pro illis; nam primò ſupponitur in verbis illis dici, perjurium tantùm fuiſſe prohibitum à Moſe, contrarium patet ex *Levit. 19. v. 12.* Secundò, quando Chriſtus dixit, ne juretis omninò, illa verba non oppo-

opposuit effato alicui Mosaico, sed Pharisæorum perversioni & consuetudini pravæ, qui levi de causa juramenta permittebant. Tertiò vox ὅλως sive omninò si prematur, ipsis Apostolis juramento utentibus erit adversa; voluit itaque Christus ita saltem hoc indicare, omninò non jurandum esse, scil. quantum in nobis est; ut exponit ipse Augustinus.

X.

Non meliora sunt, quæ Volkelius adducit: Redarguere potest Judæus hunc hominem, qui vult videri & dici Christianus. Pro nobis enim Philo clarè ad tertium hoc præceptum. Photinianis faventissimus Grotius, qui consulendus ad verba *Matth. 5.* Videatur deniq; ipse Socinus, qui de Ebrææ vocis notatione pro nobis philosophatur. Quæ addit de voluntariis juramentis, ambiguè sunt dicta, aut n. illa æquipollent temerariis, & sic omninò Christus illis interdixit, aut ut dicunt actum voluntarium, cujus principium non tantùm est intellectus sed & voluntas, positis ponendis, atque ita falsò dicitur, Christum talia prohibuisse, cùm ipsemet Volkelius negare non possit, etiam voluntaria posse locum habere in N. T. Secundò, si voluntaria juramenta de futuris rebus & impedibilibus intelligantur, ut ipse quidem exponit, falsum est, talia à Christo esse expuncta; futuri enim contingentia & impedibilitas ut non prohibet stipulationes, promissiones, sponsiones, vota, ita nec juramenti religionem; nec talia effunduntur ita laxè, ut nullam conditionem tacitam includant, adhærere solitam etiam aliis humanis propositis, consiliis & actionibus, de quo *Jacobi 4. v. 15.* nempè: Ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ, καὶ ζήσομεν, καὶ ποιήσομεν τοῦτο ἢ ἐκεῖνο: neque eventum præstare absolutè intendit jurans, sed animum declarare de præsenti, &, si non impedimentum ponatur, pronum in promissionis juratæ adimpletionem. *Tertiò*, quæ putat confirmare suam sententiam, non faciunt pro illa. Nam quomodo vox *omninò* accipienda sit, superius est expositum, ipse verò propria vineta cædit; nam si hæc verba *neque per cælum, neque per terram* explicant per vocem *omninò*, non tam juramenta voluntaria censenda erunt prohibita à Christo, quam modus & forma, quæ vitiosa, neque quando Christus dicit, *sermo vester sit Est est, Non non*, submovet juramenta judicialia vel alia, quæ cū gloria divi-

na & æstimio Nominis sancti consistere possunt, sed illa, quæ cottidiano sermoni inseruntur, promiscuè & citra causam effunduntur, cum injuria in Deum, vilipendio Numinis. Cætera suprà sunt excussa.

XI.

Iniqui sunt præ aliis in juramenta Anabaptistæ. de jurejurando enim sic docent: Christianorum sermones debere esse Etiam, Etiam. Johannes Wigandus Episcopus Ponezaniensis refert, illos in subsidium causæ suæ vocasse B. Hussum, qui tamen locutus fuit de illicitis juramentis, quæ impœnitentibus mortem adferunt, ac maluisset supplicium perpeti, quàm falsò jurare. Nec dissimulandum etiam de tempore V. T. ita illos pronuntiare; De tempore verò N. Test. quid sentiant, suprà ex Bullingero audivimus. Sed *primùm* in V.T. non tantum permissum fuit juramentum, sed positis ponendis præceptum, ut docet locus *Exod. 22. v. 10. 11.* *Secundò*, falsum, juramentum non fuisse opus Spiritus; fuit enim latria & lex in V. T. quæ exigebat illud, erat spiritualis æquè ac in Novo. *Rom. 7. v. 14.* *Tertiò* non tenebatur tantùm Jure humano & divino juramentum suum præstare, qui juraverat, vi loci. *Deut. 6.* sed & jurare debebat. Alterum, quod Anabaptistæ asserunt, nempe perjurium tantum in V. T. fuisse prohibitum, in Photinianis profligavimus, & perstringit illud non absque fundamento unus & alter Theologus. *5. 6.* Tertium in N. T. non facit pro Anabaptistis, nam ad locum Matth. respond. Bullinger *pag. citata.* Wigandus *dicto loco.* ad locum verò Jacobi Brochmandus *in Commentario.*

XII.

Exemplis verò possunt reprimi sat validè Anabaptistæ: Pauli, qui juramento usus fuit *Rom. 9. v. 1.* ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, οὐ ψεύδομαι, συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεώς μου ἐν πνεύματι ἁγίῳ: adde loca 2. *Cor. 1. v. 13. Rom. 1. v. 9. & Philip. 1. v. 8.* imò apertè docuit hic Apostolus, juramentum finem imponere controversiis. *Ebr. 6. v. 16.* nec obstat, quod Menno opponit, distinguenda esse negotia temporalia, quæ carnem & sanguinem, pecunias aut possessiones spectant, & negotium confirmandæ veritatis ad Dei gloriam & salutem ac ædificationem proximi. Præterea Paulum loqui *Ebr. 6.* ita

ita ut addat, inter homines, i. e. inter illos, qui adhuc carnales sunt, unde firmum maneat, credentibus discipulis Christi præceptum esse, ne jurent, illos solos hac lege contineri, quo etiam collineet Jacobus præcipiens fratribus, at non mundo, ne jurent omninò. Nam *primò*, si juramentum in se habeat aliquid vitii & prohibiti, ex objecto vix poterit eò deduci, ut fiat legitimum Deoque placens & honestum; *secundò* ita probantur juramenta, cùm & nos extra negotium confirmandæ veritatis ad Dei gloriam & salutem ac ædificationem proximi jurare non permittamus, potest autem juramentum deponi etiam circa possessiones & pecunias, quod ad ædificationem proximi spectat. *Tertiò* distinctionem hanc elidit praxis Anabaptistarum, qui illud *omninò ne juretis* ingeminant, & juramentum simpliciter prohibitum esse volunt, Secundò dictum Paulinum *Ebr. 6. v. 16.* absolutè accipiendum est: loquitur enim Apostolus de juramento ejusque effectu, præscindendo à qualitate hominum & comparando effectum cum causa sua simpliciter. Deinde dicit Paulus, homines jurant per eum, qui major, qui fallere & falli non potest; adeoque probat juramentum tanquam recognitionem superioris, tanquam cultum illius, qui falli vel fallere non possit, comparat cum juramento, quod ipse Abrahamo prodidit, loquitur de eo, quod optimi finis meta atque radix. Tertiò illud *inter homines* est ex additione voluntaria Anabaptistica, nihil enim in textu illius legitur, sed verba ita habent: ἄνθρωποι μὲν γὰρ κατὰ τοῦ μείζονος ὀμνύουσι, καὶ πάσης αὐτοῖς ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος. Et, si Christi Discipulis tantum interdictum jurare, tunc illi, qui extra Ecclesiam sunt, jurando non peccabunt, adeoque impiis non erit peccatum, quod piis prohibitum, cùm Paulus dicat: *Mundis omnia esse munda; immundis verò & injustis omnia esse immunda.* *Tit. 1. v. 15.*

CAPUT I.

PRÆCEPTI TERTII.

Verba Textus.

זָכוֹר אֶת־יוֹם הַשַּׁבָּת לְקַדְּשׁוֹ׃
שֵׁשֶׁת יָמִים תַּעֲבוֹד וְעָשִׂיתָ
כָּל־מְלַאכְתֶּךָ׃ וְיוֹם הַשְּׁבִיעִי
שַׁבָּת לַיהוָה אֱלֹהֶיךָ לֹא תַעֲשֶׂה
כָל־מְלָאכָה אַתָּה וּבִנְךָ־וּבִתֶּךָ
עַבְדְּךָ וַאֲמָתְךָ וּבְהֶמְתֶּךָ וְגֵרְךָ
אֲשֶׁר בִּשְׁעָרֶיךָ׃ כִּי שֵׁשֶׁת יָמִים
עָשָׂה יְהוָה אֶת־הַשָּׁמַיִם
וְאֶת־הָאָרֶץ אֶת־הַיָּם וְאֶת־כָּל־
אֲשֶׁר־בָּם וַיָּנַח בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי
עַל־כֵּן בֵּרַךְ יְהוָה אֶת־יוֹם
הַשַּׁבָּת וַיְקַדְּשֵׁהוּ׃

Memento, ut diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; Septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est: Non facies omne opus, tu & filius tuus & filia tua, servus tuus & ancilla, & jumentum tuum & advena tuus, qui in portis tuis. Quia sex diebus fecit Jehovah Cælum & Terram, Mare & omnia, quæ in illis, & requievit in die septimo: idcircò benedixit Jehovah diéi Sabbathi, & sanctificavit eum.

THESIS I.

TErtium est hoc in Tabula prima præceptum, convenienter duobus prioribus junctum; nam *primò*, sicut in prioribus remota sunt illa, quæ divino cultui obstant, quæ prohibent, nè debitè & decenter exhibeatur; ita à remotione eorum procedit Legislator ad exercitium, quod citra illam non potuit locum habere in populo electo. Quo respexit *Nicolaus Lyra*, qui ita orditur hoc mandatum: Postquam removit impedimenta cultus divini, sc. idololatriam, per primum præceptum, vel irreverentiam divini nominis per secundum, hic principaliter dat præceptum de cultu debito ipsi exhibendo. Et ponitur ordo, quare prius sunt removenda impedimenta alicujus rei institu-

instituendæ, antequam instituatur. *Secundò*, cùm positivè constituisset in primo præcepto Objectum indivisibile cultus, in secundo Modum per nominis celebrationem, nunc ad Tempus progreditur Deus, & nè populus illius sibi ipsi præfigeret nunc hoc nunc illud, etiam diem certam determinat, in quo externi quoque ritus refulgeant; quò quidem referimus, quicquid sit de dispositione Calvinianâ illa *Wolffgangi Musculi* scribentis: Quartum hoc est & ultimum prioris tabulæ præceptum, tribus præcedentibus admodùm competenti ratione subjectum. Omnis hæc est veræ pietatis ac religionis summa, ut Dominum Deum nostrum, Diis falsis omnibus rejectis, religiosissimo fidei, timoris & observantiæ affectu; absque illa imaginum & simulachrorum superstitione, ritè ac sincerè colamus. Huc faciunt tria præcedentia præcepta, per modum prohibendi sic proposita, ut cum dicit: Ego sum Dominus Deus tuus: Non habebis Deos alienos coram me: Non facies tibi sculptile neque ullam imaginem &c. Non adorabis neque coles ea: &, non sume nomen Domini tui vanè &c. Nihil præcipit aliud, quàm ut Dominum Deum nostrum unicè, sine gentili superstitione, cum debita nominis ipsius existimatione & sanctificatione colamus. Jam quoniam veracitas & interna erga Deum pietas, fides, religio, observantia, est cultura omnium spiritualissima, qua Deus & Spiritu & veritate colitur & adoratur, opus habet externo aliquo, non dico cultu, sed exercitio, quo animi nostri ad illius cum intelligentiam tum affectum, aspirante gratia & operatione divini spiritus, instruantur & imbuantur usu simulacrorum rejecto, quo gentes suorum deorum religionem & cultum exercebant, populo suo instituit ac præscribit certum quoddam tempus, formandæ & alendæ pietati accommodum, diem videlicet septimum, illumque ad hoc sanctificat, ut legitimis ceremoniis, quas ipse præscripturus erat, fidem in ipsam cordis pietatem singulis septimanis addiscerent & alerent. Denique cùm hoc finiat primam Tabulam, cui altera succedit, lexque non tantùm obiter cognoscenda, sed & illustranda, exponenda, inculcanda in Synagogis & publicis conventibus, ut verus sensus hauriretur, quantumque homo Deo & proximo deberet, intelligeretur, ideòque publicæ huic exergasiæ dies erat destinandus, in quo fundamentum

mentum illud primæ & secundæ Tabulæ in animis auditorum solidè & profundè poneretur; quò accommodare possumus illa Riveti, qui pro memoria intimata ita disserit: Accedit, quod cùm præceptum hoc sit quasi intermedium inter alia primæ tabulæ præcepta, & secundæ; & Sabbati sanctificatio sit quasi nervus intelligentiæ ac obedientiæ cæterorum Præceptorum, quia Lex debebat legi, & exponi Sabbatho, & publico præconio verbi Dei doctrina erat cognoscenda, secundùm quam instituenda erat tota vitæ ratio in vocatione fidelium, ita ut hoc præcepto neglecto, cætera etiam excidissent; commodè ei addita est specialis hæc exhortatio, quæ cùm apud Ebræos connotet affectus, qui vel memoriam præcedunt & consequuntur & ex eis officia præstanda, nihil dici potuit ad rem aptius.

II.

Dicit autem Deus post promulgationem capitalium præceptorum duorum: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices &c.* In quibus verbis occurrit præfixum *Exordium*, secundò *Substantia præcepti*, & tandem *Ratio* adjecta constringens, quæ tria ipso Deo attentionem solicitante, probè erunt expendenda, ut constet & quid Deus, & quomodo imperet, exigat, intimet, cùm passim in hæc capita Interpretes & alii hoc effatum divinum distribuere soleant.

III.

Primum verbum in hoc Enunciato Divino est vox *Memento* זָכוֹר in infinitivo pro זְכוֹר *Zechor*, recordare, unde observant Philologi non tantùm Enallagen hic occurrere Infinitivi pro Imperativo, ut *Deuter. 5. v. 12. Josuæ 1. v. 13. Job. 32. v. 10. Psalm. 17. v. 4.* Sed & ellepsin quandam hoc modo supplendam, *recordando recordare*, qua geminatione aliàs *Hebræi* rigorem indicent actus designati, ut sensus sit, *probè & accuratè memento*, ita ut nunquam in oblivionis nebulam se recondat, quod solis divini radio scriptum, præceptum atque injunctum, & hoc quidem in significatu passim hæc vox legitur in Scripturis *Psalm. 8. v. 5. Eccles. 12. v. 1. Ierem. 3. v. 16. & alibi.*

IV.

In *Deuteronomio* capite sc. *quinto versiculo duodecimo* adhibetur

betur vox שָׁמוֹר eâdem ellipticâ loquendi ratione & enallacticâ; Dicit enim Moses: *Observa diem Sabbathi, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus*, quæ custodiam & observationem debitam indicat. Est enim שָׁמַר *Schamar* idem quod *servare* & *retinere*, adeòque vult *Moses*, ut probè expendamus, retineamus summo studio & curâ hoc mandatum, nè effluat, servemus in mente, nè excidat; atque usurpatur in Scripturis de *Ducibus bellicis* & *militibus* in obsidione aliqua urbem adversam diligenter observantibus 2. *Samuel.* 11. *v.* 16. 2. *Reg.* 9. *v.* 14. 15. De *vigilibus* noctu omnia lustrantibus, hinc inde oculis ex alto despicientibus *Cantic.* 3. *v.* 3. *Esa.* 21. *v.* 11. De *custode ovium*, cui relinquuntur illæ curandæ 1. *Sam.* 17. *v.* 20. & absolutè notat solicitam & indefessam observationem, quo quidem sensu invenies *Job.* 24. *v.* 15. *Psalm.* 130. *v.* 3. *Jerem.* 8. *v.* 7. atque maximè ad propositum faciunt verba *Salomonis Proverb.* 4. *vers.* 4. LXX. Interpretes in illius locum substituunt verbum φυλάττειν, quod etiam de verbo divino usurpavit *Lucas cap.* 11. *v.* 28. neque subscribere possumus Rabbi Eliezeri Asquenazi, qui vocem שָׁמוֹר *Schemor* exponit per Imperativum *Spera*, & scribit: Quantum ad corporis exercitia Sabbathi die homo quiescat, non item anima; nam hic dies meditationibus piis dedicatus est. Ideòque respiciens ad corporis quietem S. S. inquit: Recordare, nimirum Creationem Mundi; at quia meditationibus spem concipimus æternæ lætitiæ in altero Mundo, cujus Symbolum est Sabbathum, (uti & notavit Author Maamar à Sehil) usurpatur vox שמר, quæ itidem verti potest, SPERA, ut: ואביו שמר את הדבר & Pater ejus speravit rem illam, & quia unum ab altero dependet, est ac si utrumque simul dictum esset.

V.

Movit vocum harum diversitas *Judæis* scrupulum; cùm enim *decem verba* ab ipso Deo fuerint prolata, ideòque ipsis videtur, si usus fuit, in pronunciatione illorum verbo זָכוֹר *Zachor*, non potuisse adhiberi vocem שָׁמוֹר *Schamor*, vel combinanda esse hæc duo; unde *Rabbi Salomon*, observante *Tostato*, ut conciliaret hanc discrepantiam, dixit, quòd quando Deus loquebatur in Tuba, *in*

uno verbo dixerit duo, ſcilicet, quod ſicut nos dicimus iſtas duas dictiones *homo currit* ſucceſſivè, ita ut quando unam proferimus, non proferamus alteram: volebat ſc. *Rabbi Salomon*, quòd in illa Tuba Dei duæ dictiones ſimul ſonarent, ita quod ſimul diceretur: *Homo currit*, & ſic de iſtis, quod ſimul illa Tuba diceret, *memento, ut diem Sabbathi ſanctifices*, &, *obſerva diem Sabbathi, ut ſanctifices*. Verba ſunt Epiſcopi Abulenſis.

VI.

Verùm ut ebriis vel lumine luſcis omnia apparent gemina, aut diſtorta, ita poculo errorum dementatis Magiſtris, cur enim ad id decurramus, & miracula fingamus citra neceſſitatem? annon unicâ voce uſus eſt Dominus Zachor, cùm edixit λόγια ζῶντα? annon Moſes adhibuit vocem *Schamar*, quâ æquivalente ex inſtinctu divino potuit uti? annè par ratio Effati *Homo currit* & geminatæ vocis in mandato, ut ſibi perſuadet cæcutiens Doctor? num æquipollente verbo non potuit exprimere Interpres, quod alio intimavit ipſum Numen? num non ſufficit in Radice ſenſus convenientia? unde etiam ipſi Judæi declinant ab hoc crudo effato, docente Menaſſeh Ben-Iſraël in Conciliatore p. 150. cujus ſunt ſequentia: Veteres ſapientes differentia hac obſervata in Mehilta inquiunt: Memores eſtote, & ſervate, uno verbo dictum eſt. Quod ut rectè notavit R. Abraham Aben-Ezra, non ad literam accipiendum eſt. Etenim, quamvis concederemus, divinum ſermonem ab humano differre, atque idem præceptum aliis atque aliis verbis efferri poſſe; nihilominus relinqueretur difficultas iſta, quòd utraque ſimul verba audire nequiverint. Nam neceſſariò primùm audienda erat vox זכור *Zachor* memorem eſſe, dein שמור *Schamor* cuſtodire; quando in una eademque voce ipſæ literæ, & multò magis ſyllabæ, ſucceſſivè audiuntur. Idcircò ſupra citatus Anthor, Rabbinicum iſtud Dictum emphaſin habere, & majus aliquid ſignificare, exiſtimat, nimirum ſervationem à memoria pendere. Quippe ad ſervandum Sabbathum ſcire oportet, quis dies hebdomadis ſit. Unde ſtatuit, dicere veteres Magiſtros voluiſſe, Iſraëlitas quando in monte Sinai audirent verba illa, mementote diei Sabbathi, omnes intellexiſſe, ideò præcipi memoriam, ut diem illum ſervarent: adeò ut hac ratione unum verbum utrumque incluſerit:

cluſerit: ac Moſes pro mementote dixit ſervate, ad ſolum ſenſum attendens, uſitato Prophetis more, qui ſemper mentem Scripturæ, non autem verba conſiderant. Nel malè Grotius obviavit huic ſomnio, dum ſcripſit: *Φυλάξαι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων.* Obſerva diem Sabbathi. Similis in Hebræo differentia, hoc loco זכור, in Deuteronomio שמור. Moſes expoſuit, quid vox memento ſignificet, nempe attende Sabbatho. Sic 2. *Pet.* 3. *v.* 17. 1. *Job. cap.* 5. *v.* 21. itaque ſæpè שמר vertitur per vocem *προσέχειν*, addito dandi caſu, ut *Gen.* 24. *v.* 6. *Exod.* 10. *v.* 28, 23, 21, 34, 12. *Deut.* 4. *v.* 9, 6, 12, 8, 2, 12, 13, 19, 15, 9, 24, 8.

VII.

Fruſtra quoque *Thomas opuſculo quarto* annotat, non dici *cuſtodi*, ſed *memento*, qui tamen aliter ſentire debuiſſet, cùm obſervatio cuſtodiam requirat intra receſſus memoriæ, quapropter etiam Pontificii ſcriptores ipſum hîc deſerunt, & magis probant illa verba *prima ſecundæ q.* 100. *ad quintum Artic.* 7. dicentis, quod præceptum de Sabbatho ponatur ut commemorativum beneficii præteriti, & ideò ſpecialiter in eo fiat mentio de memoria. Vel quia præceptum de Sabbatho habeat determinationem adjunctam, quæ non eſt de lege naturæ: & ideò hoc præceptum ſpeciali admonitione indiguerit.

VIII.

Utilius quæritur, quid vox זכור *zachor* indicet, quem actum ſuggerat, quàm latè ſe extendat? Reſpexit autem Deus generatim hoc Verbo ad *Neceſſitatem, Dignitatem & Nobilitatem Objecti;* quæ enim neceſſaria ſcitu vel factu, illa volumus maximè memoriæ commendata; quæ à DEO proponuntur, ejusdem voluntatem referunt, & in illius Gloriam ſe refundunt, illa infigere etiam vult menti hominum; quæ denique perennare debent, eâdem rectitudine obſervari, illa Theſauro conſervandorum committimus. Ita quia ſingulari axiomate gaudebat pactum Divinum, ideò dicitur *Exod.* 23. *v.* 24. *Cave, nè obliviſcaris &c.* quia neceſſaria obſervatio verbi Divini: hinc dicitur *Deut.* 6. *v.* 8, 9. *Ligabis ea tanquam ſignum in manu tua &c. Num.* 15. *v.* 39. quia denique debitè celebrandum feſtum Azymorum, inde fit, ut dicatur *Exod.* 13. *v.* 3. *Mementote diei hujus, quo egreſſi eſtis ex Ægypto, domo ſervitutis, &c.*

 IX. Spe-

IX.

Speciatim verò Deus hoc verbo excitare voluit *Israelitas*, nè oblivifcerentur *Sabbathi*, ut quidem in *Ægypto* factum, partim ex mixturâ cum populo profano, ex quo facilè aliqua labes adspergitur, partim ex turbato rerum ftatu, partim ex laborum invalefcentium pondere, fub quo potius gemebant, quàm Sabbathum agebant; quanquam fint, qui putent, refpici recentem atque indignam illius apud Ifraelitas *Exod. 16. v. 27.* oblivionem, atque obliquè innui, ut adverfus fimilem culpam fe præmunirent, quo etiam fpectarit increpatio & monitio illa *Exod. 16. v. 28. Quousque renuitis obfervare mandata mea & leges meas? videte quod JEHOVAH dedit vobis illud Sabbathum*, de quo in progreffu difpiciemus. Huc faciunt illa Guilielmi Perkinfii: Hæc claufula innuit præteritis temporibus neglectum jacuiffe Sabbathum, & requirit præparationem ad fanctificandum Sabbathum ab omnibus, & in primis à Dominis familiarum & civitatum, quibus hoc mandatum proponitur. *Secundò* ut hoc præceptum intimis fibris fenfuum concrederent, tanquam momentofum quid, devitarent etiam periculum pœnæ peculiaris, annectendum huic mandato in transgreffores illius, de quo *Exod. 31. v. 14, 15. Num. 15. v. 35. & Jerem. 17. v. 27.* Tandem *tertiò, ut meditationi facræ hoc tempus cederet*, partim *Creationis*, partim miraculofæ *Liberationis*, partim gratiofæ & *gloriofæ Refectionis*, quo referre licet illud *Exodi 31. v. 13, 17.* quod notavit etiam Wolffgangus Mufculus, qui fcribit: Jubet Deus obfervare Quietem, & non de profano aliquo otio loqui videtur, non dicit: Memento ut ferves Sabbathum, fed ut fanctifices diem Sabbathi. Sanctificare diem Sabbathi eft illius otium habere religiofum & exercitiis facris deputatum.

X.

Difpalefcere poteft ex dictis, quid fentiendum de diverfis Doctorum fententiis, quorum aliqui putant, officium memoriæ effe referendum *ad ipfum diem*, quod quibusdam eruditis placuit; aliqui exiftimant, illud tendere ad *fanctificationem* imperatam à Deo; denique aliqui, refpicere illud *caufam* & rationem annexam, in quo tamen aliqua differentia; quibusdam recordationem ad ipfam *Creationem*, quibusdam ad eductionem ex Ægypto referentibus; prius proba-

probavit Alphonſus Toſtatus, Abulenſis Epiſcopus, ſcribens: fortè dicitur Memento, ut reducamus memoriam noſtram ad cauſas hujus obſervationis, quæ ſunt præterita, ſcilicet quia ſex diebus creavit Deus Cœlum & Terram, & in die ſeptimo requievit: ergò vos in die ſeptimo requieſcere debetis, memorantes illam quietem Dei in ſeptimo die à creatione rerum. Et eſt ſenſus: memento, quòd Deus fecerit cœlum, & terram, & cætera in ſex diebus, & in die ſeptimo requievit: & horum memor eſſe debes, ut ſanctifices diem ſabbati: & ſic referetur τὸ memento, non ad diem ſabbathi, ſed ad obſervationis rationem. Alterum elegit Antonius de Eſcobar, hæc adjiciens: Recordare, ut ſanctè colas Sabbathi diem. Cur verbo hîc ſpeciatim Memento uſus? Quia diei Sabbathi ſolemnitas indicta efficacius Hebræis ob egreſſionem ex Ægypto. Curat ergo Dominus Hebræos recordari cauſæ indictionis hujus ſolemnitatis, ut memores beneficii illius majori ſanctitate Sabbatha colant.

XI.

Rabbi Salomon opinatur, τὸ *Memento* eſſe præfixum, quia in omni re pretioſa homo obligatur ad memoriam Sabbathi, ut ſi habeat novam veſtem, vel jocale pulchrum, illam in Sabbatho induat, primùm ſe illo in tempore exornet, & hoc ipſum tanquam Solennitatem, quam deceant pretioſa & ſolennia, expectet. *Toſtatus* exiſtimat, inde eſſe illud præmiſſum, quia aliquid ſpeciale dicat; cùm enim reliqua præcepta ſint purè moralia, hoc etiam ceremoniale eſſe, atque ita ſpecialem à cæteris & diverſam habere rationem; à qua ſententia non multùm recedit illa, quâ ſtatuitur, illud poſitum hac de cauſa, quia homo in ſtatu lapſus cognoſcere non poſſit ſanctificationem hanc, Deus verò, qui ſolus optimè perſpectū habet, quàm perfectè homo integer leges naturales cognoverit, præceptum quidem clariſſimum poſitivum, cæterùm ab Adamo per congenitam Sapientiam ad modum legis naturalis congenitum, cum hâc præfatione repetierit.

XII.

Nos nihil obſtare videmus, quo minus hanc memoriæ artem, à Deo imperatam, referamus ad omnia membra & complexum totius Sententiæ; nam & diei hujus natales non erant ita recentes, ut memoria non debuerit ad illos reflectere, nec ſanctificatio demum

cœpit, sed & Patriarchis in usu fuisse demonstrabitur: nec tandem beneficium Creationis & Eductionis non inter præterita & exhibita referendum, quanquam diversa ratione hæc respiciat diem, ut Tempus designatum & renovatum, sanctificationem, ut cultum in hoc tempore exhibendum, Beneficium, ut stimulum, qui urgeat, incitet & pondus addat præcepto. Et si זכור *Zachor* & שמור *Schamor* æquipollent, & unum alterum elucidat, sicut observandus venit dies, Sanctificationis præceptum & annexa ratio: ita quoque Recordatio sese reflectit super omnia, vel si memoria imperata, ut attendatur Sabbatho, memoria erit referenda & ad diem, & ad Sanctificationem & ad causam, utpote quibus omnibus attendendum.

XIII.

Insulsum verò est, quòd plerique *Judæi* ad ornatum & vestium pompam illud *Memento* obliquant; nimis enim est emphaticum, quàm ut ad exilem illam vestiendi & exornandi actionem referatur, nec vola nec vestigium illius est in textu, sed potius jungitur illi sanctificatio diei ex Beneficio creationis & eductionis, ut intelligatur, sanctificationem esse debere in viridi memoriâ, quæ non fit vestium apparatu & operosâ structurâ, quæ Deo exosa potius, quàm grata, sed animæ culturâ & exornatione. Infirmum itidem, quod *Tostatus* opinatur, innuisse Deum diversitatem hujus præcepti, quod partim cæremoniale, partim morale, quanquam enim reverâ ita sese habeat, eò tamen Deum collimasse, nullo argumento docet Episcopus; sufficienter præterea istud *Memento* explicatur per excussionem oblivionis, in re momentosâ firmitatem impressionis, insinuationem debitæ præparationis, & meditationis, sacrarum rerum ac Beneficiorum Divinorum sanctificatione indicatæ; nec tandem Deus voluit, ex hac voce Israelitas haurire diversitatem hujus præcepti à cæteris in hoc, quòd partim cæremoniale, partim morale, quia alibi id illis exposuit, & hìc ad substantiam præcepti, quod morale quidem ex parte, cæremoniale verò etiam respectu Judæorum, sed circa vestigium distinctionis restrinxit. *Tertia* sententia non probabitur iis, qui post lapsum aliquid de hoc die indefinitè septimo volunt affulsisse etiam gentilibus ex Lumine naturæ; nec remotè quærenda sunt, quæ obvia; cumque Deus mentionem faciat creationis, quam Sanctificatio septimi diei secuta & eductionis

nis ex Ægypto, cur illud *Momento* exponamus de speciali ratione hujus præcepti, quòd illud in statu lapsus planè sit obscurum, imò reconditum homini irregenito, quem Deus velit revocare ad pristinum statum, & reducere ad Adamum, in quo naturaliter notitia hujus objecti resplenduerit, quidquid sit de re ipsa, de qua in sequentibus: & cur non τὸ *Memento* etiam præfixum est Præcepto de non concupiscendo, cùm & illud, ut quidem rectè dicitur, in statu lapsus non cognoscatur Lumine naturali, non verò incognitum fuerit Adamo, omne illud esse peccaminosum, quod contra Legem Divinam, sive illud sese habeat tanquam radix mala & habitus, sive ut motus primò primus, sive denique ut malum erumpens & actus, qui hæc consequitur?

XIV.

Vera enim origo controversiæ hujus nominis est vocabulũ שָׁבַת quod notat *cessare, desistere*, differtque à חדל, quod etiam negationem operis notat, nec non מנוחה *Menuchah*, & à LXX. Interpretibus exprimitur per παύεσθαι, ἀναπαύεσθαι, διαπαύεσθαι, μεταπαύειν, ἡσυχάζειν, σαββατίζειν, quæ generatim quamlibet requiem significat, & ponitur etiam diversimodè vel cum re vel operatione: sic generatim occurrit, & speciatim de re, quæ desiit esse *Josue 5. v. 12. Esa. 24. v. 8. Jer. 31. v. 36.* de operatione verò *Exodi 16. v. 30.* nec non *cap. 34. v. 21. Levit. 23. v. 32. & cap. 25. v. 2.* in quo postremo loco conjungitur Radix & fructus שבתה שבת *Schabbeta Schabbat*, quiescet Sabbathum.

XV.

Non autem dicitur *sanctificabis Sabbathum*, sed notanter יום השבת *Jom haschabbath, diem Sabbathi.* יום *Jom* enim *diem* notat, & aliàs, illud tempus designat, quo lux Solis conspicitur, opponiturque illi לילה *Lailah, nox*, ut constat ex *Gen. 1. v. 5.* quandoque, cùm dies numerantur singuli, illud tempus designat, quod est *viginti quatuor horarum*, quod constat ex die & nocte, quod est unius diei & alterius, quo quidem sensu dicitur *Gen. 1. v. 5. & factus est vesper & factum est mane unus dies*, hoc est, adventante aurora sive mane consummatus fuit præcedens dies, ut exponunt aliqui & venit alius; quo verò sensu hæc vox sit accipienda in hoc præcepto, Moses docet, dum scribit

ſcribit: *à veſpera ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra, Levitici vigeſimo tertio verſiculo trigeſimo ſecundo*, de quo plura ſequentibus.

XVI.

Ipſa Sanctificatio exprimitur verbis לקדשו *Lekaddeſchô*, quo deſignatur finis memoriæ, actus præceptus, ſcopus & anima hujus præcepti, ut loquitur B. Gerhardus. LXX. Interpretes uſi ſunt voce *ἁγιάζειν*, varias autem ſignificationes habet verbum hoc קדש & ſanctificare vel rem vel perſonam, eſt illam puram & ſanctam, ut in ſe eſt, *agnoſcere & celebrare*, vel ex impura & immunda *reddere puram & mundam*, vel ad aliquem uſum aut opus *præparare*, deſtinare, ordinare, quæ generaliſſimæ ſignificationes ſunt, ſpeciales ſub ſe comprehendentes. Sanctificatio verò diei ſeptimæ, aut conſideratur *ex parte DEI*, atque ita Deus ſanctificaſſe dicitur diem ſeptimum, à communi uſu ſeparando, & ſacro cuidam deputando, ut legitur *Gen. 2. v. 3.* & *Exod. 20. v. 11.* atque ita urbes quædam à Joſua dicuntur *ſanctificatæ* h. e. uſui cuidam ſingulari deſtinatæ *cap. 20. v. 7.* *vel ex parte noſtri*, atque ita dicimur ſanctificare Sabbathi diem agnoſcendo & celebrando illum tanquam ſanctum, & ſanctis uſibus deſtinatum, quo in ſenſu aliâs hæc vox occurrit *2. Chron. 2. v. 4.* *Eſaiæ 29. v. 23.*

XVIII.

Interim non negamus, priorem ſignificationem, etiam reſpectu hominis, certa ratione eſſe admittendam, ut ſcil. & nobis mandatum eſſe intelligatur, diem illum à nobis uſui ſacro ſubordinatè ad Voluntatem divinam deſtinandum & cultui divino conſecrandum, ut vacantes à laboribus ordinariis, piis meditationibus, ſermonibus & operibus tribuamus hoc tempus, accommodemus, & quidem tùm publicè, juxta illud *Lev. 23. v. 3.* tum privatim, juxta illud *Deut. 6. v. 6, 7, 8, 9.* tùm *internè* tùm *externè*, quò ſpectant illa Franciſci Gomari ſcribentis *theſi 23, 24, 25, 26, 27, p. 259. 260.* Cùm variè accipi ſoleat hæc vox, hoc in loco nihil aliud eſt, quàm à communi uſu ad ſacrum ſegregare. Id quod & materia ſubjecta, & perpetua ſacra Scripturæ (quùm de inanimatorum ſanctificatione ac ſanctitate agit) conſuetudo demonſtrat. Quemadmodum de die 2. *Reg. 10. v. 20.* Sanctificate cœtum, hoc eſt, diem cœtus: de loco, *2. Chron. 7. v. 16.* Sanctificavi domum hanc: de re, *Exod. 29. v. 27.* San-

Sanctificato pectus illud agitationis. Quo etiam sensu, sanctitas tribuitur panibus sacratis *Lev. 22. v. 6, 7.* & anno Jobel, *Ibid. 25. v. 12.* Ac similiter dies Sabbathi *Exod. 31. v. 14. & 35. v. 2.* Sanctitas (hoc est, sanctus, sacer) Israelitis appellatur. Atque ita sanctificari hoc mandato jubetur. Quæ sanctificatio duobus membris continetur. Quorum primum est, religiosa diei Sabbathi, seu quietis sacræ, observatio, quâ ex hujus præcepti cogniti materiâ & reverentiâ, à negotiorum humanorum opere ad obsequium, Deo Legislatori præstandum, cessatur. Unde *Jer. 12. v. 24.* ut sanctificetis diem Sabbathi, exponit sequentibus, & non faciatis in eo ullum opus. Deinde alterum est quietis illius, ad publicum cultus Dei exercitium consecratio: ut ex contraria Sabbathi profanatione, quæ utrique parti (priori quidem *Exod. 31. v. 14. Jerem. 37. v. 22. & 24.* posteriori verò *Jes. 58. v. 13.*) opponitur, apparet. Quomodo Sabbathi sanctificatio *Exod. 20. v. 8.* utrumque hoc membrum complectitur, sed *Deut. 5. v. 12.* Observa diem illius Sabbathi ad illum sanctificandum, secundum tantùm designat. Quæ varietas ex diversa verborum (in mandati de Sabbatho propositione) circumstantia promanat: quoniam disertè à diei Sabbathi, seu quietis observatione, tanquam scopus illius distinguitur. Quemadmodum vicissim diei Sabbathi observatio; quum à sanctificatione ejusdem *Deut. 5. v. 12.* discernitur, solam illius quietem, speciatim denotat. Quando verò absolutè ac separatim sine illa distinctione (ut *Exod. 31. v. 16.* observanto itaque, filii Israel, Sabbathum ipsum, celebrando Sabbathum, per generationes fœdere perpetuo) generatim ponitur, utrumque similiter, & diei quietem sacram, & illius ad solennem Dei cultum exercendum consecrationem comprehendit. Nam ut diei Sabbathi quies sacra & cultus Dei imperatur; sic, in utriusque obedientia observatio & sanctificatio Sabbathi consistit.

XVIII.

Tertium, quod suppeditat textus Sacer, est Ratio, cur debeamus sanctificare diem Sabbathi: quanquam enim Deus simpliciter potuisset imperare illam observationem, nihilominus adjicere voluit stimulos, & subdere Argumentum. Duxit autem illud ab opere creationis consummato, sex enim, inquit, diebus fecit Dominus Cœlum & Terram, & mare & omnia quæ in eis sunt, & requievit die septi-

mo, idcircò benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificavit eum. Producit itaque primò Exemplum Dei, qui requievit die septimo, in exemplum nobis, ut cessemus sextiduo laborum expleto, atque septimo quiescamus ab officiis ordinariis, quæ Dei cessatio & quies non dicitur ratione defatigationis præviæ, ut Celsus quondam fuit calumniatus apud Origenem l. 6. sed ratione productionis, quia destitit creare, vel quievit, secundum Clementem Alexandrinum, velut disponendo, ut immobiliter servaretur ordo eorum, quæ facta sunt, quietem quasi & stabilitatem rebus impertiendo. Non enim lassatur aut defatigatur Jehovah, qui creavit terminos terræ, *Esa. 40. v. 28.* unde eleganter Augustinus *Tom. 3. de Gen. lib. 4. cap. 8.* Ipse, nec, quùm creavit, defessus, nec, cùm cessavit, refectus est, & consimiliter Gaudentius: Requies Dei non laboris remedium, sed cœptorum finis est operum, quid! si designaret hæc vox refectionem à labore, prout favere videtur huic significationi Locus *Exod. 31. v. 17.* non tamen nisi ἀνθρωποπαθῶς de Deo esset exponenda, intelligenda. Secundò Benedictionem, quam quidam cum Sanctificatione confundunt, quidam distinguunt, de quo in sequentibus. Si posterioribus accedamus, atque τὸ benedicere accipiamus vel propriè de laudatione, commendatione, approbatione, ut quidem Philo vult, vel figuratè de hominibus, diem hunc observantibus, quod scil. illis benedixerit, sensus erit, ideò quiescendum esse hoc die, cultui divino intendendum, quia ipse Deus commendârit, approbarit hunc diem, vel quia hominibus illum sanctificantibus benedixerit. Tertiò sanctificationem, quia scil. festum & sanctum haberi voluerit, atque cultui suo destinârit, ut illo quasi natalis Mundi & tanti Beneficii memoria recoleretur, ut Philo loquitur libro de opificio hominis.

XIX.

Accesserunt aliæ quoque Rationes, nempe ut Quies hujus diei esset signum ac monumentum Redemptionis & quietis ab operibus durissimæ quondam Servitutis in Ægypto, de quo *Deuter. 5. v. 15.* Memineris te servum fuisse in terra Ægypti, Jehovam verò Deum tuum te eduxisse manu forti & brachio extento, idcircò præcepit Tibi JEHOVAH DEUS tuus, ut observes illum diem Sabbathi, & tandem, ut esset signum Sacrum fœderis cum Deo initi, quò vergunt illa *Exod. 31. v. 13. & 14.* Sabbatha mea servate, nam signum est inter

inter me & vos, per generationes vestras, ad cognoscendum, me Jehovam esse, qui sanctifico vos. Observate ergò Sabbathum, quia res sancta est vobis; adde Locum *Ezech. 20. v. 12. 20.*

Caput II.
De Moralitate Sabbathi.

Th. I.

Circumspectè hîc procedendum, non tantùm, quia terminus Moralitatis in ambiguo natat, sed etiam, quia quidam rigidiùs illum accipiunt, quidam autem laxiorem significationem præeligunt. Observandum itaque primò, quæri à quibusdam naturale aliquid in hoc præcepto, à quibusdam aliquid morale: naturale autem illud esse dicitur, quòd scil. cultus externus exigatur, tempus etiam indefinitè huic exercitio Sacro impendendum, & denique cessatio à laboribus, qui aliàs cultus vigorem sufflaminarent, sacra impedirent. Secundò morale esse illud, quòd septimus dies in Orbe hebdomadario vagè præ aliis in Circulo illo observandus. Tertiò cæremoniale fuisse, quod septimus ille definitè in V. T. ab Ecclesia Judaica fuerit feriandus, qui hodie immutandus, cedente in illius locum die Dominico, & ut naturale in hoc præcepto, quantum ad totam suam latitudinem cultum, Tempus indefinitum, & vacationem comprehendit, ita si distinctiùs agendum, naturale potest dici vel negativum, vel positivum: quorum illud respicit cessationem ab impedimentis cultus, hoc verò ipsum cultum: ut enim ille sese diffundit per duo priora præcepta, ita quoque ad hoc sese porrigit, adeoque intimè in hoc ipso præcepto imbibitur, quem juris quidem naturalis esse, vix erit, qui negabit, quiq; considerabit, Paulum ob neglectum cultus divini reos egisse Gentiles, quòd Deum quidem cognoverint; sed non ut Deum glorificârint *Rom. 1. v. 21.* Morale itidem illud esse, quod vel strictè ita dicitur, vel laxè: illud aliàs vocatur morale naturale, hoc verò morale positivum: prius coincidit cum naturali, & in supra recensitis consistit, hoc verò inferioris est conditionis, præprimis autem ad proprietates aliquas & accidentia, quæ aliàs jus naturale morale, vel ea, quæ sunt moralia strictè sic dicta, insequuntur. Secundò observandum, diem septimum dici talem vel definitè

Judaicum scil.; vel indefinitè quemcunque in Circulo hebdomadario recurrentem post sextiduum; & de hoc esse controversiam, non de illo; de hoc disceptari inter Christianos Doctores, qui vel moralitatem negant vel asserunt non de illo, in quo cum recutitis controvertitur. Tertiò observandum, aliquos ita hanc moralitatem tueri, ut nihil cæremoniale in Sabbatho admittant, omne illud exulare jubeant, quosdam autem admittere, præceptum hoc esse mixtum ex morali & cæremoniali, quos quãtum sequamur, ex sequentibus deprehendetur.

II.

Imò qui omnia hic attendere volunt, & ad aciem ingenii revocare, quæcunque dici possunt de Sabbatho, notant præter morale & cæremoniale, aliquid politicum in hac constitutione, quod volunt consistere in præscriptione diei, qui quieti propter labores ordinarios & jumenta deputandus, de quo audire lubet Josuam le Vasseur in dissertatione de Sabbatho, Thesi vigesima tertia, scribentem: In Decalogi Præcepto de Sabbathi observatione, aliquid morale est, aliquid cæremoniale, aliquid politicum, nec totum quantum est, morale est duntaxat. Morale hujus mandati est, ut aliquis assignetur dies, quo sacræ fiant coitiones ad Deum publicè & externo cultu celebrandum & palam coram hominibus glorificandum: Politicum, ut præscribatur dies aliquis hominum quieti à quotidianis eorum laboribus, quibus post peccatum coguntur victum sibi comparare, & hoc pacto curentur servi & ipsa jumenta, nè nimio labore conficiantur: Cæremoniale verò in illo præcepto fuit tum definitio septimæ præcisè à Creatione diei, tùm illa quæ lege Mosaica præscripta est ab omni omninò opere servili severissima abstinentia, fuit enim illa pars servitutis & jugi legalis, quo Deus voluit populum premi & exerceri, ut pressus suspiraret ad libertatem Evangelicam & æternam illam requiem, quam pollicetur Evangelium.

III.

Quid! quod & hoc politicum distinguatur in tale, quod Ecclesiasticum & secundum quid Politicum, & in tale, quod politicum simpliciter. Unde Ludovicus Capellus in disputatione de Sabbatho sequentia reliquit: Præter τὸ morale, quod per totum Decalogum est diffusum, prior ejus Tabula radix fundamentum est omnium Mosaicarum Cæremoniarum & rituum, quibus divinus cultus tùm temporis

poris totus constabat, & posterior Tabula radix item & fundamentum fuit politiæ Judaicæ de observandis Magistratibus, & legum ejus Judicialium de furto, homicidio, adulterio, perjurio &c. Quin & ipsum quartum Decalogi præceptum de Sabbatho partim est morale, partim cæremoniale, partim etiam politicum, non verò totum quantum est, morale duntaxat. Etenim in quarto illo præcepto hoc quidem morale est, ut nempè sit certus aliquis dies constitutus celebrandis sacris religionis conventibus publicis, in quibus Deus publicè & publico ritu externo colatur. Nam, ut supra præstruximus, Deus non modò interno & tacito in corde & mente cultu à nobis coli vult, sed externo etiam & publico, quo eum palàm glorificemus coram hominibus; ad hoc autem certo loco & tempore conveniendum est, ac proinde certus dies ejusmodi conventibus destinatus est. Quod autem dies ille certo & eodem numero semper recurrit, quodque ille septimus est potius quàm vel sextus vel nonus, vel quilibet alius, certo & eodem numero semper recurrit definitus, id verò non pertinet ad τὸ morale quarti præcepti, sed & politiam Ecclesiasticam, cujus est definire non ipsum quidem cultum divinum, sed ea quæ ad cultus illius εὐταξίαν pertinent, ut is decenter & convenienter exhibeatur. Illa enim, uti pendent à variis temporum, locorum, personarum &c. circumstantiis, sic etiam pro illarum varietate variare possunt. Ad civilem autem politiam pertinet, diem aliquem præscribere quieti hominum à quotidianis eorum laboribus, quibus post peccatum justo Dei judicio coguntur victum & reliqua ad hanc vitam mortalem necessaria in sudore vultus sui quærere & comparare, nè nimia lucri cupiditate tum seipsos, tum maximè servos & famulos, adeoq; & jumenta ipsa, quibus utuntur, nimio labore conficiant, sed potius constitutâ certo quietis die se & suos à continuo labore recreent, viresque reficiant. Neminem autem alium magis decuit, diem ejusmodi tum toti humano generi, tum populo Israelitico præscribere, præterquam Deum, qui est universi, omnium inquam hominum, Dominus absolutissimus, tum populi ejus Israelitici fuit singulariter Legislator tum civilis tum Ecclesiasticus. Quæ in tantum probamus, in quantum agnoscitur, hoc præceptum non esse purè morale, sed habere aliquid cæremoniale & politicum.

IV.

Nos rejectis illis, quæ operosiori tractationi ansam præbent, statuimus, præceptum hoc mixti esse generis, & præter cæremoniale illud, quod in V. T. viguit, aliquid complecti Moralitatis, præprimis quantum ad circumstantiam septimi diei, indefinitè talis scil., juxta suprà adductam distinctionem τῦ moralis, quod hic de secunda specie volumus intellectum, nempe de morali positivo: quanquam enim non negemus illud naturale supra assignatum, sufficit tamen nobis, obtinuisse præceptum tertium non esse purè cæremoniale, sed suâ quoque gaudere moralitate. de quo vide nostrum Tractatum de Sabbatho.

CAPUT III.

De Diei Dominici Qualitate.

Th. I.

UT constet, quid hîc sit, quod nobis placeat, quid displiceat, notamus I. Jus divinum, à quibusdam rigorosè defendi, ab aliis verò exemplum tantùm urgeri, &, ut ad illud nos componamus, obtendi; sic, qui institutionem Apostolicam malunt, etiam vel ad verba vel ad exemplum illorum sese recipiunt; denique qui Ecclesiam hîc præsidem constituunt, Fidelibus & Principibus, qui illos sub se habent, multum indulgent. II. Quòd qui Ecclesiæ libertati hanc determinationem transcribunt, non ita sint accipiendi, quasi nullum vestigium illa habuisset vel in Christo vel in Apostolis; Ecclesia enim aut prudenter & rationabiliter hunc diem præ cæteris cultui divino consecravit, aut irrationabiliter, cœco ductu, mero arbitrio; prius, si dicatur, ad aliquid à Christo & Apostolis signatum procul dubio respexit; posterius autem ab Ecclesiæ prudentia & pietate videtur alienum. III. Manet etiam, stante hac sententia, Moralitas septimi diei in N. T. ut enim ostendimus, indefinitè fundatum esse septimum in Lege divina, in verbis Decalogi, ita non cessavit illud ipsum immutatâ facie Ecclesiæ, sed tantùm id, quod Ecclesiæ Judaicæ proprium, quod cæremoniale in V. T. quod umbraticum & ad certum tempus præfixum, & hoc cæremoniali sublato liberum fuit Ecclesiæ, vel primum vel secundum diem in ordine hebdomadario eli-

eligere, id quod morale, quoad hanc circumſtantiam reſtringere, determinare, licet commodus maximè viſus fuerit, ex rationibus quibusdam non contemnendis, primus poſt Sabbathum Judaicum dies, in quo Chriſtus reſurrexit, de hoſtibus triumphavit, & ſeſe aliquoties vivum oſtendit, prudenterque ipſe ad Doctorum ſuorum ſuffragium hunc ſtatuerit porrò ſanctificandum; qua ratione non tribuitur Eccleſiæ nimium, quaſi penes illam eſſet inſtituere cultus, ſed tantùm libertas vindicatur in adiaphoris, poteſtas in illis, quæ faciunt ad εὐσχημοσύνην, juxta illud Pauli: πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω *1. Cor. 14. v. 40.* Quicquid tamen ſit, ſive Dominicus dies natales ſuos ducat à Chriſto, ſive ab Apoſtolis, ſive ab Eccleſia, nihil tamen decedet moralitati hujus diei, quantum ad definitionem ſeptimi ut ſic, antecedenter ad determinationem ſpecialem fundatam in lege divina: cùm de illa tantùm controvertatur. Nam ſi dicatur, diem Dominicum eſſe juris divini, quantum ad deſignationem proximi poſt Sabbathum Judaicum, patet ſeptimum indefinitè in circulo hebdomadario eſſe Legis moralis, & præter hanc moralitatem acceſſiſſe determinationem etiam ſpecialem hujus diei præ alio; ſi dicatur, Apoſtolos hunc diem conſtituiſſe, præter iſtam conſtitutionem, quæ Apoſtolica, manebit, ipſum diem ex morali Lege habere definitionem numeri vagè ſeptimi; ſi denique ultimum aſſeratur, ſupponitur moralitas diei ſeptimæ, libertas aſſeritur circa ſpecificam vel individualem deſignationem, quanquam nec ſine divino ductu, utut mediato Eccleſiæ etiam in hoc negotio, nec denique ſine obſervatione ordinis, in Eccleſia laudabilis & neceſſarii.

CAPUT IV.

De Sabbathi Sanctificatione.

Th. I.

IN quo conſiſtat illa *Sanctificatio*, paulò altius & diſtinctius venit hîc expendendum, cùm enim Deus præceperit ſanctificationem hujus diei ſive deſtinationem ad uſus ſacros, ſegregationem à cæteris, in quibus noſtris inhæremus laboribus, ſeptimum diem Sabbathum Jehovæ, hoc eſt, ſibi Domino conſecratum, ideoque cultu illius erit hoc tempus tranſigendum. Commodè autem cultus diſtin-

ſtinguitur in *internum* & *externum*, & hic iterum in *privatum* & *publicum*; cùm enim Deus cor reſpiciat, illudque omnium Motuum in homine ſit principium, ideoque *maximè attendit ad cultum internum* & illum exigit; cùm *autem* præterea homo debeat non tantum animum ſed & corpus, *Dominus* ſit Deus noſter, omnium actionum noſtrarum deteſtetur hypocriſin, diſſonantiam exteriorum & interiorum actuum, cultum exigat à toto homine, per reſuſcitationem ad Sabbathum æternum deducendo, & tum ratione corporis, tùm animæ beando, quapropter Deus *non ſemper in cultu interno acquieſcit*, ſed & externum ſibi depoſcit, eò collimat quoque, quando imperat homini, ut *diem ſeptimum ſanctificet*.

II.

Vult itaque Deus præcepto Sanctificationis primò omnium *Cultum internum*, qui conſiſtit *in piâ devotione, quæ cæteros actus dirigat*. Nam *primò*, ut ipſa *Veneratione Nominis* in interno maximè conſiſtit actu mentis, ut magni faciamus Deum, ejusque voluntati revelatæ attendamus: Ita quoque ſanctificatio hujus diei præcepta eò tendit, ut primò omnium attendentes ad Numinis Majeſtatem & voluntatem devotâ propenſione in pietatis exercitia non ſanctos exhibeamus. 2. Si cultus internus & externus *ſemper connexi*, non hic ſine illo cultus nomen meretur, intimato cultu ab illo, qui totū hominem habet ſub ſuo imperio, primò intentus colligetur internus, ſubmiſſio illa animi, puritas illa mentis, quæ etiam ex illa dimanantes actus ſerenat, illuſtrat, coronat. 3. *Nulla ratio poteſt dari*, cur externus cultus ſæpius à Deo fuerit rejectus, niſi quia deſtitutus fuit *ſpiritu*, & non tam actus religioſi vitales, quàm languidi, & vitam mentientes fuerunt exhibiti, Artificioſè movet corpus homo, facit id & ſimia, ille ex præſcripto rationis, hæc ex qualicunque aſſuefactione citra illud gubernaculum, citra mentis influxum, unde illi actus dicuntur hominis, hi verò ſimiæ, illi participant de ratione, hi verò de umbra illius tantum, non ſunt actus artis ſed ſimiles illis, ita, utut exhibeas externa, proſternas te coram Deo, manus complices, ora in laudes divinas reſolvas, ſi abſit devotio & pietas, cordis propenſio & animæ pondus, quæ Deo placent, exſuccus erit cultus, & nullus, vitiumque fallet ſpecie virtutis & umbrâ.

III. Non

III.

Non autem sufficit internus cultus huic diei; solennior est cæteris & proinde etiam cultu majore observandus, quapropter addendus *externus*, ita ut præmittantur præmittenda, submittantur submittenda, unde distinguunt Theologi hunc cultum privatum in *antecedentem* & *consequentem*, atque necessariam agnoscunt *præparationem* matutinam: quemadmodum *parasceve* præcessit penes *Hebræos* in vespera *Exod.16. v.23.* & quidem maximè per Scripturæ, Evangeliorum & Epistolarum præviam Lectionem & Meditationem, precum oblationem, ut Deus adspirare velit piis operibus per diem consummandis, desiderium adeundi cultus sacros, limina Templi locum gloriæ divinæ, in quo publicè prædicatur verbum ad exemplum Davidis *Psalm. 122. v.1.* in consequente verò cultu observant, necessariam esse verbi auditi meditationem seu ruminationem, quam *Psaltes* deprædicat *Psalm. 1. v. 1. & sequentibus*, ita ut communicet Paterfamilias cum familia sua conceptus suos, gratiarum actio pro verbi conservatione, nec non finitio decens repetitione vel lectione capitum biblicorum, vel, si argumentum lætitiæ præsens sit, hymnorum concentu, & precibus devotis.

IV.

Tandem, ut omnia fiant decenter & ordine in Ecclesiâ, cultus publicus & solemnis requiritur, nec etiam cultu interno vel externo, etiam privato, sanctificatio hujus diei absolvitur, ut constat partim ex ipsâ Scripturâ: ita enim *Moses*, *Lev. 23. v.3. Die septimo Sabbathum cessationis, convocatio Sancta*; quo ipso indicatur hoc die debere populum congregari, ad locum publicum se conferre, & internam animi devotionem externo Exercitiorum splendore illustrare, unde קדש מקרא *Kodesch Mikra* dicitur; quod confirmat ipsa quoque *praxis in N. Testamentum* usque deducta: convenisse enim hoc die homines, cœtum publicum formasse, & sacris deditos fuisse, constat ex *Luc. 4. v. 16.* partim ex *analogiâ & comparatione* hujus diei cum cæteris sex in hebdomade: Si enim debetur cultus DEO internus per omnes dies, si externus quoque privatus non negligendus in ordine sibi succedentium luminum ad Solis usque ortum, ad initium usque hujus festivitatis, hoc habebit illa præ cæteris, ut cultus externus publicus vigeat, pietas illustris fulgeat, lumina devotionis per hora-

rum intervalla se exerant; & ut *duplex holocaustum* hoc die, stante Republicâ Ecclesiasticâ Judæorum, mane & vesperi fuit oblatum, de quo *Num. 28. v. 9.* tum antemeridianæ, tum pomeridianæ horæ Deo consecrentur; partim ex consensu omnium Theologorum, agnoscentium hunc diem deberi Deo ita, ut templa adeamus, conciones excipiam⁹, precum sacrificia offeramus, Musicâ & cantionibus sacris condiamus, liberales erga pauperes nos exhibeamus, & undique bonis operibus abundemus.

V.

In quantum verò respondet primo puncto publica Evangelii, illustriùs radiantis in novo Testamento, prædicatio, & precum in nomine *Christi* conceptarum effusio; alteri verò Sacrificiorum spiritualium, sublatis umbris, oblatio; tertio, liberalis Eleemosynarum distributio: in tantum hæc à nostris urgentur quoque Theologis, ut exercitia, quæ cultum externum integrant, quæ non tantùm sufficienter, sed & abundanter descripta leguntur apud B. nostrum Thummium, qui ita, Duce Scripturâ, decernit. I. Instituantur publici Ecclesiæ congressus, ut fideles congregentur ad publicum Ministerium, *Psalm. 100. v. 4. Psalm. 122. v. 4. Esa. 2. v. 3. Joël. 2. v. 15. 16. Matth. 18. v. 20. 1. Corinth. 11. v. 17. & seqq. Hebr. 10. v. 25.* II. In publicis illis congressibus, propaganda est vera doctrina, verbum DEI PRÆDICANDUM *Ezech. 44. vers. 23. 24. Levit. 10. vers. 11. Esai. 8. v. 20. Petr. 4. v. 11. Ephes. 4. v. 29. Coloss. 4. v. 6. Tit. 1. v. 9. Actor. 20. v. 27. Christus Sabbatho docet in Synagoga, Luc. 4. v. 16. Marc. 6. v. 3. Luc. 13. v. 10. & Actor. 13. v. 14. 15.* Paulus & Barnabas ingressi die Sabbathorum sederunt, post lectionem autem legis & Prophetarum miserunt Principes Synagogæ ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis, ad plebem dicite, & *vs.* 44. sequenti Sabbatho penè universa civitas convenit audire verbum DEI, *Actor. 15. v. 21.* Moses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur. Sic docuerunt Thessalonicæ per 3. Sabbatha, *Actor. 17. v. 2.* Corinthi per omne Sabbathum, *Actor. 18. v. 4.* Verbum DEI AUDIENDUM, & discendum. *1. Corinth. 14. v. 31. Psalm. 50. v. 7. Ezech. 33. v.*

30. *Esa.*

30. *Esa.* 3. *v.* 2. 3. *Jerem.* 7. *v.* 23. *Zach.* 8. *v.* 21. *Matth.* 13. *v.* 9. scrutandum, *Joh.* 14. *v.* 15. Exemplo Davidis, *Psal.* 122. *v.* 1. *Psal.* 27. *v.* 4. *Psal.* 42. *v.* 2. Cornelii, *Actor.* 10. *vers.* 33. Berrhoensium, *Actor.* 17. *v.* 11. Mulieris Lydiæ purpurariæ, *Actor.* 16. *v.* 14. III. In iisdem congressibus administrandæ Cæremoniæ divinitùs institutæ, præsertim Sacramenta, quæ licèt in N. T. ad certum tempus ac locum non sint alligata, tamen convenit, eorum administrationem in publicò Ecclesiæ cœtu potissimùm vigere, 1. *Corinth.* 11. *v.* 20. *Actor.* 20. *v.* 7. 1. *Tim.* 2. *v.* 1. *Matth.* 28. *v.* 19. *Marc.* 16. *v.* 15. IV. Instituenda publica, & solennis DEI invocatio ac celebratio, quâ confessio, gratiarum actio, & preces nostræ conjungantur cum Ecclesia, *Psal.* 22. *v.* 23. 26. *Act.* 16. *v.* 13. *Act.* 2. *v.* 42. *Luc.* 1. *v.* 10. 1. *Timoth.* 2. *v.* 1. 5. 1. *Sam.* 12. *v.* 23. 1. *Corinth.* 14. *v.* 15. *Coloss.* 3. *v.* 16. *Psal.* 132. *v.* 7. *Esa.* 2. *v.* 3. *Ezech.* 33. *v.* 30. *Zachar.* 8. *v.* 21. uti David, *Psalm.* 5. *v.* 8. Israëlitæ, 2. *Paralip.* 11. *v.* 16. Joseph & Maria, *Luc.* 2. *v.* 41. V. Colligendæ Eleemosynæ ad sustentationem pauperum. *Esai.* 58. *v.* 7. 1. *Corinth.* 16. *v.* 1. 2. ad alendos docentes & discentes in Templis & in Scholis, *Galat.* 6. *v.* 6. 1. *Corinth.* 11. *v.* 9. 2. *Thessal.* 3. *v.* 8. *Philipp.* 4. *v.* 14. & *seq.* 1. *Timoth.* 5. *v.* 17. *Matth.* 10. *v. ult.* VI. Ipsi Auditores colligant Eleemosynas, & conferant ad alendos docentes & discentes, *Deuter.* 16. *v.* 16. *Luc.* 10. *v.* 7. Quæ liberalitas non caret singulari benedictione DEI, *Deut.* 14. *v.* 22. 29. *Proverb.* 3. *v.* 9. 10. *Syrach.* 35. *v.* 12. *Malach.* 3. *v.* 10. VIII. Et domum è conventibus publicis Ecclesiasticis reversi, quæ audiverunt, meditentur, *Deut.* 6. *v.* 6. *Proverb.* 6. *v.* 21. Talis enim beatus, *Psalm.* 1. *v.* 1. Sicut CHRISTUS dixit, *Luc.* 11. *v.* 28. *c.* 8. *v.* 15. Daniel servavit in corde verbum Angeli, *Daniel.* 7. *v.* 28. Maria verba Christi, *Luc.* 2. *v.* 51. IX. Auditum verbum filiis narrent, *Psal.* 78. *v.* 5. 6. & acuant, *Deut.* 4. *v.* 9. 10. *c.* 6. *v.* 6. 7. Exemplo Abrahami, *Genes.* 18. *v.* 18. 19. Legant voces Prophetarum per omne Sabbathum, *Actor.* 13. *v.* 15. & Mosen, *Actor.* 15. *v.* 21. Non autem oportebat, scribit Chrysost. Hom. 5. in Matth. omninò à cœtu Ecclesiæ recedentes contrariis huic studio negotiis implicari, sed domum continuò revertentes sacros replicare libros,

& conjugem pariter, liberosque ad eorum quæ dicta sunt, collationem vocare, hisque altiùs animo ac penitùs insertis, tum demum ad ea, quæ huic vitæ sunt necessaria curanda procedere. Denique debent professionem doctrinæ honestate morum ornare, *Tit. 2. vers. 10. Rom. 2. v. 24.* fidem imitari, laudabilia piorum Exempla exprimere, *Hebr. 13. v. 7.* & factores verbi fieri, *Jacob. 1. v. 22.* atque hoc agere, ut tota vita illis solennitas sit, ut loquitur Chrysost. Homil. 40. in Matth. Nam (quod ibi subjungit) tunc solùm veram solennitatem peragimus, cùm spiritualis vitæ continuæ cultum augemus, cùm ab alienis manum abstinemus, cùm in laboribus superfluis atque inanibus, quos propter hanc vitam sustinemus, legem Sabbathi conservamus.

VI.

Præter Sanctificationem hujus diei aliquid etiam *morale* deprehendimus, quod *moralitati sanctificationis* connexum, *Quietem* sc. *imperatam*, sive cessationem à labore, vel vacationem ab officiis, non quidem ab omni opere, etiam sacro, sed aliàs per sextiduum consueto & ordinario. Imperat hanc quietem *I. Exemplum illustre ipsius* D E I, qui septimo die quievit ab omni opere, quod patrârat, *Genes. 2. v. 2. & 3.* atque hâc ipsâ cessatione nobis Quietem huic diei debitam præformare, indicare ac præcipere voluit. II. Ipsum *Mandatum Divinum*, dicitur enim *Exod. 20. v. 10. Septimo die est Sabbathum Domini* D E I *Tui, non facies omne opus Tu & filius tuus &c.* notanter dicitur: septimus Dies, vel Die septimo est *Sabbathum* Domini D E I *Tui:* Non ratione quietis illius, quâ Deus cessavit ab opere novo condendo, sed ratione *quietis imperatæ* D E O *consecrandæ*, quod Textus Ebræus eleganter insinuat, in quo phrasis occurrit ליהוה אלהיך J E H O V Æ, D E O *tuo*, & additur: *Non facias omne opus in eo &c.* III. *Ipse hujus diei Indoles:* Nam si per sex dies laborandum, juxtà divinam patefactionem; quiescendum igitur erit *septimo;* si sanctificandus est aliquis dies in orbe hebdomodario: Ergò removendum illud, quod sanctificationem impedire aut turbare potest. Impeditivum autem cultûs sacri esse curas ordinarias, salientes circa caput & latera, labores & opera in reliquis diebus consueta, quis est, qui nesciat? Dedicanda itaque quies usui sacro infert cessationem à laboribus necessariam, & subservire illam ostendit cultui divino, exercitiis sacris.

ſacris. Non facere debet opus ordinarium homo *ad jumenta usq;* ſi itaque illa juxta voluntatem divinam quieſcunt hoc die, multò magis homo ceſſare tenetur ab omni opere ſuo, atque conformare voluntatem ſuam imperio divino. Unde etiam *quidam ex Pontificiis*, reſpiciendo ad quietem, præceptum hoc putaverunt non tam *affirmativum* quàm *negativum* eſſe, quanquam malè, de quo in ſequentibus.

VII.

Conſiſtit autem illa *Quies* primò in *abſtinentiâ ab opere ſervili*, ut liquet tùm ex voce מְלָאכָה *Melâchâh*, quæ hîc uſurpatur, cui accedunt *LXX. Interpretes*, qui ſubſtituunt ἔργον λατρευτὸν *Exod. 12. v. 16.* tùm ex *comparatione* hujus diei cum aliis feſtivitatibus; ſi enim nominatim *ſervilia opera* fuerunt remota *ab aliis feſtivitatibus*, ut conſtat ex *Levit. 23. v. 7. 8. 21. 23. 36. Numer. 28. v. 25.* multò magis excluſa erunt à *Sabbatho*, tùm ex *explicatione præcepti hujus* alibi in Scripturis traditâ, ubi diſertè illa opera ſervilia *in ſpecie*, ut adverſa & impeditiva cultûs, prohibentur, ut conſtat ex *Exod. 34. v. 21. Nehem. 12. v. 31. & cap. 13. v. 15.* Nec audiendi ſunt hîc, qui à proprietate vocis ad figuram tranſiliunt, quos perſtringunt Theologi ita determinando: Per opera ſervilia ridiculum planè eſt intelligere peccata, aut etiam opera bona mercenaria; vel propter mercedem (ſervorum more) facta, (ut nonnulli faciunt allegorico quodam luſu,) peccata enim non certis quibusdam temporibus ſunt prohibita & illicita, ſed ſemper & ubique, neque pertinet ad hoc præceptum agere quicquam de omnibus peccatis prohibendis, quamvis hoc aliquo ſenſu poſſit concedi, varia peccata aggravationem aliquam inde accipere, ſi die tam ſancto perpetrentur. *Iſai. 58. v. 4.* Opera etiam illa mala, quæ ex metu, vel ex ſpe planè ſervili fiunt, reſpectu illius modi, eandem naturam induunt cum aliis peccatis. Quanquam nolimus negare, ſenſu allegorico poſſe hanc Abſtinentiam ita exponi & accommodari, ut quidem Auguſtinus fecit ſcribens: *Illi* (Judæi) in Sabbatho non faciebant opus ſervile. Et nos in die Dominica opus ſervile non facimus, quia vitiis & peccatis non ſervimus. Qui enim facit peccatum, ſervus eſt peccati: Illi de dominibus ſuis non egrediebantur. Et nos domo CHRISTI non egredimur; ſumus enim in Eccleſia. Illi non accendebant ignem die Sabbathi;

bathi; at nos contra accendimus in nobis ignem S. Spiritus & omne vitium excoquimus peccatorum. Consimilia leges apud Tertullianum & Irenæum lib. 4. cap. Hieronymum in *Ezech.* 44. & *Amos.* 5.

VIII.

II. Consistit illa Quies in *abstinentiâ ab Opere NOSTRO:* Notanter enim dicitur: *sex diebus operaberis, & facies omnia opera* tua, *septimo autem die Sabbathum Domini DEI tui est, non facies omne opus in eo.* Unde colligimus: Si sex diebus operandum, & faciendum omne opus nostrum, cessare debere in septimo omne opus nostrum; si septimus dies Sabbathum *Domino*, non *nostri laboris* esse illum diem; si denique non faciendum *omne opus* in Sabbatho, nostrum esse exclusum, nostri sc. officii & muneris, nostris usibus aliàs deputatum & destinatum.

IX.

Denique III. consistit illa Quies in *abstinentiâ ab opere cultui sacro vel directè vel indirectè opposito:* quod constat tum ex eo, quia quies hoc die imperata subservire debet cultui sacro; tùm ex eo, quia aliàs hic dies ordinariis veniret accensendus; tùm ex eo, quia, quod directè vel indirectè oppositum cultui sacro, peccatum est, & proinde omnimodè declinandum. Talia autem opera sunt partim forenses strepitus, rixæ, & judicia. Unde *R. Levi Barzelonita libro Chin* præcept. 114. Ne exerceat Judex Judicia in Sabbatho; & H. Grotius ad *Cap.* 35. *Exod.* ad *vers.* 3. non succendetis ignem: *addit:* hinc ducto argumento, à levi ad grave, i. e. à minori ad majus docuere Ebræorum Magistri, Pœnas publicas in Sabbathis non esse exercendas. Ipsi etiam *Imperatores Christiani* hæc removerunt ab hoc die, probè perspicientes, quòd remoram injiciant devotioni, pietatem sufflaminent, & Ordini divino adversentur; partim nundinæ, in quibus concurrunt omnis furfuris homines, fora perstrepunt clamoribus, cauponæ implentur, dolus in contractibus, & alia quævis ferè vitia regnant. Quantos motus concitaverit illa indulgentia in *Scotiâ* & *Angliâ*, constare potest ex Scriptoribus Anglis; &, utut indulgente in hoc Ludovico Molinæo, Professore Oxoniensi; partim ludi Schœnobatarum vel Comœdias exhibentium saltationes superfluæ, Nuptiarum apparatus laboriosi & alia, de quibus forsan in sequentibus.

CAPUT

CAPUT V.

De Objecto Personali Sabbathi.

THESIS I.

HOmo itaque & quidem omnis à nobis statuitur Subjectum hujus præcepti, sive sit mas, sive sit fœmina, sive Princeps, sive subditus, sive rudis Corydon, sive literatus, vel Studiosus, vel Doctor, cùm rationes in Thesi præcedēte adductæ sint generales, & concludant simpliciter. Num enim Literatus non etiam laborat, dum vel Aristoteli, vel Galeno, vel Justiniano, vel Chemnitio, Bellarmino, Calvino & aliis per sextiduum inhæret, excerpit meditatur, & Meletemata parturit? cessabit itaque etiam circulo sextidui absoluto. num eruditus non stringitur præcepto cultus externi & interni per aliquem diem Deo suo exhibendum? num nulla lege tenetur exercitia pietatis externa diei cuidam determinatè consecrare? obstrictus itaque erit, quod ad observationem Sabbathi. Num Studiosus vel Doctor vinculis illis decem non agnoscet se subjectum esse Deo, & ut gaudet privilegiis civilibus ruptâ catena Sanctitatis exemptionem prætendere poterit quoad tertium præceptum, Rusticis tantùm ad sacra remissis vel Quieti Sabbaticæ destinatis, aut aliis civibus simplicioribus, qui crassâ de gente Meneni? Sanè, si Decalogus intra numerum à Deo definitum subsistit; si est Typus Sanctitatis divinæ, exemplar & norma agendorum omnium, citra sexus, dignitatis, eruditionis & cæterorum differentiam, omnibus & singulis incumbet illius observatio, omnes & singulos secundum singula vincula adstringet.

II.

Nolumus tamen negare in præcepto hoc, prout est conceptum primitus, circumstantiis & rationibus munitum, primò fuisse obversatos Legislatori Judæos, sive Israelitas, quibus jungitur Advena in portis; unde in ipso præcepto Israelitæ dispescuntur in illos, qui præsunt & qui subsunt, dicitur enim אַתָּה Attâh, Tu Vir, Tu Paterfamiliâs cum uxore Tua, quæ in gubernatione familiæ concurrit, non facies ullum opus, nec liberi Tui, filius vel filia, nec ministrantes TIBI servus scil. & ancilla, qui aliâs per sextiduum tuis subservierunt usibus, fatigati laboribus tua curarunt, & imperata tua fuerunt executi.

III. Jun-

III.

Juncti verò sunt Israelitis Advenæ sive peregrini, qui in Jalkut distinguuntur in triplicis generis, sc illos qui evaserunt peregrini propter cibum, morticini scil. de quo *Deut. 14. v. 21.* illos qui accesserunt, ut alantur ceu pauperes, & tandem illos, qui propter nomen Sancti Benedicti cœtui sacro sese conjunxerunt: quanquam binarius quibusdam placeat, & existiment mediam speciem vel ad primum vel ultimum referri posse extremum, unde distinguunt ejusmodi in proselytos Justitiæ & portæ, de quo alibi.

IV.

Per peregrinum autem, cujus hîc fit mentio non intelligitur proselytus Justitiæ, utpote qui ad ipsos Israelitas venit referendus, & sub illorum nomine quoque intelligendus, unde dictus προσήλυτος tractus, vel filius fœderis, & habitus in populo sacro ferè æqualis illis, qui ex semine Jacobi oriundi.

V.

Cùm verò præter proselytos Justitiæ & portæ, secundum quosdam, etiam fuerint proselyti mercenarii, quo referunt locum *Exod. 12. v. 44. 45.* Servus emptus & circumcisus edet de paschate, sed inquilinus aut mercenarius nè vescitor illis: ideoque non dubitamus, cùm maximè etiam Quieti cautum fuisset hoc præcepto, nè scil. ille defraudaretur laborans per sextiduum, talem quoque ex hoc præcepto non fuisse onerandum, eidem quoque abstinendum fuisse à laboribus & operibus ordinariis; imò nõ dubitamus, non tantùm inquilinos & mercenarios debuisse sese attemperare huic legi de Sabbatho, sed & qui tantùm divertebantur, ad tempus subsistebant, ut vel venderent vel emerent, & ex illorum erant numero, qui Viatores dicuntur deflectentes ad pernoctandum. *Jer. 14. v. 8.* in tantum ad minimum, nè sacra Judæorum, quietem populi Sancti suis turbarent negotiis, aut contemnentes festivitatem scandalizarent electos Domini. quò referunt illa *Nehem. c. 13. v. 19. 20. 21* nec malè hîc Gomarus: Nè verò ea, quæ de ministrantium & peregrinorum quiete mandantur, pro immitti Israëlitarum ingenio negligerentur, idcircò Moses parem eorum hac in re rationem esse definit. *Deut. 5. v. 14.* Ut quiescat, inquit, servus tuus, & ancilla tua, sicut Tu, & *Exod. 33. v. 12.* Cessationi imperatæ addit; Et respiret, (h, e. recreetur) filius ancillæ tuæ, & peregrinus. Hæc de hominibus, quibus Sabbathi quies imperata.

Th. VI.

VI.

De Jumentis dubitari potest, quomodo ad objectum hujus Mandati sint referenda, cùm aliâs leges non obligent nisi rationales Creaturas, & illis ferantur, qui illas audire, excipere & vel mente obsequiosa venerari, vel recalcitrante contemnere possunt; verùm non tàm jumentis quid præcipitur hîc, quàm homini de jumentis, quibus Deus vult subvenire huic Mandato. Homines enim duri ingenii quandoque etiam jumentis non parcere solent, quæ fatigarunt per sextiduum, desiderant ex usu illorum lucra captare, remque augere familiarem; ideoque Deus illis quoque voluit indultum aliquid & quidem omnibus, ut ita unâ quiescerent homines, & cultui Divino vacarēt, atq; pecudes sive jumenta, onere pressa aliâs per sextiduum, reficerentur.

VII.

Cæterùm ut hominem objectum diximus hujus præcepti & quidem omnem, ita non frustra adjecimus Legi subjectum, ut restringeremus assertionem nostram ad homines, qui præter esse humanum nullum aliud habent. Neq; calculum addimus illis, qui ipsum Christum etiam θεάνθρωπον huic legi submittere intendunt, inter quos Gisbertus Voetius nomen suum profitetur. Quæstione enim decima quinta interrogat, an Christus toto vitæ tempore, secundum humanam Naturam subjectus fuerit observationi Sabbathi, & an nunquam illud profanarit? ut quidem calumniabantur Judæi *Matth. 12. Luc. 12. Joh 5.* & respondet: prius affirmatur ex *Gal. 4. v. 4* Negatur posterius ex locis jam citatis, ubi à crimine objecto se purgat. Quod autem objiciunt ex *Matth. 12.* filium Hominis esse Dominum Sabbathi, intelligendum esse secundum Divinam naturam, collatum cum *Joh. 5.* estq; in hac phrasi κοινωνία ἰδιωμάτων. ut *Joh. 5. v. 13. Act. 20. v. 28.*

VIII.

Tandem etiam Viatoris mentionem fecimus, cùm nec beati nec damnati adstricti esse intelligantur Legi illi de observando septimo die hebdomadario; Nam *primò* ubi mera regnat æternitas, ibi exulat omnis dierum distinctio, omnis temporum successio, omnis vicissitudinum ordō, post consummationem verò seculi æternitas beatos & damnatos comitabitur. *Secundò*, disertè Esaias de statu Beatitudinis: *Et erit Mensis ex Mense & Sabbathum ex Sabbatho: Veniet omnis Caro, ut adoret cormm facie mea dicit Dominus: cap. 66. v. 23.* quæ verba

quamvis Caspar Sanctius accipiat de temporibus N.T.(quod si concederetur, nihilominus perfectio illius perpetui Sabbathi figuraretur in altera vita) magis tamē placet nobis periphrasis B. nostri Gerhardi scribentis ad illa: In Vita æterna perpetua festivitas & quies pacatissima erit, quia Neomeniæ erant & Sabbatha populo Israelitico dies festivi: Sic ergò verbis hujus seculi Propheta describit res futuri seculi. Constat etiam ex communi Theologorū ac Philosophorum suffragio, meram & nudam æternitatem omnem temporis successionem excludere. Jam verò tempus est commensuratio secundum motus corporum cœlestium. Quod si ergò cessabit tempus, utique etiam cessabit motus cœlestium corporum, nec glorificatorum duratio juxta illum poterit mensurari. *Tertiò* in damnatis deficiet Quies stata, cessatio per intervalla à cruciatibus & laboribus, nec non cultus Deo aliàs acceptus externus: quapropter etiam damnati nullum agent Sabbathum, & propter rationem æternitatis etiam Legi de sanctificando septimo die ulterius non erunt subjecti, Deo immutante durationis ordinem & sublato tempore meræ æternitati Regimen assignante.

IX.

Demonstravimus, cessationem ab opere servili esse imperatam omni homini citra respectum sexus, dignitatis vel eruditionis; ex quo quis forsan colligere posset, cessandum esse simpliciter, rigorosam abstinentiam esse mandatam, nullum opus esse exceptum; verùm aliter se res habet. Nam *primò* excepta sunt opera Necessitatis. Necessitas autem est vel absoluta & talis, sine qua hominis vita non potest subsistere, vel secundum quid ex ratione honestatis: non tantùm illa opera Necessitatis exclusa sunt ab obligatione hujus præcepti, quæ absolutè talis, sed etiam quæ Necessitatis secundum quid. Referimus itaque huc opera Naturæ: concessum quippe est hoc die edere, bibere, adeoque facultati nutritivæ prospicere: & sicut cibum ingerere non repugnat huic præcepto, ita nec egerere digestum. Ipsi quippe Judæi comederunt hoc die citra violationem Sabbathi, imò convivia agitarunt, ut constat ex *Neh. 8. v. 10.* adeò ut absurdi sint illi, qui volunt hoc die jejunare, vel etiam cibi præparatione omni abstinere religione ducti Sabbathi; & quidem quosdam fuisse hujus superstitionis inter primos Christianos, ex superioribus colligi potest, & Essæos ab alvi purgatione abstinuisse, Josephus testatur *lib. 2. de*

bello

bello Judaico cap. 7. *Secundò*, Opera Loco motivæ: quis enim neget licitum esse domo egredi, vel cultûs publici vel proximi visitandi causa, cùm etiam in V. T. profectio talis non fuerit prohibita, ut constat 2. *Reg.* 4. *v.* 23? Unde licitum esse putamus, si quis ad Templum etiam remotius vel extra locum domicilii eat, equitet, rhedâ vehatur; ut quidem hoc in Suecia, ubi ab ædibus privatis publicæ distant, frequentissimum, in Gallia, ubi urbe Lutetia excedunt, qui Reformatæ religioni sunt addicti, & Charintonensem accedunt Ecclesiam; si quis in pagum excurrat, vel in urbem visitandi amici causa, qui decumbit, vel medicamenti exhibendi, nè in discrimen adducatur servandus. *Tertiò*, Opera Rationis & Voluntatis. Est aliâs intellectus humanus maximè activus, nec facilè quiescit, in singula ferè momenta voluntas sese movet, & nunc hoc, nunc illud appetit; unde etiam hæ operationes non adversantur Religioni Sabbathicæ, mandato divino de cessatione ab ordinariis functionibus, si præsertim referantur ad objecta licita, honesta & sacra, Verbi Divini meditationem, amplexum & delectationem; quis enim accusabit conceptus de Creationis beneficio, & Quiete divina subsequente, quos ipse Deus ex verbo ministrat? quis Judæis potuisset obvertere violationem Sabbathi, si occupati fuissent in consideratione eductionis ex Ægypto, in memoria continuatorum laborum, qui cessarunt Pharaone cum suis merso? quis crimen intentabit Christiano, si resurrectionis Dominicæ Majestatem, Veritatem, Ubertatem seriâ contemplatione die Dominica prosequatur, & ex Capitis resurgentis vita ad sui, tanquam membri corporis mystici, futuram vivificationem concludat? quis loqui, quod opus rationis est, prohibeat hoc die, dicere illa quæ honestatem & pietatem sapiunt? quis non stolidos pronunciet illos, qui extra Aquam superstitione ducti volunt esse magis muti, quàm pisces & bruto silentio Deum venerari? Annon satius esset, ora in laudes Dei resolvere, quàm intra dentium septa exanimare fructus, qui publicum cultum solent augere? annon David voluit, & quidem impensè desideravit, adire domum Domini *Psalm.* 122. *v.* 1.

X.

Sed non solùm opera Naturæ recensita non pugnant cum lege Divina, sed etiam *Opera artis* quædam, quæ necessaria. Sic primò concessum est die Sabbathico pectine uti, capillos instruere, & fluxos crines

in ordinem redigere, lavare faciem, & manus, & sordes detergere adhærentes dentibus, & totam faciem decenter ornare. Concessum est, vestimentis sese munire adversus frigus, vel propter nuditatem probrosam se tegere illis, calceos aptare pedibus, & ad honestum habitum sese componere. Concessum deniq; est, pro confortatione vel memoriæ, vel aliarum partium corporis illinire balsama, adhibere pulveres, uti unctionibus & aliis, præprimis si infirmitas urgeat.

XI.

Succedunt *Opera Libertatis*, quæ scil. homo citra vulnus conscientiæ hoc die eligere potest, & vel agere vel non agere; permissa quippe est *honesta Recreatio*, cujus indolem, mensuram, & circumstantia Cchristiana prudentia definiet, nec improbatur deambulatio in hortos, agros, & vineas; oblectatio ex adspectu creaturarum, quæ providentiam & liberalitatem divinam nobis commendant; nec simpliciter *exercitia aliqua post auditas conciones* & sacra peracta, quæ honestati non adversantur.

XII.

In *Societate Ecclesiastica*, si attendatur homo, etiam occurrunt opera, quæ conscientiam turbare nequeunt, utpote fores templi reserare, pulsare campanas, folles inflare organorum Musicorum, quod æedituorum & Ministrorum aliorum, subsellia deportare vel demittere aut aperire pro varietate Locorum, quod commune intrantibus Templum adire, & Altare, suggestum conscendere, & cætera, quæ pastoribus incumbunt; hæc enim opera ita comparata sunt, ut subserviant cultui divino, atque ad illum tendant & collimerent.

XIII.

In *politica* deniq; *Societate* vel tempus pacis vel belli quædam reddit licita. Utroq; quidem illi, qui ad clavum Reipublicæ sedent, non peccant, qui curant, ut omnia ordine sint disposita in terris, pagis & urbibus, nè quies turbetur publica, de die præsidiarii portas custodiant, turribus prospiciant, mœnia defendant, noctu verò vigiles stata tempora observent, horas denuncient, ad omnia quæ noxia attendant, qualia sunt pericula cædium, incendiorum & similia. Pacis tempore quidem moderatiùs potest agere Princeps vel Magistratus, Belli verò magis solicitè, ubi Necessitas postulat, quæ aliàs potuissent eleganter omitti.

XIV.

XIV.

Et hæc ſunt charitatis opera; quibus accenſeri poſſunt viſitatio ægrotorum, Exhibitio Medicamentorum, deportatio decumbentium & ſublevatio, collectio & diſtributio Eleemoſynarum, Agapæ Chriſtianorum, & illa, quæ vel ab Eccleſiaſticis vel Politicis vel privatim vel publicè fieri poſſunt.

XV.

Neceſſitatis denique & inſimul *Charitatis opera* ſunt huic diei non adverſa, quæ inopinatus caſus & proximi Salus provocat, quale auxilium melancholico & deſperabundo exhibendum, extinctio flammæ in incendium ſerpentis, & vel in conſumptionem domus vel urbis vaſtationem; Ereptio naufragorum, vel etiam Bonorum, quæ ſubmerſionis periculo vicina, Defenſio per arma adverſus hoſtium incurſationes; Collectio frugum & vindemiæ vel ob tempus pluviũ præcedens, ſerenitate divinitus indulta hoc die, quam diu deſiderarunt gementes, vel ob aliam ingentem cauſam & caſum, quales quamplures dari poſſe nemini dubium, quos moderari debet prudentia Chriſtiana, oculus illuminatus ardenti flammæ cordis *Chriſtiani* intendens.

CAPUT VI.

De Pœna Transgreſſionis.

Th. I.

NOtum eſt ex ſacris, quòd Sabbathi profanatio in V. T. fuerit non tantùm acriter reprehenſa, ſed & punita. Ipſe Deus ad *extremum uſque ſupplicium* progredi voluit & decrevit exciſionem illius, qui ligna hoc die collegit: ita quippe Sententia divina *Num. 15. v. 32. & ſeqq.* Cùm filii Iſrael eſſent in ſolitudine, invenerunt quendam colligentem ligna, in die Sabbathi, quem adducentes ii, qui invenerant illum colligentem ligna, ad Moſen & Aharonem & ad totum cœtum, poſuerunt eum in cuſtodia; quia non fuerat declaratum, quid faciendum eſſet ei; edixit autem Jehova Moſi: omninò morte afficitor vir ille, obruito eum lapidibus totus cœtus extra caſtra, educentes itaque totus cœtus illum extra obruerunt illum lapidibus, ita ut moreretur; quemadmodum præceperat JEHOVA Moſi.

II.

Dicitur Iſraëlitas fuiſſe in ſolitudine & deſerto, & Sabbathum

observasse quoad vacationem à Laboribus, quamvis ut multi existimant, *non quoad sacrificia:* dicitur accidisse, ut hominem colligentem ligna in illo sc. die quidam invenirent, & quidem *anxia perquisitione, studiosâ collectione*, ut observat *Antonius Fonseca Scholiastes Cajetani* ad verbum מקשש nec tantum ut vult *Pagninus lignorum struem*, sed & stipulas atque quisquilias, quæ sc. adhibiturus erat ad ignem accendendum, contra præceptum *Exod. 35. v. 2.* Dicitur denique oblatum esse eum *Mosi* & *Aharoni*, nè inauditus occideretur, & universæ multitudini, & tandem ad sententiam Domini lapidibus fuisse obrutum.

III.

Quamvis verò existimemus, *severè* quoque esse *animadvertendum* in profanatores Sabbathi, & quidem vel maximè eâ de causâ, quia non tantùm hic dies opere servili à quibusdam contaminatur, verùm & *peccaminosis actibus*, enormiter pietatem lædentibus: unde etiam illis, qui tantum Operando Legem Sabbathicam transgrèdiuntur in Ducatu nostro dictatur mulcta, imò incarceratio secundum Rescriptum principale de Anno 1639. 5. Martii, adeòque majus quid decerni potest impiis hoc die; Rigor tamen iste capitalis pœnæ cessat hodie in Ecclesia & Christianis Rebuspublicis, idque ideò, quia lex illa pœnalis. *Exod. 31. v. 14. & 15.* erat *forensis*, unde quamvis *genus* possit observari, quòd sc. graviter veniant puniendi, qui non tantùm operibus servilibus, sed & peccaminosis hunc diem dehonestant, & Magistratus pro authoritate, qua pollet divinâ, severè animadvertere possit in transgressores Legis hujus, præsertim, si sint contumaces, ad unam & alteram admonitionem non cedant, sed pertinaciter hunc diem Baccho, Veneri, lusibusque illicitis dedicent; ipsa tamen lex determinatè de supplicio capitali non stringit Principem extra Rempublicam Judaicam, penes quem potestas legislativa, ut transgressorem publico submittat supplicio, eo ipso quo forensis, quo ad certam Rempublicam restricta; quæ si hodie esset observanda, non tantùm ii essent lapidandi, qui temerario juramentorum usu, luxu & crapula aliisque peccatis profanant hunc diem, sed & illi, qui unicum servile opus exequerentur, cùm & lex de tali concepta sit casu, & explicatio illius in executione id doceat.

Th. IV.

IV.

Dubitari autem forſan poſſet, num *in loco hoc* recenſeatur Executio legis, quæ legitur *Exod. 31. v. 14.* quia dicitur, recluſum fuiſſe hunc transgreſſorem, & neſciviſſe Iſraëlitas, quid ſuper eo facere deberent, quod ſanè non fuiſſet illiquidum, ſi hæc Lex antea lata fuiſſet: unde etiam *Oleaſter* ὕςερον πρότερον admiſit. Rectiùs tamen dicitur, quamvis decretum quidem fuerit huic transgreſſori ultimum ſupplicium, de *modo* tamen & *ſpecie* ambiguos adhuc fuiſſe, ut de *blaſphemo Levit. 24. v. 12.* præſertim concurrentibus circumſtantiis, quæ remoram hîc injicere poterant, & Dei reſponſum exigebant.

V.

Erat autem hæc pœna, hoc ſupplicium divinitùs decretum verſiculo trigeſimo tertio graviſſimum, *Lapidatio* ſc., afficiebantur quippe illo Idololatræ, *Levit. 20. v. 2. Deut. 13. v. 10. cap. 17. v. 5.* Blaſphemi, *Levit. 24. v. 14.* Magi, *Lev. 20. v. 27.* Contemtores Sabbathi, hoc loco; Adulteri, confer *Joh. 8. v. 5.* & *Levit. 20. v. 10.* Inobedientes & parentibus immorigeri, *Deut. 20. v. 18.* fures, ſacrilegi, *Joſ. 7. v. 26.* Harioli, *Levit. 20. v. 27.*

VI.

Cur autem tàm gravis ſit lata ſententia, quanquam ſcrupuloſè non debeat inquiri, cùm ſufficiat Majeſtas Numinis & Voluntas Legislatoris, qui transgreſſores præceptorum ſuorum punit eo modo, quo ipſi placet, & ſapientiæ juſtitiæque infinitæ eſt conſonum, nihilominus Interpretes etiam hic ſubveniunt, nec malè *Junius* ſcribit: Quæritur, an tanti fuerit lignum Sabbatho colligere? & Reſp. obſervationem Sabbathi clauſulam eſſe omnium præceptorum prioris tabulæ ad cultum Dei pertinentium, quâ omnes exercitationes pietatis imbibi à ſuis volebat Deus, quapropter qui Sabbathum negligebat vel minimâ obſervatione, reus erat abdicati totius cultus divini; ex quo illud profectum eſt, quòd omnes Prophetæ paſſim ſummam impietatem circumſcripſerunt violatione Sabbathi. Lapidibus vero obrui juſſit Deus hunc transgreſſorem, ſecundum Philonem, quia habebat ψυχὴν λιθίνην καὶ ἀπόκροτον animam duram & ſaxeam lib. 3. de vitâ Moſis. Exempla autem etiam extraordinariè à Deo punitorum plura poſſent adduci etiam noſtris Temporibus, ſi nobis otium eſſet, de quibus conſuli poteſt Hiſtorialis Catechiſmus Antonii Dauroultii & alii Scriptores practici.

VII.

VII.

Interim, ut diximus, Princeps vel Magistratus facilè poterit colligere ex loco allegato, non lævi brachio hoc esse puniendum, sed graviore. Si enim, ut vult *Capponus*, paupertas colligentis, parvitas rei collectæ, necessitas admodum ingens non fuit attenta à DEO, sed supplicium decretum extremum illi, quem invenerant quidam succedentes in locum liberiorem extra castra, ut precibus vacarent; multò magis severus vultus, manus durior Principis illos premet, qui nec paupertate compulsi, nec necessitate adacti servilia opera destinant Sabbatho, imò eundem diem transfigunt ita, ut & se peccatis obruant & proximum graviter scandalizent.

CAPUT VII.

De Operibus Sextidui.

Th. I.

SEx *diebus operaberis & facies omne opus tuum*, dicit ille qui septimum diem quieti & cultui sacro destinavit, per *sex dies* intelligit illos, *qui Sabbathum præcedunt*, sex in circulo illo dierum, qui cum septimo hebdomadem conficit, sex, qui præcesserunt Sabbathum Judaicum, sex, qui nunc præcedunt, & antecedunt diem Dominicum; dicit autem *operaberis* illis sex diebus. In Hebræo occurrit vox תַּעֲבֹד cujus radix עָבַד quæ notat *opus facere, ἐργάζεσθαι*, arbeiten. Buxtorfius reddidit, *servivit, coluit*, & ex usu Chaldæo *operatus est, fecit:* in primo significatu respiciens ad עֶבֶד, quæ vox notat *servum*. Usurpatur autem hæc passim in Scripturis de *agricultura*, ut constat ex *Gen. 2. v. 5.* ex *Gen. 4. vers. 2. Prov. 12. vers. 11.* de operibus *Mechanicis Esai. 5. vers. 9. Ezech. 48. v. 18.* *Secundò* de servitute, ut docet locus *Gen. 29. v. 25. Deut. 15. v. 12.* *Tertiò* de cultu *Exod. 10. v. 26. Malach. 3. v. 13. & 18.* generatim autem notat, *operari, laborare, opus facere*, præscindendo à qualitate operis & effectu *Num. 4. v. 24.* & alibi. Non autem absolvitur voce *operaberis* sententia divina, sed additur *operaberis opus*, ut intelligatur, quid faciendum; in Hebræo est vox מְלָאכָה quæ hic, ut Interpretes notant,

notant, ſignificat opus ſervitii ſive laborioſum; quanquam enim generatim in Scripturis de quocunq; opere etiam citra rationem ſervitii vel laboris exhibiti legatur, utpote de Creatione, Gen. 2. ℣. 2. & 3. attamen propriè, ſtrictè & frequenter uſurpatur de opere ſervili, Exod. 12. ℣. 16. c. 35. ℣. 2. Levit. 23. ℣. 31. Num. 4. ℣. 3. cùm itaque vox operaberis ſit ambigua, ideoque adjecit DEUS hanc, ut intelligamus, quæ opera ſint dierum illorum, qui feſtum antecedunt, nempe illa, quæ ſervilia laborioſa & ad hanc vitam pertinent.

II.

Addit DEUS, ut ſufficienter exponat homini Mentem ſuam, de operibus ſextidui, *ſex diebus operaberis & facies omne opus tuum:* quibus adjectionibus oſtendit partim opus noſtrum eſſe faciendum, contradiſtinctum operi divino, quod Numini debetur, opus commune, non ſacrum, opus noſtris uſibus deſtinatum, non ſolenni cultui; partim oſtendit, omne opus ſervile non repugnare hiſce diebus. Cùm enim illa ſint magnæ varietatis, & vel hoc vel illo modo ſervilia, cùm opera ſint vel civium mechanica, vel ruſtica in agris degentium, quædam magis vel minus ſordida, ideoque particula כל interjecta omnem tollit ſcrupulum; atque oſtendere vult, nullum ejuſmodi opus excluſum eſſe, ſive illud ſit Politicum ſive œconomicum, ſive illorum, qui ſunt in hoc, ſive aliorum qni ſunt in alio ſtatu, vel genere vitæ, ſingulis circa Materiam determinatam occupatis, quod etiam notavit Gomarus ſcribens: Opus hoc commune, vel omne, vel aliquod, eſſe tantùm poteſt. Ac propterea non indefinitè hìc dicitur, opus, ut in eadem ſententia, Exod. 31. ℣. 14. & 15. *Qui fecerit in ea opus:* ſed diſtinctè additur Tuum & omne. Tuum enim (ut res ipſa indicat) non ſacrum ſed commune, & quidem non vitioſum (quia illud cùm DEI legiſlatoris Sanctitati, Pſal. 5. ℣. 5. tum legis totius materiæ ac ſcopo repugnat) ſed licitum negotii aut laboris Tui opus, quo Tibi aliisve functione hoc poſtulante Joh. 1. ℣. 8. vel ſaltem non vetante inſervis, includit. Omne verò nullum hujuſmodi, ſive œconomicum ſive Politicum ſit, excludit.

III.

Acutè dictum volunt à Cajetano intendi hâc phraſi, ut ſic operetur quis, ne reſervet aliquid ad operandum in diem ſepti-

mum; idcircò excipi opera ex eventibus in diem ſeptimum opportuna, ut ex prælio, quemadmodum apud Machabæos; ex caſu bovis in puteum, in Evangelio; ex penuria alimenti illius diei, ut contigit diſcipulis Chriſti fricantibus ſpicas; ex onere diei quotidiano, ut ſolvere animal, & ducere ad aquam; ſive certis diebus, ut ſervire graviter ægris, coquendo, &c. hæc enim & ſimilia non poſſe præveniendo fieri ſexto die, vel ante, nec poſſe differri in diem octavum.

IV.

Inanis eſt ſubtilitas Oleaſtri, qui diſtinguit illud: *ſex diebus operaberis & facies omne opus tuum* per ſubjecta; quaſi prius reſpiciat ſervos, poſterius Dominos: quia ut ſervorum ſit quidem operari, ſed dici nequeat de illis, quòd faciant opus ſuum, cùm ſint ut inſtrumenta in uſu Domini: viciſſim verò de Dominis dici poſſit quòd operentur opera ſua. Nam quando dicitur *ſex diebus operaberis, & facies omne opus tuum*, nullum indicium diſtinctionis per Subjectum inſinuatur, ſed connexio phraſeos, atque exegeticè ponitur poſtremum membrum, & cui dicitur ut operetur, ei etiam indicatur, ut faciat opus ſuum. Secundò; quanquam opus ſervi non ſit illius ratione finis & uſus, ſeu redundet in utilitatem Domini, dici tamen poteſt etiam ſervum operari vel facere opus ſuum ſub ratione principii operantis, laboris proprii, menſuræ ſive dimenſi. Unde etiam in Scriptura opera aliis præſtita dicuntur illorum, qui præſtant & exhibent illa, ut conſtat ex Exod. 5. ℣. 4. 11. 13. 14. Tertiò, diſtributio per ſubjecta fit demum in ſequenti verſiculo, ubi prohibetur opus, & diſertè mentio fit ſervi & ancillæ, atque eo ipſo, quo generatim Opus removetur ab omnibus; ita hic per phraſin, *operaberis, & facies omnia opera tua* indiſcriminatim inſinuatur officium, quod obſervandum.

V.

Id maximæ diſquiſitionis eſt, num Verba hæc: *ſex diebus operaberis & facies omne opus tuum*, ſint de licito, num de mandato accipienda? an ſcil. Deus tantùm velit indicare illis, ſeſe permittere, ut homo per ſextiduum ſuis negotiis inhæreat, operetur, quæ victui & amictui conducunt, faciatque quæ facienda, & expedienda: num verò obligare his verbis ad labores & ſtudia, ut ſcil. intendat illis, tanquam præcepto quodam, adſtringere ad opera, fugam

gam otii, Ministeria pro varietate status varia, quibusdam illud accipientibus, quibusdam verò posterius probantibus.

VI.

At non desunt qui præceptum hîc agnoscunt, atque non tantùm licentiam fieri operandi, sed & officii homines admoneri, ad Labores adstringi, à Vacunæ Sacris dimoveri, & vinculo injecto ligari asserunt.

VII.

Argumenta pro hujus sententiæ confirmatione suppeditant laudati Theologi, & ipsa Textus sacri profundior consideratio. Nam primò dicitur in futuro, *sex diebus operaberis*, atque idem enunciandi Modus adhibetur, qui in Materia de sanctificando septimo die ex ordine hebdomadario. Si itaque Verba de septimo die sanctificando sunt præcepti divini, quæ inducunt obligationem, quî non illa quoque de operando per sex dies eodem modo enunciata intelligamus? & si non repugnat imperare Quietem, quam Deus septimo destinavit diei, quî repugnabit mandare Labores, quorum terminus à Deo præfixus est illa cessatio? Secundò; præceptum hoc de sanctificando septimo die Verbis, *sex diebus operaberis*, latum & datum est homini, & quidem, si Mosaicis insistamus, corrupto, per peccatum extremè vitiato, at hic ut in cætera propendet devia à voluntate divina, ita quoque ad otium, pulvinar illud Satanæ, præfertque Sacra Vacunæ laboribus, qui fatigant & homini sunt molesti; circumscribere itaque Deus voluit illam exerrandi propensionem, & ad actus officii revocare his verbis, *ut in sudore vultus sui vesceretur pane suo.* Tertiò; ratio huic præcepto subnexa ducit ad Mandati vim propugnandam: non tantùm enim dicitur, *Deum quievisse die septimo ab omni opere, quod patrarat, sed & sex diebus, Cœlum & Terram atque omnia in illis fecisse.* Si itaque urget exemplum Dei ad cessationem diei septimi per modum præcepti, quomodo non idem exemplum per sex dies operantis ad labores ordinarios adstringet; quid enim quæso illi, nisi opera nostræ vocationis, quæ in Mandato Divino fundatur?

VIII.

Quapropter meritò præferimus hanc sententiam priori, cùm enim Deus velit hominem in aliquo esse officio & functioni

ſuæ non deeſſe; cùm ipſe homo animal ſit ad laborem natum, adeò ut etiam Adamus in ſtatu Innocentiæ, non quidem cum faſtidio & moleſtia, ſed tamen adhibitâ manuum operâ, artuum robore, coluiſſet Terram; cùm Deus etiam occaſiones vitiorum præſcindere intendat, & Decalogus perfectiſſima ſit regula totius vitæ, ac omnium, quæ ab homine proficiſcuntur: quis dubitabit, voluiſſe Deum Mandato intimare ordinariæ functionis actus & opera, voluiſſe ſtimulare præcepto hominem ad id quod poſt lapſum indiget Mandati ſuſcitabulo, voluiſſe denique omni otio in vitia declinanti interdicere, & honeſto labori omnem hominem cujuscunque conditionis pro ratione ſtatus adſtringere?

IX.

Unde etiam paſſim Scriptura ordinarii officii functiones non libertati hominis permittit, qui remiſſior plerunque, ſed præceptivè inſinuat obligationem ad illas. Emphaticè Paulus 2. Theſſ. 3. 11. 12. *Audimus quoſdam inter vos verſantes inordinatè, nihil operis facientes, ſed curiosè agentes. Iis autem, qui ſunt iſtiuſmodi, denuntiamus, ac eos obſecramur, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut cum quiete operantes, ſuo pane veſcantur.*

X.

Quæ autem quidam ex Calvinianis argumenta producunt in coutrarium, facilè diluũtur. Primum illud de phraſi & abſurdo poſitum infirmum eſt. Nam ſi verba illa, quæ promiſcuè ſunt concepta, vel videntur inferre juſſum, imperium & voluntatem divinam, permiſſionem quandoque notant, & quidem in re non vitioſa, non peccaminoſa, multum decedit Calvinianis, qui imperativos loquendi modos urgent in illis locis Scripturæ, qui de peccato agunt, nec verentur, ubi peccatum regnat, tribuere Deo volitionem illius, negare permiſſionem tantùm ita enunciari. Secundò; ſi objectum ita eſt comparatum, ut illi non repugnet imperio indicari, atque labor ſextiduus honeſtati accedat, ſocietatem humanam ſtabiliat, vitiis luxuriæ præſtruat, quî non potius verba de operando intelligamus præceptivè, quàm permiſſivè? Tertiò; abſurdum intentatum non ſtringit. Ut enim altera pars præcepti de ceſſando à laboribus non eſt irrationabiliter intelligenda, quaſi ceſſandum eſſet ab omni ſimpliciter opere, quaſi etiam neceſſitatis & charitatis officia in die ſeptimo eſſent prohibita:

bita: ita præcedens pars non est ita accipienda, quasi semper esset operandum, citra ullam remissionem aut laboris intercisionem, cùm, quod caret alterna requie, non duret, sed accommodatè ad Naturam humanam, vires divinitus datas, vicissitudines, dies & noctes quieti ab ipso Deo destinatas: aliud itaque est mandatum de laborando & obligatio ad labores plusquam asininos, prius Deus intendit hisce verbis, non autem posterius; & proinde absurdum intentatum non premit. Alterum laborat petitione principii. Supponit enim in prima tabula, non contineri officia data de officio nostro erga nos & proximum, quod non simpliciter & absolutè admittendum, vel supponendum. Quid enim fieret de Juramento, quod Latria, ad secundum præceptum spectat, & nihilominus proximum quoque respicit? Secundò, cur Deus tantùm dixit: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices, & septimo die Sabbathum Domini DEI est, non facies omne opus in eo,* sed interjecit quoque & addidit hæc verba: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.* Num enim non sufficienter esset insinuata permissio, & licentia operandi per sex dies, etsi hæc verba non fuissent addita? num non dextrè licuisset colligere: si septimo die non faciendum opus sed cessandum, licebit per cæteros dies operari & laborare, cùm itaque Deus unà addiderit: sex diebus operaberis, non libertatem ipsis verbis sequentibus insinuatam consequenter, sed necessitatem urgere voluit, & præcepto etiam adstringere id, quod aliàs ita quoque comparatum est, ut præcepti materiam exhibere & sub illo comprehendi possit. Tertiò; quamvis in prima præceptorum Tabula non contineantur mandata de officio nostro erga nos & proximum directè, ita ut exprimatur ipse proximus, aut nos, ut objectum primarium & principale, in quod actus dirigendus, si tota latitudo præcepti attendatur, non tamen absurdum est, etiam nos ipsos vel proximum in præceptis Tabulæ primæ notari, aliquid etiam nobis vel erga proximum, vel erga nos exercendum imperari & mandari. Tertium non adversatur. Nam, sicut unus idemque actus potest esse contra justitiam & charitatem, prout de furto hoc constat: ita non est absurdum, unum eundemque actum duplicem habere vel deformitatem vel integritatem, adeoque ad diversa præcepta referri. Secundò; si comitatur actus contra Tabulam primam in publico, sanè præter id,

 quod

quod habet ex sua natura difformi, etiam scandalosus erit respectu proximi, ut itaque talis actus est contra primam Tabulam, & nihilominus in secundam impingit, ita non repugnat unum eundemque actum prohiberi aut mandari, secundùm diversa præcepta & prohibitiones, aliâ atque aliâ consideratione interveniente. Tertiò; otium dupliciter consideratur, aut in quantum dicit defectum laboris ordinarii, aut in quantum per consequentiam post se ducit subtractionem illius quod alteri debetur, dum ignavi fuci consumunt, quod apes collegerunt per sedulitatem, & per fas atque nefas attrahunt, quod laboriosa manus conquisivit cum injuria proximi: priori modo si consideretur otium, prohibitum est hoc quidem in præcepto & mandatus est labor ordinarius ei oppositus verbis, *sex diebus operaberis*; posteriori verò modo, referri tale otium ad præceptum de non furando, liberaliter concedimus, non itaque ex posteriori impugnatur illud prius, de quo nobis quæstio.

ERRORES PONTIFICIORUM.

XI.

Impingunt hic Pontificii primò, dum negant originem Sabbathi post conditum Mundum cœpisse, de Natali Controversiam illi movent, ut videre est apud Tostatum, Pererium, Suarezium, Bonfrerium. Secundò, dum Missis contaminant hunc diem, Marianum Sabbathum confingunt, & ipsam auditionem Sacrorum laxant, de primo videndus Navarrus, de secundo Marchantus, qui ita: Licet Sabbathi dies Judaicè sit abolitus, Christianâ tamen observatione & antiqua Ecclesiæ Catholicæ religione Virgini Mariæ esse dicatum, volens enim Ecclesiæ Virgini diem aliquem septimanæ quasi tributum quoddam pendere, hunc diem meritò elegit, quodammodo commutans festum actionis gratiarum, propter beneficium Creationis Mundi, & requietionis DEI, in actionem gratiarum propter beneficium Creationis Matris DEI. Hæc enim fuit quidam Mundus novus abbreviatus, excellentior & capacior mundo. Quapropter etiam illo die Fideles candelarum acccensarum lumine ei cultum exhibent. Et hujus diei cultum sibi gratum multis beneficiis & miraculis Virgò quandoque ostendit. De tertio verò Tannerus, cujus sunt sequentia. Non statim

tim peccati mortalis damnandi ſunt, qui non continuò, ſed per partes quaſdam miſſæ breviſſimas, licet ſæpius, garriunt, aut certè de variis rebus, ſcilicet non ſeriis, ita obiter & ſine attentione confabulantur, ut attentio neceſſaria ad miſſam non omninò impediatur, ſi paulum remittatur. Tertiò, dum ad ſanctos demortuos feſtivos dies obliquant. Ita ſcribit Bellarminus, honorem dierum feſtorum immediatè & terminativè pertinere etiam ad Sanctos, quemadmodum dixiſſem de Baſilicis, de votis & de ipſa invocatione; ſed talem honorem eſſe cultum duliæ non latriæ, & proinde religionis quidem cultum, ſed religionis non ut eſt nomen ſpecialis Virtutis; quæ homines erga DEI cultum benè diſponit, ſed ut eſt nomen generale. Cauſa feriarum ſacrarum in die Pauli converſi eſt, ut Eccleſias Paulum converſum invocet, ut è Cœlo peccatores convertat. Quartò, dum in compendium Devotionem redigunt cum Navarro, ita decernente. Qui auditâ Miſsâ reliquum diei tempus feſti conſumit in venationibus, bellorum ſimulacris, ſive juſtis & torneamentis, in luſibus, in choreis, aut otioſè vagantur, non peccant mortaliter. Quintò, dum operibus interturbant quietem Sabbathi, & pietatem ſufflaminant. Licet in feſto, ſcribit Toletus, ſtudere, legere, publicè etiam pro pecunia diſputare, exhortari & concionari, non enim talia prohibentur Opera, hinc fit, ut liceat Advocato ſtudere in feſto ſuper lites, & quæ ſtudet & ſcribere & informare etiam judices ſcripto & propter pecuniam, quia iſta ſunt animi opera. Licet venari etiam quæſtus causâ, auditâ prius Miſsâ, piſcari ex conſuetudine Eccleſiæ. Sextò, dum in opere operato acquieſcunt, & quod DEO debetur, eidem detrahunt. Hoc præcepto de colendis feſtis non præcipitur cultus divinus interior, qui in meditando & colendo DEO conſiſtit, ſed tamen exterior, qui conſiſtit in audienda miſſa, & abſtinendo ab operibus ſervilibus exterioribus, quæ adminiculo corporis ſunt exercenda. ut habet Navarrus. Septimò, dum Sabbathum & dies ſacros profanare parvi ducunt. Eſto peccare nunquam liceat, tamen hoc tertio præcepto non tenemur ad non peccandum, quia alioquin eſſet valde noxium tot feſta multiplicare, & per ea tendere laqueos animarum. Unde & in die feſto fornicari non eſt ſacrilegium aut novum

pecca-

peccatum. Octavò, præceptum ſervandi feſta non obligare ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus. uti videre eſt in Articulo octavo inter ſeptendecim, quos Anno 1653. Facultas Theologica Lovanienſis ad inſtantiam Archiepiſcopi Mechlinienſis reprobavit. Nonò, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor, ſimul à diverſis celebrantibus audiat. ut habet Articulus decimus ſeptimus per Facultatem Theologicam Lovanienſem Anno 1657. ad inſtantiam Epiſcopi Gandavenſis reprobatus. Decimò, Puellas excuſari ratione pietatis, in die Feſto ſuentes, vel aliud opus facientes, ad vitandum otium, ne ad feneſtras ſe conſpiciendas exhibeant. Undecimò, excuſari ruſticos & mechanicos opus aliquod facientes, ad vitandum otium, & ne ludendo & potitando, pejerando, blaſphemando aut rixando ſe exponant manifeſto periculo: dummodo id fiat clam, domique ad vitandum ſcandalum. Duodecimò, excuſari Barbitonſores & Sutores à violatione Feſti, quia ſi diebus Feſtis negent Parochianis ſuis ſuum laborem, facilè à pleriſque derelinquantur. Decimò tertiò, excuſari quoſcunque Artifices die Feſto laborantes ſpe notabilis lucri, modò tamen non ſit ordinarium. Decimò quartò. Eſſe probabile, pingere ſine magno apparatu licere die Feſtivo. Decimò quintò. Perpetuò amentibus, ſervis ſcil. Ethnicis, fas eſſe, opera ſervilia diebus feſtis imponere. Decimò ſextò. Non eſſe mortale, ſingulis feſtis per duas operari horas, quamvis animo fixum teneas, id toto anno efficere velle,&de facto efficias. Decimò ſeptimò. Dominum injungentē laborem duarum horarum viginti famulis ſimul, non peccaturum mortaliter: quia unius opus nequaquam uniatur cum opere alterius. Idemque eſſe, ſi ſinguli ſucceſſivè per modicam moram in eodem die laborent, etiamſi uno poſt alterum laborante totus dies occupetur: quia pari modo unius cum alio non connectatur. Decimo octavò, Ant. Fernandes in Examine Theologiæ moralis parte prima cap. 7. quæſtione ſecunda. Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo; ſi abſit contemptus, qui fuit inter articulos Lovanienſi Academiæ ad inſtantiam Archiepiſcopi Mechlinienſis exhibitus & reprobatus. imò decimus ſeptimus articulus hæc habuit: Satisfecit præcepto Eccleſiæ & audien-

diendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit. Decimonono, Caramuel scribens ad Dianam. pag. 434. Navarrus, & quotquot internam attentionem requirunt in officio divino, verbi gratià consideratâ vivacitate humani ingenii concludunt, vix, aut ne vix quidem posse hominem satisfacere sine aliqua distractione veniali: sic de præceptis aliis pariformiter philosophantur. At nos, qui contra generosè sentimus, & sensum nostrum armato ratiocinio firmamus, non solum milites, sed & virgines sumus: possumus enim ita Horis, aut aliis & Ecclesiæ præceptis satisfacere, ut ne in levem quidem culpam labamur. Prolatio enim & quæcunque alia extrinseca operatio est facillima: & humanæ principum leges, Ecclesiasticæ aut seculares sint, non præcipiunt internas. Imò de se ipso Horas Canonicas legente scribit in sua Theologia fundamentali numero 442. Uno momento, inquit, cœlum verso altera ad subterranea transeo: nulla in Oratorio movetur musca, quæ mihi non sit impedimento: attendere lectioni desidero, sed distractiones non evito involuntarias, millies interdum etiam voluntarias. Et nihilominùs nullo crucior scrupulo, nullo dubio angor; quia prudenter suppono me ad actionem internam non teneri, eam habere bonum esse, & ea carere nequidem levem esse culpam: me ad lectionem tantum, & attentionem externam obligari; me legisse totum, quod Rubricæ jubent, certò scio; & ita certò, ut possim jurare: Ergò me ne venialiter quidem peccasse in hac materia scio.

ERRORES CALVINIANORUM.

XII.

Cespitant hìc Calviniani quidam primò in origine Sabbathi, dum negant, illud à DEO statutum post septiduum, & vel illum accersunt à statutis datis in Mara, vel à pluitione Mannæ, vel à publicatione Decalogi. videatur inprimis Franciscus Gomarus. Secundò, dum quidam urgent strictam moralitatem illius, ut Amesius, Nathanael, Ecclinus, Voetius, & alii, in contrarium verò alii contra Moralitatem insurgunt, ut Brodæus, Franciscus White, Heydanus, & alii. Tertiò distinguunt inter

præcepti hujus sensum literalem & mysticum. Quartò, dum displicet illis pericoparum Evangelicarum prælectio in die Dominica. Ita enim Amesius: Sectionum Lectio publica reliquis Scripturis præteritis repugnat expresso DEI Mandato. Quintò, cùm organa Musica nimium tinnire volunt in ædibus sacris cum Paræo, qui ita: In Ecclesia excitandus est animus ad DEUM, & lætitiam spiritualem non tibiis, tubis, Tympanis, quod veteri duræ cervicis & stupidæ Mentis populo DEUS olim indulsit, sed sacris Concionibus, Psalmodiis & hymnis. Sextò, dum Feriis insultant: Ita Confessio Gallica, p. 181. Ceremonialem certorum dierum observationem eodem censu numeroque habet quo purgatorum. Tandem rigorem nimium urgent Sabbatharii, ut quidam nimis profani sunt de quibus suprà: ita quidam scrupulos citra Necessitatem & laqueum conscientiis injiciunt, dum scil. quietem nimis rigidè exigunt, ferè ut apud Judæos obtinuit. Nolunt advocari vel Sartorem, vel Sutorem, vel fabrum, si vestis rumpat, calceus pedi non quadret, aut clavis ad Museum pastoris, in quo instrumenta eruditionis, libri ad concionem perficiendam necessarii deficiant; Medicorum operam, quam Necessitas & charitas etiam efflagitat, ut licitas in dubium vocant, etiam perseverante pluvia, permissâ concionum auditione non ad unius vel alterius horulæ spacium indulgere volentibus illis, penes quos est potestas Politica, si Serenum affulgeat metere, & colligere fruges permittunt; recreationes nimis arctè circumscribunt; ad omnes conciones, quæ habentur in pluribus templis magnarum urbium, populum comparere volunt; conviviis etiam honestis iniquiores sunt; cauponas quæ etiam peregrinis adventantibus serviunt, & longè alterius sunt conditionis, quàm quondam illæ apud veteres, ob quarum periculum & μιάσματα toties ab Apostolis & aliis hospitalitas fuit commendata & injuncta Christianis, damnant, vel die Dominico toto clausas esse volunt: cùm circumscribi possit à Magistratu quod ab honestate deviat, modus poni esculentis & poculentis exhibendis, & prudentiæ superiorum, nec non necessitati aliquid hìc sit permittendum. quò etiam Confessorum Judicium referre licet, qui istiusmodi Disputationes scrupulos & laqueos conscientiæ vocant, & articulo ultimo contemnunt.

ERRO-

ERRORES ARMINIANORUM.

XIII.

Arminianos si addas, invenies primipilum & principem illorum Jacobum Arminium conspirasse hîc cum illis, à quibus aliâs facit divortium in quamplurimis. Disputatione enim septuagesima de quarto Præcepto th. 10. hæc verba leguntur: Jam verò quod ad diem septimum attinet, qui sanctificari jubetur, in eo id morale & perpetuum est, ut dies septimus, hoc est, unus ex septem cultui divino consecretur, neque fas sit ulli homini ullo tempore, quum sex dies animalis vitæ operibus impenderit, septimum in iisdem omnibus aut eodem modo continuare. & thes. 15. sequentia: Si quis diem dominicum à reliquis diebus nullo modo distinguendum putaverit, aut libertatis Evangelicæ declarandæ caussa in alium diem vel Lunæ vel Martis transmutaverit, saltem pro schismatico in Ecclesia DEI habendum arbitramur. cui addimus Curcellæum in diatribe peculiari de Sabbatho.

ERRORES PHOTINIANORUM.

XIV.

Uti hi devii à veritate excessu peccant & nimis strictam scrupulosam & confragosam viam ingrediuntur: ita inveniuntur qui in defectu errant, & nimis laxè ambulant, & primò Photiniani. ita enim Smalcius de Divinitate Christi cap. 5. p. 20. Præcepit Lex sanctificare diem Sabbathi, hoc præceptum quia ceremoniale est D. JESUS non perfecit, sed istud sustulit, ut & alias ceremonias. Cui suffragatur Catechismus Racoviensis addita ratione, cur adhuc præceptis Decalogi annumeretur, Verba ex Germanico Idiomate in Latinum conversa ita se habent. Quid de hoc præcepto constat? R. Esse sublatum sub novo fœdere, quemadmodum alias ceremoniales, ut vocantur, censeo. qu. 70. Cur verò Decalogo insertum est? R. ideò, ut absolutissimam legis Mosaicæ partem, non fuisse patefactam appareret, & quidem judicium extaret ejus rei, legem successuram legi Mosaicæ, longè nempè perfectiorem, legem nempè Domini nostri Jesu Christi Quæst. 71. Nonne Christus constituit, ut diem, quem vocant Dominicum, Sabbathi loco loco obiremus? R. nullo modo, cum religio Christi, quemadmodum alias ceremonias, uti vocantur, ita de-

lectum dierum tollat. uti Coloss. 2. ℣. 10. apertè scribit Apostolus: *Verùm cùm diem Dominicum antiquitùs celebrari à Christianis videamus, nos eandem libertatem omnibus Christianis permittimus.*

ERRORES ANABAPTISTARUM.

XV.

Referunt ad Legis Ceremonialis jugum vetus, quo populum suum liberavit Christus (juxta ferias & festa anniversaria Judaica) etiam feriationem Sabbathi externi. Auctores Confess. oppos. Fauckelio Artic. IX. p. 123. In quam sententiam apertius V. L. Defens. part. 2. pag. 95. sic pronunciat. Ne ipse quidem Decalogus expers est earum (umbrarum.) Nam die Sabbathi observationem ad umbras pertinere, testis est Paulus, Coloss. 2. ℣. 17.

CASTIGATIO PONTIFICIORUM.

XVI.

Ast quid primo de origine Sabbathi sit sentiendum, in Tractatu de Sabbatho exposuimus, & argumenta Adversariorum excussimus. Secundò qui Missas inserunt huic diei, tenebras opponunt Soli, qui Mariana Sabbatha celebrant, cultum divinum obliquant, qui denique cornicationibus, collocutionibus, confabulationibus fenestram aperiunt, conscientiam laxant, peccatis fores pandunt. Tertiò quid de sanctis demortuis & cultu illorum sentiendum, supra expositum. Quartò, quantum pietatis sit in Pontificiis, ostendit. Quintum prodit itidem profanum Animum. Sextum DEO non reddit quæ DEI sunt. Septimum contra divinam voluntatem revelatam exsertè. Octavum ipsis Pontificiis displicet. Nonum cum quarto coincidit. Decimum malum malo curat. Undecimum est fistula dulce canens Rusticis & Avaris. Duodecimum ad Marsupium respicit operariorum non ad DEO debitum Honorem. Decimum tertium excusat, quæ accusanda. Decimum quartum pingit tempori, non æternitati. Decimum quintum contra legem divinam disponit. Decimum sextum mortalia peccata impugnat, & venialia fingit. Decimum septimum malè computat. Decimum octavum ab Archiepiscopo Mechliniensi fuit reprobatum. Decimum nonum prodit Ingenium Caramuelis.

XVII. CA-

CALVINIANORUM.

XVII.

In Calvinianis quod reprehendimus circa primum latè excussimus in Tractatu de Sabbatho. Secundò Dissensus ita apparet inter ipsos, dum alii excedunt, alii deficiunt in hâc Materia. Tertiò malè supponunt illum duplicem sensum, quem expunximus Tractatu de Sabbatho Th. 25. Quartum excussit B. Meisnerus in præfatione ad Evangelia. Quintum tollit ea quæ ad εὐσχημοσύνην faciunt Ecclesiæ. Sextum libertati Ecclesiæ insidiatur, & veterem consuetudinem sine ratione prægnante abrogat.

ARMINIANORUM.

XVIII.

Arminius tandem loquitur de transmutatione actuali, supposita jam determinatione diei dominicæ in Ecclesia, & talem censet pro schismatico esse habendum, de quo non disquiritur. Secundò; diem Dominicum à reliquis diebus nullo modo distinguendum esse, nos non affirmamus. de causa distinctionis est quæstio: an scil. ideò distinguendus sit, quia præceptum de Sabbatho sit juris moralis strictè sic dicti; an verò alia ex causa, quia prudenter & rationabiliter electus est ab Ecclesia, & locum Judaici Sabbathi surrogatur. Tertiò; Confessio Remonstrantium si ut verba jacent, accipiantur, planè pro nobis stat, & idem dicit, quod orthodoxi propugnant, ita enim verba illius habent. cap. 12. p. 41. thesi sexta: Quartum preceptum de sanctificando die septimo sive Sabbatho quod attinet, in Vet. quidem Testamento rigidè id observandum erat: sed quia à Domino Jesu Christo, sub Novi Testamenti tempore, discrimen dierum prorsus sublatum est, ad ejus observationem præcisè nemo Christianus obligatur. Interim tamen, quia primum hebdomadæ diem, qui Dominicus dici solet, conventibus & exercitiis sacris ab Ecclesia primitiva destinatum fuisse legimus; & maximè, quia spiritualibus, sanctisque operibus, atque externis etiam pietatis exercitiis vacare, res per se laudabilis ac pia est; omninò arbitramur, Christianos rectè pièque facere, quod ad exemplum Ecclesiæ primitivæ, piam istam consuetudinem (nisi gravior necessitas aliter interdum facere cogat) servare non negligunt; & primum hebdomadæ diem, procul tamen omni superstitione Judaica, quasi sanctum, à reliquis segregant: eoq; fine

ab operibus non necessariis se continent, quo attentius divinis & cœlestibus meditationibus; aliisque piis officiis, absque ulla distractione vacare, animumque totum possint intendere; contraque eos, qui secus faciunt; tanquam publici ordinis ac decori violatores, justa reprehensione dignos esse censemus.

PHOTINIANORUM.

XIX.

Quod ulterius Photiniani dicunt, nullo modo Christum constituisse, ut diem, quem vocant Dominicum, Sabbathi loco obiremus, id simpliciter concedi nequit. Quanquam enim nulla habeatur expressa constitutio; non tamen Ecclesia temerariè ad hujus diei segregationem progressa fuit, sed partim vestigiis monita, partim rationibus ducta, partim Spirit. S. ope persuasa, de quo supra abundè egimus. Secundò, religionem Christi prorsus tollere delectum dierum, nunquam, si ad sublationem illius, quod in tertio præcepto morale est, vel ad abrogationem diei Dominicæ extendatur, & ita intelligatur, quasi religio Christiana & dies Dominicus unâ non consistant, sed unum expungat alterum, concedi potest: quia nisi religio Christiana compateretur diei alicujus selectionem, sanctificationem, observationem, ipsa degeneraret in Epicuræismum vel Atheismum, aut ad minimum hominibus profanis via signaretur ad neglectum omnis cultus externi, quod oppidò absurdum. Tertiò; locus ex Epistola ad Colossenses productus id non evincit, quod Photiniani volunt: supra enim exposuimus, quomodo verba Apostoli sint accipienda; repetimus tantùm, hoc ex ipso Paulo patere, quæ Sabbatha notet, nimirum illa, quæ ejusdem generis fuerunt cum noviluniis & cæteris umbris, nec improbare voluit discrimina temporum vel Physica, vel civilia, vel Ecclesiastica, sed superstitiosam observationem illius, quod tum temporis paulatim evanescebat.

XX.

Denique quod concludunt, sese eandem libertatem permittere Christanis, cùm diem Dominicum antiquitus celebrari à Christianis videant, non consistit. Nam primò dicunt præceptum de Sabbatho esse sublatum in N. T. tanquam merè ceremoniale quid. At si fuit præceptum hoc merè ceremoniale & sublatum

tum, ne libertatis quidem erit ſeptimum diem ſacrum haberi; ſi verò fuit partim ceremoniale, partim morale, ut revera fuit, & dicatur ſublatum, iterum dies ſeptimus planè non erit attendendus. Secundò; libertatem permittunt Photiniani quidem, ut Verba ipſorum habent, Chriſtianis celebrandi diem Dominicum, ſed eo ipſo conſequenter inſinuant, poſſe etiam non celebrari, poſſe ex ordine dierum feſtorum expungi, adeoque cultum externum ſeptimi diei planè negligi, quod falſum eſſe, ſuprà à nobis eſt demonſtratum. Tertiò; permittunt celebrari diem Dominicum, quia antiquitus celebratum à Chriſtianis deprehendant, at ſi hæc ſola eſt ratio, cur permittant illam libertatem Chriſtianis, plura illis erunt indulgenda, ab Eccleſia antiqua obſervata, & per Canones Conciliorum correcta, cumque videant Eccleſiam Æthiopicam longo abhinc tempore diem Sabbathi Judaicum & dominicum conjunxiſſe, obſervare ad hæc usque tempora, libertatem poterunt eandem permittere cæteris Chriſtianis, ut & Judaicum Sabbathum celebrent, & diem Dominicum obſervent: quod quomodo conſiſtere poſſit, cum ipſa Photinianorum hypotheſi, vix eſt imaginabile, dum ſcil. volunt Sabbathum tranſiiſſe cum cæteris Ceremoniis in tenebrarum regionem, nec corpore præſente poſſe renovari.


XXI.

Volkelius autem aſſerendo, quòd ea de cauſa in moralium præceptorum numerum Mandatum de Sabbatho adſcriptum eſſe videatur, quòd Sabbathi obſervatio Symbolum fuerit & teſſera quædam fœderis inter DEUM & Iſraelitas, quos à labore atque ergaſtulo ſervitutis Ægyptiacæ ad quietem terrenam perduxerit; primò, aliquid dicit, ſed non totum: non enim Sabbathi obſervatio tantùm fuit Symbolum & teſſera quædam fœderis, inter DEUM & Iſraelitas, ſed idem præceptum ſive conſtitutio quædam intimans cultum certo aliquo die exhibendum. Secundò; ſub hac ratione Symbolica ſpeciali Iſraelitis quamvis ceremonialis fuerit: tamen hoc tantùm evincitur, aliqua ex parte fuiſſe ceremonialem hanc legem, nempè in quantum Iſraelitis ad quos hæc ratio ſpectat, fuit lata. Tertiò; falſum eſt, ea de cauſa fuiſſe inſertum hoc præceptum Decalogo. Cum enim hic habeat naturam legis moralis; cùm conſtet præceptis æternis & perpetuis, quomodo poteſt dici, ideò eſſe inſertum hoc præceptum, quia Sym-

Symbolum fuerit fœderis inter DEUM & Iſraelitas, quos è ſervitute eduxit, niſi ſuppoſito Decalogum tantùm Iſraelitas reſpexiſſe? cùm potius cauſa inſerti hujus præcepti quærenda ſit in eo, quod ad Decalogum pertineant illa, referenda ſint illa, quæ perpetuæ cujusdam moralitatis.

ANABAPTISTARUM.
XXII.

Sed & hi laterem lavant. ſupponunt enim nimis ſecurè primò ad legis Ceremonialis jugum vetus pertinere obſervationem Sabbathi: cùm diſtinguere deberent inter obſervationem Sabbathi ſimpliciter talē, & rigoroſam ſecundùm omnes circumſtantias V.T. conſideratam: obſervatio Sabbathi ſimpliciter talis, in quantum ſcil. dicit diei ſeptimi ſegregationem, ab operibus ſervilibus ceſſationem, & debitam cultus divini exhibitionem, non eſt jugum Vetus legis ceremonialis, ſed articulus legis Moralis, quæ perennat; illa verò obſervatio, quæ in V.T. locum habuit cum illo rigore, rituumque præſcriptorum nexu, nec non determinatione ſeptimi diei, ut quies quoque peculiaris miniſtrabat, jugum fuit illud, quod ad ceremonias deflectebat, & libertate Evangelii affluente defluxit. Secundò; quomodo poteſt dici, Chriſtum populum ſuum liberaſſe à feriatione Sabbathi externa, cùm nullum illius temerariç aſſertionis veſtigium in Scriptura compareat, nullum hactenus ab iſtius furfuris hominibus fuerit productum Teſtimonium? Ipſe Chriſtus potius cum Apoſtolis in diebus carnis ſuæ obſervantiſſimus fuit Sabbathi, etiam Judaici: & quando hoc die operatus eſt non tam Sabbathum violavit, quàm illis qui putabant ipſum violaſſe: tantùm genuinum ſenſum præcepti expoſuit, & hoc ipſum, quod illi impingebant, prudenter tanquam Legislator & interpres αὐτόπιστος removit, ut conſtat ex Matth. 12. ℣. 3. 4. 5. & ex Joh. 7. ℣. 22. & 23. inſuper provocavit ad Judicium ἀπροσωπόληπτον, ad quod non provocare potuiſſet, niſi ſuppoſuiſſet etiam ſecundum mentem non tantùm legislatoris, ſed rectè ſententium quoque Judæorum calculo primordialiter eſſe exceptos caſus neceſſitatis, opera charitatis; adeoque illis operibus, quæ ipſe patravit eo tempore pulſatam fuiſſe Sabbathi Sanctitatem, ſed obſervatum potius accommodatè ad genuinum ſenſum legis. quo autem colliment aſſertione ſua illi hæretici, facilè divinare licet, nimirum, volunt remotam eſſe omnem feriationem Sabbathi externi, ut interno ſuo Sabbatho omnia tribuant, enthuſiaſmis fomenta miniſtrent, & quærant in Corde, quod officina omnium malorum, quod in Speculo Verbi debuiſſent animadvertere. CAP. I. Ta-



CAPUT I.
TABULÆ SECUNDÆ.
PRÆCEPTUM IV.
THESIS I.

DE Præceptis Tabulæ primæ hactenus pro ratione instituti nostri egimus, transimus itaque ad secundam. Respicit illa proximum, ut prima DEUM, quod tum verbis Christi potest deprehendi, legis summam in dilectionem DEI & proximi dispescentis, Matth. 22. v. 37. 38. 39. tum ex officiis præscriptis, quæ proximum spectant, illius bono sunt imperata à DEO, tum ex communi Theologorum Consensu, qui hactenus præcepta primæ Tabulæ & secundæ ita explicarunt, & ostenderunt in posterioribus nobis proponi, quid debeamus proximo illi, qui ejusdem nobiscum sanguinis & carnis, & universi hujus Rempublicam complet, cujus vita civilis maxime in hoc præceptorum ordine stabilitur, ut observat B. noster Chemnitius, qui graviter ita pronuntiat: In secunda tabula ne verbo quidem meminit vitæ solitariæ: de officiis vero politicæ societatis in hac communi vita, non uno, duobus aut tribus præceptis concionatur, sed totam secundam tabulam in constituenda, munienda & ornanda hac politica vita consumit. Et sicut in creatione, singulis membris in corpore humano peculiares attribuit operationes, ut mutuis officiis sint conjuncta: ita in secunda tabula solicite instituit varia officia, in quibus singuli singulis mutua dilectione inserviant, conferant operas, & communia onera totius vitæ ferant, ut DEO obediant. Nec potest cogitari major laus politicæ societatis: quam quod DEUS tot illustribus & tam admirandis testimoniis, in monte Sina, totam secundam tabulam de communis vitæ officiis promulgavit: & sonora voce, quæ plusquam à sexcentis hominum millibus exaudiri potuit, confirmavit, post cultum primæ tabulæ, homines esse ad hanc politicam societatem conditos.

II.

Conveniunt item aliqua ratione præcepta primæ Tabulæ & secundæ, unde præceptum de diligendo proximo dicitur simile præcepto de diligendo DEO, partim quia est morale quoque, nec inter adiaphora aut


 cere-



ceremonias referendum, partim quia neglectus illius æque habet pœnam æternam imminentem, ut primæ tabulæ transgressio, partim quia ita cohærent Dilectio DEI & proximi, ut unum sine altero non stare posse videatur. D ffert vero à præceptis politicis, quæ à Philosophis traduntur, secundum Chemnitium tribus modis, 1. quia Obedientia secundæ tabulæ debet includi in primum præceptum, ut scilicet regatur timore D E I & fide, & communis vitæ oneribus propter obedientiam DEO debitam simus subjecti. 2. quia præcipiuntur non tantum externa: sed interior obedientia, & ea tam perf.&a in affectibus, imo in ipsis inclinationibus, ut secunda tabula sit judicium D E I accusans contumaciam naturæ humanæ, in qua magna est c nfusio politici ordinis, sicut illum DEUS describit, quia 3. Opera secundæ tabulæ vere sunt cultus DEI, quando gubernantur à timore DEI & fide, juxta definitionem cultus DEI.

III.

Dispescitur in aliquot Effata & habet hæc Tabula septem præcepta, inter quæ primum locum sibi vindicat Mandatum de Honore parentum, cum prima societas vitæ domesticæ sit radix, ex qua cæteræ efflorescunt, lineamenta imperii in civitates, principatus, & regna in gubernatione familiæ signentur, atque Basis totius ordinis politiæ in hoc præcepto ponatur, de qua in sequentibus.

VERBA TEXTUS PRÆCEPTI IV.

כַּבֵּד אֶת־אָבִיךָ וְאֶת־אִמֶּךָ לְמַעַן
יַאֲרִכוּן יָמֶיךָ עַל הָאֲדָמָה אֲשֶׁר־יְהוָֹה
אֱלֹהֶיךָ נֹתֵן לָךְ׃

Honora Patrem tuum & matrem tuam ut prolongentur dies tui, super terram, quam Iehovah DEUS tuus dans tibi.

THESIS I.

TRia in hoc præcepto occurrunt expendenda. Primò Objectum. Secundò Actus præcepti, tertiò Ratio inducens. Primum exprimitur, Voce Patris & Matris, ita tamen ut pater præponatur, quo ipso insinuatur & æqualitas & diversitas illa illucescit, ut agnoscantur in radice reverentiæ esse pares, illique deberi honorem, neque matrem ob sexus conditionem inferiorem patre esse negligendam, vilipendendam, aut contemnendam; hoc vero, ut agnoscatur patrem primum in honore locum obtinere

tinere, esse principem familiæ, in ipsum maxime esse respiciendum; præmittitur alias mater, Levit. 19. v. 3 verum ut observant Interpretes, non ratione dignitatis, sed ordinis, cum prius soleant liberi agnoscere matrem, ratione timoris, cum prius videatur timeri utpote magis occupata circa liberos, quam pater, mater, denique, si de reverentia ibi sit sermo, ratione curæ, quia sub cura matrum diutius sunt liberi quam patris, quanquam dici possit ordinem non semper attendi, ut in aliis quoque præceptis Ecclesiastici 3. vers. 2. & seq. Nomine autem patris & matris primò intelliguntur illi, à quibus sumus sati & progeniti, Ebr. 12. vers. 9. notanter vero dicitur אביך pater tuus ואמך veimecha mater tua, quæ pronomina quoque occurrunt in N. T. Matth. 19. vers. 19. Marc. 7. vers. 10. Luc. 16. v. 20. Eph. 6. v. 2. quod & prius confirmat, & ostendit patriam potestatem relate esse accipiendam ratione scil. natorum, non aliorum extra hunc ordinem relationis, monetque parentes, ut ita sese exhibeant natis, ut non tantum sint pater & mater, sed & affectu toti in illos propendeant, ut Filius possit dicere, Pater mi! Filia, mater mi! & vicissim. Consequenter autem nomine hoc comprehenduntur, qui loco parentum sunt, & in Scriptura hoc loco connotantur, quales primò omnes Majores in linea ascendente, ut constat Joh. 8. v. 39. Rom. 9. v. 5. & in V. T. Exod. 3. v. 15. Num. 2. v. 24. Tutores & curatores, qui parentum personam sustinent, Joh. 19. v. 25. 27. Gal. 4. v. 1. 2. Patresfamilias sive Heri cujuscunque ordinis, status & conditionis, 2. Reg. 5. v. 13. Exod. 12. vers. 3. Præceptores & Magistri artium, Gen. 4. v. 20. 21. Seniores denique omnes natuque Majores, 1. Tim. 5. vers. 1. in statu Ecclesiastico Antistites Ecclesiæ, Pastores, Doctores, 2. Reg. 2. v. 12. 1. Cor. 4. v. 15. Philemon. 10. in statu denique politico Magistratus tum superiores tum inferiores, 1. Sam. 24. v. 12. Judic. 5. v. 7. non male Bodius: Patris nomen omnium primò maximeque proprie competit Parentibus nostris terrenis; quippe quibus ut instrumentis DEO uti visum est, in nobis generandis, educandis, & conservandis; propter quod ipse summus est omnium Pater. Quare quum in iis primum ac potissimum eluceat imago illa divinæ paternitatis, illis ante omnes debentur hæc honoris, obsequii, reverentiæ, & gratitudinis officia, propter Patrem illum cœlestem, quem illi nobis modo quodam speciali repræsentant. Deinde, nomen honorque Patris, Regibus debetur atque Principibus, Maritis item ac Dominis, Imperatoribus

bus etiam ac belli Ducibus, ut & Præsidibus, Præfectis, Gubernatoribus, Tutoribus, Patronis, iisque omnibus in universum, quibus imperium in alios, ut & aliorum tutela & regimen, à DEO commissum est: quia scilicet in iis omnibus elucet imago aliqua illius gloriæ ac potestatis, illius imperii dominiique supremi, quod DEO competit in omnes creaturas, illius itidem providentiæ supremæ, quâ ipse omnes gubernat & administrat, quâ ipse omnibus providet prospicitque. Sic Gen. 45. signanter inquit Josephus, DEUM se constituisse Patrem Pharaoni, & Dominum toti ejus familiæ, Præfectumque in universa terra Ægypti. Sic 2. Reg. 5. Naamanem illum Syrum, & apud suos Equitum Magistrum, vel Militiæ Præfectum, famuli sui Patrem appellant: *Pater mi, inquiunt, si rem magnam Propheta edixisset, an non fecisses?* Sic olim apud Ethnicos ipsos, Reges Abimelechi, & Populi vel Patriæ Patres avebant appellari, licet pauci admodum eo se titulo dignos præstiterint. Tertiò, Judices & Senatores huc spectant: utpote quibus ille supremus omnium Judex aliquam suæ in judicando auctoritatis imaginem impertitus est, ob quam similiter honor ipsis ac reverentia debetur. Quartò, Pastores atque Doctores, quibus DEUS uti dignatur in aliis docendis & instruendis, in aliis de sancta sua voluntate informandis. His enim suæ Sapientiæ & cognitionis umbram aliquam effigiemque communicat, immò sui in hominibus docendis & illuminandis officii & efficaciæ. Unde sic Eliam à se abreptum deflet Elisæus ejus successor, *Pater mi, Pater mi, Currus Israëlis, & equites ejus*; Et Apostolus noster non dubitat se, & Corinthiorum, & Timothei, & Titi, & Onesimi, & aliorum, quos ad Christum converterat, Patrem profiteri, quippe quos ipse per Evangelium genuerat. Quintò, venerandi Senes, non ætate minùs, quàm gravitate conspicui: quippe quibus ille antiquus dierum, ut apud Danielem appellatur, aliquam suæ antiquitatis, h. e. æternitatis imaginem communicavit. Denique quia omnes, quibus ipse suæ perfectionis & excellentiæ scintillam, aut umbram aliquam impertitus est, per quam præ aliis eminerent, pro suo loco, gradu, & vocatione, proque DEI donis, quibus alios antecellunt, sub nomine Parentum, nobis honorandi veniunt. Ita videmus quemadmodum Primi summique Patris, nempe cœlestis illius, habitâ ratione, ac dependenter ab illo, ut ita dicam, cui soli competit independenter & absolutè nominis hujus honor, alii omnes ejus imagine decorati, & nomine & honore participent

II. Alte-

II.

Alterum designatur voce כבד cabed, quod verbum in kal, significat grave esse, in Piel verò honorare, idque ideo, quia, quæ honoramus, non levia esse æstimamus, & veneratio prærequirit gravitatem; de gravitate occurrit hæc vox Gen. 50. v. 9. 10. 11 *Habuit quoque in comitatu currus & equites: & facta est turba non modica, fuit exercitus honorificus valdè. Veneruntque ad Aream Atad, quæ sita est trans Iordanem: ubi celebrantes exequias, & lugebant ibi planctu magno & vehementi, impleverunt septem dies. Quod cùm vidissent habitatores terræ Canaan in Area Atad, dixerunt: Planctus magnus est iste Ægyptiis; & idcirco vocatum est nomen loci illius planctus Ægypti.* Item Exod. 8. v. 20. cap. 19. v. 16. 1. Reg. 10. v. 2. Esa. 32. v. 2. de personis legitur Gen. 13. v. 2. Exod. 4. v. 10. Esa. 1. v. 4. LXX. Interpretes habent vocem τίμα. Quirinus de Salazar refert in quibusdam Exemplaribus se invenisse vocem ὑπερτίμα, super honora, hoc est majorem illis honorem, quàm aliis impertire, aliud verbum occurrit Levit. 19. v. 3. nempe ירא jare, imò etiam Vulgatus: natus matrem suam & patrem suum unusquisq; timeat. Tertium his verbis proponitur, *ut sis longævus super terram, quam Dominus DEUS dabit tibi.* Potuisset DEUS citra promissionem imperare honorem parentibus debitum, sed voluit adjicere promissiones, ut magis stimulet. Juxta Textum Ebræum promiscuè vertitur, & maximè prolongent dies tuos. quod quidam referunt ad mandata, quidam ad parentes, quidam ad dies; qui primum amplectuntur sensum, non videntur satis commodè Textum exponere, tum, quia mandati non fit mentio: quanquam enim illud, Honora Patrem & Matrem, sit mandatum, & ipsius observatio promissione gaudeat longævitatis, non tamen formaliter dicitur mandatum hoc prolongare dies, unde etiam non deprehendes facile aliquos sensum hunc probare ex nostris, aut præferre receptæ interpretationi; altera sententia verbum יאריכון jarichun accipit activè, ut sensus sit, parentes prolongare, quia Deus per illos soleat extendere vitam, exaudiendo benedictiones parentum, & intercessiones pro natis, vel occasionaliter ut pauperes, quibus *ex iniquo Mammone benefacimus & illi proinde, dicuntur nos recepturi in æterna tabernacula*, Luc. 16. at quamvis non negemus, hunc sensum posse admitti, neque controversiam movere velimus illis, qui eundem sequuntur, nihilominus tertia sententia prævalet apud nos, ut sensus hic eruatur, *sis longævus super terram, &*

prolongentur dies tui, ut quidem B. Lutherus eandem probavit, nam primò solenne est Ebræis illa Enallage activi pro passivo, ut constat ex Deut. 6. v. 2. secundò Versiones & Interpretes passive acceperunt hæc verba, & intransitive Chaldæus interpres, qui habet, prolongentur, LXX. Interpretes, qui reddiderunt, ἵνα μακροχρόνιος γένῃ, Hieronymus ut sis longævus super terram, Gallicæ version's Author, soyent prolonges. Adde Musculum, Ursinum, Piscatorem & alios. Tertiò habemus pro nostra sententia testem omni exceptione majorem, Apostolum Paulum, qui in Epistol. ad Ephes. 6. v. 2. ita loquitur, ἔσῃ μακροχρόνιος. Vidit hoc Hugo Grotius de interpretatione altera quam Junius & Tremellius adoptarunt, ita censens, sed vereor ne id nimis subtile sit, & rectius Græci aliique interpretes vocem, quanquam formæ activæ, sumunt in sensu passivo aut reciproco, nimirum ut prolongentur aut prolongent se dies tui, quomodo & latine sumi solent verba augere, vertere, geminare, movere, mutare, pascere, præcipitare, tendere, turbare, vehere, volvere & alia similia. Absolomo hoc præceptum violanti curtati sunt dies. Hactenus ille. Præmittitur in Deuteronomio, c. 15. v. 16. cui consonat allegatio Paulina, Eph. 6. ut bene sit tibi, qua singularis felicitas indicatur, bene enim esse alicui significat, omnia habere affatim, quæ ad vitam prolixiorem ducendam pertinent. Valetudinem corporis robustam, victum liberalem, uxorem & liberos ad votum, pacem, quæ optima rerum, adeoque promittitur longævitas felix, cum non vivere, sed valere vita sit. Locum felicitatis designat Moses quoque, addendo, *in terra, quam Dominus DEUS tuus daturus tibi est*, quæ promissa erat à DEO, & in quam post exilium erat introducturus populum suum, quæ insignis opibus naturæ, lacte, melle, frugibus, pomis abundans, balsami quoque sole ferax, usque ad tempora Plinii, quæ typus & pignus hæreditatis cœlestis, de qua Ebræor. 11. v. 10, 13 14. cap. 12. 22. 23 Gal. 4. vers. 26. Matth. 5. vers. 5. 2. Petr. 3. vers. 13. & ut Judæorum ratione speciatim hic notatur terra Canaan, ita generatim ratione cæterorum destinatur terra quævis, quæ excipit tales, secundum Paulum Eph. 6. v. 3. Æquitas promissionis divinæ conspicitur secundum Nicolaum Lyranum, ex eo, quia, qui parentes honorat, is vitæ suæ corporalis authores honorat, æquum igitur est, ut vitâ hâc diu fruatur, & adjecit DEUS hanc promissionem, partim ut longævitate felici, in quam omnes propendent, quasi præmio proposi-

to

to ad ejus observationem magis incitaret, partim ut testaretur, quanti faceret honorem parentum, & quam graviter velit punire honorem parentibus non exhibentes, partim ut doceret quam necessaria esset obedientia hujus præcepti, cum ad totam reliquæ legis obedientiam sit præparatio & causa impulsiva.

III.

Non possumus probare mentem Wolffgangi Musculi, qui in hæc verba promissionis scribit: Hanc promissionem de longitudine vitæ commodum populo carnali proposuit. Principio perpendendum est, quod præcepto adjecta est promissio, alliciens ad observantiam ejus quod præcipitur. Promissione hac declaratur, quam sit benignus Legislator DEUS. Poterat simpliciter præcipere, & obedientiam à populo suo sine ulla promissione, vel hoc solo nomine requirere, quod æquissimum est utrumq; & obedire DEO, & honore prosequi parentes, quam æquitatem etiam ipsa dictat lex naturæ. Verum ex abundanti bonitate adjicit promissionem. Sic solent non ii, qui dominium exercent in subditos, sed qui paterno affectu præditi, magis hoc quærunt ut bene sit subditis, quam ut ipsi inoffense dominentur. Bonitatis hujus paternæ ac divinæ admoneamur, quoties præceptis ac doctrinis DEI promissiones adduntur, quo suavitate illius animadversa, ad obediendum & obsequendum reddamur alacriores & propensiores. Deinde observa promissionis hujus qualitatem, quam sit conveniens populo carnali & legali, sive bonum quod promittitur, sive minas inclusas respicias. Non dicit, ut placeas Domino DEO tuo, & futuram vitam acquiras: sed ut sis longævus super terram, &c. Natura hoc est omnibus inditum, ut vitam carnis ament, diuque, imo, si fieri posset, in sempiternum vivere cupiant, & mortem, ubi moriendum est, vehementer horreant. Hanc promissionem de longitudine vitæ commodum populo carnali proponit, ut appetitione saltem illius obedientiam ex illo eliciat. Tales sunt & aliæ pleræque terrenæ promissiones huic populo propositæ. Habebat & ille quidem electos ac pios homines ad cœlestia bona destinatos, verum propter pædagogiam legalem terrena illi plerunque promissa proponebantur. Populo vero Novi Testamenti non carnalia & terrena, sed cœlestia bona promittuntur, sicut in Evangelicis & Apostolicis literis videre licet. Dices: Atqui Apostolus Christianis etiam

terre.

terrenam hanc de longitudine vitæ promissionem proponit ad Eph. 6. Respondeo: Proponit quidem, sed præmittit dicens, *Filij obedite parentibus vestris in Domino: Hoc enim justum est.* Et ad Coloss. 3. *Filij obedite parentibus per omnia: Hoc enim placitum est Domino.* Sic igitur Apostolus Christianam juventutem ad obedientiam præcepti hujus invitat, ut non solum spe longioris vitæ, sed & respectu æqui ac beneplaciti divini, officium erga parentes faciant liberi. Et hac moderatione nec divinam promissionem temere abjicit, nec naturales longioris vitæ affectus damnat, sed Christianæ pietatis respectus ad magis spiritualia inducit ac dirigit. Tale est & illud, quod 1. Tim. 5. tertio dicit, *exerce te ipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est: Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Ubi dicit, promissionem habens vitæ, *quæ nunc est*, satis innuit non esse damnabile, si quis pro naturæ ductu affectet ea, quæ præsenti sunt vitæ necessaria. Cum vero addit, *& futuræ*, simul admonet, hactenus esse nobis appetenda præsentis vitæ commoda, ut futuræ vitæ felicitatem non negligamus. Deinde sic comparatam esse philanthropiam DEI, ut piis ac timentibus se, & in hac & in futura vita optime consultum esse velit. Quare si quando pii, in hac vita tribulationibus exercentur, cogitandum nobis est, esse ejusmodi afflictiones per divinæ providentiæ dispensationem certis de causis inductas, etiamsi illæ nobis non sint confestim expositæ. Tertiò, de eo quoque cogitandum est, quæ sit promissionis hujus æquitas. Promittitur vitæ longitudo illis, qui parentes suos habent in precio. Omnium enim æquissimum est, ut beneficii diuturnitate privetur, quisquis illius vel authorem, vel organon susque deque facit. Organa vero vitæ nostræ sunt parentes. Rectissime igitur sic promittitur vita longæva iis, qui parentes suos honorant, ut simul innuatur, non esse illam expectandam diversum facientibus. Huc accedit, quod, qui parentibus suis sunt immorigeri & molesti, plerunque sunt inutiles humanæ vitæ. Etenim, qui vitam suam non accommodat illis, quibus debet, quod in mundum hunc est natus, & magnis laboribus ac molestiis educatus, cui nam mortalium ex animo commodare poterit? Quartò. Poterit autem hic quæri, quale nam sit beneficium ac bonum, si quis longævus sit in terra, cum judicio sapientum miserum sit nasci, & miserrimum diu vivere: rursus felicissimum non nasci, vel cito mori?

Misera

Misera est hæc vita, ac multis calamitatibus & ærumnis obnoxia. Ipse mundus, in quo vivimus, vallis dicitur lachrymarum. Quare felicius esse videtur citò ex illo liberari, quàm longævam in eo ducere vitam. Respondeo: Voces istæ non Christianam, sed hujus seculi sapientiam spirant, præsertim in eo, quòd felicissimum esse dicunt, prorsus non nasci. Etenim illis hoc est optandum, qui propter singularem impietatem filii perditionis esse deprehenduntur: qualis erat Judas, de quo Christus pronunciavit, dicens: *Melius esset homini illi, si natus non esset.* Cæteris verò, qui ad cœlestem sunt ac sempiternam vitam vocati, etiamsi omnis generis afflictionibus in hac terrena vita exerceantur, nihilo tamen minus propter spem futuræ felicitatis verè censendi sunt felices. *Non sunt* enim, teste Apostolo, *digna passiones hujus seculi, quæ æstimentur ad futuram gloriam, quæ suo in nobis tempore revelabitur.* Secundò cruda sunt & illa Hugonis Grotii scribentis: Notat his Abenesdras, solere DEUM, ubi quid vetat, pœnam addere ut modo bis, ubi quid imperat, præmium, ut hoc loco. Paulus autem Apostolus dicto ad Ephesios hoc amplius notat, *hoc primum inveniri præceptum cum promisso:* Lex verbis directis felicitatem temporalem promittit tantùm, ut notat Hieronymus lib. II. Commentariorum in Epistolam ad Galatas, & I. Dialogo contra Pelagium: Augustinus Epist. c. 120. quæst. super Exod. quæst. 92. Expositione Epist. ad Galat. c. 3. v. 10. cap. 6. de Civitate DEI, 10. c. 15. v. 18. c. 16. v. 11. contra adversarium Legis & Prophetarum lib. 1. cap. 17. & alibi sæpè, ut & alii. Felicitatis autem temporalis præcipuum, & cui superstruuntur cætera, est longævitas. Ea generaliter promittitur legem servantibus, ut videre est Levit. 18. v. 5. c. 25. v. 18. Deut. 6. v. 17. c. 18. v. 21 Ezech. 20. v. 11. Atque in eo apparet hujus Præcepti excellentia, quod ei eximie tribuitur, quod generaliter legis præceptis competit. Nec per omnia placent illa tertiò Coccei, qui putat hoc Præceptum primum esse, non secundæ Tabulæ, sed totius Decalogi cum promissione, Eph. 6. v. 2. idque ex re ipsa evidens esse, cùm nullum præceptum præcedat, cui adjuncta sit promissio diserta, & hæc promissio obedientiam hujus præcepti singulariter concernat, quod indicio sit, DEUM honorem exhibitum parentibus habere pro argumento conversionis & regenerationis & justitiæ, & ita loquitur: Secundùm DEUM honorem debemus iis, à quibus vitam accepimus. Et debemus propter DEUM, qui nos voluit

ab iis vitam accipere & pleraque bona; inprimis verbum DEI, per quod salvi simus. Deum non honorat, qui parentes non honorat. Non enim gratias Deo agit, quòd per parentes lucem & usuram bonorum DEI accepit. Cum parentibus autem conjungendi sunt, quos parentes liberis regundis præficiunt. Et, quum necesse sit in Civitate esse Principes, qui partem ejus potestatis exerceant in ea, quam parentes exercerent in familia sua quisque, si seorsim & non in Civitate ac fœdere populi essent: eam potestatem agnoscere, atque ei se submittere, & potestatem gerentes honorare, perinde necesse est. Qui verò Dominis vel operam suam locant, vel se vendunt, aut ab iis, redacti in potestatem, quum occidi possent, servantur, similiter jus, quod à DEO ipsis datum est, agnoscere, & Dominis fidos esse, atque ex corde iis servire, quatenus quid ad nutum illorum, sine conscientiæ damno, facere possunt, scientes, id obsequium revera DEO præstari, justitia flagitat. Sed quomodo se parentes, Doctores, Rectores, Principes, Domini gerant, ut honore digni sint, videtur jam ex tertii præcepti virtute cognosci. Nempe, si nomen Jehovæ DEI nostri non temere ferendum est, qui cupit se recognosci Patrem, Rectorem, Doctorem, Dominum, Principem in DEI nomine, curet necesse est, ut DEUM ipsum, qui Dominus est, qui Legislator, Magister, Doctor, Rector est, qui nos creavit, qui à nobis Pater vocari vult, quantum in se est, imitetur: qui non pro potestate nobiscum agit, sed pro ineffabili gratia, neque suæ utilitatis causa nos fecit & sustentat, & regit & docet, sed ut à nobis laudetur & honoretur, ut qui se laude & honore dignum nobis præstet. In Decalogo quidem satis habuit DEUS hoc genus εὐαρεστίας nominasse & commendasse; quod nemo nescit quale sit, quippe nemo est, qui nesciat, quid, si ipse Pater, Dominus, Rector, Princeps, Judex sit, se dignum esse putet. Attamen & propter tarditatem nostram & petulantiam carnis, ut à teneris unguiculis sub divinæ majestatis auctoritate ad honorem illum majorem formemur & assuefiamus, passim in Scripturis, & quidem inprimis Novi Testamenti, officia, quæ honor iste complectitur, explicantur, &c.

IV.

Musculi enim verba si accipiantur prout jacent, dura sunt, quia promissionem hanc & alias plerasque proponunt tanquam terrenas, opposite ad promissiones N. T. non possumus item concedere, plerasque promissiones, quæ populo Israëlitico propositæ sunt, fuisse terre-

nas,

nas, cum populus fuerit electus, Ecclesia V. T. cœtus fidelium, qui principaliter promissionibus æternæ felicitatis sustentantur, & quando dicitur in hac ipsa promissione, ut tibi bene sit, non felicitas temporalis exclusiva promittitur, sed superior quoque, & æterna; Unde ex ipsis Calvinianis quidam exponunt hoc modo: ut tibi bene sit, quomodo putas? ut ei procul dubio cujus DEUS est Jehovah, & si terra Canaan fuit Typus & pignus hæreditatis cœlestis, ut supra dictum etiam adstipulantibus Calvinianis, quomodo non etiam in hac promissione DEUM ad sublimius respexisse, dicendum erit? Secundò, cum dicit Musculus, habuisse quidem DEUM etiam electos & pios homines ad cœlestia bona destinatos, verum propter pædagogiam legalem terrena promissa plerunq; fuisse proposita populo male dicit, scilicet ut electi tantum absolute de reconditis bonis promissis gaudeant, ut certificarentur; nisi per spiritum internum erudirentur, populus autem & reliqui reprobi in siliquis hærerent & externis lactarentur. Tertiò, quomodo dici potest populo N. T. non carnalia & terrena, sed cœlestia bona promitti, dici peculiariter filiis ut obediant parentibus in Domino ad placitum DEI, num enim populus V. T. non habuit cœlestia bona, cum tamen dictum, *qui fecerit hæc, vivet in eis*, Levit. 18. v. 5. num vi legis latæ non obstricti fuerunt liberi in V. T. obedire parentibus suis in Domino, num non etiam juventus spe longioris vitæ & respectu æqui & beneplaciti divini officium suum debuit facere erga parentes? num lex divina non secundum omnia præcepta spiritualis est, contra Paulum, Rom. 7. num sanctitas, in aliquo præcepto exacta conformatio ad voluntatem divinam, non requiritur & interioris sinceri affectus & externi operis connexio? videatur Chemnitius.

V.

Grotius, qui fere semper Photinianorum vitulo arare solet, primò non attendit ad illud Levitici dictum, cap. 18. vers. 5. à nobis allegatum & alibi vindicatum, non ad loca Hieronymi & Augustini, in quibus æterna felicitas patribus Vet. Test. adjudicatur. Ille enim ita: Eorum tibi, inquit, aliqui proponendi sunt, ut facilè intelligas, quantum sit naturæ bonum. Addit deinde: Abel hanc Magistram secutus; Dominum meruit. Eodem bono ait Enochum ita placuisse DEO, ut eum è medio mortalium raperet. Etiam Abraham, Isaac,

 Jacob

Jacob censet perfectè implevisse Domini voluntatem. Similia de aliis habet. De Jobo verò exclamantem audiamus: O virum ante Evangelium Evangelicum, & Apostolicum ante Apostolica præcepta, discipulum Apostolorum, qui aperiens occultas divitias naturæ, & in medium proferens, ex se, quid omnes possimus, ostendit, docuitque quantus sit ille thesaurus animæ, quem nos sine usu possidemus, & quod proferre nolumus, nec habere nos credimus. Hîc vero l. 1. de peccato Orig. c. 26. Distribuitis tempora secundùm Pelagium, in cujus libris hoc legitur, & ante legem dicitis salvos factos esse per naturam, deinde per legem, postremò per Christum. Item lib. de de peccato originali contra Pelag. & Cælest. c. 26. Non, sicut Pelagius, & ejus discipuli, tempora dividamus, dicentes, primùm vixisse justos homines ex natura, deinde sub Lege, tertiò sub gratia. Ex natura scilicet, ab Adam tam longâ ætate, quâ lex nondum erat data. Tunc enim, ajunt, duce ratione, cognoscebatur creator, & quemadmodum esset vivendum, scriptum gerebatur in cordibus, non lege literæ, sed naturæ. Verùm vitiatis moribus, inquiunt, ubi cœpit non sufficere natura jam decolor, lex ei addita est, qua velut Luna fulgore pristino, detrita rubigine, videretur. Sed posteaquam nimia, sicut disputat, peccandi consuetudo prævaluit, cui sanandæ Lex parum valet; Christus advenit, & tanquam morbo desperatissimo, non per discipulos, sed per seipsum, medicus ipse subvenit. Item lib. II. poster. contra Julianum, cap. 145. 2. Et quasi vigilanter additis, post Incarnationem tamen ejus, propter antiquos videilcet, quos sine gratia ejus fuisse dicitis justos, eò quòd non habuerint ejus exemplum, &c. Idem ejusdem operis, cap. 187. Agnoscimus hæresin vestram. Definivit enim Pelagius, quòd non ex fide incarnationis Christi, antiqui vixerunt justi, quia videlicet nondum in carne venerat Christus. Non denique ad socios Religionis, Episcopium, qui sequentia prodit: Æternam benevolentiam promissionibus V. T. iis contineri indicat Scriptor ad Hebr. cap. 11. v. 16. *Atqui meliorem expetunt, hoc est cœlestem* (patriam:) *quapropter DEUM non pudet eorum*, id est, *cognominari DEUS eorum, paraverat enim eis urbem*, & Apostolus Paulus 2. ad Corinth. 6. v. 16. 17. 18. addito primo versu seq. cap. 7. & Johannes Apocal. 21. vers. 3. & 7. Benevolentiam etiam contineri in verbis istis effectu potentissimam, sive à morte liberantem. Servator noster ipse testatissimum fecit, quando ex verbis istis collegit contra Saducæos

ducæos, ſub lege vel in ipſa Lege Moſis, (cæterorum enim Prophetarum aut Scriptorum divinorum autoritate premi ſe non patiebantur Sadducæi) etiam reſurrectionem mortuorum promiſſam fuiſſe: quomodo, inquam? niſi quia generalia adeo ſunt verba, ut ſecundum generalitatem ſuam accipi non poſſint, niſi comprehendant etiam tam nobile ac DEO dignum beneficium? Imo tandem non ad Photinianos & Judæos: videantur Franciſcus Davides & Georgius Blandrata, nec non Menaſſe Ben Iſrael de reſurrectione mortuorum, cap. 7. vers. 46. & c. 11. v. 69. qui ita: Præceptum eſt à DEO in Lege, ſi mater inveniatur nido inſidens, nequis eam capiat: ſed dimittat, & ſolos pullos auferat. Qui præceptum hoc obſervant, iis promittit DEUS bonorum affluentiam: & vitæ longitudinem. Verba textus ſunt: Ut bene ſit tibi, & prolongare facias dies. Veteres ad hunc locum narrant, compertum eſſe, plane contrarium cuidam eveniſſe. Fuit enim (inquiunt,) quidam filius, cui pater mandaverat, ut pullos columbarum è nido auferret: qui cum matrem demiſiſſet, & pullos duntaxat abſtuliſſet, per ſcalam deſcenſurus (erat enim locus altior, in quo columba nidum poſuerat) decidit ex alto, vitamque exſpiravit. Ubi tunc bonorum copia, & dierum promiſſa longitudo? Idcirco למען ישב לך לשלם שבלו שוב ואהרכת ישים לתלם שכלו־ארוך, ut ſit tibi bene, intelligendum eſſe ajunt de mundo futuro, qui per omnia bonus eſt; & prolongare facias dies, ſcilicet in mundo, qui perfectiſſime longus eſt. Qui non poteſt alius eſſe, quam mundus animarum. Concludo, ſi præmium hujuſmodi præceptorum in altera vita dandum eſt, animam immortalem eſſe neceſſe eſt. Coccejo denique adſtipulari nequimus ſimpliciter, quamvis enim negare nolimus, promiſſionem felicitatis etiam convenire cæteris præceptis, nondum tamen concludendum, hanc ſpecialem & ſub ſpeciali ratione additam promiſſionem ſe diffundere per totum corpus præceptorum, ſingula mandata totius Syſtematis, contrarium aſſerunt alii: Hinc ſocii Religionis aliter & ita: quia, ſi ſenſum ſpectemus & locum legislatoris, negari non poteſt in ea deſcriptione promiſſionis, & vim & ſententiam contineri, propterea reſpondere malimus, hanc Apoſtoli aſſertionem non de quavis promiſſione ſimpliciter, ſed de promiſſione ſpeciali, & præcepto alicui ſoli ſpecialiter adaptatâ, accipiendam eſſe: cum quali promiſſione, nempe de beneficio aliquo ſpeciali, & præcepto uni pecul-

culiariter adaptatâ, negamus ullum in Decalogo præceptum ante hoc quintum occurrere. Quod enim ad secundum attinet, cum promissione illi subjectâ, dicimus nec ullum ibi beneficium speciale promitti, sicut hoc loco, sed DEI gratiam & benignitatem in genere, quæ sub se bonum omne complectitur: nec quod ibi promittitur, ulli præcepto peculiare esse, sed ad omnia simul spectare: quemadmodum ex verbis ipsis liquidissime perspicitur, quibus pollicetur Dominus, se erga eos eorumque posteros, etiam millesimos, benignitatem exerciturum, non qui hoc aut illud speciale præceptum observârint, sed qui me diligunt, inquit, & præcepta mea observârint. Ergo sicut illa promissio generalis est, ita etiam toti legi in genere, h. e. legem totam in genere servare studentibus, à Domino adaptatur. Secundò non tantum honor adhibitus parentibus habetur pro argumento conversionis & regenerationis, justitiæ, sed & cæteræ virtutes aliorum præceptorum. Denique quamvis præcepta sint connexa, peculiari tamen promissione, hoc præ cæteris coronari, & verba quadam ratione modoque circumscribi asserimus.

V.

His discussis facile erit judicare in dubiis, quæ hic moventur; scilicet num promissio hæc adhuc locum habeat, cum videatur terræ Canaan adstricta? Secundò, num longævitas sit inter bona referenda, quæ alicujus ponderis, & tandem, quomodo hæc sibi promissio constet? prius quippe dubium supra remotum fuit, dum duo hac promissione indicari diximus; Terram scilicet Canaan relate ad Judæos, & terram hospitii respectu cæterorum, qui extra Remp. populi electi, idque patet ex collatione verborum Mosaicorum cum Paulinis. Nam primò Moses allocutus fuit Israelitas, Paulus autem Ephesios, imo liberos indefinite cujuscunque ordinis status & vocationis. Secundò Moses hæc dixit cum populus in procinctu esset ad occupandam terram promissam, & bona illius; Paulus vero cum inclinaret Resp. Judaica, exilium immineret ex hac terra perpetuum, & omnia fere collapsa in hoc populo. Exarata quippe fuit hæc Epistola secundum Baronium, anno Christi quinquagesimo nono. Tertiò Moses limitate locutus fuit & dixit, *longævus eris super terram, quam Dominus DEUS dabit tibi*, Apostolus vero omisit illa verba, atque stylum aliter temperavit, dicens præcise, *ut sis longævus super terram*, ut intelligeretur, promissionem divinam non tantum

respe-

respexisse Judæos, sed extendi debere etiam ad alios, Mosen accommodate ad suum populum & locum habitationis locutum fuisse, generalius autem accipiendum sensum dicti, essentiale esse in hac promissione longævitatem in terra, accidentale vero durationem in tali, nempe terra Canaan. Apostolus autem generalius; Ut bene sit tibi, & sis longævus super terram; nullam certam terræ regionem definiens. Cur ita? Certe ne quis apud se cogitaret, promissionem hanc Israelitis olim factam, nihil ad nos jam pertinere, quibus data non est Palæstina hæreditario jure possidenda: Imo q. d. Apostolus, non tibi minus est attributa divinitus illa terra quam habitas, quam Judæis olim Cananæa illa. Siquidem speciali ejus providentiâ, Gentibus his aut illis, hæ aut illæ terrarum partes & climata in possessionem cesserunt: quemadmodum ipse non semel apud Mosen testatur, se nempe montem Schiris, h. e. Idomæam, Esavi posteris, Harem vero Moabitis, Loti posteris, in hæreditatem assignâsse, sicut populo suo Palæstinam destinaverat: & in Mosis Cantico, Deut. 23. *Quum possessionem distribueret excelsus gentibus, quum disparavet filios* Adami, *statuit terminos populorum, pro numero filiorum Israëlis*; ne quis putet his solis habitaculum in terra à DEO assignatum esse. Ergo q. d. Apostolus, tu, si hoc DEI tui præceptum observas, ipsius favorem & benedictionem, in eâ, quam ejus dono habitas, terrâ, quæcunque demum ea fuerit, expecta, juxta promissionis hujus tenorem.

VI.

Alterum dubium movit Hieronymum, ut de Beatitudine alterius vitæ acceperit, quia Scriptura mortuos laudet super vivos, Ecclesiast. 4. & omnis vita tentatio sit, mors vero requies, diesque maledicta, in qua nascimur. Nam primo Salomon loco laudato, ℣ 2. non comparat vitam cum morte, prius enim dicit perfectionem, alterum privationem, nec felicitatem aliquam, cum alterâ, sed externam speciem, conditionem & statum cum termino illius, atque intuitu injuriarum, quas quidam sustinere coguntur, præfert mortuos vivis, utpote qui mala illa jam sustinuerunt, venerunt ad metam & superarunt, quo quidem etiam respectu Menander dixit: ζωῆς πονηρᾶς θάνατος αἱρετώτερος, vita mala mors eligibilior. Secundò, quamvis omnis vita tentatio sit, illa tamen exercemur, probamur, ad gloriam DEI præparamur, nec tantum

tentatio est hæc vita, sed etiam tempus sementis, in quo *seminamus Spiritui, ut ex illo metamus vitam æternam*, Gal. 6. v. 7. Et quo plus seminamus, plus quoque metendum speramus, nec tandem vita ut sic est tentatio, sed potius singulare quoddam Bonum & donum DEI, cui accedunt tentationes, quas mors finit. Tertiò, nunquam maledicta vocanda est dies, in qua nati sumus, cùm aliàs beneficio divino, illique ingenti esset maledicendum, & si qui eousque progressi sunt cum Jobo & Jeremia in excessu mentis locuti sunt, passi sunt aliquid humani, & calamitatibus abrepti effutierunt, quæ nec intra sinum Animi debuissent venire, nec malè hic non nemo. Etsi, jam inde à lapsu illo primævo, vita humana calamitosa sit admodum, variisque sufferta miseriis & ærumnis, quæ nos jam inde à matris utero per omnes ætatis nostræ gradûs flexûsque comitantur; quibus pii & fideles ipsi, non minùs atque impii & infideles obnoxii sunt; Illis tamen, vitam hanc ipsam benedictionis locum & rationem habere; adeo ut ejus in terris prorogatio, (præsertim qualis hic à DEO promittitur,) iis nihil sit aliud quàm benedictionis ejusdem longa continuatio, quàm paternæ erga se DEI curæ & providentiæ perpetuum quoddam experimentum, quàm illius bonitatis & gratiæ, quâ DEUS ipsos per totum vitæ suæ curriculum prosecutus est, juge quoddam documentum. Primum enim, vir pius & rectus, quo diutius vixerit, eo quoque magis DEI erga se misericordiam experitur; sive rebus adversis utatur, sive prosperis. Nam pace fruens, opibus florens, rebusque secundis, hæc è DEI manu cum gratiis accipit, ut rerum meliorum arrhas & pignora, quas DEUS iis præparavit, qui ipsum reverentur, & se ad ipsum recipiunt coram filiis hominum, ut loquitur Psaltes 31. Atque ita Fideles inter Judæos, quibus hæc ad literam obtingebant: Rebus autem adversis exercitus, multumque & terris jactatus & alto, quæ nunc frequentior piorum sors est, eo magis & sæpius, in longiori vitæ curriculo, DEI in se fulciendo, probando, roborando, sublevando, tandemque liberando, virtutem sentit & experitur: estque illi nihil aliud vita productior, quàm longa liberationum aliorumque bonitatis Divinæ documentorum series; per quæ promissionum suarum veritatem, suæque benignitatis constantiam, DEUS ipsi fecit abunde testatam, ad fidem ejus magis magisque firmandam in posterum, & adversus omnes quarumvis tentationum impetitûs insultûsque muniendam, ad uberiorem autem laudum suarum,

& erga

& erga se gratiarum actionis materiam ipsi in fine suppeditandam. Etsi jam inde à lapsu. De tertio hæc habeto, hanc promissionem, prout præcisè dicit longævitatis bonum in his terris, esse promissionem temporalem, quæ consequenter cum conditione, si ita visum fuerit expedire, accipienda, utut itaque pii impuniti quandoque etiam sunt, ὠκυμόροι καὶ ταχύποτμοι, nihilominus promissioni sua constat vis & veritas, si enim prior cita morte subducit, respicit calamitates imminentes, quibus illos non vult involvi, vel lubricitatem viæ in hoc Seculo, ubi facile potest mens etiam sincera & ingenua in vitium flecti, de via abripi. Secundò, aliud est Regula, aliud exceptio, ab illa. Constituit DEUS hic Regulam ad quam attendere debent liberi, exceptionem autem sibi reservat, sufficit verò ad tale Effatum, ut frequens & ordinarium sit, quod promittitur, quicquid sit de rationibus & Exemplis, nullum autem nobis est dubium, si Catalogus liberorum esset præ oculis illorum, qui ab orbe condito affectum & obsequium parentibus exhibuerunt, & degeneres recalcitrarunt, & facta illorum essent in eo consignata, unumquemque deprehensurum, quàm sibi constet DEUS in promissis suis, quam verax in comminationibus, nec si cita abripiantur morte liberi quandoque parentibus, non eapropter consequens erit promissionem hanc esse fallibilem, potuit quippe fieri ut alia ex parte peccato se contaminarint, alio peccati genere DEUM irritârint, atque ita fila vitæ sibi præciderint. Optimè B. Lutherus censet: Quod tot facinorosorum hominum examina, quæ agmina cum pullulant & emergunt, partim laqueo, partim gladio, partim rota, partim igne plectantur, non esse nisi ex inobedientia erga parentes. Tertiò, DEUS secundùm Hieronymum in Scripturis promittens bona præsentia carnalia & temporalia, si ea non præstat, dat pro illis longè majora, scil. spiritualia & æterna, sunt quidem etiam impii in parentes quandoque longævi, at quo vitæ genere? num sereno & tranquillo? absit. Cùm mens conscia facti surdo verbere cædatur, Animus vexetur punctionibus & turbetur, inferni pœnam sentiat etiam corpore nondum deposito,ècontra, quamvis pii in parentes à theatro vitæ hujus discedant, gaudent tamen animi tranquillitate, & ad sortis melioris statum pertingunt. Prolixè hoc expendit Bodius, scribens: Quæramus paulisper, quid sit aut quomodo quibusve terminis definienda illa longævitas? aut quid demum esse possit in tam contracto vitæ hujus præsentis curriculò,

quod longum aut diuturnum dici mereatur; præsertim cum futura illa æternitate collatum? ad quam vita etiam primorum illorum, qui diluvium præcessere, Patrum, quid aliud erat quam punctum transiens effluensque? quod ubi transivit semel & effluxit, perinde est ac si nunquam fuisset aut fluxisset. Certè, ut scite illi, qui etiam ex Ethnicorum flosculis sua serta & corollas adornarunt: Non temporum tenore, sed laudum modo definienda est vita: sat vixit diu, quem nec pudet vixisse, nec piget mori, h. e. ut idem non elegantius, sed instituto nostro aptius, exprimam, non ex temporum decursu, nec ex ætate decrepita metienda venit hîc à DEO promissa longævitas, sed partim ex vivendi modo bonisque divinitus in vita perceptis, partim è fine & scopi adeptione, ad quem tota hæc vita mortalis collineare debet ac tendere. Quod si quis triduo vel trimestri, e. g. tantundem vitæ confecerit, quantum alter triennio, & ad eandem cum eo metam pervenerit, quid iste quæso præ illo, non ex via, sed ex visione, ut ita dicam, longiori lucratus sit? aut quid illi præ isto defuerit ad voti vitæque summam, qui non vivendi terminum tantum, sed & finem fructumque maturius assecutus est? Paucis ergo: secundum hanc vitæ mensuram, dicatur ille longævus, non qui multos annos quomodocunque traduxit, vivendi semper ignarus, & sub vitæ exitum, perinde ac sub ejusdem ingressum, à meta semper æquè remotus, sed cui se DEUS patefacere dignatus est, & vitæ veræ viam ostendere; quem DEUS in communionem suam adsciscendo ad spem beatæ illius immortalitatis attraxit & erexit, & in ejus animo futuræ illius gloriæ non amorem tantùm ac desiderium, sed & primitias, & velut πρόγευσιν & πληροφορίαν accendit, cum vitæ præsentis, omniumque eo spectantium contemtu atque fastidio. Is enim, quocunque demum ætatis gradu hinc ad Dominum emigraverit, semper vitæ ac dierum satur, ut de Patriarchis loqui solet Scriptura, ad populum suum aggregabitur. Sic enim e.g. de Davide septuaginta annos nato, non minus in Scriptura dicitur, quod mortuus sit in canitie bona, & satur dierum, quàm de Isaako, postquam 180. annos vixisset, h. e. fere triplum tantum. Quid igitur vel huic ultra longævitatem superfuit, vel illi, longè pauciores annos emenso, ad eandem defuit? Certè quantum parvo circulo cum majore collato, ad perfectionem suam specificam deesse potest: In materia quidem, h. e. peripheriæ ambitu, fortasse permultum; in forma autem & perfectione circulari, nihil omni-


no: Sic qui 30. annos natus, æquè voti compos, æquè dierum satur, æquè vitæ suæ finem & scopum assecutus est, atque alius aut 70. cum Davide, aut cum Lemeco, 777. annos natus, hoc in sensu æquè longævus meritò dici potest cum illis; quippe quo æstimatur non ex dierum numero, sed ex eorundem saturitate longævitas. Atque huc facit elegans illa similitudo, aliàs à nobis observata, quâ utitur Eliphaz Themanites, Job 15. in prospera piorum sorte describenda: *Pervenies cum senio ad sepulchrum*, inquit, *sicut frugum meta vel cumulus suo tempore aggeritur*; h.e. nunquam præproperè aut ante tempus immatura morte auffereris; sed maturæ frugis instar, opportunè semper & maturè in horreum Domini colligéris. Jam, ut in eodem simili insistam, scimus non eodem temporis spacio fruges fructusve omnes maturescere, sed citius hos, illos longè seriùs, etiam multis priùs mensibus satos ac natos: quin & ex eadem arbore & caule nascentes, videmus non eodem die maturitatem attingere, sed alio atque alio; ut in ficubus, peponibus, aliisque videre est. Ita se res habet in dispari piorum ætate, quâ parem tamen, DEI gratiâ, maturitatem assequuntur. Quum contra de impiis dici possit, nunquam ipsos, post annos quotcunque transactos, maturâ morte defungi, quum veram vitæ metam scopumque nunquam attingant.

VII.

Complectitur autem hoc mandatum Honorem, sub quo voluit comprehendere Legislator omnia Officia, quæ liberi debent parentibus, inferiores Superioribus: Vi ergò hujus præcepti debent liberi suis parentibus I. HONOREM, Lev. 19. v. 3. Primò ex mandato divino, Exod. 20. v. 12. Secundò, ex multitudine beneficiorum à parentibus ipsis exhibitorum, quæ neque numerari, aut compensari satis possunt, Tob. 4. v. 4. Tertiò, ex exemplis: Sic enim honore affecerunt Parentem Sem & Japhet, Gen. 9. v. 23. Joseph. Gen. 26. v. 29. Salomon, 1. Reg. 2. v. 19. Paulus & Hebræi, Hebr. 12. v. 9. Christus, Joh. 8. v. 49. Quartò, ex lege Naturæ: Lex pares Diis parentibus honores tribuit, dixerunt Ethnici. Quintò, ex Commodis, Syr. 3. v. 9. II. Debent liberi suis parentibus etiam AMOREM. Hinc enim filii & filiæ nomen acceperunt ὑπὸ τῆς φιλίας ab amore & amicitia, Tob. v. 7. Exempla: Josephi, Gen. 46. v. 29. Elisæi, 1. Reg. 19. v. 20. III. OBEDIENTIAM, Proverb. 23. v. 22.

 Exem-

rent: Juxta Mandatum, Syr. 3. v. 8. 14. 1. Tim. 5. v. 4. Joseph aluit patrem suum, & fratres, Gen. 47. v. 12. David intercessit pro sua apud Regem Moab, 1. Sam. 22. v. 3. Matrem suam honoravit omnibus diebus vitæ. Christus in cruce jam moriturus commendavit Matrem Johanni, Joh. 19. v. 26. Hanna filium suum Tobiam nominat baculum senectutis suæ, & solatium vitæ, Tob. 10. v. 4. Origenes in adolescentia sua alios instituit, & docuit Grammaticam, quo inde haberet, ut matrem suam alere posset. Unde Nobilis ille Romanus Scipio nomen à Baculo accepit, qui senis sui parentis baculus quasi fuerat, quem sævis abstulit pœnis, juxta Statium. Æneas confectum ætate parentem humeris imposuit, illumque per tela, per ignes deportavit. Sic ubi urbs Catana, igni succensa erat, ac alii suas divitias exinde portaverant, duo quidam adolescentuli solum parentes suo senio graves ex igne portarunt, de quo Virg. ita scribit: Illis divitiæ solæ, materque paterque. Hanc rapiunt prædam, mediumque exire per ignem, ipso dante fidem properant, &c. Ambros. in Lucam l. 8. in c. 18. fol. 138. scribit: Pasce Patrem tuum, pasce Matrem tuam, & si paveris Matrem, adhuc non reddidisti dolores; non reddidisti obsequia, quibus te illa gestavit, non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis adfectu, immulgens labris tuis ubera: non reddidisti famem, quam pro te illa toleravit, ne quid quod tibi noxium esset, ederet, ne quid, quod lacti nocerit, hauriret, &c. V. PATIENTIAM in disciplina, quam acceptent: Contemptus enim disciplinæ pœnas attrahit, Prov. 15. v. 5. 11. Syrach. 6. v. 18. 19. 20. 21. 22. Cum Senes repuerascunt, tegant liberi parentum suorum infirmitates, & cum illis patientiam habeant, Prov. 23. v. 21. Syr. 3. v. 15. Sic Sem & Japheth patrem nudatum texerunt, Genes. 9. v. 23. Nec puduit Josephum senis sui parentis, Gen. 47. v. 7. Salomon Rex occurrit Matri, 1. Reg. 2. v. 19. Non modo reticere homines parentum injurias, sed etiam æquo animo ferre oportet. Hanc liberorum erga parentes reverentiam DEUS & longævitate vitæ, & felici rerum successu, atque aliis innumeris in hac & altera vita ornat præmiis: 1. Longævitate vitæ, Exod. 20. v. 12. Eph. 6. v. 2. Syr. 3. v. 6. 11. 13. 1. Reg. 3. v. 14. Jerem. 35. v. 7. 2. Dignitate honorum, divitiis, aliisq; felicitatibus, Prov. 18. Syr. 23. v. 18. Quod patet in Josepho, Gen. 41. v. 40. Davide, 1. Sam. 16. v. 13. Saule, 1. Sam. 9. v. 4. 10. Rechabitis, Jerem. 35. Esther, c. 2. v. 17. Sem & Japheth, Gen. 9. v. 26, 27. Jacobo, c. 32. v. 19. Tobia, Tob. 10.



VIII.

Est autem hic Virtutum complexus non tantum mandatus, sed & præstantissimus, æquissimus, utilissimus, observante Dn. Carpzovio. Præstantissimus quidem, maximum enim hoc est opus, quod DEO facere possumus. DEUS summus & maximus est, in cujus comparatione omnes summi sunt imi; Certas tamen personas induit Majestate quâdam, non quidem infinitâ suâ, quam propriam sibi retinet, & alteri non dat; sed finitâ, & quæ similitudinem saltem aliquam cum illa habet: Quicquid autem de similitudine hâc sit, tamen communire eam voluit mandatô suô, omnibusque inferioribus injungere honorem, quem præstare debeant taliter indutis. Wann man Vater und Mutter/und weltliche Obrigkeit/ ait Luth. in Cat. Maj. 4. Quocirca p. 538. will ansehen/wie sie Nasen/Augen/Haut und Haar/Fleisch und Bein haben/ so sehen sie Türcken und Heyden gleich/ und möchte auch jemand zufahren und sprechen/ warumb solte ich mehr von diesen halten/denn von andern? Weil aber das Gebott darzu kompt/du solt Vatter und Mutter ehren/so sehe ich einen andern Mann/ geschmückt und angezogen mit der Majestät und Herrligkeit Gottes. Das Gebott/ sage ich/ist die güldene Kette/so er am Halse träget/ja die Krone auff seinem Haupt/die mir anzeigt/wie und warumb man diß Fleisch und Blut ehren soll. (2.) Præstantissimus. Maximum hoc est opus, inquit Lutherus 5. Hoc inquam: p. 435. quod DEO facere possumus post summum illum Cultum in prioribus præceptis comprehensum, adeo ut Eleemosynis juvare egentes, neque non omnia reliqua opera, quæ proximo præstantur, huic nullo modo conferenda sint. Quippe DEUS huic parentum ordini primas tribuit, eundemque in terris plane in suam sedem colendum evexit & extulit. (3) Æquissimus & jure naturæ conveniens. Beneficiariorum enim meminisse, eosque revereri, ipsa natura docet: sed, quæ beneficia ab hominibus invicem collata comparari possunt cum illis, quæ debemus parentibus? Adhæc, inquit Luther. p. 435. Coram mundo quoque in hoc astringimur, ut acceptorum à parentibus beneficiorum memores, mutuam officii vicem rependamus, utque Parentes ætate fessos vicissim alamus foveamusque. Et mox p. 436. Quisque animo secum repetat, quantum bonorum à parentibus acceperit, & inveniet, se ab iisdem & corpus & vitæ initium accepisse, atque item multo sudore & curâ enutritum & educatum esse, ubi alias vel sexcenties in

pro

propriis fordibus fibi pereundum fuiffet. Quocirca præclare & fapienter à veteribus dictum eft, DEO, parentibus & Magiftris, non poteft fatis gratiæ rependi. Quicunque horum verborum recte memor fuerit, non expectabit aliorum commonefactionem, ut erga parentes gratus appareat, fed fuâ fponte properabit, eosdem & omni honore cumulare, & in finu (quod ajunt) geftare, ut eos, quorum operâ DEUS illi omnium bonorum copiam pleno cornu affuderit. (4.) Utiliffimus & Fertiliffimus: Primò enim fanctos facit nos præ Monachis & Monialibus, V. Luther. §. Deinde: p. 431. & 432. Deinde lætos & tranquillos homines facit. Quicunque enim puer, ait Lutherus §. Quare: p. 432. 433. hæc comperta habet & facit, omnium primum hanc ingentem in corde Confolationem obtines, utque plenus gaudiô dicere feque vere jactare poffe adverfus omnes, qui propriis & à fe inventis operibus occupati funt: Ecce certus fum, hoc opus DEO meo acceptum effe. Et iterum: §. p. 434. Quomodo ergo cor hominis non geftiret gaudio, aut lætitiâ diffflueret, quod labori fe accingeret, faceretque, quod fibi demandatum effet, poffetq; dicere: ecce hoc opus præftat, ac potius eft omnium Carthufianorum Sanctimoniâ, etiamfi ad necem usque feipfos maceratent jejunio, ac citra intermiffionem innixi genibus preculas ad DEUM funderent? Hic enim certum habes divini Verbi Teftimonium, quod hæc facienda mandaverit, cæterum de illis ne Jota quidem uspiam præceptum invenitur. Tertiò à multis malis tam culpæ, quam pœnæ præfervat. V. Luther. §. Contra ubi: p. 434. §. Jam ergo fi gravaris: p. 437. §. Unde etiam agminatim: p. 238. §. Undenam jam putas: p. 442. & §. fentimus equidem: p. 443. (5.) DEO acceptiffimus: Huic enim præcepto promiffionem addidit.

IX.

Exercetur autem & exhibetur hic honor, hoc variarum virtutum ornamentum, mente & affectu æftimante Parentes & Præpofitos, lingua, ore & geftu reverenti, denique operum exhibitione.

X.

Non tantum vero præfcribit hoc mandatum officia liberis, fed Parentibus. Vox enim Cabed, quæ, ut fupra notavimus, notat grave effe, & levi opponitur, gravitatem requirit in Parentibus, tanquam bafin honoris exhibendi, quæ confiftit in poteftate divinitus conceffa. Pater quippe in familia refpectu liberorum fuorum repræfentat DEUM in

in his terris, Vicarius est Numinis, & ejus Majestatem refert, in affectuum natura insito erga natos, de quo Arnisæus lib. de Republ. cap. 4. sect. 2. num. 35. In cura & inspectione debita, quæ latissimi est ambitus, unde actus illi ex hoc dependenter mandati, ut scil. pii parentes liberos suos rectè educent, eosque pro magnis DEI donis habeant, Eph. 6. v. 4. Gen. 33. v. 5. sicuti educatus fuerat Salomon, Sap. 7. v. 7. *Posuit mihi*, inquit Eva, *semen aliud pro Abel, &c.* Gen. 21. v. 1. Portò *Iehova visitavit Saram, &c. concepit enim & peperit ipsi Abrahamfilium in senectute ejus*, Gen. 29. v. 31. *Videns Iehova, quòd odio haberetur Lea, aperuit vulvam ejus*, &c. Vide exemplum Josephi, Genes. 48. v. 9. II. *Vt diligant liberos*, 1. Reg. 3. v. 26. Esai. 49. v. 15. Matth. 7. vers. 9. Luc. 11. v. 12. Exempla: *Iacob ob filium Benjamin abducendum*, dixit, *deducetis canos meos ad inferos*, Genes. 42. v. 38. *sic in Davide στοργή elucet*, 2. Sam. 12 v. 16. 17. *qui mortem filij Absolonis seditiosi deploravit*, 2. Sam. 18. v. 33. *altera meretrix*, 1. Reg. 3. v. 26. 27. *Tobias senior, & uxor ejus*, Tob. 5. v. 23. & c. 10. 1. 2. 3. 4. *Pater filium suum prodigum revertentem*, Luc. 15. v. 20. III. *Vt liberos suos inde à primis incunabulis non ad idololatriam*, Levit. 18. v. 21. *sed ad cultus divinos & pietatis exercitia assuefaciant, & cum lacte quasi materno illis pietatem instillent*, Gen. 18. v. 18. Exod. 12. v. 27. Deut. 4. v. 10. Jos. 4. v. 6. 7. 21. 22. 24. Psalm. 78. v. 4. 5. 6. Psal. 34. v. 12. Esa. 38. v. 19. Eph. 6. v. 4. Exempla: Hoc fecit *Iacob*, Gen. 35. v. 2. 3. 4. *Abraham*, Gen. 18. v. 19. *Tobias senior*, Tob. 4. v. 5. *Hanna mater Samuelis*, 1. Sam. 1. v. 28. *Mater Lamuelis, fœmina docta*, Prov. 31. v. 1. 2. *Lois & Evnice mater Timothei*, 2. Tim. 1. v. 5. *Mater septem filiorum*, 2. Macc. 7. v. 27. *Mater Christi*, Luc. 2. v. 41. 42. IV. *Vt eos corrigant, & peccatorum arguant*, 1. Sam. 3. v. 15. Prov. 13. v. 26. Syr. c. 7. v. 25. Heb. 12. v. 7. Exemplo *Iacobi*, Gen. 34. v. 30. V. *ut in eis corrigendis & arguendis moderatione utantur*, Eph. 6. v. 4. Col. 3. v. 21. Prov. 19. v. 18. 19. VI. *Vt orent pro liberorum felicitate, & periculis amoliendis*: Exemplo *Davidis*, 2. Samuel. 12. v. 16. *Iobis*, c. 1 v. 5. *illis benedicant*, Exemplo *Isaaci*, Genes. 27. v. 1. 2. 3. 4. &c. (*formula benedictionis*, extat ibid. v. 27. 28. 29. &c. *Laban*, Gen. 31. v. 55. *Israelis*, Gen. 48. v. 14. 15. 16. *Mosis*, Deut. 33. 1. *Tobiæ*, Tob. 5. v. 22. V. Illos summâ diligentiâ ad Scholas adhibeant. Majorem asinorum & equorum, quam filiorum curam habemus. Nam si burdonibus atque asinis agaso nobis præficiendus est, non parum vigilamus, ne dementem aut temulentem

tum aut furem, aut rei ejus imperitum præficiamus. Sin vero ad colendum filiorum ingenium Pædagogum, qui casu oblatus fuerit, cum recipimus, nec consideramus, ullam artem hoc arbitrio sublimiorem inveniri. Quid enim majus, quam animos moderari, quam adolescentulorum fingere mores? omni certe pictore, omni certe statuario, cæterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc dico, qui juvenum animos fingere non ignorat. VIII. Ut illis prospiciant de victus & amictu, Matth. 7. v. 9. 1. Tim. 5. v. 8. 2. Cor. 12. v. 14. Exemplo *Abrahami*, Genes. 24. v. 36. &c. *Iosaphati*, 2. Paral. 21. v. 3. IX. *De Matrimonio*, sicuti *Abraham*, Genes. 24. v. 2. 3. *Agar*, Gen. 21. v. 21. *Isaac*, Genes. 28. v. 1. *Hemor*, Genes. 34. v. 4. *Iudas*, Gen. 38. v. 6. *Manoë & uxor ejus*, Jud. 14. v. 3. X. Pro salute ipsorum in genere sint soliciti: cujus Sollicitudinis extat Exemplum, Tob. 5. v. 23. 24. 25. 26 27 28. XI. Ut liberorum suorum ab adversâ corporis valetudine, & morborum, quibus cum conflictantur difficultate, curam suscipiant: ubi quidem de remediis ad sanitatem pristinam recuperandam necessariis solicite ipsis prospiciant ex Syracidis præscripto, cap. 38. v. 7. &c. 1. nim. *Christum salvandi magistrum*, Esa. 63. v. 2. Exod. 15. v. 26. Matth. 9. v. 13. ante omnia adeundo, devotis precibus pro salute liberorum suorum intercedendo: Exemplo *Davidis*, *Cananaa Mulieris*, Matth. 15. v. 22. 2. Ministros Ecclesiæ (Exemplo Uxoris Jeroboami, *Abiam Prophetam de filiali salute consulentis*, 2. Reg. 14. v. 17.) *accedendo, piorumque preces & intercessiones ex pracepto* Jacobi, Jac. 5. v. 16. potando. 3. Medicos accersendo, & remedia legitima, (Exemplo Ezechiæ Regis, 38. v. 21.) adhibendo. 4. Fideliter ipsos curando, cibando, potando, etiam in mortis usque agonem in sinu suo gestando: Exemplo viduæ Sunamitidis, 2. Reg. 4. v. 20. XII. Illos non ociari sinant, sed de honesto artificio, quo se olim sustentent, prospiciant, Syr. 30. v. 13. XIII. *Vt illis pietatis Exemplo praluceant & praeant*, Tit. 2. v. 7. Exempla: *Mathathias*, 1. Macc. 2. v. 19 50. *Eleazar*, 2. Macc. 6. v. 26. 27. *Simon*, 1. Maccab. 16. v. 3. eosque nec dictis nec factis scandalizent, Matth. 18. v. 6. sed potius pietati operam dent, ne suos liberos secum una in perniciem trahant: Peccata enim parentum posteri luunt, Gen. 49. v. 3. 4. 5. 6. 7. Exod. 20. v. 5. 6, Deut. 5. v. 9. 10. Exod. 34. v. 7. Lev. 26. vers. 39. Jerem. 39. vers. 6.

XI.

Vitia opposita huic præcepto ex parte liberorum sunt inobedientia, ἀστοργία, ingratitudo, quæ variis exercentur modis. Despectu, alimentorum negatione, verberatione, occisione. Pugnat igitur cum his liberorum officiis. 1. Non agnoscere τὸ θεῖον in parentibus, non habere eos loco eo, in quem divinitùs constituti. 2. Nullam verbis vel gestibus reverentiam illis exhibere. 3. Odio eos prosequi, non agnoscere beneficia, quæ per illos DEUS nobis præstat. 4. Parentibus immorigerum esse, eos lædere, percutere, furtim aliquid ipsis subtrahere, absque consensu ipsorum conjugium contrahere; vel etiam in rebus impiis ac illicitis obedientiam præstare. 5. Parentes subsannore, infirmitates eorum exagitare, ac ignominiosè traducere. Nullam illis gratiam rependere, senio affectos non sustentare, ac pro virili juvare, &c.

XII.

Vitia verò ex parte parentum sunt neglectus auctoritatis & potestatis, ac somnolentia, & bonitas excessiva, ut in Eli, 1. Sam. 2. v. 23. Tyrannis & sævities, qualis in Saulo adversus Jonathanem. Astorgia, qualis in Mesa Rege, 2. Reg. 3. v. ult. Imprudentia in eligendo genere vitæ, qualis in Samuele, sufficientis filios in Judices, aptiores regi quàm regere natos, 1. Sam. 8. v. 12. Incuria circa alimentationem, informationem, benedictionem, qualis fuit in Salomone adversus Roboamum, qui successit, 2. Reg. 12. vers. 5.

XIII.

In Oeconomia non tantum Ordo occurrit parentum & liberorum, sed etiam Dominorum & servorum, cum hæc cum copula maris & fœminæ tres primas societates constituant, servorum autem & famulorum officium est, honorem & reverentiam, obsequium promptum & fidem sinceram præstare Dominis, quo collimant dicta Eph. 6. v. 5, & 8. Tit. 2. v. 9. 10. 1. Timoth. 6. v. 1. 2.

XIV.

Extendit hæc officia latius B. Thummius, scribens: Oeconomica justitia *à servis & ancillis* requirit primò honorem, 1. Timoth. 6. v. 1. *Domi-*

Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, Malach. 1. v. 6. *servus honoret Dominum.* Secundò, taciturnitatem, exemplo Abræ Judithæ ancillæ, cùm ipsa in castra Holofernis ingressa Judith c. 10. Tertiò, commodum Dominorum, 1. Sam. 25. v. 14. Cùm Nabal denegaret commeatum Davidi, & ob hoc in summum se adduceret discrimen; *servus heræ Abigail statim nuntiat, ut periculum avertat*, 2. Reg. c. 5. v. 3. *Ancilla Israëlitico Naaman Syro, Domino suo medicinam curandæ lepræ aperit.* Quartò, obedientiam in exercendis vocationis laboribus, Eph. 5. v. 6. *Servi obedite Dominis carnalibus*, Col. 3. v. 22. 23. *Servi obedite per omnia Dominis carnalibus*, Tit. 2. v. 9. 10. *Dic, ut servi Dominis suis subditi sint, &c.* 1. Petr. 2. v. 18. *Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam austeris*, Gen. 16. v. 9 Matth. 10. v. 24. Exempla: Sic Agar jussu Angeli reversa se humiliavit, Gen. 16. v. 9. Talis obediens servus erat Eleazar, Gen. 24. 10. 12. Jacob, Gen. 30. v. 29. Joseph, Gen. 39. v. 8. Servi Davidis, 2. Sam. 15. v. 15. Ithai, & qui cum eo erant, ibid. v. 22. Servi hominis peregrè profecti, Matth. 25. v. 16. 17. Servi Cornelii, Actor. 10. v. 7. Centurionis Capernaitici, Matth. 8. v. 9. Commoda hujus reverentiæ & obedientiæ. Sic enim retributionem à Domino accipient, *apud quem non est distinctio personarum, neque servus, neque liber*, Gal. 3. v. 28. Prov. 17. v. 22, Coram DEO Regibus omnibus superior, inquit Chrysostomus, qui nullius sibi mali conscius est, etiamsi in subditorum ordine censeatur. Et afferente eodem: Sic ob suam fidelitatem & obedientiam præmiis ornati fuerunt servi fideles omni tempore: Jacob, Gen. 32. v. 20. Joseph, cap. 41. v. 41. David, 2. Sam. 5. v. 3. Esther, c. 2. v. 12.

XV.

Est autem Servitus vel durior, vel moderata, vel denique mercenaria. Durior, ex qua aliquis non erat sui juris, sed Domini possessio, imò ita sub Hero, ut jus vitæ & necis in illum haberet, obtinebat illa apud Ebræos, & alios Orientis populos Græcos & Romanos quondam, senserunt vim ejus, & jugum hoc portare coacti sunt Israëlitæ in Ægypto: Moderata commendatur Israëlitis Levit. 25, 39 *Si attenuatus fuerit frater tuus apud te, ita ut vendat se tibi, non uteris operâ ejus, tanquam servi operâ.*) Secundùm duriorem illam conditionem.) *Tanquam mercenarius, tanquàm advena erit tecum: usque ad annum jubilæum serviet tibi. Egredietur autem à te, ipse, & liberi ejus cum ipso; ac revertetur*

batur ad familiam suam, & ad possessionem Patrum suorum revertetur. Sunt enim servi mei, quos eduxi è terra Ægypti: non vendentur venditione servili. Non dominaberis illi durè, sed timebis à DEO tuo. Sic ergò jus durioris illius servitutis Israëlitæ in Israëlitam non fuit permissum. Imò nec peregrino, vel advenæ, inter Israëlitas degenti, istud permitti debuit in Israëlitam. Unde porrò ℣. 47. *Si autem adepta fuerit manus peregrini & advenæ, qui est apud te, & attenuatus fuerit frater tuus, qui apud illum versatur, seque vendiderit peregrino & advenæ, qui est apud te, vel stirpi familiæ peregrini: posteaquam vendiderit se, redemtio erit ei: unus è fratribus ejus redimet eum. Aut patruus ejus, aut filius patrui ejus, redimet eum: aut propinquus carnis ejus, è familia ejus redimet eum: aut si adepta fuerit manus ejus, tum redimet seipsum. Et supputabit cum eo, qui emit ipsum ab anno, quo se vendidit illi, usque ad annum Iubilæum: æstimabiturque pecunia venditionis ejus secundùm numerum annorum, & secundùm dies mercenarij fiet cum eo. Tanquam mercenarius annuus erit cum illo: non dominabitur ei durè in oculis tuis. Si verò non se redemerit in illis, egredietur in anno jubilæo, ipse, & filij ejus cum eo.* Attamen jus illud Israëlitis permissum fuit in eos, qui ex aliis gentibus erant orti: sic ℣. 44. 45. 46. *Servus autem tuus & ancilla tua, qui erunt tibi, de gentibus erunt, quæ sunt in circuitu vestro; ex eis emetis servum & ancillam. Et de filiis quoque incolarum, qui versantur apud vos, & de familia eorum, qui apud vos sunt, quos procreaverunt in terra vestra, eruntque vobis in possessionem. Et jure hæreditario possidebitis eos pro filiis vestris post vos, ad possidendum possessionem: in perpetuum utemini operâ eorum. Fratribus autem vestris filiis Israëlis, quisque fratri suo non dominabitur durè.* Jus interim vitæ ac necis in eos etiam non fuit concessum. Exod. 21. v. 20. 21. *Cùm percusserit quispiam servum, vel ancillam suam, bacillo, & mortuus fuerit sub manu ejus, vindicando vindicabitur. Veruntamen si per diem, vel per duos dies, perstiterit, non vindicabitur; quia pecunia ejus est.* Mercenaria denique servitus est vel illorum conductitiorum, qui operam ad tempus addicunt Domino ob mercedem, interveniente contractu, vel illorum, qui non sunt alicui Domino conducenti conjuncti societate vitæ cottidianæ, & ad certum aliquod opus solummodo se obstringunt.

XVI. Ord-

XVI.

Originem Servitutis accersunt Theologi ex Gen. 9. vers. 24. addunt Genes. 25. vers. 23. Nomen servi scribit Augustinus libr. 19. de Civitat. DEI meruit culpa, non natura, nuspiam enim in Scripturis ris legimus servum antequam justus Noah peccatum filii indicarit. Chrysostomus in Epistol. ad Ephesios hæc habet: Si verò rogaverit quisquam, unde sit servus, & unde in vitam hominum irrepserit, (novi enim multos, qui libenter talia & rogant & discere vellent) ego illud vobis dicam; AVARITIA, vulgaris Negligentia, & insatiabilitas servitutem pepererunt. Alioqui Noë servum non habuit, neque Abel, neque Seth, sed neque qui post illorum tempora vixerunt. Peccatum servitutem peperit & contumelia in parentes. Audiant liberi, dignos esse se qui serviant, quando ingrati fuerint parentibus. Nobilitatem suam sibi ipsi adimit, quisquis talis est. Qui enim patrem contumeliâ afficit, non est ampliùs filius. Qui in verum patrem nostrum contumeliosus est, quomodo filius erit? August. quæst. in Gen. c. 103. Tom. 4. col. 120. Servum hominem homini vel iniquitas vel adversitas dominari fecit. Iniquitas quidem, sicut dictum est: *Maledictus Chanaan, servus erit fratribus suis.* Adversitas verò, sicut accidit ipsi Joseph, ut venditus à fratribus servus alienigenæ fieret. Itaque primos servos, quibus hoc nomen in Latina lingua inditum est, bella fecerunt. Qui enim homo ab homine superatur, jure belli potuisset occidi, quia servatus est SERVUS appellatus: unde & mancipia, quia manucapta. Lex divina de servis Hebræis, & illorum libertate: Levit. 25. 39. & seqq Exod. 21, 2 3. 4. 5. 6. Deut. 15, 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Sed videntur hæ leges sibi invicem adversari, quòd in uno loco servus Hebræus ad annum usque jubilæum, altero verò sex tantum annis servire præcipitur: Verùm facilè hæc conciliatur *ἀντινομία*, & hac quidem ratione: Quòd servus Hebræus debeat servire sex continuis annis, si intra hos servitutis suæ annos nullus sit jubilæus. Si verò Jubilæus venerit, priusquam sex servitutis anni finiantur, tunc Libertatem consequatur, etiamsi uno aut duobus tantùm annis servierit. De ancillis addita est Exceptio Exod. 21. v. 7. *Cùm autem vendiderit quispiam filiam suam in ancillam, non egredietur, quemadmodum servi egredi solent*, ℣. 8 9. 10. 11. Pœna inobedientiæ & transgressoribus mandati hujus describitur Jer. 34, 8. & seqq. Servi fugitivi non sunt retrahendi ad Dominos, Deut. 23. 15 16. *Ne tradas servum Do-*

mino suo: neque leviter aut temerè accusandi, Prov 30, 10. *Ne accuses servum apud Dominum suum.* Ancilla bello capta, an & qua conditione Israëlitis in uxorem ducere licuerit? Deut. 25, 10. 11. 12. 13. 14. traditur; *Cùm egressus fueris ad bellum, &c. Videris autem in captivitate mulierem pulchram formâ, & amaveris eam, & acceperis tibi in uxorem, introduces eam in domum tuam, & radet caput suum, & præcicet ungues suos.* alias servi fiunt nativitate, cum partus ventrem sequatur, tales habuit Abraham, Gen. 14. de servo Ebræo & libertate eidem concedenda anno septimo, Exod. 21. v. 4. captivitate, cum qui in militia capti potuissent occidi, servati fuerunt & servituti subjecti, imo sub hasta venditi, ad quos referuntur & obsidione deditii unde mancipia, quasi mancipati, & de talibus loquitur, Petr. 2 Epist. c. 2. v. 19. Venditione, qui per privatum contractum accepto pretio vendebant libertatem suam ipsi, vel etiam illi, in quorum potestate erant, quo respicit lex illa, Levit. 25. v. 39. & 47. pertinet huc Exemplum Josephi, Gen. 39, 27. 28. Germani veteres, de quibus Tacitus de moribus Germanorum. Sententiâ, quales illi, quibus divina vel publica authoritate servitus loco supplicii imposita, de quo Exod. 22. v. 3. Canaan cum posteris Gen. 9. vers. 26. Deut. 28. v. 68. Debitorum numero, de quo secundo, Reg. 4. vers. 1. Matth. 18. vers. 15. Conductione, de qua supra. Affines servis valde sunt adscriptitii sive glebæ adscriptitii, qui agris & glebæ ita sunt obnoxii, ut avelli non possint, sed cum iis etiam condantur, etiam Domino ita addicti, ut ne peculium habeant in sua potestate, qui vero libertate donantur, manumissi sive liberti dicuntur, & qui ab iis post manumissionem nati, libertini.

XVI.

Dominorum vero Officium est, servos famulos & mercenarios ad verum DEI cultum adducere, pietatem commendare, & tempus aliquod exercitiis sacris indulgere, Gen. 17. v. 12 cap. 18. v. 19. Moderate illis imperare, & prudenter cum illis agere, Levit. 25. v. 43. Eph. 6. v. 9. Colos. 4. v. 1. alimenta præbere, nec non mercedem solvere, & quidem honestam & maturam, Deut. 24 14. 15. 1. Cor 9, 7. Deut. 25. v. 4 Jacob. 5. v. 4. De Oeconomica Justitiâ erga familiam notant Theologi, quod requirat à patribus familiâs I. Amorem (non incastum, quemadmodum ille dilexerat ancillam suam, illam conjugi honestissimæ præferens, sed) justum & syncerum, Matth. 22. v. 37. *Diligo proximum tuum sicut teipsum*

ipsum; 1. Petr. 3. v. 8. *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in pietate amorem fraternitatis*, quod mandatum omnes homines etiam servos & ancillas complectitur, qui & ipsi ad imaginem DEI conditi, à Christo redempti, & à Spiritu S. sanctificati. Ipsa natura etiam dictitat, ut eos, quorum operâ in curandis rebus nostris utimur, amore complectamur. Unde Syr. c. 7. v. 22. *Non lædas servum in veritate operantem, &c.* & ibid. ỽ. 23. *Servus sensatus sit tibi dilectus tanquam anima tua, &c.* Sic Abraham dilexit servum Eleasarum, Gen. 24. ita Judith manumisit ancillam, Judith 16. II. Paternam ipsorum defensionem. Syr. 33. v. 31. *Si tibi est servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem tracta eum, &c.* Canem defendit Dominus, multò magis servum. III. Institutionem in Catecheticis: *Pietas ad omnia utilis, &c. Quærite primùm regnum DEI*, Matth. 6, 33. Sic Abraham omnes masculos domûs suæ circumcidit, Gen. 17. v. 10. 11. Cornelius timuit Deum cum tota sua domo, Actor. 10. v. 2. Regulus item, Joh. 4. v. 54. & Centurio, Matth. 8. IV. Instigationem ad labores, Syr. 33. v. 30. *Panis & disciplina & opus servo*, otia dant vitia, & homines nihil agendo, malè agere discunt. Hinc Heliogabalus famulis mandasse legitur, ut caperent muscas & araneas, ne tempus frustrà tererent. Labor autem ille non sit immodicus; non enim jumenta, sed homines sunt: non intempestivus, ut vel à cultu divino diebus festis, vel nocturno tempore à quiete abstrahantur. Quod caret alterna requie, durabile non est. V. Alimenta, Syr. 33. 30. *Panis, disciplina & opus servo*; 1. Corinth. 9, 9. *Bovi trituranti non obligabis os.* Alimenta autem illa danda sunt 1. tempore justo, Luc. 12. 42. *Dixit Dominus, quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore dimensum suum.* 2. Cibo convenienti. Non enim proponendi illis sunt cibi malè cocti & falsi, aut ter quaterve cocti, quod avaris Patribusfamiliâs plerumque in more, die dem Gesind nichts geben / es seye dann vorhin im Stanck / als ein faul Aas / verdorben. VI. Castigationem verbis quandoque lenioribus quandoque asperioribus, pro ratione personarum, delicti, temporis ac loci, ita tamen, ut leniora semper proponderent, secundùm illud, freundlich regieren / und mit Willen / thut grossen Zanck und Hader stillen: Wer mit dem Kopff will oben hinauß / thut Schaden und richtet nichts Guts auß. Hinc Syr. 4. 35. *Noli esse sicut leo in domo tua.* Paulus Onesimum servum ad herum Philemonem uti fratrem remittit, in

Epist.

Epist. ad Philemonem, ℣. 17. Eph. 6 9. *Remittite minas, scientes, quod & vester Dominus in cœlis sit, nec personæ respectus sit apud illum*, Deut. 15. v. 16. Ne contristes eum, Job 31, 13. *Si contempsi subire judicium cum servo meo, &c.* VI. Mercedis persolutionem, quæ esse debet 1. facilis. Non cogantur servi & ancillæ damna à se non data resarcire, & ad unum præstare omnia, sicut Laban Jacobum cogebat, *ut solveret, quicquid de grege furto perierat*, Gen. 31 39. & Ægyptii Israëlitas expellebant, Exod. 12, v. 31. Matth. 10, 10. *Dignus est mercenarius mercede suâ.* 2. Properata. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te usque mane*, Levit. 19. 13. 3. Integra. Jac. 5, 4. *Ecce merces operariorum, &c. quod vultis, ut faciant vobis homines, &c.* Matth. 7, 12. Quæ de servis dicta, de Mercenariis quoque intelligenda sunt, cùm & his sine dilatione merces persolvenda sit 1. ob mandatum, Levit. 19 13. Deut 24 14. 15. Prov. 20, 10. Syr. 34. v. 27. Tob. 4 15. 2. Exemplo Salomonis, 2. Paral. 20, 10. 3. Ob pœnas, quas DEUS minatur detrahentibus aut differentibus, Jerem. 22, 13. Mal. 3 5 Jac. 5 4. VIII. Justitiæ administrationem, cum æquitate junctam, Deut. 15 12. 2. Levit. 25, 43. 3. Tob. 4 15 Prov. 31, 15. Syr. 7, 22. c. 33, 16. Eph. 6 9. Matth. 10, 10. Unde Laban dixit Jacobo: *Non gratis servies mihi*, Gen. 29, 15. Et Job c. 31, 13. *Si contempsi judicium servi, &c.* Cyprianus contra Demetrianum pag. 244. Cùm sit vobis eadem sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia, animarum ratio communis, æquali jure & pari lege veniatur in hunc mundum, vel de hoc mundo postmodum recedatur, tamen nisi pro arbitrio tuo tibi serviatur, nisi ad voluntatis imperium serviatur, imperiosus & nimius servitutis exactor flagellis verberas, fame, siti, nuditate, frequenter ferro & carcere affligis & crucias, & non agnoscis Dominum DEUM tuum, cum exerceas ipse Dominatum Chrysost. Hom. 16. in Epist. ad Corinth. Col. 1, 2. 44. Si servis ità imperat, sic obedite Dominis, intuemini, quo nos animo in Dominum nostrum esse convenit, qui nos de nihilo ut essemus effecit, qui nutrit, qui vestit. Etsi ergo non aliter, saltem ut famuli nobis nostri, ita illi serviamus. Nonne vitam illi omnem in hoc exponunt, ut requiem nobis parent? hoc illis opus est, istud studium, ut dominos curent. Nonne illi, quæ Domini sunt, totâ die curant, sua vero diei vix exiguâ parte? Contra vero nos nostra quidem semper, quæ vero sunt Domini, neque minimâ curamus temporis parte, istudque, cum ille obsequiis non egeat nostris, sicut Dominus famulorum, sed

ſed hæc omnia noſtris commodis cedant. Illic enim miniſterium famuli Domino prodeſt: hîc autem ſervi obſequium Domino nihil, ſervo autem plurimum confert. Bonorum enim (inquit) meorum non eget, Pſalmo 15. Dic enim, quæſo, ſi ego juſtus ſum, DEUS quid inde lucratur? quid perdit, ſi fuero injuſtus? Nonne immortalis illa natura eſt? Nonne inviolabilis & omni ſuperior labe? Servi nihil habent proprium, ſed omnia Domini ſunt, quantumlibet illi divites fiant: nos plurima habemus propria. Neque abs ratione à Rege omnium tantum honoris accepimus. Quis unquam pro ſervo Dominus filium tradidit ſuum? Nullus certè, ſed omnes pro ſervis filios eligent. Contra proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, pro omnibus inimicis odientibus. Servi, ſi gravia quædam illis imperentur, ne ſic quidem indignantur, maximè ſi grati illi ſint, nos autem graviter plurima ferimus. Servis nihil tale Dominus promittit, quale nobis DEUS. Sed quid? Libertatem præſentem omni ſæpè ſervitute duriorem. Sæpè enim ubi fames invaluit, libertas hæc omni ſervitute acerbior fuit, idque pro ſummo munere habetur. Apud DEUM verò mortale nihil, nihil corruptibile eſt? Sed quid? Non vos dicam ſervos meos: vos amici mei eſtis. Erubeſcamus dilectiſſimi atque timeamus, ſicut nobis famuli ſerviunt, ita nos Domino ſervire ſtudeamus, imò nos ne minimam quidem partem ſervitutis oſtendimus.

XVII.

Tandem in Præceptorum & diſcipulorum Ordine hæc habet Clemens Alexandrinus: Patres vocari dicit, qui nos Catecheſi inſtituerint: Sic ergo Eliſa ſuum Præceptorem debito affecit honore, 2. Reg. 2. v. 9. Quod & Ethnici innuere voluerunt, dicentes: Dii majorum umbris tenuem & ſine pondere terram, &c. Summus autem honor exhibetur Præceptoribus, quando illorum Diſcipuli PII (Deut. 6. *Hoc eſt Præceptum, ſtatutum judiciumque illud, ut timeas Iehovam DEUM tuum, obſervando omnia ſtatuta ejus*) & in Studiis ASSIDUI ſunt; *quæ mandata ſunt tibi, hæc ſanctè cogita*, Syr. 6. *Maledictus* enim, *qui facit opus Domini fraudulenter.* Ad pietatem autem ſpectant non ſolùm γνῶσις ἀληθείας, verus de DEO ſenſus, ſed etiam πρᾶξις εὐσεβείας, rectus in DEUM cultus, ſecundùm illud Lactantii lib. 4. Divinar. Inſtit. c. 4. Idem DEUS eſt, qui & intelligi debet, quod eſt ſapientiæ, & honorari, quod eſt reli-

gionis, sed sapientia præcedit, religio sequitur, quia prius est DEUM scire, consequens colere. De priore, fide scil. syncerâ canit David Psal. 25. *Arcanum Iehova adest reverentibus ipsum.* De posteriore verò, vitâ nim. inculpatâ loquitur Syr. cap. 1. *Reverentia Domini depellit peccata.* Et c. 19. *Cognitio mandatorum Domini est eruditio vitæ.* Pietatis multiplices fructus describit & commendat nobis Syr. his verbis: *Principium sapientiæ est revereri Dominum; hæc adest fidelibus, in utero cum ipsis creata est: Plenitudo sapientiæ est revereri Dominum, inebriat enim eos suis fructibus. Corona sapientiæ est revereri Dominum, progerminans pacem & incolumitatem salutarem. Radix sapientiæ est revereri Dominum, & rami ejus sunt longævitatis; cum hominibus fundamentum æternum ædificabit, & cum semine eorum, quibus credita est: omnem domum eorum implet desideratis rebus suis, & cellas fœtibus suis. Timenti Dominum benè futurum ad finem usque, & die mortis ejus benedicetur ille. Reverentia Domini est tanquam viridarium benedictum, quam supra omnem gloriam obtegit DEUS.* Uti verò divina statuta pietatem, ita quoque assiduitatem à studiosis exigunt sedulam, & fructus promittunt dulcissimos. *Audite me sancti*, inquit Syr. c. 39. *& germinate tanquam rosa plantata ad flumen humidum, ac proferte florem ut lilium, edite odorem, &c.* Cap. 6. *Fili à juventute tuâ elige eruditionem, & ad canos usque consequeris sapientiam, cujus bonos fructus expectato. In elaboratione ejus paululum fatigaberis, sed citò comedes de fœtibus ejus: qui enim reverentur Dominum in oculis ejus honorati, ante sortem principatus est reverentia Domini.* Quæ autem media in assiduitate sint adhibenda, ut studiosa juventus fructum laborum & studiorum salutarem, ac exoptatum consequi valeat, Syrach suo nos edocet exemplo, quando in Oratione sua ita: *Cùm adhuc juvenis essem, quæsivi sapientiam manifestò oratione meâ; coram templo oravi pro illa, & ad extremum usque requisiturus sum illam tanquam de flore dematurescente uva, lætatum est cor meum de illa, ingressus est pes meus rectà, à juventute mea investigavi eam, inclinavi aurem meam, & accepi illam, multamque adeptus sum mihi eruditionem: manus meas extendi in sublime, animamque meam direxi ad illam, & purificatus inveni illam.*

XVIII.

Referri denique hîc potest respectus uxoris ad maritum. Hæc enim debet obedientiam, subjectionem & reverentiam, 1. Cor. 11. v. 3. 1. Timoth.

moth. 2. v. 11. 14. 1. Petr. 3. v. 1. 4. 6. Dilectionem & fidem, 1. Cor. 7. v. 3. Collaborationem in cura Domus, Prov. 14. v. 1. & cap. 50. v. 10. 31. Vicissim mariti debent uxoribus dilectionem singularem, Prov. 5. v. 18. Eph. 5. v. 25. Col. 3. v. 19. Regimen blandum, 1. Cor. 7. v. 33. 1. Petr. 3. v. 7. Provisionem de necessario, Exod. 21. v. 10. Non tantùm autem in corporalibus, sed & spiritualibus, 1. Corinth. 14. v. 35. 1. Petr. 3. v. 7. De SENIBUS hæc habeto. Colant illi I. *Pietatem*, quæ licet *omnes* obstringat, maxime tamen *senes*, propter *scandalum decet*, Matth. 18. v. 60. *Si quis scandalizaverit unum de pusillis*, &c. II. *Iuventutem instituant*. Deut. 32. v. 7. *Memento dierum antiquorum*, &c. Syrach. 25, 6. *Quam speciosa veteranis sapientia*, &c. Job. 12, 12. *In antiquis est sapientia*, Tit. 2, 1. *Tu vero loquere, quæ decent sanam doctrinam.* III. Sint sani 1. in fide, hoc est, hæreticis opinionibus non inhæreant; 2. Charitate, 1. Joh. 3. v. 18. *Filioli mei, non diligamus verbo*, &c. 3. Patientia. IV. Sobrii, quia enim infirmæ sunt valetudinis, ideo vino facile obruuntur; quæ autem mala & scandala inde oriantur, exemplum Noachi & Lothi, Gen. 6. & c. 19. docent. V. Graves animo, candidi verbis, justi factis, casti opere, ut juvenes eos revereantur; nam turpe senex miles, turpe senilis amor. Econtra vero à JUNIORIBUS requiritur I. ut DEUM timeant. Non dicant cum lascivis, Sap. 2. v. 6. *Venite & fruamur bonis*, &c. *sed in timore Domini ambulent, vitamque inculpatam ducant*, Ecclesiastes c. 12. v. *Memento creatoris tui*, &c. *scito quod de omnibus te DEUS ducturus sit in judicium*, Eccl. 11. v. 9. Matth. 12, 36. *Omne verbum otiosum.* Joseph hoc observavit, *sextum Decalogi Præceptum transgredi nolens*, Gen. 39, 8. Ut *pauca, & non nisi interrogati, aut summâ necessitate urgente loquantur*, Syr. 32. ℣. 4. *Loquere major natu*, &c. Elihu Job. 32. ℣. 4. Exspectat, donec Eliphas, Baldad, & Zophar locuti sunt. Zeno in convivio cur taceret, interrogatus, respondit; ut aliis possitis referre, adfuisse senem, qui potuerit tacere. Ut *piis conversentur senibus, aversentur vero malorum consortium*, Syr. 8. ℣. 7. *Ne spernas hominem in senectute, etenim ex nobis senescunt*, Syr. 6. ℣. 35. *In multitudine Presbyterorum sta*, &c. Sap. 4. ℣. 12. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*, &c. 1. Cor. 15. ℣. 33. *Corrumpunt bonos mores colloquia parva*, Prov. 1. ℣. 10. Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. IV. Ut humilitati & modestiæ debitæ erga seniores studeant; neque enim senibus superiores esse debent, Col. 3. ℣. 12. *Induite humilitatem, modestiam*, &c. Philip. 2. ℣. 3. Nihil per con-

contentionem, &c. Est autem humiliari infirmitatem suam agnoscere; 2. Donis suis non efferri. DEUS enim, 1. Petri. 5. ℣ 6. *Superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, Exemplo Saulis, 1. Sam. 15. *Qui cum probus esset in oculis suis, caput in tribubus Israel factus est.* Refer huc exemplum Elisæi, arantis in duodecim jugis boum, 1. Reg. 19. ℣. 19. Davidis, *pascentis oves patris.* V. Ut seniores pietate & gravitate præstantes honorent; nam & senes Patris matrisque nomine intelliguntur. Exhibeant autem honorem hunc 1. Verbis, si nim. loquantur cum iis, reverenter & modeste, titulis illos cohonestantes debitis; 2. Animo, timore filiali & verecundiâ non fucatâ. 3. Gestu, Lev. 19. ℣. 32. *Coram cano capite consurge*, &c. 4 Opere; si nævos illorum tegant, patienterque eorum verba, monita & castigationes ferant, Syr. 8. ℣. 9. *Ne despicias narrationem sapientum*, &c. 1. Tim. 5. ℣ 19. *Seniorem ne increpaveris, sed observa illum ut Patrem.* Hæc, qui negligunt, DEO pœnas dabunt; uti pueri Bethelenses, Elisæum irridentes, 2. Reg. 2. v. 24. *Rechabeam, seniorum consilium rejicientes*, 1. Reg. 12. Honorem autem hunc Juvenes senibus exhibeant 1. ob mandatum divinum, Lev. 19, 32. Prov. 16, 31. Syr. 8 9. 11. 7. 2. Suadet ipsa naturalis ratio, quæ sanioribus hoc ipsum Ethnicis impressit: Qui credebant hoc grande nefas, & morte piandum, si juvenis vetulo non assurrexerat, & si Barbato cujusque puer: licet ipse videret plura domi farra, & majoris grandis acervos. Tam venerabile erat præcedere quatuor annis, primaque par adeo sacræ lanugo senectæ. 3. Movent Exempla: pueri Samuelis, 1. Sam. 3. v. 7. Junioris Tobiæ, Tob. 9. v. 8. Elihu, Job. 32. v. 6. Commendantur hoc nomine Spartani, è quibus quia decentem honorem senioribus conferre consuevissent, etiam in Proverbium abiisse accepimus: In sola Sparta expedire senescere. 4. Exigit dignitas Senum. *Dignitas senum canities est*, Proverb. 20. v. 29. *Cani sunt sensus hominis*, Sapient. 4. v. 8. Postulat Utilitas à Senibus dependens: In antiquis enim est sapientia, & in multo tempore prudentia, Job. 12. v. 12. *Vir multis exemptus novit multa*, &c. Syrach. 34. v. 4. *Serus venit usus ab annis: bos lassus fortius figit pedem*, quod August. scribit ad venerandum senem Hieronymum. Et plus valet umbra senis, quam gladius juvenis, vere dixit ille. Certe effæta Gregorii Nazianzeni Mater ipsi & fratri suo Cæsario plurimum contulit, multaque ipsis imminentia pericula precibus suis, Nazianzeno ipso referente; avertit. Laontius Veteris Ecclesiæ Doctor in consultatione

de

de rebus gravioribus habitâ, protensis digitis canos capitis sui ostendens: Hac nive liquefactâ, dicebat, erit multum luti. Emigrantibus scilicet ex hac vita senibus, sæpius emigravit etiam simul ex Evangelicorum Ecclesiis concordia, intravére contra belli Furiæ & periculosa discordia. Exempla Lothi, Genes. 19. Mosis, Deut. 31. v. 16. Josuæ, Jud. 2. Samuelis, 1. Samuel. 25. v. 1. Jojadæ, 2. Par. 24. v. 7. Josiæ, ac aliorum multorum. Ita scilicet DEUS, quod axioma Platonis est, civitatis calamitatem immissurus aufert ab eâ viros bonos: Aufert sustentacula & fulcimentum, &c. 6. Tandem volunt præmia: si enim sic juniores honorant seniores, & ipsi cum veterascent, iterum in senio suo digno afficiuntur honore: qualia enim quisque seminat, talia metet: & Dominus reddit unicuique secundum opera sua, Psal. 62. v. 13. *Mensurâ quâ metimini*, &c. Luc. 6. v. 38. *Qualia quisque facit, talis finis manet ipsum: Ne ergo spernas hominem in senectute, omnes etenim senescere optamus*, Syr. 8. v. 7. Quotiescunque senem vel præteritis, vel illi vos prætereunt, non aliter ac si his vos salutaret verbis, vobis imaginamini:

Aspice me, quod es, ante fui, jam quodque futurus,
Sors hodierna mihi, cras venit illa tibi.

XIX.

Superest ut aliquid addamus de Magistratu & subditis. Debent sane subditi Magistratui primò omnium Subjectionem & Obedientiam, ut constat ex Rom. 13. vers. 1. 2. & seq. Secundò Honorem & Reverentiam, de quo 1. Petr. 2, 17. Rom. 13. vers. 4. & 5. Proverbior. 24. vers. 21. Tertiò dilectionem & Fidem, Rom. 13. 1. & 4. Quartò tributum mercium & vectigalia, 2. Tim. 2. v. 1. 2. 3. Rom. 13. v. 6. 7. Matth. 17. v. 27. & cap. 22. v. 17. Denique Gratitudinem & Beneficentiam, 2. Sam. 17. v. 27. 28. de quibus Thumm. p. 195 196. 197. 198. 199 200. Vitia contraria sunt Rebellio, de qua Num. 16. v. 1. & seq. Contemtus, de quo 1. Samuel. 10. v. 27. Odium, de quo 1. Reg. 12. v. 16. Neglectus Precum & Tributorum, de quo 2. Sam. 16. vers. 7. Ingratitudo, de qua Judic. 8. vers. 34. 35.

XX.

Magistratus vero officia sunt, Pietatem & veram Religionem complecti, colere, fovere, Psal. 2. v. 10 11. 12. Psal. 72. v. 10. 11. Esa. 49. v. 23. Custodiam utriusque Tabulæ demonstrare, Exod. 18, 20. Deut. 17. 18. 19.

Psal. 2, 10. 2. Chron. 19, 6. Rom. 13, 4. 1. Tim. 2, 2. Denique in inferioribus Magistratibus eligendis prudentes & sinceros sese exhibeant, Exod. 18, 21. Luculenter de hoc puncto B. Thumm. Vitia contraria sunt Impietas, de qua Luc. 19. v. 14. Neglectus Custodiæ utriusque Tabulæ, de quo Esa. 1, 21. 22. 23. Electio illorum, qui minus apti aut digni, 2. Sam. 20, 1.

XXI.

In statu Ecclesiastico Antistitibus Ecclesiæ debetur Amor, 1. Thessal. 5, 12. 13. Honor, Phil. 2, 29. 1. Tim. 5, 17. 18. Obedientia, Ebr. 13. v. 17. Sustentatio, Deut. 12, 19. Matth. 10, 10. Officium vero Pastorum est prædicare, 2. Tim. 4, 2. & 5. Sacramenta administrare, 1. Cor. 4, 1. 2. Curam singularem gerere Ecclesiæ commissæ, 1. Petr. 5. 2. & 3. Excommunicatione, ubi opus est, uti & Clave utraque, 1. Cor. 5. 6. 7.

XXII.

Vitia, quæ pugnant cum hisce propositis, sunt, Odium adversus Ministerium, Esa. 65. 5. Irreverentia, 2. Paralip. 30, 10. Matth. 21, 16. Actor. 2, 13. Resistentia, Esa. 28. 10. 13. Ezech. 2, 4. & c. 33, 31. Negatio subsidiorum necessariorum ad vitam, 1. Cor. 4, 11. Vitia Pastorum sunt, Neglectus Prædicationis, Esa. 56. 9. 10. Sacramentorum Abusus, 1. Corinth. 11, 19. 20. Curiæ singularis & legalium fulminum Omissio, Esa. 30, 9. 10. Thren. 2, 14. Ezech. 13, 19.

ERRORES PONTIFICIORUM
Contra IV. PRÆCEPTUM.

PRimò non tenetur filius obedire Parentibus in iis, quæ pertinent ad Electionem Status Religiosi. Ita Bellarminus libro 2. de Monachis cap. 36. Laymannus, l. 4. tract. 5. cap. 4. Malletus, quia filius in hoc non censetur subditus Patri, juxta dictum Christi: Qui amat patrem vel matrem, &c. Imò Tamburinus generalem proponit Regulam: Nunquam præceptum aliquod obligare, nisi sit determinatum; cum enim non possit, ut indeterminatum exire in executionem, non censetur practice esse completum. Secundò filii conjicientes contumelias in Parentes non peccant mortaliter, si materia sit parva: ita Mallet. p. 98. Tertiò, potest Filius optare mortem Patris vel de illa gaudere, non ut malum Patris, sed

ut

ut ipse Filius paterna hæreditate fruatur; & mater potest desiderare mortem Filiæ, ne illam alere vel dotare cogatur; & subditus mortem expetere Prælati sui, ut prælaturæ ipse succedat, vel ut à Prælato sibi infenso liberetur. Quartò, potest Filius, invito Patre, contrahere Matrimonium cum ea, quam carnaliter cognovit, aut cui matrimonium promisit, ita Bonacina de matrimonio punct. 17. q. 4. n. 21. Malleus Bractea quarta Malleat. XI. quia in matrimonio filius non est subditus Patri, sed sui Juris. Conspirant Sanchez, Gutier, Reginaldus, Coninck, Tamburinus. Certum exploratumque est, si filii invitis parentibus ineant matrimonium cum dignis, & alioqui nullum sequatur incommodum, non peccare lethaliter, imò ne venialiter quidem, si prius modestè à parentibus facultatem petierint, tametsi nequaquam exoraverint. Ratio potissima est, quia in electione status, & maximè matrimonii, filii nemini subduntur. Quintò, Filii Catholici non tenentur parentibus Hæreticis, Ethnicis, Turcis, alimenta impertire, in gravi necessitate, & vicissim: ita Lara, Sardus, Sanchez, Fagundez. Sextò, Filius non tenetur infidelem in extrema necessitate constitutum alere, si conetur à fide eum avertere, secundum illud: Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum*, &c. imò non tantum non possunt alimenta negare liberi in hoc casu parentibus, sed & occidere, secundum Fagundez, & Escobarem de Mendoza. Septimò, Filius potest furari ad sublevandam extremam necessitatem patris, ratio est, quia sicut ipse Pater poterat alienam rem subripere, ita filius, ut ipsi succurrat, &c. Octavo, filia non peccat, si coloribus fucet faciem, ratio, quia ornatus non est personatus, sed indifferens, nec repugnat charitati DEI vel proximi: ita Navarrus, Graffius. Nonò, Pater exponens filium, quando ipsum alere potest, non tenetur ad restitutionem, quia bona publica ad hunc finem communi censu sunt omnium civium, ad hunc finem sunt addicta, & unusquisque Civis suam habet portionem in hujusmodi bonis, referente Fagundezio pro hac sententia Authores. Decimò Pater non tenetur filios & filias spurias dotare, quia scandalosum hoc, secundum Panormitanum, Vasquezium, Molinam, Fagundez. Undecimò, Parentes non possunt suadere filiis, qui castitatis votum emiserunt, idque ex Incontinentia sæpe violenta, ut ducant uxorem, quia minus malum, ut licitè consulatur, opus est ut ad majus malum, jam quisque sit determinatus; ita Sylvester, Gregorius Lopez, Sanchez, Fagundez.

XXIII. De

XXIII.

De obligatione inter Dominum & Famulum hæc habent; Primò, famulo, qui promisit servire anno integro pro assignato stipendio, si primis sex mensibus tantum inserviit, Dominus non tenetur dimidium mercedis solvere, quia datam fidem violavit: Ita Sylvester. Secundò, si famulus serviat minori pretio infirmo, poterit id occulte compensare, quia Beneficium vel Gratia ab Hero sperata fuit, quasi conditio sub qua facta est illa justæ mercedis condonatio: Sic Doctores apud Molinam tom. 1. de Justitia d. 210. Tertiò, non peccat Herus, qui famulis arculam apertam relinquit eo fine, ut furetur, quia licitum est ei, suis bonis providere, custodiendis etiam, intendendo, ut furetur & delinquat famulus: Ita Petrus Navarr. de Restit. lib. 3. c. 4. part. pr. sub ultimô numerô 104.

XXIV.

Clerici non subeant primò Jugum Principum & summarum Potestatem. Vide Arnisæum de Exemptione Clericorum. Secundò Rebellio Clerici in Regem non est crimen læsæ Majestatis: Emanuel Sà. Subditus & Vasallus non obligatur Regi hæretico, & ex Decreto Papæ deponendo: Suarez in Defensione Cath. l. 6. c. 13. 14. Quartò, licet Regem occidere, si sit hæreticus & justo severior. Quintò, in probabilitate orta & jure quemlibet. Regem licitè bella gerere posse contra alium, quia potest quis sequi opinionem probabilem. Sextò, miles dubitans de Justitia belli num possit bellare? disputat Caramuel. Septimò, subditus dubitamus, an gabella sit juste imposita, non tenetur illam solvere, apud Tamburinum. Octavò, valdè probabile est, te non obligatum præcipienti superiori obedire, quando opinionem habes probabilem, illicitam esse rem imperatam, vel excedentem ejus Jurisdictionem, &c. Castropalaus. Nonò, Prælatis Ecclesiæ exhibenda est cœca obedientia. Omnia Scribarum dogmata legi non repugnantia, etiamsi vana & futilia, ac proinde non obligantia, uti erant crebræ manuum corporisque ablationes & purificationes, illa tamen servet ad obedientiæ cœcæ & simplicis meritum ac ordinis Sacerdotalis ac Doctoralis Reverentiam.

XXV.

Omnia hæc à tramite rectè deflectunt. Nam primò filius tenetur obedire Jure naturali; quomodo itaque sufflaminare potest hoc Obsequium status religionis vel matrimonii? Secundò, voluntas eligendi

di statum Religionis apud Pontificios est irrationabilis voluntas; quomodo igitur enervare potest imperium paternum voluntatem Superioris? Tertiò, filius utique etiam subditus est Patri, quantum ad hoc negotium, qui plus videt atque longiùs prospicit, quàm inconsulta juvenis audacia, & de genere vitæ commodo præsumitur esse oculatior, ex affectu quoque in natum officii partes fideliter explere velle: neque illud Christi allegatum conducit. Primùm enim non comparat Monachatum, qui quartò demum post Christum sæculô cœpit in Paulo & Antonio sub Constantio, cum obsequio Patri debito, sed præfert & vult præferri amorem DEI amori illi, qui est illorum, qui sunt vice & loco DEI; vult, ne magis amentur parentes, quàm ipse, quod particulæ ὑπὲρ ἐμὲ, quas premit Syrus, quoque ostendunt; loquitur de neglectu Evangelii, ita ut talem indignum suo consortio dicat, qui præ Evangelio amplectitur parentes, & illud vel ob affectum illum in eos, vel non recipit vel abnegat. Videatur locus ipse Matth. 10 37. quæ & Tamburinus generaliter pronunciavit prout excussa sunt à Religionis Socio, qui etiam ex illa assertione, hoc absurdum elicit: non teneri unquam filium honorare parentem quamdiu ei suppetit probabilius aliqua ratio opinandi, eum non esse suum parentem, licet, sciat oppositum esse probabilius ac tutius. Cùm enim asseverent sufficere quamcunque probabilitatem sive intrinsecam, sive extrinsecam, quantumvis tenuem, ad prudenter agendum; coguntur profectò fateri eandem sufficere ad prudenter omittendum. Omittat ergo in perpetuum filius honorare parentem, quem probabilitate quantumvis tenui opinatur non esse suum parentem. Secundò, sepositâ etiam omni probabili ratione dubitandi de parente, nunquam filius per se loquendo obligabitur, ex Tamburini principiis, honorare suum parentem. Nunquam præceptum aliquod obligat, nisi sit determinatum: cùm enim non possit, ut indeterminatum exire in executionem, non censetur practicè esse completum. Perspicuum quippe est, præceptum honorandi parentes non minùs esse indeterminatum, quàm præcepta credendi, diligendi, orandi, adorandi. Cùm ergò hæc, juxta hunc Authorem, nunquam per se obligent, eò quòd sint indeterminata, adeoque practicè incompleta: idem prorsus dicere cogitur de præcepto honorandi parentes. Tertiò, quamvis ad reverentiam parentibus debitam spectare videatur, ut proles in rebus magni momenti consilium eorum consensumque exposcant, nec eorum indignatio-

quitate, dicere filium non teneri patrem in externa necessitate alere, si conetur illum à fide avertere; non enim cessat obligatio illa naturalis, etsi Pater malè agat seducere intendens filium, nec per hoc aboletur illa. Præterea potest Filius illum monere, intercedere, & alia fatigare media contra seductionem. Denique ex Pontificiis pugnat contra hanc sententiam Azorius Tom. 2. l. 2. quæst. 2. & 3. Quàm horridum verò illud, posse filium occidere Patrem, quàm à sensu communi alienum? Septimò, furari semper malum est; quomodo itaque primò in casu mediorum deficientium non sit malum? num facienda sunt mala, ut inde eveniant bona? contra Apostolum Rom. 3. Secundò ratio illa, quæ adducitur, falso principio innititur, quasi scil. in tali casu extremæ necessitatis revivisceret communitas omnium, quod principium in Notis ad Grotium excussimus. Tertiò, fame mori, aut permittere, ut alius fame moriatur, non est peccatum, sed passio; furari autem malum & inordinata actio. Octavo, fucare faciem coloribus, est vanitatis & levitatis argumentum, in Scriptura non legitur de fœmina honesta & pia, sed de Jezabele, impudentissima Ethbaalis filia, tandem non est talis ornatus, qui indifferens, sed qui repugnat Charitati DEI & Proximi; illi, quia talis filia insultat Creatori, præfert artificium vanitatis naturæ lineamentis & coloribus, quos DEUS inseuit; huic verò, quia decipit illum, & hoc Mangonio allicit. Nono, Pater qui exponit filium, graviter peccat, maximè si illum alere possit; abjicit enim curam illius, qui ex ipso ortus, ejusdem est carnis & sanguinis, nec agnoscit, DEUM dedisse tantum, ut possit ipsum alere; tenetur etiam ad restitutionem, si enim ipse alimenta debet & negat, & alius, quicunque ille fuerit, supplet defectum, restitutio utique erit sub præcepto. Denique quamvis ejusmodi Bona in Papatu ad hunc finem & usum sint applicata, tamen etiam ex ipsorum Pontificiorum quorundam sententia tantum adducta sunt pro alendis filiis expositis, quorum parentes inopiâ laborant, ut habet Sylvester, Navarrus, Fagundez, Rebellus. Decimò ex Causa, quod pater renovet suam incontinentiam non teneri dotare filios aut filias spurias pauperes, nihil concluditur; renovat enim etiam in Exhibitione alimentorum. Præterea dos datur ex Adversariorum quoque sententiâ in vitæ subsidium, & loco alimentorum succedit. Subscribunt mitiori sententiæ Navarrus, Azorius, Molina & alii. Undecimò, qui votum Castitatis emiserunt, & id sæpè ex Incontinentia violant, primò obser-

obſervant illud: In malè pactis reſcinde Fidem, & quod illi obſervare tenentur, id ſuadere etiam parentes poſſunt. Secundò, annon ipſe Apoſtolus diſertè 1. Cor. 7. *Satius eſt nubere, quàm uri?* Si itaque ipſe Paulus remittit ad Conjugium, ad ſtatum à DEO inſtitutum, qui non perſuaſione & conſilio ſuo quoque eò tendat pater. Denique patet hic Papanorum Deus, morum fœditas, dum aſſerunt, non poſſe ſuadere parentes conjugium filio habenti votum caſtitatis, & in concubinatu exiſtente, & ita carnis ſtimulis agitato, ut paſſim ſuccumbat, ut ſic minùs delinquat, quaſi non tantùm malum morale & peccatum ſit ducere uxorem in caſu uſtionis, ſed & inferius concubinatu, videatur Angelus Mativezo, Veracruz & alii.

XXVI.

In famulos quandoque nimiùm rigoroſi, quandoque nimium leves ſunt Moraliſtæ. Iniquum primò eſt, ſi famulus ex rationabili cauſa diſcedat à Domino, ſi ſerviit per ſex menſes, non ſolvere dimidiam partem, cùm Labor & Merces debeant comparari & computari: famulus enim dimidium temporis ſervitium præſtitit; dignus itaque eſt ſervitii mercede. Secundò, etſi fidem datam violaſſe videtur, tamen ſi hic peccavit, poteſt deferri Judici, ut ille, qui loco DEI, decernat. Tandem contra hanc ſententiam pugnat ex Pontificiis Fagundez Tom. 2. lib. 4. cap. 15. num. 18. Secundò nimiùm favet famulis illa Aſſertio de occulta compenſatione. Fixum enim eſt primò illud Legislatoris: Non furaberis. Secundò, ipſi Pontificii in contrarium concludunt ex eo, quia ſpes promerendæ Gratiæ aut Beneficii conſequendi non ſit ſimpliciter conditio, ſub qua facta eſt illa condonatio, quâ non ſecutâ reddatur ea conditio nulla; ſed eſt cauſa motiva finalis donandi; unde ſi fructus ſpeciei deſit, ſibi famuli, non Domino imputare debent. Accedit, quòd hanc ſententiam contra alios tueatur ex ipſis Pontificiis Fagundez Tom. 1. l. 4. c. 15. num. 33. Tertiò peccat utique Herus, qui famulis Arculam apertam relinquit, ut furentur, & ut ille poſteà ab illis caveat, primò, quia qui eo fine arcam apertam relinquit, ut furentur, ille intendit furtum, intendit peccatum, intendit aliquid contra legem divinam. Secundò, qui eô fine apertam relinquit, ille non permittit, ſed concurrit & cooperatur ad peccatum. Tertiò, quamvis hoc faciat etiam eâ intentione, ut ſibi ab illis caveat in poſterum, non tamen hic finis cohoneſtat illam intentionem, neque enim facienda mala, ut eve-

eveniant bona, unde contrarium defendunt ex ipsis Pontificiis Sanchez, Sà & Fagundez.

XXVII.

Primò Fastum Clericorum, nolentium subjici imperio civili, Arnisæus castigat validis Argumentis. Secundò, quî non sit rebellio Clerici in Regem crimen læsæ Majestatis, cùm Majestas sit in Rege, tùm respectu Laicorum, tùm respectu Clericorum; cùm Clericus quoque subsit de jure Regi, uti in antecedentibus demonstratum; cùm nota sit Antichristi supereminere velle & πᾶν σέβασμα transcendere, 2. Thess. 2. Tertiò, & quartò, quomodo Princeps Hæreticus à Pontifice depositus vel deponendus possit interfici à privato? Cùm Hæresis sit Error Mentis, non per gladium & ensem curabilis, sed verbi virtutem; Caput est manetque Caput, etsi phrenesi vel vertigine corripiatur. Præterea, quomodo hæc doctrina non potest non esse seditiosa, periculosa, scandalosa, armare levitatem populi in Vicarios DEI, membra concitare contra Caput. Denique quomodo probabitur, Pontificem habere Potestatem in Reges, posse deponere illos, quos DEUS constituit sanctè observandos; annon hic est Character Antichristi, de quo in antecedetibus, videaur Salmasius contra Miltonum, & Marcus Antonius de Dominis in ostensione Errorum Suarezii. Quintum excutit religionis Partiarius, scribens: Observet Lector, quàm facilè sit Regibus in quavis penè occasione vel opportunitate procurare sibi eam probabilitatem, quæ Tamburino sufficit ad licitè procedendum. Subinquirit porrò ibidem mox idem Tamburinus: Quid si alter possideat? Quam quæstionem ita resolvit, ut suam quidem mentem pro una contradictionis parte aperiat, sed & alteram simul partem propter authoritatem aliorum fateatur probabilem. Respondeo, inquit, tunc ex mea sententia non posse. Dixi ex mea sententia; Nam ex bonorum authorum opinione posse video: qui nihil obstante prædicta unius Regis possessione, putant in dicto casu ab alio Rege impeti bello Regem possidentem posse. Hæc nimirum est praxis huic authori admodùm familiaris, ut per indirectum astruat, quod per directum destruere videtur. Cæterùm si quis aveat scire quinam sint illi boni Authores, quos pro adversa sibi opinione stare asserit: reperiet duos in margine citatos, Castropalaum, & Joannem Sancium. Sextum ita proponitur à Socio, scribente:

Probabilitatum patroni nimiam Regibus ac Principibus libertatem in subditos, hoc est, parentibus moralibus in filios, arrogant! At certe hæc arrogatio quantumvis primâ fronte appareat speciosa ac Regibus compendiosa, penitius tamen introspecta nimis est periculosa, dispendiosa, perniciosa. Nam si liceat uni Regi propter rationes mere probabiles deturbare alios possessione munitos, pari jure licebit aliis deturbare ipsum possessione munitum: quo enim jure quis in alios utitur, idem ut ipse patiatur æquissimum est. Similiter si liceat Regibus propter rationes vel authoritates mere probabiles deturbare subditos possessione bonorum avitorum, pari jure licebit subditis propter rationes vel authoritates pariliter probabiles deturbare Reges possessionibus regnorum suorum. Proinde si hæc probabilitatum doctrina invalescat, Reges promiscue omnes exponet præsentissimo periculo patiendi, quod nuper cum totius Christiani orbis stupore Rex Magnæ Britanniæ fuerat perpessus. Quid enim de illo Britannico facinore dicturi sunt isti probabilitatum patroni? Licitumne fuit subditis Regem suum vitâ regnoque privare? Si asserant, consequenter admittere debent, cæteros etiam Reges in paribus circumstantiis pariliter privari per subditos posse. Si negent, certe non apparet quomodo suis Maximis §. 352. & 353. relatis insistere possint: cum constet illud facinus non unius alteriusve Doctoris, sed integri Parlamenti, ex totius Regni Deputatis maximo numero considentibus conflati, suffragiis comprobatum fuisse. Septimum examinat hoc modo: Ecce trinas Authorum sententias à Tamburino relatas! Sed quid ipse? Omnes, subdit, hæ tres sententiæ sunt probabiles, quia bonis fundamentis innituntur. Si probabiles, proculdubiò juxta ipsius Maximam §. 352. descriptam, & §. 408. repetitam, sine peccati scrupulo amplexibiles, atque in praxi tutæ. Quicunque ergò voluerint secundæ sententiæ adhærere, quales haud dubie futuri sunt plerique de populo, si non omnes, gabellas Regibus confidenter negabunt, & alios forsan solventes tanquam simplicianos deridebunt. Sed generaliorem adhuc regulam tradit Castropalaus: Audeo affirmare, inquiens, valde probabile esse, te obligatum non esse superiori præcipienti obedire, quando opinionem habes probabilem illicitam esse rem imperatam, vel excedentem ejus jurisdictionem. Moveor primò: licitum subdito est non parere superiori præcipienti, quando est opinio probabilis non esse obliga-

ligatum parere: sed quando est opinio probabilis non esse licitum, quod imperat, vel esse extra ejus jurisdictionem, est opinio probabilis non esse obligatum parere. Ergo, &c. Octavum iterum sub censuram vocatur ab illo monente, ut observet Lector Tamburinum hunc superius affirmâsse. Unius Doctoris suffragium sufficere quandoque posse ad probabilitatem. Nonò cœca obedientia, quæ in papatu exhiberi debet, superioribus Episcopis & Papæ, primò monstrum est, quod hominem in Brutum transformat, ut illi tanquam asino ad alterius nutum sit ambulandum; secundò peccare facit, ut Bresserus docet l. 4. de Conscientia cap. 14. cum ad illam præstandam non sit necessarium vel probabiliter putare superiorem licita percipere. Denique à DEO & Magistratu & Parentibus abducit, & quid est fieri servum hominum? quod prohibet Apostolus, 1. Cor. 7. si hoc non est?

ERRORES CALVINIANORUM.

Non immunes sunt hic ab errore Calviniani quoque: Nam primò statuunt, si Rex perfide & extra Regulam Christi egerit, posse cum DEO deponi: ita Zwinglius in Explanatione Articuli 42. tom. 1. Calvinus in Dan. 6. v. 22. 25. Theodorus Beza, tom. 1. voluminum tract. chart. de Ecclesia cap. 7. Bucanus, loco 49. p. 888. Polanus, libro syntag. cap. 62. Rivetus, in Jesuita vapulante cap. 13. Junius Brutus, Buchananus, Bucherius, Althusius, Hænonius, Danæus, Casmannus, Miltonus & alii Politici, qui Theologis istis accedunt. Parzi propositiones leguntur in Commentario Epistolæ ad Romanos, quarum una ita se habet: Subditi non privati, sed in Magistratu inferiore constituti adversus superiorem Magistratum se ut Rempublicam & Ecclesiam veram Religionem etiam armis defendere jure possunt his positis conditionibus: primò cum superior Magistratus degenerat in Tyrannum. 2. Aut ad manifestam idololatriam atque blasphemias ipsas, vel subditos alios suæ fidei commissos vult cogere. 3. Cum ipsis atrox infertur injuria. 4. Si aliter incolumes fortunis vitâ & conscientiâ esse non possunt. 5. Vi prætextu religionis & justitiæ sua quærunt. 6. Servatâ semper ἐπιείκεια & moderatione inculpatæ tutelæ; Altera vero ulterius procedit & ita est concepta: Subditis vero privatis, si Tyrannus tanquam latro & Grassator vel Stuprator in ipsos faciat impetum, & ipsi nec potestatem ordinariam implorare, nec alia ratione periculum

culum effugere possint, in præsenti periculo se suosque contra Tyrannum, sicut contra privatum Grassatorem, defendere licet.

ARMINIANORUM.

Arminianorum errores carpit Andreas Rivetus sequentibus. Remonstrantes in sua Confessione cap. 12. nè à Præceptoris sui Socini vestigiis aberrarent, qui in suo Catechismo cap. 1. tantùm hoc scribit: Videri huc referenda ea, quæ de subditis & Magistratu, de uxoribus & Maritis, de servis & Dominis, &c. in literis divinis tradita sunt; dicebant etiam, tales posse & solere comprehendi hoc mandato. Cum autem objecissemus, id satis non esse ad ingenerandam ergà tales personas, ex vi præcepti hujus, reverentiam: post sarcasticam scurrilem exclamationem, de subtili & seraphicâ censura replicant, se non eo significare quasi id fieri possit, si quis velit, & non possit, si quis nolit; aut quasi id tantùm ab interpretibus fieri soleat, sed quòd id rectè & jure fieri possit, & in Sacris Scripturis, atque à Sacris Scriptoribus fieri soleat. Quid, quod ipsi Apologistæ posteà addunt, quæ præcedentia destruunt? Dicunt enim, se noluisse uti verbis Catechismi Palatini, quod DEUS id nobis præcepto isto injungat: adduntque rationem, quia nullo invicto argumento evincemus unquàm, DEUM intentionem illam, cùm præceptum istum daret, habuisse, aut ex vi præcepti istius, quoad intentionem divinam, istud necessariò colligi.

ANABAPTISTARUM.

Anabaptistæ primò in Liberorum Educatione nolunt fas esse Christianis Parentibus, severitate eadem, qua sibi subjiciunt liberos, eosdem subjicere jugo Christi à teneris unguiculis; aut Pædagogos illis dare, qui hoc agant, ut cum lacte quasi imbibant pietatem & adorationem; ac supervacaneum censent ut clara voce recitatis precibus domui suæ præeat Paterfamilias: Scilicet nullum agnoscunt in prima adolescentia Spiritum fidei aut precum, in fidelium liberis, qui domesticis exercitiis excitari aut foveri queat: Nec patiuntur hoc confirmari ex Psal. 8. v. 3. cum Matth. 21. v. 15. 16. Confess. Oppos. Faukel. pag. 375. 378. Secundò Ministerium vilipendunt, & Præpositos cultu debito prosequi nolunt:

sunt. Tertiò asserunt, Christum finem imposuisse, & à populo suo abstulisse etiam Officium Regium, eique annexa Regnum Temporale, Gladium, Vindictam, & Bellum, Confess. opposita Faukelio, pag. 223. 408. 409. atque hic obtendunt loca Esa. 2. v. 4. Mich. 4. v. 3. Zach. 9. v. 10. cum Joh. 18. v. 36. Hinc istum conscientiis laqueum injiciunt, nefas esse Magistratibus servire in bello gerendo aliàs, quia veris discipulis & veris ovibus, Duce inermi Agno, quotquot se dederunt, ad serviendum Christo Jesu pacifico Salomoni, non est retrospiciendum ad serviendum alteri Domino, Jac. Jans. ad argum. 8. Petri Cornelii de Magistratu: Hinc nil præter verba dant, quando in dicta Confess. p. 427. profitentur, Magistratibus officio fungentibus obedientiam deberi, ut DEI Ministris etiam propter Dominum, ut ordinationi Divinæ.

PHOTINIANORUM.

Photiniani quartum Præceptum à Christo quoque auctum esse dicunt. Catechismus Racoviensis, ad quæstionem: Quid Dominus Jesus addidit huic Præcepto? Respondet: Man kan nichts dergleichen vermercken; Aber dannoch kan hieher gehören alles / das von den Unterthanen und Obrigkeit / von Frauen und Männern / von Knechten und Herren fürgeschrieben ist / wegen der gemeinen Pflicht / die sie unter einander haben / welche man auch zwischen Eltern und Kindern anmercket. Paria habet Smalcius, scribens: Præcipit Lex, ut honoremus Patrem & Matrem. Hoc quia ita comparatum est, ut perfici & augeri non possit, hodiè etiam ratum manet. Auctum verò est, & perfectum à Christo, quatenus etiam parentibus, & omnibus aliis, qui parentum loco sunt, utpote, Magistratui, Dominis, Maritis, præcipit, quid eis faciendum sit. Nempe, ut quemadmodum DEUS ipse, qui anteà Dominus tantùm omnium erat, per Jesum Christum Patrem se exhibuit: ita etiam omnes, qui in alios imperium habent, non ut Domini tantùm, sed magis ut patres sese gerant erga nos, quorum Domini sunt; & ne ipsi etiam parentes, imperio suo in liberos, quod post ipsius DEI imperium absolutissimum est, abutantur. Parentibus igitur præceptum est, ne irritent liberos; sed ut eos educent in timore, & correctione Domini. Magistratui; ut agnoscat, se à DEO potestatem in alios consecutum esse; & ut proinde eâ ad defensionem innocentium, & pœnam improborum utatur.

tur. Dominis, ut remittant minas; reddant, quod justum est, memores suum & servorum suorum Dominum esse in cœlis, & non esse apud eum personarum acceptionem. Maritis, ne sæviant in uxores: sed eas ament ut seipsos; & honorem eis, ut infirmiori vasi exhibeant. Prolixius Volkelius differit, ex quo pauca hæc addimus: Quòd ad ea attinet, quæ subditi Magistratui, quæ servi Dominis, quæ uxores maritis debent, ea hic commemorare non est necesse. Ex eo enim, quòd lex charitatis, exercenda à Magistratu in subditos, à Dominis in servos, à viris in uxores præscribitur, manifestè apparet, omne genus obedientiæ, honoris, timoris (quod obedientiæ, honori & timori DEI non adversetur aut detrahat) deberi à subditis Magistratui, à servis Dominis, ab uxoribus maritis, &c.

XXIIX.

Quam caduca hæc sint; quivis deprehendit, cui dextra mamilla sapit. Nam primò si juxta Catechismi Authorem hoc præceptum ita comparatum, ut augeri & perfici non possit, hodie etiam ratum manet, omne illud augmentum, quod fingitur, erit contradictorium, cum augeri non posse vel perfici, & tamen perfectum & auctum esse, adversus carnibus pugnent. Et quam dilucida sunt Verba Volkelii, quam aperta Confessio dicentis: diligenter licet inquirentibus tale nihil occurrit. Secundò, quæ de Parentibus, Magistratibus, Dominis, Maritis adducuntur, talia sunt, ut nullius augmenti vestigium in illis occurrat, partim, quia hæc officia omnia in generali Lege Charitatis comprehenduntur, Lev. 19. v. 18. partim quia speciatim, quod Eph. 6. v. 4. Col. 3. v. 21. Parentibus injungitur, etiam in V. T. præceptum invenitur. Correptio quidem 1. Sam. 3. v. 13. Proverb. 13. v. 24. cap. 23 v. 23. cap. 29. v. 17. Educatio in timore Domini, Exod. 12. v. 27. cap. 13. v. 8. 14. Deut. 6. v. 7. Psal. 78. v. 4. 5. Esa. 38. v. 19. Joël. 1. v. 3. Agnitio potestatis à DEO acceptæ, Deut. 19. v. 15. 16. 1. Reg. 10. v. 9. Proverb. 8. v. 15. 16. Dan. 2. v. 21. Defensio subditorum imperata legitur Levit. 19. v. 15. Deut. 16. v. 18. 19. 20. Officium Dominorum, Deut. 15. v. 15. Job. 31. v. 13. Proverb. 12. v. 10. Maritorum Benevolentia præcepta intelligitur Malach. 2. v. 14. 15. & seq. Syr. 25. v. 2. partim, quia quàm latè patet nomen Patris, tam latè etiam in hoc Præcepto est accipiendum, & qui Pater est, ille etiam in V. T. est honorandus; atqui Doctores in statu Ecclesiastico, Magistratus in Politico, Mariti & Domini in Oeconomico hoc nomine condecorantur, quod prolixè probat B. Thummius. Tertiò Photiniani in Conscien-

tiores

tia convicti manus dare coguntur. Catechismus scil. Rakoviensis Paragrapho : Darnach kan hieher gezogen werden / &c. Smalcius loco supra laudato: Schlichtingius, cum asserit, irritari filios, quando inclementer & non paternè tractantur, idque Patribus, cùm Matres ut plurimùm indulgentiores esse soleant, nominatim præcipi; num verò inclementia non fuit prohibita, præcepta verò charitas in Vet. Testamento & disertè Volkelius scribens: Parentum quasi esse has partes docemur, ut liberos suos ne irritent, sed in disciplina & correptione Domini educent, Eph. 6. v. 4. Tunc autem maximè liberi à parentibus irritari videntur, cùm aut immerentes ab illis puniuntur; aut pœna, quàm culpa, major est; aut nihil planè impunitum dimittitur; aut denique illis denegantur ea, quæ æquitas ac charitas naturalis tribuere illis suadet ac postulat. Ex quo, ut Apostolus innuit Col. 3. v. 21. animi debilitas abjectioque existit. In disciplina porrò correptioneque Domini, parentes ita liberos suos educare debent, ut eos ad Christianam pietatem instituant, id est, tum cohortationibus colloquiisq; assiduis Christi legem illorum animis inculcent, tum Christianas virtutes præcipiant, Deut. 11. v. 19. *Ponite hac verba in corde & animis vestris. suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros, ut ea meditentur, quando sederis in domo tua, ambulaveris in via, & accubueris, atque resurrexeris.* Vel minùs dicunt Judæis, qui hoc præceptum ita intelligunt, ut asserant, non esse castigatione immoderata castigandos filios; vel denique inconvenienter discurrunt, cùm auctum volunt hoc præceptum, & nihilominus detractum Magistratui, quod nihil aliud est, quàm dicere ἀσύστατα vel exarmare Proceres, contra Pauli monitum, Rom. 13. v. 1. 2. 3. 4. *Omnis anima potestatibus sublimioribus, subdita sit: non est enim potestas, nisi à DEO. Quæ autem sunt potestates, à DEO ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. DEI enim minister est, tibi in bonum.*

Caput II.

PRÆCEPTUM V.

VERBA TEXTUS.

לא תִּרְצָח: *Non occides.*

Thesis I.

Quamvis Theologi elegantem agnoſcant ordinem in ſtructura Præceptorum, & in ſerie illorum Quintum de Homicidio exponunt, illique illud de non mœchando poſtponunt, turbare tamen hunc ordinem conatus eſt Grotius, & in explicatione Decalogi ita cenſuit: mutatum eſſe ordinem hîc ad ordinem, qui in Deuteronomio. Græcos enim Codices adulterii lucidiſſimam mentionem ante illam homicidii poſitam habuiſſe, & Philonem & Tertullianum, non uno loco nos docere Matrimonium totius civilis Societatis fundamentum eſſe.

II.

Aliter verò judicârunt ex Pontificiis Johannes Caramuel Satrianenſium & Campanenſium Epiſcopus ſcribens: Homicidium fornicationi poſtponit Blaviana Decalogi expoſitio, additque ab aliis etiam poſtponi furto, &c. Ex noſtris B. Lutherus, qui ita procedit: hactenus & ſpiritualem & Mundanum Magiſtratum, hoc eſt, cum DEI Parentum jus & obedientiam executi ſumus, hoc vero in loco ex ædibus noſtris ad vicinas egredimur ad diſcendum, quo pacto nobis inter nos cuique erga proximum vita inſtituenda atque exigenda ſit: quem ſequitur Theologus celeberrimus Martinus Chemnitius, qui ita orditur; Pulcherrimus eſt ordo Præceptorum Decalogi. In quarto inſtituuntur de ſuis officiis illæ perſonæ, quæ Politica & Oeconomica obligatione tanquam ſuperiores & inferiores inter ſe devinctæ ſunt. Quia verò in vita communi vivimus inter multos, qui nec ſuperiores noſtri ſunt, nec nobis jure quarti præcepti ſubjecti: informat igitur Deus in quinto præcepto vitam illam communem, quomodo illi, qui nec ſuperiores, nec ſubditi invicem ſunt, inter ſe vivere debeant, ut qui obligatione Politica & Oeconomica; ſicut in quarto præcepto dictum eſt, non ſunt devincti vinculo charitatis, ad mutua officia aſtringantur. Hîc certè pulcherrimus

eſt

est ordo. Et hîc potest constitui finis quinti præcepti. Vult enim DEUS non tantùm superioribus & inferioribus, verùm in genere omnibus hominibus ad mutua charitatis officia obligatos esse.

III.

Quæ Grotius producit in confirmationem suæ sententiæ infirma sunt, nam primò supponit illud, quo aliàs etiam utitur, falsum principium, corruptos esse Codices Ebræos, & ex Græcis dijudicandos, ac si diceres, motum Solis debere mensurari horologio, autographa apographo, Mensuram mensurato. Secundò Philo & Tertullianus, si ita legerunt, legerunt non ex Codice Ebræo, sed Græco, quem Mensuram esse negavimus. Tertiò Matrimonium totius quidem civilis Societatis fundamentum est, sed aliqua ratione primò innexum quarto Præcepto supponens vitam ejusque conservationem, sine qua nequit stare matrimonium, denique convenienti ordine sic omnia constant, si nostra series subsistat, cum illa turbata etiam Objectorum Ordo pulsetur, quid enim in societate primum, annon vita? quid alterum? annon conjux; quid tertium? annon Bona? quid quartum, annon fama? juxta quæ disposita quoque præcepta, & quis non videt nexus formam egregii, si enim nomine parentum intelliguntur quoque Magistratus, nemo erit occidendus, nisi qui resistit Magistratui, nemo occidere poterit, nisi qui gladium non frustra gerit, & supposito hoc sequitur convenienter Mandatum de non occidendo. Pro nobis verò stat Hebræorum Codicum Integritas & Consensus, tum in Exodo, tum in Deuteronomio, nec non Matthæi 19, 18. nec non Josephus quamvis itaq; Codices græci & Sixtini tiam in Exodo præmittant illud ὀ μοιχεύσεις, Philo hoc ordine procedat, ex Patribus Clemens Alexandrinus 6. Stromatum, & Augustinus libro de decem chordis & in fragment. secundo de decalogo hos gradus signarit. Non tamen subscribere possumus, maxime si attendamus Philonem niti falsâ hypothesi quasi hic alter quinarius ex negativis præceptis Exordium duceret, Clementem Adulterium laxa accipere, prout notat dissensum à DEO, una religione & cultu, Augustinum rhetoricari. Malumus itaque sequi supra laudatos & Matthæum Galenum quem consule.

IV.

Tria autem hic occurrunt exponenda, primum, Actus, secundò Prohibitio illius, tertiò Objectum. Actus designatur voce רצ

Ratſach, quæ non de occiſione indefinitè facilè invenietur uſurpata, conſtanter autem in Scripturis de homicidio, utdocent loca, Num. 35. vers. 37. & 30. Deuter. 22. vers. 26. Job. 24. vers. 14. Judic. 20. vers. 4. Proverb. 22. vers. 13. LXX. utuntur voce Φονεύειν, quamvis itemque Chadæus generale adhibeat vocabulum קטל Kemal, quod etiam ad bruta ſe extendit, nihilominus præferendus eſt textus originarius, qui determinatius agit, & id quod prohibitum ſignificanter exponit: non tantum autem notat vox Ebræa, occidere ſed & generalius deſtruere, impulſu evertere, ut intelligatur quemvis actum violentum quoquo modo deſtructivum hic indicari, neque tantum prohiberi ipſam occiſionem, ſed & illa, quæ ad eam tendunt, imo actum non tantum violentæ manus, ſed cujuscunque modi ad excidium tendentis: uxor ſane Levitæ illius, de qua Jud. 20. quam Gabaonitæ nocturnali libidinis intemperantia enecarunt, non fuit manu violentâ occiſa, & tamen vocatur mulier occiſa ſive interemta. Prohibitio vero præmiſſa particula לא Lo indicatur, quæ etiam in cæteris præceptis negativis occurrit, ſignificat quandoq; idem quod non, quandoq; cum futuro junctum idem quod ne, & quidem in primò Decalogi præcepto, Exod. 20. v. 3. quandoque nominaliter nihilum, ut Jobi 6. v. 21. Eſaiæ 23. vers. 13. Ezech. 21. vers. 32. quandoque ſignificat vix vel parum, Job. 15. v. 30. Pſalm. 78. vers. 30. quandoque interrogative nonne, quo ſenſu adducuntur loca Exod. 8. vers. 26. Job. 3. v. 25. Thren. 1. v. 12. Prima autem & principalis ſignificatio hîc obtinet, vi frequentiſſimæ & facilioris ſignificationis, tum vi ipſius Effati, quod Mandati prohibitivi, tum vi conſpirantium verſionum & Interpretum.

V.

Objectum, quod prohibitum, eſt Homo: quamvis enim illud ipſum expreſſo nomine non deſignatur, omnia tamen id ſuadent. Nam primò, ut ſupra oſtenſum vox Razach uſurpatur non de deſtructione qualicunque, ſed cæde agnoſcente Cajetano, Marzillâ & Lexicographis; Unde ſi vineæ dicuntur occidi, vel piſces, Pſal. 77. v. 47. 114. vers. 29. non hoc verbum adhibetur, ſed vel הרג Harag, vel המית Hamith, in Græco quoque vox Φονεύω non niſi de hominis occiſione legitur cum compoſitis, ut ex Herodoto, Demoſthene, Sophocle conſtat, nec non perpetuo uſu N. T. videantur loca Matth. 5. v. 21. cap. 19. v. 18. cap. 23. v. 31.

vers. 31 35. Marc. 10. vers. 19. Luc. 18 vers. 20. Jac. 2. vers. 11. cap. 6. v. 6. Unde Chaldæus reddidit hoc præceptum ita, non occides animam, vel synecdochicè accipiens hanc vocem pro homine, vel propriè ut sensus sit, non separetur anima à corpore. Secundò objectum hujus legis & secundæ tabulæ est proximus diligendus, qui ejusdem nobiscum sanguinis & carnis, ejusdem generis, secundum illud Numer. 27. cum itaque diligendus sit proximus, non occidendus erit, cum in Bruta extra societatem humanam posita jus illud sit concessum, Gen. 1. v. 36. cap. 9. v. 3. Actor. 10. v. 10. Tertiò lex hæc non est nisi Repetitio illius Noachidis latæ, cum effuderit sanguinem hominis, &c. Gen. 9. v. 6.

VI.

Pugnat itaque cum hoc Præcepto Homicidium externum, & completum vitium execrabile, tum quia à Diabolo homicidâ ut principio, Joh. 8. v. 44. tum quia ratione exempli est Cainiticum, de quo nullum, & Joh. 3 v. 12. tum quia destruit imaginem divinam, Gen. 9. v. 6. unde etiam ex illo horror conscientiæ & metus supplicii, Gen. 4. v. 14. Reatus capitalis pœnæ, Gen. 9. v. 6. Num. 35. v. 30. 33. Levit. 24. v. 17. Deuter. 29. v. 12. 13. cap. 21. v. 1. & seq. usque ad nonum, imò æterna mors & exclusio à facie divinâ perpetua, Gal. 5. v. 21. 1. Joh. 3. v. 15. Apoc. 21. v. 8. Exempla in sacris sunt obvia Caini, Gen. 4. v. 8. Abimelechi, Judic. 9. v. 5. Doegi, 1. Sam. 22. v. 18. Joabi, 2. Sam. 3. v. 27.

VII.

Contingit autem tale homicidium vel indirectè, vel directè. Directè, si quis adhibito instrumento lapide, gladio vel medio veneno scil. vel manu suâ, aut etiam simili quacunque aliâ ratione vel modo occidit, de quo legi potest caput Numerorum vigesimum quintum, ℣. 16. 17. 18. 20. 21. vel indirectè, consulendo, suadendo, incitando, mandando, juvando, & omnibus illis modis, quibus causa moralis constituitur: sic Pharao infantes Ebræorum jussit occidere, Exod. 2. Saul. egit adversus Davidem, 1. Sam. 18. v. 11. David scribens ad Joabum: Pone Uriam è regione Prælii fortis, postea revertimini à tergo ejus, & projiciatur & moriatur, 2. Sam. 11. v. 15 à Nathane Prophetâ, cap. 12. v. 9. Uriam Hittæum percussisse gladio, occidisse gladio filiorum Ammonis dicitur, cap. 12. v. 9. Herodes, Matth. 2. Paulus consensit in lapidationem Stephani, eamque probavit, Actor. 7. v. 58. quo refertur, cap. 8. v. 1. cap. 22. v. 20.

huc

huc referunt illos, qui non defendunt cum possint, Prov. 24. v. 11. qui crapulâ, ebrietate & scortationibus sibi mortem accelerant, Syrach. 31. v. 30. & cap. 19. v. 2. & 3. qui tristitia mortem accersunt, Syrach. 30. vers. 25.

VIII.

Tandem contingit Homicidium gestibus & linguâ, cum scilicet Ora tument irâ, nigrescunt sanguinis venæ, lumina gorgonio sævius angue micant; ita Cain contra Abelem fratrem, Josephi fratres in fratrem, Saul in Davidem, Judæi contra Stephanum se exhibuerunt, Gen. 2. c. 37. v. 4. 1. Sam. 18. v. 9. Actor. 7. v. 54. quo refertur comminatio cædis & conjuratio, Actor. 23. v. 12. 13. imprecatio, 1. Sam. 22. v. 18. 1. Reg. 21. v. 10. 13. Matth. 26. v. 59. 60. 61. Imprecationes mortis quas prohibet Paulus, Rom. 12. v. 14. Dicta acerba contumeliosa, Judicia sinistra & condemnationes, de quibus Psalm. 22. v. 5. Psal. 57. v. 5. Psal. 64. v. 4. Jer. 18. v. 18. Matth. 7. v. 1. Matth. 5. v. 21. 22. Eph. 4. v. 31.

IX.

Denique contingit Homicidium affectu, cum scilicet aliquis apud se decernit cædem datâ occasione patrandam, vel etiam irâ, odio, Invidiâ, Vindictæ cupiditate corripitur aut eo inclinatur. Est autem Odium Aversio animi à proximo cupiens ei quodvis malum: primum enim aliquis redditur ex Odio aversus, dein adversus: Opus est carnis, juxta illud Gal. 5, 20. 21. Talis affectus fuit in Esavo, Gen. 27, 41. in impiis adversus Davidem, Ps. 38, 20. in Achabo contra Micham, 1. Reg. 22. v. 8. in perversis illis, qui notantur, Tit. 3, 3. Jacob. 4, 5. 6. Col. 3. v. 8. Estque vel apertum vel opertum, quo referendus fucatus candor, de quo Thumm. p. 336. Quam fœdum vero malum pluribus exponit noster B. Thumm. scribens, fugiamus Odium contra proximum ob Mandatum, Prov. 3. vers. 30. Tit. 3. vers. 2. II. Quia numeratur inter opera carnis damnata, Gal. 5. vers. 20. III. Quia multa secum trahit incommoda: Est enim 1. Occasio blasphemæ, Lev. 24. v. 10. Jurgati sunt in castris & maledixerunt. 2. Convitiorum, Syr. 8. v. 4. 5. 3. Homicidii. Odium mater est homicidii, Genes. cap. 27. v. 41. Sic odio habuit Esau ipsum Jacob, &c. *Dixit in corde suo, occidam Iacob fratrem meum Iosephum fratres odio habuerunt, & eo usque excrevit odium, ut machinati sint contra eum ut interimerint eum*, Gen. 37. v. 4. 18. 2. Sam. 13. v. 22. *Non locutus Absolon cum Ammon à malo usque ad bonum, odio enim habebat eum.*

Syr.

Syr.28.℣.10.11.12.13.14. hinc Aug. ad Monach. Epist.109. col.513. Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira accrescat in odium, & de festuca trabem faciat, & animam faciat homicidam; IV. Adeoque *omnis mali*, Prov.17.℣.14.19. c.26.℣.21. *Qui odit fratrem, in tenebris est, &c.* 1.Joh.2.℣.8.9. *Non est ex Deo.* c.4. *mendax.* ℣.20. *& homicida est.* 1.Joh.3.℣.14.15. Alienis litibus nemo se admisceat, Prov.26.℣.17. Syr.11.℣.9. nemoque certet cum homine præpotente, Syr.8.℣.1.2.4.5. 3. Ex pœnis: Odium causa est *Excidii*, Ezech.35.℣.4.5.6. 1. *TEMPORALIBUS:* Exemplo fratrum Josephi, confitentium, *meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum*, Gen.42.℣.21. Et Deus ad hæc dicit, *propterea quòd odium habetis erga Israel, &c.* Ezech.35. ℣.5.11. 2. *ÆTERNIS: Tales enim inimici regnum Dei non hæreditabunt*, Gal.3.℣.21. Ira est vehemens animi commotio vel fervor sanguinis circa cor hominis, quem Augustinus describit per ulciscendi libidinem, ex veterum sententia, qui tamen corrigit illam definitionem, quia nonnunquam homo, ubi vindictæ nullus est sensus, irascatur. Quantum hoc sit malum itidem docet laudatus Thummius. August. de Civitat. Dei l.14. c.15. Iram nihil aliud esse, quàm ulciscendi libidinem, veteres definierunt; quamvis nonnunquam homo, ubi vindictæ nullus est sensus, etiam rebus inanimis irascatur, ac malè scribentem stylum collidat, vel calamum frangat iratus. Verùm & ista, irrationabilior tamen, quædam ulciscendi libido est, & nescio quæ, ut ita dicam, umbra retributionis, ut, qui mala faciunt, mala patiantur. *Fatuus statim indicat iram suam*, Prov.1.℣.16. Quæ deponenda: Ex Mandato, Job.36.℣.18. Eccl.7.℣.10. Ephes.4.℣.24.26.27.31. Col.3.℣.8. Tit.1.℣.7. Jacob.1.℣.19. 1.Tim.2.℣.8. Syr.28. ℣.6. Psal.4.℣.5. 2. Ex Peccati gravitate, Prov.17.℣.19. Prov.29.℣.22. Jac.1.℣.20. numeratus inter opera carnis, Gal.5.℣.20.21. 3. Ex Pœnis, Matth.5.℣.22. cap.26.℣.52. Genes.49.℣.5.6. Prov.19.℣.19. Syr.27.℣.33. Gal.5.℣.20. August. serm.221. de Temp. Ejice iram de corde, priusquam occidat lux ista visibilis. 4. Ex Incommodis, quæ ira semper secum trahit; Ira enim suscitat rixas, Prov.16.℣.12. c.15.℣.18. Syr.28.℣.11. Prov.30.℣.33. Prov.29.℣.22. Iracundi ALIIS nocent, Prov.29.℣.3. c.19.℣.19. Sicut Cain iracundiâ inflammatus occidit fratrem suum, Gen.4. ℣.5.8.

℣. 5. 8. Sic Absolon ex ira erga Joabum, agrum Joabi igni succendere jussit servos, 2. Sam. 14. ℣. 30. Pharisæi iræ œstro perciti Christum è civitate detrudunt, Luc. 4. ℣. 28. 29. Et SIBIIPSIS: Ira furor brevis est, Matth. 5. ℣. 22. Prov. 17. ℣. 4. cap. 14. ℣. 17. 29. Invidia est talis affectus, cùm scilicet proximo quis dona invidet, & contristatur pro felicibus illius successibus, displicentia aliis & dolor de alterius Bono, qualecunq; illud sit, vel spirituale, de quo Numer. 12. ℣. 2. Dan. 6. ℣. 4. & 5. Actor. 13. ℣. 45. & c. 17. ℣. 5. vel corporale & dilectionis alicujus præ altero, vel Bonorum vel amoris, Gen. 37. ℣. 4. Gen. 26. ℣. 14. 1. Sam. 29. ℣. 4. Putredo ossium, Prov. 14. ℣. 30. amara Invidia, Jacob. 3. ℣. 14. cujus gravitatem ostendit, & fugiendam suadet B. Thummius sequentibus: 1. Quia in S. Scriptura interdicta est, Levit. 19. ℣. 17. Ps. 37. ℣. 7. Rom. 13. ℣. 13. 1. Petr. 2. ℣. 1. 2. Galat. 5. ℣. 26. 2. Quia numeratur inter opera carnis, Galat. 5. ℣. 20. Tit. 3. ℣. 3. 3. Quia est contra dilectionem proximi: *Charitas enim non æmulatur* 1. Cor. 13. ℣. 4. Chrysost. Homil. 7. in 1. cap. Joh. fol. 35. Maximæ pravitatis est, ut aliorum commoda quis iniquo ferat animo, præsertim, si nullo detrimento suo id fiat. Nam si aliorum salus tuis commodis officeret, esset fortasse dolori tuo indulgendum, quanquam neque hoc sapientem deceat. 4. Quia vitium Diaboli est: *Invidiâ enim Diaboli mors intravit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius*, Sap. 2. ℣. 24. Jac. 3. ℣. 15. 5. Quia ipsemet Christus illam improbat: respondens operario, *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth. 20. ℣. 15. 6. Quia multa causatur incommoda: Invidi enim inanibus curis se macerant: *Est enim putredo ossium invidia*, Prov. 14. ℣. 30. *quâ tabescit*, Psal. 112. v. 10. *Parvulum occidit invidia*, Job. 5. v. 2. *Quòd si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini*, Galat. 5. v. 15. *Et vir qui aliis invidet, ignorat, quòd egestas superveniet ei*, Prov. 28. v. 22. *Ubi zelus & contentio, ibi omne opus pravum*, Jac. 3. v. 14. 15. *Talis homo non erit particeps sapientiæ*, Sap. 6. v. 25. Invidia probum virum sequitur, œstrum existens impuri spiritus, qui hunc suscepit ac velut pectore complexus est, nihil aliud habet, quàm quòd animam suam exest, & dissecat, simulque cum corpore absumit, existimans, 7. Quia tandem invidi gravissimè puniuntur: *Væ enim illis, qui in viam Cain abierunt*, Epist. Jud. v. 15.

Invidus

Invidus Cain fit in terra profugus, Genes. 4. v. 10. 11. *Invidus Joab apud altare occiditur,* 1. Reg. 2. vers. 31. *Andronicus invidus purpurâ exutus per totam civitatem circumducitur jussu Regis Antiochi,* 2. Maccab. 4. v. 38. *Invidi viri proiiciuntur in lacum Leonis,* Dan. 6. v. 24. Et *invidus Haman suspenditur,* Esth. 6. v. 10. Cùm ergo invidia non tantùm sit vitium, Augustino teste, Diabolicum, verùm etiam juxta Comicum, miserorum, si aut malevolentes sint atque invideant bonis: Qui enim invident, quod idem habent, egent, illi, quibus invidetur, rem habent, & ubi nullum lumen, ibi nulla umbra: ita ubi nulla felicitas, ibi nulla invidia: Caveamus, *ne simus murmuratores querulosi secundum desideria nostra,* Epist. Jud. v. 16. Fugiamus vitium hoc intolerabile, serpentis est documentum, dæmonum inventum, seminatio inimici, arrhabo supplicii, impedimentum pietatis, via ad gehennam, privatio gloriæ: Basil. in Conc. de Invid. Remedium adversus invidiam præscribit Chrysost. Homil. 31. in 1. Corinth. col. 465. Quam igitur veniam assequere? Quam tandem excusationem prætendes? Si fratris successum videns intromisceas, pallescas, ubi coronare, gaudere, exultare oportebat. Quod si æmulari libet, nihil obsto, æmulare sanè, sed ut ei, qui bonus vir est, similis evadas, non qui supprimas: ad idem fastigium ascende, virtutem eandem exprime. Hæc honesta æmulatio est, imitari, non inimicum esse, non commodis aliorum, sed suis ipsius vitiis, offendi. Atqui contra invidia solet, mala sua nescit, successu dolet aliorum. Nunquam egenum ita sua paupertatis sarcina premit, ut invidum felicitas fratris. Quo quid, obsecro, sit sævum magis? Nam hoc ille, quemadmodum dixi, etiam avaro est pejor. Nam hic quidem, quoties capit ipse, ille verò, cùm altus excidit, lætatur. Vindictæ cupiditas est talis affectus, quo desideramus reponere injuriam, & tale ac contra nos factum reddere auctori vitium, quod grassatur in jus Dei, Rom. 12. v. 19. Hebr. 10. v. 30. 1. Sam. 24. v. 13. Jer. 15. v. 15. Proverb. 20. v. 22. Prohibitum, Levit. 19. v. 18. Impotentis animi indicium, nam odium, juxta Juvenalem Satyricum Sat. 13. minuti semper & infirmi est animi exiguique voluptas. Huc maximè etiam spectat ἐπιχαιρεκακία, quæ Affectus talis, quo gaudemus ob malum alteri immissum, quia ultio continuò sic colligo, quod vindictâ nemo magis gaudet, quam fœmina.

mina. Quantum verò sit vitium, quàm indignum & turpe homine, docet laudatus Thummius. 1. Ob interdicta Scripturæ, Syr. 8.v.8. Syr.7.v.12. 2. Ob Pœnas: *Nam qui ruinâ lætatur alterius, non erit impunitus*, Proverb.17.v.5. *Dominus enim deludet illusores*, Prov.3.v.34. *Philistini illudentes & triumphantes capto Samsone gràviter puniti fuere*, Judic.16.v.30.Jer.40.v.11.minatur pœnam Babyloniis, *quoniam lætati estis, &c.* Thren. 2.v.15. Deus ad Filios Ammon per Prophetam dicit, *pro eo quod dixisti, Euge, Euge, super Sanctuarium meum, quia pollutum est, &c. iccircò te tradam filiis Orientalibus in hæreditatem, & collocabunt caulas suas in te, &c.* Ezech. 25.v.3.6.7. David ait Psal. 35.v.26. *Pudore afficiantur & erubescant pariter, læti malo meo, &c.* Et Psal.40.v.16. *desolentur in mercedem pudoris sui, qui dicunt mihi: Euge, Euge.* Chrysost. Homil. in Matth. 80. fol.436. Dominus minatur illis pœnam, qui non sunt passi aliquid in Contritione Joseph: Nam si nos, qui nequam sumus, si quando in servum nostrum animadvertimus, conservorum aliquem ridentem conspeximus, ita irritamur, ut ad ridentem iram derivemus: quantò magis Deus suppliciis aliorum lætantes torquebit.

X.

Virtutes quæ in hoc mandato imperantur, sunt primò Dilectio proximi, quamvis enim se diffundat per totam tabulam secundam, huic tamen maximè intimam esse intelligitur. Est autem Charitas illa Virtus ex amore Dei orta, quâ proximo nostro benè volumus & facimus. urget hanc ipsum mandatum divinum. Levit.19.v.18. Matth.7.v.12. Joh.13.v.34. 1.Joh.2.v.7.& 8. Exemplum DEI, Christi & Sanctorum, Deus quippe Solem suum oriri facit super justos & injustos, Matth.5.v.45. Johan.3.v.16. Ephes.1.v.6. Christus nos dilexit ardentissimè Rom.5.v.8. Charitate arsit Abraham, Gen.13. & cap.14.v.14. Moses. Exod. 32. v.32. David.1.Sam.24.v.26. Status noster naturalis. Sumus enim ejusdem sanguinis, Act.17.v.26. Status supernaturalis. Sumus enim Membra unius corporis mystici, Rom.12.v.4.5. 1.Cor.12. v.12. Proximi verò nomine intelligitur omnis homo, exponente Christo, Luc.10.v.30.37. Paulo. Actor.17.v.16. Inimicus etiam secundum illud Matth.5.v.44. Rom.12.v.14. nec hoc tantum in Novo Testamento fuit manifestatum, sed & in Veteri imperatum

peratum. Exod. 23. v. 4. 5. Proverb. 25. v. 21. 22. Modus diligendi quoque indicatus est verbis, ſicut Teipſum, id eſt, ſincerè. 1. Johan. 3. v. 18. ardenter. Roman. 12. v. 10. conſtanter. Proverb. 10. v. 12. Altera virtus eſt Humanitas, quæ dicit benevolam animi propenſionem, erga proximum verbis & geſtibus quoque declarandam, ad quævis honeſta & pia obſequia eidem alacriùs præſtanda. de hac virtute agit & præcipit Paulus. Rom. 12. v. 10. 15. Philip. 2. v. 3. cap. 4. v. 5. & Petrus 1. Epiſt. cap. 3. v. 8. Tertia Virtus eſt Lenitas & φιλησυχία, quæ cavet offenſiones, & occaſiones Irarum & diſcordiarum ortas ſtudet tollere, de qua Chriſtus, Matth. 5. v. 9. 23. 24. Paulus. Rom. 12. v. 18. 2. Corinth. 13. v. 11. Epheſ. 4. v. 2. & 3. Quarta Manſuetudo Virtus eſt Moderatrix Iræ, quâ animum compeſcimus & refrenamus, ne hic Affectus exundet, quo referenda ſunt illa Proverb. 14. v. 29. Matth. 5. v. 5. cap. 11. v. 29. Gal. 5. v. 22. cap. 6. v. 11. Tit. 3. v. 2. Quinta Beneficentia, cupiditas ſcilicet benefaciendi & promovendi aliorum non minus commoda, quàm noſtra, quo ſpectant illa, Exod. 23. v. 10. 11. Deuter. 15. v. 8. Proverb. 24. v. 11. Eſai. 58. v. 7. Philip. 2. v. 1. Jacob. 1. v. 24. Sexta Concordia & ſincera Amicitia, quâ unum idemque volumus, mutuo amore ardemus, in rebus ſecundis & adverſis cohæremus, quam imperat DEUS, Prov. 17. v. 17. Pſal. 133. v. 1. Zach. 8. v. 9. 1. Cor. 1. v. 10. Philip. 1. v. 27. Septima Patientia, Virtus, qua illatas nobis injurias æquo animo ferimus, & privatam vindictæ cupiditatem non admittimus, quæ præcipitur. Rom. 12. v. 12. 1. Cor. 13. v. 4. Jacob. 5. v. 7. & quantum deceat illa ſanctos, conſtat ex Matth. 6. v. 14. 15. Coloſ. 3. v. 12. & 13. Epheſ. 4. v. 32. Octava Miſericordia, talis Affectus animi erga miſeros, quo ſeriò illis condolemus, & auxiliari nititur, hanc commendat DEUS, Oſeæ 6. v. 6. Chriſtus, Matth. 5. v. 7. Luc. 6. v. 36. Paulus, Rom. 12. v. 15. Coloſ. 3. v. 12. Ebræ. cap. 13. v. 3.

XI.

Promiſſiones adjectas quinto Præcepto conſignavit B. Chemnitius, qui ita ſcribit: Promiſſiones additæ quinto præcepto 1. Joan. 4. v. 1. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in*

ipso. Matth. 6. v. 14. *Si remiseritis hominibus errata, remittet & vobis Pater, &c.* Matth. 25. v. 40. *Quod uni ex minimis fecistis, mihi fecistis.* Proverb. 15. v. 21. & 22. *Si esurierit inimicus, ciba illum, carbones enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.* Matth. 5. v. 7. & 9. *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur: Beati mites, quoniam hæreditabunt terram.* Prov. 14. v. 29. *Patiens multa gubernat sapientia.* cap. 16. v. 32. *Qui animo suo moderatur, melior est expugnatore urbium.* Syrach. 1. v. 29. *Patiens sustinebit usque in tempus, postea redditio iucunditatis.* Jac. 1. v. 4. *Patientia opus perfectum habet.* Psalm. 9. & 15. v. 9. *Mansuetos diriget in iudicio, & docebit vias suas.* Psal. 36. v. 11. *Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Psal. 146. v. 6. *Mansuetos suscipiet Dominus.* Syrach. 3. v. 15. *In mansuetudine perfice opera tua, & super hominum gloriam diligeris.* Proverb. 12. v. 20. *Qui pacis consilia ineunt, eos sequitur gaudium.* Psal. 133. v. 1. *Ecce quam bonum, &c.* Luc. 6. v. 37. *Nolite iudicare, & non iudicabimini: remittite, & remittetur vobis. In qua enim mensura, &c.* Ibid. v. 35. *Diligite inimicos, & erit merces vestra copiosa, & eritis filii altissimi.* vide Psal. 112. v. 5. *Beatus, qui miseretur & commodat, disponet sermones in iudicio, &c.* Prov. 20. v. 7. *Iustus, qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios relinquet.* Ibid. v. 22. *Ne dicas, reddam malum, exspecta Dominum, & liberabit te.* Prov. 21. v. 3. & 21. *Facere iustitiam & iudicium, magis placet Domino, quàm victima, qui sequitur iustitiam & misericordiam, inveniet vitam, iustitiam & gloriam.* Esa. 33. v. 16. & 17. *Iste in excelsis habitabit, panis ei datus est, aqua eius fideles sunt, regem in decore suo videbunt oculi eius, &c.* Ecclef. 10. v. 4. *Cedere, facit cessare magna mala.*

ERRORES PONTIFICIORUM.

Delirant hîc Pontificii & Rationi protervæ indulgentes quam plurima statuunt, quæ præcepto huic adversantur, conscientiam laxant, & homines præcipitant in pice torrentes atraque voragine ripas. Primò dicunt esse licitum, invasorem occidere qui fustem vel alapam viro honorato vult infligere, quia hujusmodi Invasor conatur Honorem auferre, qui pluris meritò æstimatur apud homines, quam magna opum vis, & conspirant hic

Navar-

Navar. Lopez, Lessius, Villalabos, Petrus Hurtado de Mendoza, Mansuetus, Becanus, adde Tamburinum. lib. 5. p. 97. §. 3. Audiamus Caramuelem, qui existimat etiam licitum esse fugientem insequi ad recuperandum honorem propter acceptam Alapam vel fustem, illumque vel necare vel repercutere, atque ita disputat §. 8. Hanc quæstionem doctissimè & eruditissimè pertractat Diana part. 4. tract. 7. resol. 48. & adducit Patrem Dicastillum, qui de Just. & Jur. lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 6. n. 74. affirmativam partem judicat speculativè esse probabilem. P. Gasparem Hurtadum, qui tract. de Just. & jur. disp. 11. diff. 11. mordicùs eandem propugnat, & ait. [Victoria Relectione de jure bell. n. 5. Navarrus cap. 15. n. 4. Rodriquez cap. 136. n. 11. Mercadus in summ. lib. 6. Lopez. 1. part. cap. 61. Henriquez. de irregularit. cap. 10. & Petrus Navarra lib. 2. cap. 5. num. 380. docent id esse licitum percusso; quantum sit necessarium, ut percussus non maneat ignominiâ affectus: quod etiam sentit Bonacina de restitut. disput. 2. quæstion. ultim. sect. 1. punct. 10. & meritò; quia statim repercutere fit in actuali ipsa congressione, antequam invasor ad alia divertatur, aut jam alibi quietus existat, quia adhuc saltem moraliter &c. & honor nondum est saltem moraliter in facto esse amissus, sed tantùm est amissio illius in fieri, & inchoatio amissionis, & repercussione amissio honoris perficitur, quia eâ percussione impeditur, ne sit in facto esse: Ergo id est licitum percusso.] Hanc sententiam probabilem vocat Diana part. 8. tract. 7. resol. 48. nam contrariam dicit esse satis probabilem & semper in praxi consulendam. Non volo examinare, Utrùm hæc opinio sit probabilis? Malo enim id supponere; quis enim probabilitatem extrinsecam negaturus erit sententiæ tanto & tantorum scriptorum numero stabilitæ? quis intrinsecam tantis rationibus firmatæ? Sed infero. Ergo, qui fecerit, quod hæc opinio esse licitum docet, non operabitur suadente Diabolo, nec poterit probabiliter dici culpam mortalem commisisse. Ergo hâc doctrinâ instructus, progredere, & Casum sequentem meditare, quem ibidem vide. Secundò dicunt licere prævenire aggressorem, eumque priusquam invadat, occidedere, quia unicuique id liceat efficere naturali jure, quod alterius nequitia medium est effectum necessarium ad propriam vitam conser-

conservandam, ita Molina, Covarruv. apud Dianam. Tertiò si Petrus statuat per famulũ Antonium occidere, licitum est Antonio, cui nulla evadendi spes ante irruptionem famuli Petrum imperantem occidere, quia moraliter loquendo ille actualis aggressor: & sic decernunt Bannes, Marchantus, Suarez, Reginaldus, Johannes de Lacriz. Quartò licet occidere falsum testem pergentem ad testificandum contra te, cujus Testimonio vita vel Honor tuus in discrimen adducendus erit, quia nihil differt armis te vel aliâ viâ invadere si certo scio gladio oris ejus me fore occidendũ, ita Suarez, Bannes, Tanner, Reginaldus, Navarra, Vega. Quintò in foro conscientiæ licet pro honoris defensione occidere, quia honor cuncta temporalia bona pretio superat: ita Azorius, Molina, Escobar, Turrianus, Tanner, Arragonius, Bannes, Salonius, Gometz, Navarra, Diana. De Clericis ita Caramuel in Theologiâ Fundamentali. Negari non potest, quin saltem honorem famamque illam quæ ex Virtute & sapientiâ nascitur, quique verus honos est, justè defendere Clerici ac Religiosi valeant, ac sæpe debeant; cùm hic sit proprius professionis ipsorum, quem si amittant, maximum bonum ac decus amittunt. Nam per hunc redduntur summoperè æstimabiles, & conspicui secularibus, quos suâ virtute ac sapientiâ dirigere & juvare possunt: quo sublato nec illos dirigere nec juvare poterunt. Ergo saltem hunc honorem poterunt Clerici ac Religiosi cum moderatione inculpatæ tutelæ, etiam morte invasoris defendere; quin interdum lege saltem charitatis videntur ad illum defendendum teneri, si ex violatione propriæ famæ, integra religio infametur. Unde licebit Clerico vel religioso calumniatorem gravia crimina de se vel de suâ religione spargere minantem, occidere, quando alius defendendi modus non suppetet: uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, ea vel ipsi religioso, vel ejus religioni publicè coram gravissimis Viris impingere, nisi occidatur. Nam, si in tali casu, licitum in Religioso, ne ipse ipse occidatur, invasorem prius occidere, si fugâ non possit, quia nimirum hostem ante se habet, mortem evadere, licitum quoque eidem erit, ad vitandam gravissimam sui, suæque religionis infamiam, si alius modus non suppetat, calumniatorem occidere. Nam quo jure licitum est sæculari, in tali casu calumniatorem occidere, eodem jure licitum videtur Clerico ac Reli-

giosos,

gioso, cum in hoc Religiosus & secularis sint omninò pares, cùm non minus jus in talem honorem habeat Clericus & Religiosus, quàm sæcularis in suum. Adde quod secundum communem sententiam licitum est Clericis ac Religiosis in tutelam suarum facultatum furem occidere, si alius modus eas defendendi non supersit, ergo multo magis id licitum videtur in tutelam famæ & honoris ex virtute & sapientiâ consurgentis. Addit autem, quia videt cruditatem Effati: Verum nolumus hæc ita à nobis dicta sint, ut comuni sententiæ adversentur, sed solùm disputandi gratiâ proposita, maturo judicio relicto penes prudentem lectorem. Sextò licet occidere eum qui mortem minitatur, & aliàs solet minas executioni mandare, quia tales minas proferre, est insidias alterius vitæ jam instructo animo præparare. stat pro hâc sententiâ Julius, ex Afflicto Franciscus Suarez & Escobar quantum ad probabilitatem speculativam. Septimò, Certò scit miles Bellum à suo Principe institutum est injustum, & hic à milite justè dimicante invaditur, hic potest in sui defensionem justum invasorem interimere, quia non ad militem subditum, sed ad Imperatorem pertinet de belli Justitia Discretio, ita Scotus, Diana, Philipp. Faber. Octavò, potest quis in propriarum facultatum Defensionem Invasorem interimere, quia bona externa sunt media ad vitæ sustentationem conservationemque status & Honoris. Ita Sylvester, Navarra, Sotus, Valentia, Arragonius, Bannes, Lessius, Turrianus, Tanner, Marchantus, Baldellus Laymann, Molina, Azorius, Filliucius, & hoc facere possunt etiam Religiosi. Nonò, potest quis pro defensione rei, quæ unius aurei valorem non excedit, Invasorem de medio tollere, quia in tali casu Invasor non solum rem aufert, sed etiam magnam infert injuriam sive contumeliam, quæ per vim repelli potest. Ita concludunt Molina, Bonacina. Decimò, privato cuilibet homini licet gladio, veneno, proditione, aliave quavis vi occidere Regem Tyrañicè dominantem, Regnum sc. jam possidentem ex Tyrannide, quia talis non est verus Princeps. sic decernunt Cajetanus, Salonius, Sotus, Covarruv. Lessius, Molina & alii, imprimis legatur liber Antonii Santarelli. Undecimò, licitum est bannitum proditoriè interimere, quia hujusmodi proscripti suâ iniquitate à peccatis cessare no-

re nolunt, majorque ratio habenda publici boni, quam privati illius, qui sibi prospicere potest. Ita Azorius, Molina, Filliucius, Diana, & alii. Duodecimò, potest quis ab internecione sui ipsius ex invincibili ignorantia excusari, quia quamvis homicidium hujusmodi sit contra lumen naturæ secundarium, tamen potest ignorantia in ejusmodi veritate cadere, præsertim in aliquo casu, quo conservatio alicujus boni tanti ponderis esse menti fœmineæ objiciatur, ut minus appareat id subire, quam propriis manibus sibi inferre mortem. ita defendunt Sotus, Molina, Lessius, Becanus, Malderus, Filliucius. Decimo tertiò, licet tuum corpus religionis & Disciplinæ causa affligere & flagellare ad necem usque, vigiliis, jejuniis, asperitatibus vitam abbreviare, quia homo est veluti vitæ suæ Administrator, potestque eam exercere, præsertim cum conditus ad promovendam Gloriam, qui finis multa exigit, non ita accommodata ad vitam protrahendam, ita Gretzerus lib. 3. de Disciplina. cap. 1. l. 2. Decimo quartò damnatus ad mortem per famam potest à cibo clanculum oblato sibi abstinere, quia qui non comedit, positivi sibi nihil infert ad mortem, sed solummodo permittit calore interno vitam absumi ita Malderus, Sotus, Lessius, Azorius. Decimo quintò, licet occidere eum, qui apud Principes ac Viros Nobiles nostro honori detrahunt, infamiâque afficiunt, quia si ob alapam inflictam licet occidere, etiam ad tuendam famem apud Principem. ita Navar. Bannes. Decimo sextò, Maritus uxorem & pater filiam nuptam simul cum Adultero possunt licitè perimere, quia hoc faciunt civilium legum authoritate, & tanquam legis justæ Ministri. ita Gomez, Castel, Menchaca, Azevedo, Fagundez. Decimo septimò permittitur Marito aut Patri occidere uxorem aut filiam prægnantem in adulterio inventam, quia illi utuntur, permissione à jure factâ occidendi, uxorē vel filiā & solum intendunt jure suo uti, repellendo injuriam, & non intendunt occidere prolem, ita Ang. Ant. Gom. Jod. in pract. crim. c. 89. Decimo octavò, damnatus ad sumendum venenū aut venā scindēdā, ut hoc mortis genere obeat, tenetur ipse venenum bibere aut venā scindere, quia licitè potest judex obligare aliquem, ut alium reum mortis judicio subjectum suspendat, vel gladio juguletꝫ Ergò ut & ipse se convictum perimat, secundum Arragonium, Sà & Toletum lib. 6. c. 4. Decimo nonò, si credatur fœtus esse animatus & vivus potest

Mater

Mater sumere Medicinam ad sanitatem, etiamsi præter intentionem abortus sequatur, quia pharmaci illius sumptio, vel scissio venæ directè tendit ad Matris sanitatem, ita Emanuel Sà Vigesimo. In dubio an proles sit jam mortua vel an viva sit exitura, potest Mater sumere Medicamentum directè curativum sui cum periculo nocendi proli, si fortè vivat, quia Mater antequam concipiat prolem, & in illius utero sit animata, habebat jus utendi Medicamentis necessariis ad propriæ vitæ conservationem, quod Jus non videtur amittere saltem in eo casu, in quo æqualiter ac practicè dubitatur, an proles sit mortua, an adhuc viva? Ita Emanuel Sa. Imò juxta Caramuelē potest gravida advincendas tentationes carnis, & tenetur jejunare etiam cum periculo prolis, ita Caramuel scribens: assertivè respondet Fagundez; at negativè Homobonus & Diana part. 1. tract. 9. resol. 30. Si objicias pro Fagundezio illam debere ponere omnia remedia, quæ sint necessaria, ne peccet: respondebunt hi, præter jejunium alia etiam suppetere remedia, nimirùm orationem, Sacramentorum frequentationem, pia consilia, &c. Sed hoc non est contradicere illi, sed casum tollere: eosdem enim Authores interrogo, Quid debeat gravida fœmina facere, quæ adhibitis his ultimis remediis adhuc stimulis carnis torquetur & vincitur? An non in tali casu illa tenebitur ad jejunium recurrere etiam cum prolis evidente periculo? Et certè esse aliquas personas, quæ totâ die orant in choro, quæ quotidie vel ferè communicant, quæ inter sanctos habitant, & bonis consiliis erudiuntur, nec tamen semper carnis tentationes exsuperant, est manifestum. An-ne istæ non tenebuntur jejunare etiam cum prolis nasciture periculo? Agimus de fœmina gravida, & hæc ipsa quæstio gravida est, & plurimas parere potest. Unam propono. Inquiro, An-ne ad sedandas tentationes carnis teneatur aliquis jejunare cum vitæ propriæ evidente periculo? Et, ut magis rem urgeam & exponam, ex periculo ad evidentiam transeo, & notabilem casum (sit possibilis aut impossibilis) ad tribunal produco. [Scit Joannes, si tales cibos comedat, se arsurum libidine & consensum daturum, habet enim experientiam sufficientem, ut formet judicium moraliter certum & evidens. Scit etiam, si abstineat, se moriturum: quia vel medicinales illi sunt, & morbus Joannis nullo alio remedio juvatur:

vel aliis cibis ille caret, & ideò hos comedere debet vel mori. Quæritur igitur quid in tali casu facturus sit? An debeat velle vivere & peccare: an debeat potius velle non peccare, & abstinere cibis ad vitæ conservationem necessariis?] De Abortu verò habet sequentia: Eruditissimè de abortu disputat Diana part. 7. tract. 5. & fundans resolutionem suam Bullis Sixti V. Gregorii XIII. & aliorum Pontificum definit, Abortum esse fœtûs immaturi ejectionem: & dividit in ejectionem fœtûs nondum animati, & fœtûs jam animati. Hanc ipsam distinctionem à parte rei subsistere omnes Philosophi, omnes Theologi, omnes Canonistæ & Juristæ, omnes Conscientiâconsulti, omnes Judices & Confessarii ab ineunte Ecclesia ad nostrum ævum supposuerunt: quam ob rem, si datur in rebus speculativis præscriptio, videtur hæc jam in scholis doctrina à multis annorum centuriis præscripsisse. At quia multa supponuntur etiam hodie, quæ non examinantur, & quoties discutiuntur, deprehenduntur erronea; ideò non statim est admittenda hæc consequentia, Hæc doctrina est communis, ergo contraria non est probabilis. Proderit igitur disquirere, An debeat admitti hæc classica & soleñis divisio. Prima sententia asserit; & est omnium aut ferè Physicorum, Medicorum, Theologorum, Ethicorum, Politicorum, & Juristarum: nimirum omnium aut ferè Ecclesiasticorum & secularium, qui ad hunc diem in scholis Ecclesiæ Romanæ floruerunt. Secunda negat: & est Thomæ Fieni apud Lovanienses Medicinæ Doctoris, & Professoris Primarii; Viri quidem expertissimi & sapientissimi, cujus doctrinam summam summæ divitiæ, quas moriens reliquit, testantur. Is igitur speciali libello, qui inscribitur de vi formatrice fœtûs, quæst. 8. concl. 11. edito anno 1620. cujus etiam meminit Diana part. 7. tract. 5. resol. 6. evincere conatus est, primâ, secundâ, aut tertiâ ad summum die embryonem animâ rationali informari. Ergo stando huic sententiæ non poterit fieri aut procurari abortus fœtûs inanimati: quia primâ die abortus procurari non solet, fortè non potest; & si procuretur primâ aut secundâ, fœtûs probabiliter animati; & si tertiâ aut deinceps, fœtûs certò animati erit ejectio. Omnis ergo abortus est ejectio fœtûs animati: omnis igitur est homicidium. Corruit igitur divisio abortûs, quam prima sententia constituit. At dices, Fieni sententiam impro-

improbabilem esse. Et ridebo: nam probabilis sententia illa est, quæ habet rationes fortes; & quis obsecro leves audebit judicare illas, qui Fienum Virum tam doctum convicerunt. Quod si ipsæ leves sunt, poterunt demonstrativè elidi, cur ergo non sunt demonstrativè elisæ? Scripsit contrà Experientissimus D. du Chardin, Vir doctissimus; at in ejusdem libro multas ego rationes pulchras & eruditas, at demonstrationes non reperio. Stat igitur opinionem Fieni esse ab intrinseco, hoc est, à ratione probabilem. An-non & ab extrinseco probabilis est etiam censenda? maximè. Nam Lovaniensis Universitas doctissima, castissima, purissima, erroneas opiniones non tolerat, & tamen hanc, quæ Theologiæ Moralis potiorem partem interturbat, prælegi, dictari, & doceri permisit, permisit imprimi; & impugnatam permisit novo libro & studio defendi. Tertia etiam negat, sed ex oppositis principiis: & est Magnifici D. Joannis Marci, in Universitate Pragensi Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, & etiam Professoris Primarii, Regni Bohemiæ Physici, (Græcè ἀρχιάτρου, Hispanè Protomedici) Viri verè doctissimi; quem Lovanii existens doctrinæ gratiâ amavi, & modo hîc Pragæ inter amicos speciales enumero. Hic igitur anno 1635. Librum subtilissimum edidit, & inscripsit, Idearum operatricium Ideam: quem legerunt approbaruntque P. Franciscus de Padua, SS. Theologiæ Generalis Lector, ac in Conventu B. V. Mariæ ad Nives Præsidens: P. Bonaventura Tantarella à Caravinea Philosophiæ & Theologiæ Doctor, & Ordinis Carmelitarum Commissarius Generalis. Et in ipso isto libro D. Joannes Marcus, probat, non geri in utero fœtum animatum animâ rationali, sed tunc tantùm animâ donari rationali, cùm emittitur; idque tam gravibus fundamentis confirmatur; ut non sit cujuscumque Philosophi aut Theologi congruentem responsionem dare. At quia facile est obloqui, Liber dum sudaret sub prælo multas calumnias, imò & accusationem aut traductionem passus, defendi & explicari debuit, ut majori authoritate & applausu prodiret, quod ipsum ipse Joannes Marcus scribit in Proœmio, quod vocat Defensionem Idearum, adversus adulterinas & suppositiias Ideas: unde unam aut alteram periodum exscribo. Dum hæc prælo cuduntur, ait, accidit præter opinionem, ut rumore nescio quo hic meus Tractatus doctrinam perabsurdam & à Fide sancta alienam continere vulgaretur. Qui rumor à levibus ini-

tiis eousque processit, ut etiam Venerabile Capitulum (sic vocat Archiepiscopale Consistorium) in suspicionem veniret, Librumque à Theologis revidendum censeret: quod etiam factum. Interea veluti Hæreticus & infamis, & qui oleum & operam perdidisset, ludibrio habebar. Tametsi verò gravissimorum Virorum Censurâ, qui Librum legerunt, & cum quibus pleraque hic controversa disserui, rumor hic notatus evanuit: siquidem teste Hieronymo falsus rumor citò opprimitur: quia tamen, &c. Ecce Librum accusatum Domini Consistoriales judicarunt doctrinam continere probabilem, & tamen continet hanc opinionem, quam ipse Author etiam hodie verbo & calamo, privatim, publicè, in Thesibus, in Lectionibus, in Consiliis, in Colloquio etiam familiari, prout datur occasio, propugnat. Profectò, si Doctori Joanni Marco subscribamus, dicamusque, omnem fœtum quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primum incipere eandem habere cùm paritur, rejicere omninò debebimus eandem Abortus distinctionem, & dicere in nullo Abortu homicidium committi. His positis inquiro Primò, An Thomæ Fieni, & Joannis Marci sententiæ sint probabiles? Si enim tales dicantur, multa sunt in Tractatu de Abortu, quem Parte VII. edidit Antoninus Diana, quæ aliter resolvi debent. Quod si easdem improbabiles judices, vellem duas demonstrationes (morales aut reales) à te habere: alteram, quâ ostendas, easdem nullo probabili fundamento suffultas; alteram, quâ convincas non habere illas authoritatem externam, quæ sufficiat ad extrinsecam probabilitatem. Et Secundò, stando primæ sententiæ, inquiro etiam, An qui dicunt primò, semen carere omni animâ, secundò affici vegetativâ, tertio sensitivâ, & quartò tandem rationali, debeant uno modo judicare de omni abortu, qui non sit fœtûs animâ rationali prædìti: an verò dicturi sint gravius esse peccatum ejicere fœtum vegetantem, quàm carentem omni omninò vitâ? an addituri, adhuc gravius esse emittere fœtum sentientem? Quod si hæc ipsa gravioritas admitti debeat, inquiram Tertiò, An hæc ipsa gravitatis differentia sit circumstantia purè aggravans, an formalitas constitutiva novæ speciei? quod est inquirere, An qui procuravit abortum, satisfaciat dicendo, procuram abortum; an debeat distinguere fœtum à fœtu, & dicere, semel procuravi abortum embryonis nullâ vitâ prædìti; iterum prædìti vitâ vegetativâ; bis

prædi-

præditi vitâ sensitivâ; semel præditi animâ rationali, &c.? Quòd si dicas non posse sciri, quâ-nam animâ ille informetur, non solvis quæstionem, sed tollis; quia sicut ex Philosophorum & Theologorum sententiâ constat, quâ die infunditur anima rationalis, sic etiam constat quâ sensitiva aut vegetativa, & errores, qui committi possent circa has, etiam possunt committi circa illam: & in die conceptionis præcipuè; est enim commune apud gravidas malè numerare suos menses; hic enim, sicut etiam in aliis multis rebus, affectibus ducuntur fœminæ, & quia in ipsis desideria & odia intensissima, sæpe tempus vel minima suspicione numerando prævertunt, sæpe tædio morantur, ut rarò earundem numeris credendum sit: possunt n. & solent à vero computu integro mense deviare. Vigesimo primò licet iñocentem ad mortem damnare, qui secundum allegata & probata nocens experitur, quia Judex quâ Judex non est persona privata sed publica, ita Cajetanus, Sotus, Navarra, Toletus & alii. Vigesimo secundò licet reo fugere à carcere etiam justè comprehenso, media adhibere violenta, quãvis sciat custodes damnum passuros, licet etiam eripere homicidam ab accusatoris actione, & tueri injustum quoque privilegio Asyli, ita Toletus, Serarius, Azorius. Vigesimo tertiò, licet in periculum Mortis se conjicere joco, ita Navarrus. Vigesimo quartò, licitè acceptatur duellum in casibus sequentibus. secundùm Tamburinũ. Quidam inimicum inermem aggressus est, gladioque stricto, sic est interminatus: tecum pugnare volo in eo condicto loco, nisi acceptes, hic te confodiam. Sanè is licitè sine periculo excommunicationis duellum acceptavit. Alter non dissimili modo domum de nocte cujusdam divitis ingressus, sic locutus est: Auferam à te hæc pretiosa bona, nisi duellum acceptes: pari modo licitè hic duello consensit, si alia via suas res servare non valuit. Ratio utriusque est, quia ex una parte humana jura non urgent in tanto periculo, & ex alia, hæc est ipsissima defensio vitæ & bonorum contra injustum aggressorem. Imo aliqui merito idem extendunt ad provocationem. Si quis enim alia caret via, qua suam vitam servet, nisi provocet ad duellum (quem tamen casum fateor esse rarissimum) licitè provocabit, quia, in hac suppositione, hæc non est provocatio, sed justa defensio. lege Hurtadum de Mendoza apud Dian. p. 5. t. 15. res. 27. & ibid. tr. 14. res. 99. ibi. quib. adde Dicastil. lib. 2. de just. tract. 1. d. 10. d. 15.

d. 15. n. 217. & Thom. Hurtad. p. 2. tr. ult. ref. 5. Qua ratione excusari possint acceptantes duellum, vel ad illud provocantes, quando certò sciunt, pugnam non secuturam, vide apud Dianam. Multo magis, si ex condicto, cum certa occulta promissione, quod impediendi omnino sint ab omni damno. (semper tamen præciso scandalo, legisque contemptu) etiam si descenderint ad locum pugnæ, gladios strinxerint, levesque sine periculo ictus aliquot contorserint. Vigesimo quartò non strictiùs teneris te non occidere, quam proximum, imò fortè minus, strictè aut saltem minus clare, ita asserit Caramuel. Vigesimo quintò consentientem filium pater castrare potest, ut voce & cantu Ecclesiæ serviat, & aliquis se castrare potest, ut careat tentationibus carnis, si se imparem resistendo cognoscit, sic Caramuel in fundamentali Theologia latè agens de hac materia. p. 553.

XII.

Quamvis hæc prima fronte sint horrida, nec prolixo indigeant Examine, paucis tamen ostendemus, quantum à Veritate abludant. Primum illud de Invasore viam aperit iracundis, in homicidia & diabolica vitia. Finge n. iracundum & superbum qui honoris sui est ad genium seculi studiosissimus alapæ injuriâ affici, posito hoc principio, quam pronus erit in executionem liciti, quam facilis in homicidium, ex causa quæ longè impar huic operi diabolico. Secundò num honor alia viâ modoque non potest reparari vigentibus judiciis, posito, quòd alapa infligatur, num non declinari imminens aliis mediis, compellatione, dehortatione, retrocessione? num qui vult infligere alapam, jam inflixit, vel actu infligit, & annon satius esset, si conscientia laxanda, eousque saltem progredi, ut alapam alapâ retaliari & præveniri diceretur, quàm occisione hominis, neglectâ omni proportione, quanquam & hoc contra mansuetudinem & regulam Christi, Matth. 5. vs. 39. Tertiò ipsi Pontificii quidam ex Moralium Scriptoribus in negativam descendunt, inter quos Tannerus, Major, Sylvester & Malderus 22. Tractat. 3. cap. 1. lib. 7. ass. 1. Illud verò Caramuelis quam crudum quam impium: manifestè enim DEI voluntati adversatur, & vindictam probat privatam, quæ nullo modo probanda videantur, de hoc puncto Notæ nostræ in Grotio. Alterum itidem legi divinæ adversatur, secundo defensionis

fensionis titulo non potest se tueri, cùm illa fiat per violentiæ repulsionem, quam nondum passus ille, qui prævenit inimicum paratũ duntaxat, nondum vim patitur, si igitur illũ occidat, non dicetur vim vi repellere, ita Escobar, Sylvester, Navarra, Salonius, & alii. Tertium affine est præcedentibus, nam primò Petrum imperantem homicidiũ occidere est Legi divinæ contravenire, secundò, quemvis famulũ ex sententiâ moralistarum invadentem occidere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non tamen Petrum imperantem, quia ipse non sit invasor, nec facta ab illo vis, quàm vi liceret repellere, imò ab aliis hîc recedunt Malderus, Sylvester, quæst. 46. art. 7. q. 5. Quartum valde abhorret à sano sensu, nec tantum de teste, sed & Actore, imò ipso Judice ab illis intelligitur. Nam primò *non sunt facienda mala ut eveniant Bona*, Rom. 3. Non occidendus homo, ut honor illibatus conservetur, qui quandoq; non tam honor, quam ex Judicio seculi umbra honoris, somnium, figmentum, & an non magis æstimanda Mens sincera, quam periculum mortis, conscientia tranquilla præferenda discrimini vitæ & honoris? Secundò quamvis talis testis falsus peccet, quæritur tn. quid juris tibi in illum? an ad Homicidium usque se extendat, & num prævenire possis illùm, qui nondum contra te deposuit? cujus voluntas in omne momentũ mutabilis, & à DEO in aliam viam revocabilis? nec talis testis vitæ aut Honoris tui Invasor dici potest ex Moralistarum sententiâ, quia quamvis faciat contra jus, non tamen facit contra ordinem Juris, de ratione autem aggressionis est, ut contra ordinem Juris injuriam inferat, id est propria authoritate, cum talis per Judicem servato ordine Juris occidat, licet iniquè; præterea, quamvis talis testis falsum testimoniũ contra Te dicere potuerit, nondũ tn. omnis causa perorata est, licebit contra instare, Judex quoq; qui DEI Vicarium agit, poterit DEO maximo Innocentiæ favente regi, illuminari, dirigi cœlitus, ut vel sententiam suspendat, vel per indicia falsi testimonii pravitatem deprehendat; illud a. maxime impium, quod ad ipsum Judicium hæc Assertio extendatur, Judex enim etiam injustus non propterea personam DEI deponit, & divinæ subest Nemesi, non temerariæ alicujus privati Manui. Tertio abhorret ab hac definitione ex ipsis Pontificiis Turrianus, Salonius, Corduba, Sylvester, Sotus, Malderus & alii. Quin-

tum superbit honoris titulo, quasi ille cuncta temporalia Boni precio superet, quod falsum, cum vita sit superior illo, & hic facile recuperabilis, illa neutiquam, ut ostendimus quoque in observationibus ad Grotium. Secundo ex ipsorum Pontificiorum sententia, defensio honoris cum occisione non est juris naturalis, nec ex eo jure descendit, Ergo eodem titulo, quo defensio vitæ confirmatur, non potest defensio honoris stabiliri, si enim esset juris naturalis, aut ab eo descenderet, æque Clericis ac laicis competeret, cum quæ juris naturalis comunis sunt, toti speciei humanæ conveniant, unde negativæ accedunt Baldus, Sylvest. Bensfeldius, quam verò impiè dixerit Caramuel locis laudatis, quivis, cui dextra salit Mamilla, facilè perspicit, quem depexuit egregiè Socius scribendo: Quærit Caramuel in consequentiâ doctrinæ Amicianæ mox relatæ, An homo Religiosus, qui fragilitati cedens fœminam vilem cognovit, quæ honori ducens, se prostituisse viro tanto, rem enarrat, & eundem infamat, possit illam occidere? Respondet autem continuò, vel potiùs responsionem ambiguus suspendit, his duobus verbulis, Quid scio? Ambigit igitur an liceat, adeoque per indirectum asserit licere: nam superiùs ibidem n. 275. definierat, omnem omninò actum humanum esse licitum, qui non impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter. Dùm igitur ipse illo suo responso, quid scio? palàm profiteatur, occisionem fœminæ in prædicto casu nequaquàm evidenter impingere in legem evidenter obligatoriam, consequenter profectò profitetur eam esse licitam. Etenim si putaret eam impingere evidenter in legem evidenter obligatoriam, nequaquam diceret, quid scio? sed absque hæsitatione responderet, non potest illam licitè occidere. Cavit autem ita respondere, quia ita respondendo subiret onus sibi importabile, præstandi nimirùm illa tria de quibus ibidem n. 277. subdit: qui rem dicis esse illicitam, ad multa tenetur, primò enim debet ostendere rationes, quæ malitiam probant, esse demonstrativas; nemo tales, quibus dari probabilis responsio non possit. Secundo debet etiam ostendere, rationes, quæ bonitatem probant, ne quidem probabiles esse: ostendet, si omnibus ad unam dederit solutionem, quæ evidenter sit vera. Tertio etiam debebit evidenter ostendere partem illam, quæ bonitatem astruit, non habere sufficientes authores, ut dica-

tur

tur probabilis. Hæc omnia tria simul ostendere ille debet, casurus causâ, etsi duo ex illis ostendat, modo unum non ostendat. Ecce quàm difficilem provinciam imponat asserenti, rem quampiam esse illicitam: & ex adverso quàm latam portam aperiat introducendis in qualibet materia probabilitatibus! Certè enim juxta hanc methodum Caramuel manutenere molitur omnes suas pristinas sententias, quantumvis in speciem nuper in Romana, vel Lugdunensi suæ Theologiæ editione revocatas. Nullam quippe omnium ita refutavit, ut evidenter ostenderit actiones prius à se approbatas non licere; quia nusquam evidenter probavit rationes malitiam arguentes esse demonstrativas, ac ne probabiliter quidem solubiles: nusquam item clare monstravit rationes bonitatem suadentes ne quidem esse probabiles, dando unicuique solutionem evidenter veram: nusquam denique evicit deesse parti bonitatem astruenti authores sufficientes; præsertim cùm ipse ibidem n. 274. contendat, sufficere unum authorem ad præstandam alicui sententiæ probabilitatem: Ego, inquiens, hanc rationem efformo, quæ solutione hucusq; caruit. Quicquid testantur quatuor authores est probabile; sed ad probabilitatem non requiri quatuor authores, sed UNUM OMNINO SUFFICERE, quatuor testantur authores, imò viginti aut plures: Ergo opinio unius authoris est probabilis. Hinc apparet, Caramuelem non satis plenè & candidè Positiones suas pristinas in Germania evulgatas, in Italia correxisse; sed inter duas aquas ita natare voluisse, ut si contigerit eum denuò in Germaniam reverti, veterem cantilenam liberè resumere posset, si autem in Italia morari, correctus videri posset: Sextum nimis præcipitanter quoque effusum. Nam primò qui mortem minitantur, & aliàs solet minas suas exequi, nondum exequitur determinatè illas, quas in te direxit, nondum te constituit in Qualitate defensionis licitæ, ad quam requiritur præsentia actus & inevitabilis necessitas. Secundò qui scis, illam comminationem in actum deducendam, cum à Particulari colligas ex aliis comminationibus, cum insuper voluntas hominis mutetur in momenta, DEO subsit, qui sistere potest etiam feroces impetus & frangere fluctus superbos. Án non Christus dixit Jo. xi. duodecim sunt diei Horæ, adeoq; intra temporis spacium frigescente iracun-

iracundiâ, quod ex commotione animi dictum possit oblivione consenescere vel sepeliri, nec Minæ illæ possunt dici vim aliquam injustè vitæ intulisse, quæ possit vi illatâ repelli, unde sanioris hic sunt Mentis Malderus & Diana cæteris. Septimum itidem conscientiæ serenitati adversatur; si enim certò scit Miles bellum à suo Principe institutum injustũ esse, abstinere debet & arma deponere, ne cum hoc faciat, peccet contra Conscientiâ, contra voluntatem divinam, quæ imperat, ut nunquam peccemus, contra effatum Petri, DEO magis obediendum, quam hominibus: alia est ratio in dubio. secundò ex ipsa Pontificiorum hypothesi, non potest, quia Miles irruens jus habet ad alterum interficiendum, non secus ac Ministri publici habent jus ad necandos Maleficos, sicut itaque hi non possunt inscii publicos interimere ministros, sic miles Ducis injustè dimicantis non poterit se defendere, justum Bellatorem aggredientem aut insequentem necare, tertiò quamvis allegati stant pro hâc sententia, adversatur tamen illis Ludocus Molina Tom. 4. tract. 3. disp. 15. n. 5. Octavum de defensione facultatum extenditur à Francisco Amico etiam ad res jure duntaxat adipiscendas, atqui non est proportio inter facultates & vitam hominis, nec supponitur talem esse aggressorem una, ut ad defensionis vitæ nostræ censeri possit, licitum esse tale Homicidium, sed de facultatibus tantum est sermo. Secundo ipsam disproportionem observant Moralistæ, & concludũt, quia ordine ac lege Charitatis vitæ proximi corporalis bonis nostris temporariis præponenda pro eorum defensione nefas esse proximum duplici morte spirituali scilicet & temporali afficere, abeunt proinde ab hac sententia Felinus, Ancona, Tostatus, Gerson, Tabiena, & Panormitanus. Nonum omnes Numeros audaciæ explet: si enim ne Magistratus quidem ob subductionem rei, quæ unius aurei valorem non excedit, tollere aliquem potest, quanto minus Invasorem pro defensione tam exiguæ rei licebit occidere. Secũndo quamvis quisque Jus habeat sua tuendi, tamen conferendum est damnum, quod vitare occidendo procurat Dominus rei cum damno quod infert, quamvis innocentis melior sit conditio, quo collimant ex Moralistis contra socios Mathesilanus, Aragonius & Diana. Decimum, summè periculosa est Assertio. Nam stante hâc quàm facilè populus insur-

insurget contra Regem vel Principem, maximè si adsit Demagogus, qui oleum addat Camino, quam facilè armabitur privatus nebulo contra superiorem, & quàm difficile judicare de Tyranni Qualitate, quam anceps, cui permittendum sit hoc judicium. Quid? si nullus privatus dejici debet à possessione, nisi auditus prius & judicatus, quanto minus ille, qui clavem tenet Reipublicæ. Secundò, Rex tyrannicè dominans, si sit talis Exercitio, imò etiam titulo, ita tamen ut temporis morâ intervenerint actus, ex quibus constat illum pro Rege & Principe agnitum fuisse, etsi degeneret in Tyrannum, non tamen desinit esse Princeps, Caput Reipublicæ, Pastor populi: at tali semper debetur Reverentia, quod Petrus exigit etiam in casu duræ servitutis, 1. Epist. cap. 2. vers. 18. 19. Recedunt itaque tertiò etiam ex Pontificiis ab hac decisione Azorius, Filliucius, Diana, & alii. Undecimum, Impietati sternit viam & Audaciæ immani. Nam primò Bannitum occidere proditoriè, est vitio interveniente occidere, modo quodam, medioque à quo recta ratio abhorret. Secundò ipsi Pontificii concludunt, quod si bannitus proditoriè & sine occidentis monito interimatur, damnationis periculo manifesto occidendus exponatur, imò impium esse dicunt talem occidere in tali statu & conspirant tertiò hìc contra alios Menochius, Bonacina, Homobonus, & alii. Duodecimum laborat, quia qui sibi ipsi infert manus, agit contra totius naturæ consensum, cumque in Universo sui conservationem omnia intendant, & mala à se amoliantur, agit contra affectum naturalem congenitum legemque inscriptam, neque tantum contra Lumen naturæ secundarium, falsum quippe supponitur in morali Theologia Pontificiorum, quod illud tantum sit Lumen naturæ Primarium sc. Bonum amplectendum, Malum verò fugiendum, quanquam & hoc supposito confestim affulgeat, homicidium esse fugiendum maximè. Secundò fingitur Ignorantia invincibilis in tali casu, non probatur; quàm facilè enim esset, posito, quod ignorantia aliqua Mentem teneret, has tenebras discutere in se, aut proximum vel DEUM Authorem vitæ & Amatorem reflectere. Tertiò, quanquam eò inclinent laudati Authores, contrarium tamen habet Cajetanus, stante etiam falsâ hypothesi 22. quæstion. 124. artic. 5. Decimum tertium, iterum horridum est & crudum, Amandamus Gretzerum & Socios ad Pauli Monita, Rom. 13. v. 14. & Coloss. 2. v. 23. ad Carnificinam Esuiticam, quam delineavit Zæmannus. Secundo com-

munis est Hypothesis etiam apud Pontificios recepta, hominem non esse Dominum vitæ suæ, quemvis itaq; in seipsum sævire, imò seipsum interimere posse falsum erit, annon pessimus Nebulo, qui ne sibimetipsi parcit secundum Syracidem. Tertiò, graves & docti in Papatu abhorrent ab hac Assertione apud Victoriam Lorcam, Montesinum, & declamat graviter in illam Sinnichius: ex Augustino exhibens sententiam: Si parricida eò sceleratior est quàm quilibet homicida, quia non tantùm hominem, verùm etiam propinquum necat; & in ipsis parricidis, quantò propinquiorem quisque peremerit, tantò judicatur immanior: sine dubio pejor est, qui se occidit, quia nemo est homini seipso propinquior. Unde nescio, quid Caramueli in mentem venerit, qui merâ innovandi libidine, sine ullius Ecclesiastici Tractatoris suffragio, ausus est negare suicidium arctiùs inhiberi, quàm altericidium. Postquam enim dixisset, omne homicidium inhiberi divinitùs, continuò subdidit novum istud paradoxum, eatenus in Ecclesia inauditum: Nec strictius teneris te non occidere, quàm proximum; imò fortè minus strictè, aut saltem minus clarè. Sed huic paradoxo, præter unanimem veterum sensum, ipse naturæ horror reclamat, & charitatis ordo contradicit. Unde non tanquam ambiguam, sed ut omnis dubietatis expertem habuit Augustinus eam resolutionem, quâ ait: Sine dubio pejor est, qui se occidit, quia nemo est homini seipso propinquior. Qui rursus Tract. 51. in Johannem: Suicidas non modò crudeles aut sceleratos, sed crudeliores & sceleratiores homicidas appellat; utique comparatione aliorum quorumlibet homicidarum. Sed nimirum voluit Caramuel illo suo paradoxo parare sibi viam ad problematicè disputandum, num possit Respublica cuiquam mandare; ut suæ necis agat carnificem. Valdè moderatè procedamus, ait ipse, si dicamus, eodem modo teneri hominem abstinere ab homicidio sui, quo ab homicidio alterius: At est in in Republica authoritas, ut possit carnifici præcipere, ut occidat alterum hominem reum: Ergo & erit, ut eidem, si reus sit, præcipiat, ut occidat seipsum: vel detur evidens & clara disparitas. Consultò evidentiam, & claram disparitatem postulo: quoniam si merè probabilis datur, nulla datur: est enim opinio probabilis illa; contra quem nihil adducit quod sit plusquam probabile. Qui totus discursus in fumos dissolvitur, everso paradoxo prædicto, cui totus incumbit. Sed non hîc sistit Caramuelis curiositas, disputat quippe, utrum excusabilis sit religiosus

fus, qui lecto apud Jobum; *Elegit suspendium anima mea*, seipsum absque ulla publica authoritate suspendit. Verùm contra omnia hujusmodi exempla invictè militat regula illa dogmatica & Canonica ex Augustino relata. His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ DEUS specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur. Cui addenda est & illa altera ejusdem mox repetita, sine dubio pejor est, qui se occidit, quia nemo est homini seipso propinquior. Nullo ergo modo subsistit Caramuelis consequentia à nece aliena ad propriam; imò nec consequens est, ut si Respublica possit præcipere carnifici interemptionem hominis extranei, possit similiter & parentis, aut filii. Decimum quartum itidem absurdum est in Theologia orthodoxa primò, cùm Lex est in contrarium, non occides. Secundò falsum est, qui non comedit, non consciscere sibi mortem, quia positivè non agit, cultrum vel laqueum non adhibendo collo aut pectori. An incognitum illud Augustini de proximo, quantum magis de Teipso; si non pavisti, occidisti, & quamvis talis à Judice infligendam mortem justè subire teneatur, non tamen ipse sibi illam debet infligere, unde refugiunt hoc crudum pronunciatum, & in contrarium nituntur Castro, Covarruvias, Cajetanus, Corduba, & alii. Decimum quintum ex eadem procedit lacuna, ex qua superiora. Nam primò illa egregiâ ratione nititur, quia Alapæ inflictionem homicidio liceat antevertere vel vindicare. Secundò, quomodo hæc in libram conjecta æquale censenda sunt habere pondus, & ipsi ex regno tenebrarum proceres solent ita procedere hujusmodi detractionibus aut esse illatam infamiam, aut demum inferendam, si prius non deleri per mortem infamantis, nec dici posse evitationem damni inferendi, sed illati vindictam, si posterius non deesse vias, per quas possit evitari. Tertiò, aliter conscientiæ consulunt Fagundez, Lessius, Bossus & alii. Decimum sextum, temerarium censetur à nobis Effatum. Nam primò hoc est uxorem & filiam mittere ad Orcum & Inferorum portas, invadere partes Magistratus, Iracundiæ indulgere. Secundò, ipse Pontifex Nicolaus Primus licere quidem dicit secundùm leges humanas, & mundanas, non tamen secundùm Ecclesiasticas, quicquid permittat Lex civilis vehementi dolori in hoc casu, Judicium tamen superius majoris faciendum, quam omnia tribunalia in terris, quæ

ezea-

excusationem admittunt, & moderantur sententiam vel impunitatem indulgendo, vel ad extraordinariam pœnam descendendo. Tertiò, repugnant huic Definitioni in Papatu Sanchez, Bonaventura, Victoria, Veracruz, Sotus, Guitier, Navarra, Covarruvias & alii. Decimum septimum, magis insulsum est & impium. Nam primò si non permissum marito uxorem, aut Patri filiam occidere, quia hoc contra legem divinam, Magistratus Authoritatem, conscientiæ tranquillitatem, quanto minus licebit prægnantem interficere? Secundo, quid commeruit infans, qui unâ perimitur, quomodo non innocens ille sanguis clamabit de terra adversus percussorem, quid est præripere ingressum ad vitam naturalem, imò æternam, illi, qui nihil deliquit, si hoc non est: quapropter mitiores hi fuerunt etiam in tenebrarum regione Bajardus & Farinacius. Decimum octavum, ejusdem ferè est commatis, cum antecedentibus, nec probatur à nostris. Nam nihil hic agendum, quod conscientiam turbare potest. Præterea duplex est genus actionum, circa mortem, unum quod tendit ad mortem & actiones illius sunt dispositiones qualia ascendere scalam ad suspendium, præbere collum ad gladii ictum, aperire os ad veneni haustum, brachium exhibere ad missionem sanguinis, aliud, cujus actiones non sunt tam dispositiones ad mortem, quam ipsa mors, quamvis priores licitæ censeantur, secundæ tamen & posteriores sunt illicitæ, quia mortem formaliter in se continent, & sunt veræ Executiones sententiæ mortis, atque ita censent nobiscum Cajetanus, Sotus, Bannes, Lopez, Philiarchus, Sayrus & Fagundez. Decimum nonum, Scholam sapit Jesuiticam, nam & conscientiæ malè consulit, respicit ad intentionem tantum, cum etiam ad naturam & vim medicamenti esset attendendum, unde ipsi Moralistæ quidam aliter consulunt, & dicunt, quia dum proles viva probabilius esse creditur in matris utero, suam possideat vitam sine matris injuria, si itaque medicina talis sit, quæ proli noceat, injuriam sine dubio fieri eidem, licet sumatur præcisâ intentione curandi matrem, esse sine dubio occisionem filii & illicitam ideo semper secundum Cassium, Antoninum, Navarram, Arragonius & Sayrum. Vigesimum, ejusdem est absurditatis cum antecedente Effato. In dubio enim conscientia & nutat, & notat, & si se flectat non ad tutiorem tabulam, sed probabiliorem, imò citra probabilitatis indicia ad minus tutam, peccat. Secundò, ipsi Practici statuunt, quia illud dubium cum sit practicum, inducat probabilitatem, quod proles vivat,

vat, vivente autem prole, mater nullum jus habet sumendi medicamentum cum prolis periculo, & hocquidem secundum principia Lessii Fagundez, Sayri, Aragonii, Navarræ & aliorum, Caramuelem verò dextrè castigavit Sinnichius, scribens: Membrum interius matris, inquit D. Thomas, est aliquid ejus per continuationem & unionem naturalem partis ad totum: puer autem in utero matris existens, est aliquid ejus per quandam colligationem corporum distinctorum. In jure civili usque adeo exaggeratur ista colligatio, ut fœtus simpliciter portio matris eum gestantis dicatur, in verbis: Partus antequam edatur, mulieris portio est, vel viscerum. Dicamus ergo primum de abortu, deinde de mutilatione proprie dictâ. Inter septemdecim Articulos, à Schola Theologica Lovaniensi ad instantiam Archiepiscopi Mechliniensis Anno 1653. reprobatos, iste est ordine nonus: *Quidam putant probabiliter, nondum animato fœtu licere abortum procurare, ad vitandum scandalum, aut mortem. Ex quo apparet, non condemnandam facile puellam abortum facientem, cum nondum est animatus fœtus, ut deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Sed quantopere hæc positio adversetur antiquæ Christianorum professioni ac disciplinæ, facile perspicitur ex Tertulliano, qui ex communi eorum persona loquens: Nobis, inquit, homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci, nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est. Minutius Felix exprobrat ethnicis expositionem infantium jam natorum, & præventionem nascendorum, tanquam scelera parricidialia de falsorum Deorum pessimâ disciplinâ descendentia, atque à Christiana innocentia prorsus aliena: Vos video, inquit eis, procreatos filios nunc feris & avibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere. Sunt quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant antequam pariant. Et hæc utique de Deorum vestrorum disciplinâ descendunt. Et mox infra ex communi Christianorum persona subdit: Nobis homicidium nec videre fas est, nec audire. Cui consonans Athenagoras ait ex communi eorundem Christianorum persona: Mulieres medicamentis abortivis utentes, homines occidere, & rationem DEO reddituras dicimus. Ambrosius quoque abortiva ejus-

ejusmodi medicamenta, Parricidales succos appellat: indi eas utique fœminas eis utentes, parricidii crimine innecti. Cui subscribens Augustinus; Nulla mulier, inquit, potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos, aut jam natos occidat: quia quæcunque hoc fecerit hoc, per quod jam non possit concipere, quantoscunque parere poterat, tantorum homicidiorum ream se esse cognoscat. Vigesimum primum, iniquum est in innocentem. Primum enim conscientiæ suæ non consulit Judex, agit scilicet contra dictamen rectæ rationis, & disertè est contra Effatum DEI Exod. 23. Secundò, si Judex aliquâ viâ innocentem liberare potest, obligatur præcepto charitatis sub mortali, id est, non admittendo accusationem vel admonendo testes, vel per varia intervalla temporis eos examinando, vel etiam causam remittendo ad superiores Judices, vel innocentiam coram populo declarando, aut Executionem sententiæ differendo. Tertiò, in hâc sententia sunt adversus alios Lessius, Lyra, Navarra, Corduba, Sylvester, Diana & alii. Vigesimum secundum favet reo contra Justitiam Asyla probat, contra quorum abusum declamavit generosè Masius, quem alibi produximus. Vigesimum tertium Duella probat contra sanam rationem, Scripturam & Doctores, de quo audire juvat Maletum. Vigesimum quartum excussit Sinnichius. Vigesimum quintum prolixè examinavit, & solidè reprobavit, scribens: De mutilatione sic sumptâ tractant Scholastici post D. Thomam 2. 2. q. 65. art. 1. & pro certo supponunt vitam humanam, non modo integram personæ, sed & partialem singulorum membrorum, non subesse dominio cujusquam hominis sive Physici sive Politici, sed solius DEI, qui vitæ & mortis habet potestatem. Porro sicut Respublica ex divinâ concessione potest interdum perimere homines sibi noxios, ita & mutilare, juxta illud Dei ad magistratum veteris sui populi, animam pro animâ, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. Unde D. Thomas loco mox citato: Cum membrum aliquod, inquit, sit pars totius humani corporis, est propter totum, sicut imperfectum propter perfectum. Unde disponendum est de membro humani corporis, secundum quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per se quidem utile est ad bonum totius corporis corruptivum. Si ergo membrum sanum fuerit, & in suâ naturali dispositione consistens, non potest præscindi absque totius corporis

detri-

detrimento: sed quia ipse totus homo ordinatur ut ad finem, ad totam communitatem cujus est pars, potest contingere quod abscissio membri, etsi vergat in detrimentum totius corporis, ordinetur tamen ad bonum communitatis, in quantum alicui infertur in pœnam, ad cohibitionem peccatorum. Et ideò sicut per publicam potestatem aliquis licite privatur totaliter vitâ, propter aliquas culpas minores. Hoc autem non est licitum alicui privatæ personæ, etiam volente illo, cujus est membrum: quia per hoc fit injuria communitati, cujus est ipse homo & omnes partes ejus. Si vero membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivum, tunc licitum est, de voluntate ejus cujus est membrum, putidum membrum præscindere propter salutem totius corporis; quia unicuique commissa est cura propriæ salutis. Et eadem ratio est, si fiat voluntate ejus, ad quem pertinet curare de salute ejus, qui habet membrum corruptivum. Aliter autem aliquem membro mutilare, est omnino illicitum. Hæc ibi Doctor in Corpore Articuli: qui & mox addit in solutione ad 3. ibidem duo documenta eidem doctrinæ consentanea ac consectanea, quorum primum est: Membrum non est præscindendum propter corporalem salutem totius, nisi quando aliter toti subveniri non potest. Alterum est, saluti spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri præcisionem; quia peccatum subjacet voluntati: & ideo in nullo casu licet membrum præscindere propter quodcunque peccatum vitandum. Utrumque documentum antiquare moliuntur neoterici laxitatum inventores: primum quidem Tamburinus adducens pro se Salonium, Pasqualigium, & Tannerum. Quærit quippe ille, an propter magnum lucrum amputare aliquod membrum liceat? ponitque exemplum in iis, qui ut sonoram vocem retineant, solertis medici manu, absque notabili periculo mortis, eunuchi fiunt. Solutio autoris subditur ibidem hisce verbis: *De illis igitur aio, esse probabile quod liceat, esto probabile etiam sit quod non liceat.*

ERRORES ANABAPTISTARUM & ARMINIANORUM.

Statuunt hi Magistratui non competere jus gladii. Secundò, negant licere summæ Christianæ potestati bellum gerere. Tertiò, Psalmos Davidis ita referendo, ut quando de hostibus loquitur corporalibus, non secundum literam intelligantur. Quartò, asserunt non licere Magistratui Religionem bello defendere. Quintò, non licitum esse Magistratui hæreticos coërcere.

CALVINIANORUM.

Nimium rigorosi hîc sunt Calviniani in hæreticos, & contra Legem divinam illos subjiciunt capitali supplicio, ita enim Bucanus loco 49. 134. pag. 365. Polanus lib. 10. Syntagm. cap. 66. p. 44. 88. Mornæus in Dedicatione Mysterii iniquitatis ad Jacobum, Regem Angliæ. Praxin in Anglia stabilitam Guilielmus Pryn in Fulcimento Gladii multis exponit pag. 145. usque ad 190.

PHOTINIANORUM.

In hoc præceptum impingunt Photiniani existimantes, illud abrogatum esse tempore N. T. in Christo. Ita enim Catechismus Rakoviensis quæst. 89. Quid præterea huic præcepto addidit Dominus Jesus? ℞. Inhibuit omne ultionis genus, non solùm privatum; verùm etiam quod fit per Magistratum: eâ ratione, quod si quis vel corpus, vel fortunas, vel nomen nostrum læserit, ut paratiores simus, aliam injuriam potius accipere, quàm nos ulcisci, quod Dominus Jesus illis verbis docuit Mathh. 5, 39. 40. 41. Ego vobis dico, ne resistatis malo; verùm si quis percusserit dextram maxillam tuam, exhibe eam alteram: & qui voluerit tecum jure contendere, ac tuam tunicam tollere, permitte ei & pallium; & qui te sollicitaverit ad milliare unum, abi cum eo duo. Quæst. 90. Ergo ea verba Domini non simpliciter accipienda sunt, ut sonant? ℞. Non. Legimus enim de ipso Servatore Joh. 18, 23. Eum, cum alapa ei impacta fuisset, non solùm non exhibuisse alteram malam; verum etiam se percutienti ea verba opposuisse: si malè loquor, ede testimonium de malo: Sin benè, quid me cædis? Idem legimus de Apostolo Paulo Actor. 23, 3. Paria in Socino legimus. Prolixius Johannes Volkelius p. 596. quos vide.

XIII.

Frustra verò est Author Catechismi Rakoviensis. Nam primò Dominus non addidit illa, quæ leguntur Matth. 5. nec Paulus illa, quæ occurrunt Ephes. 4. Aliud enim est additio per modum augmenti & perfectionis illius, quod indiget auctario, aliud manifestatio sensus & debita Interpretatio. Prius ostendi nequit circa hoc præceptum, nec de tali est controversia, posterius verò non potest dici Additio, quia est sensus divini tantum expositio, iram quippe vetitam fuisse etiam in V. T. liquet ex supradictis, ex reprehensione Caini, Gen. 4. v. 5. & 6. Esavi, Gen. 27. v. 43. Simeonis & Levi, Gen. 49. v. 6. & 7. Denique ex Lege expressa, Levit. 19. v. 17. *Ne odio habeto fratrem tuum in corde*

tuo,

suo, &c. nec tantum ira fuit damnata, sed & verborum asperitas in proximum, & constat non tantum ex Gen. 31. v. 24. sed & Proverb. 20. v. 22. Secundò, reconciliatio fuit quoque præcepta. Docet enim Lex dilectionem proximi, cum qua nequit stare, irreconciliabilis mens furore & odio perfusa, cor amaritudine plenum. Secundò, si ex eo summo studio nobis reconciliandus est frater, quia aliàs Religio nostra inanis est, & periculum, ne in judicium DEI incidamus, cum hæc ratio militârit quoque in V. T. concludendum erit etiam illud, quod illi superstructum, obtinuisse & obtinere debuisse. Tertiò, annon Jacobus sibi reconciliavit Esavum, Gen. 33. Josephus fratres, Gen. 45. David Absolonem, 2. Sam. 14. Sanè conformiter voluntati divinæ, quæ dilectionem proximi, & consequenter reconciliationem quoque imperat. Quartò, irasci rei turpidini Morum, citra vindictæ studium non tantum in N. T. licitum, sed & in Veteri, cum nulla ratio disparitatis dari possit, præterea imperatum esse intelligatur, Lev. 19, 17. Et tandem Praxi confirmatum Jacobi, Gen. 30. Mosis, Exod. 16. Pinehasi, Num. 25, 11.

XIV.

Smalcius in discursu suo paucis verbis multa falsa cumulat. Fassus est primò in V. T. non prohibitam fuisse Iram in fratres, & verba austera sub pœna damnationis, ut paulo ante ostendimus. Et num illud: *Omnia quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, sic & vos facite illis*; non comprehendit rerum & verborum amarorum prohibitionem, nec in V. T. locum habuit, & num Paulus non sufficienter hoc inculcat, cum dicit: *Si quod aliud Præceptum, in hoc summatim comprehenditur, nempe diliges proximum tuum, sicut teipsum*, Rom. 13. v. 9. Num verba Salomonis Proverb. 22. v. 24. 25. non sunt Solis radio scripta, quæ etiam prohibent societatem cum iracundo, ne fortè aliquid consimilis adhæreat labeculæ. Secundò, falsum est, in N. T. omnem etiam publicam vindictam per Magistratum esse penitus abrogatam, neque enim in N. T. illum ostendere possunt locum, in quo prohibeatur læso adire Magistratum, eidem causam suam committere: apertè etiam Paulus stabilit vindictam publica, Magistratum vocando Vindicem in Iram ei, qui malè agit, Rom. 13. v. 4 & si *cum omnibus pacificè tenemur vivere si fieri potest, quantum in nobis est*, Rom. 12, 17. 18. 19. si fieri non poterit in subsidium Magistratus erit vocandus. Tertiò, ne injuria nobis inferatur nihil non facere, jubere, pariter ex iis, quæ habemus etiam aliis dare, & accommodare, non est novum præceptum, sed antiquissimum, ut ex iis, quæ dicta sunt, constare potest.

XV.

Volkelius impiè loquitur. Dicit, præceptum hoc habere duplicem considerationem, latiusque patere sub Christo, quam sub Mose. Duplex enim consideratio fingitur, capitalia supplicia Lex Christi non abrogavit, Evangelium enim Politias non abolet, Excidium Gentium devotarum fuit actus justitiæ divinæ, populo tantum commodante manum, ultionem hâc lege non fuisse exclusam supra ostensum est, falsum esse, quicquid mortem infert aut ad illam præparat, hâc lege prohibitum fuit, & si semper ratio illa viget & vigebit, quam DEUS addidit legi de non fundendo sanguine, quia homo ad imaginem DEI creatus, Gen. 9. 5. 6. invariabili illa, & ea quoque ex parte vigere debet, qua imperat, ut effundatur sanguis illius per hominem personam publicam, qui sanguinem fudit, hominem occidit. Illud autem quod ex Exodo producitur non est dispositio de Homicidio casuali, sed culposo. Secundò comprehendi Christianum Magistratum hoc præcepto ita hoc tempore, ut à cæde & sanguine bellisque sit alienus, nec eâ servitute, quâ Moses olim voluerit, uti supplicia infligat, falsò dicitur. Nam primò quomodo Magistratus potest comprehendi ita sub hâc lege, cum *non frustra Gladium gerat, DEI Minister sit vindex ad iram ei, qui quod malum est fecerit*, Rom. 13. v. 4. quomodo possunt bella dici proscripta, cum tributa præstanda Magistratui, quæ in urbium munitiones & exercitum alendum ex occasione necessitatis adhibentur, Rom. 13. v. 7. Johannes non jusserit milites statum mutare, sed contentos stipendiis vivere, Luc. 3. v. 14. Centurio Capernaiticus & Cæsariensis placuerint DEO, ut constat ex Matthæi octavo, & Actorum Capite decimo. Quomodo severitas fuit restricta, cum capitalia supplicia nullibi in Novo Testamento à viris θεοπνεύστοις pulsata, Paulus Magistratum asserat non frustra gestare gladium, Rom 13. v. 4. imo Christus ipse dixerit, qui accipiat gladium, gladio periturum, cujus vero, nisi Magistratus justo in rebelles animadversione, Matth. 26. v. 52. nec attendendum est ad emendabilitatem, si facinus excedat, sed commisso attemperanda pœna, & cum gladius datus sit in excisionem illorum, qui noxii Reipublicæ, eo vertendus erit atque vibrandus; neque obstant tempora gratiæ, non enim illa abolent politias, nec si Magistratus non tenetur Mosaicis Legibus, quæ in foro observandæ erant, non secundum proprias, poterit dictare sententiam, & quamvis Christus fuerit mitissimi animi, ὑπογραμμὸν tamen ille reliquit nobis,

nobis, in quantum omnes & singuli tenemur studere Mansuetudini, non in quantum peculiari vocatione adstricti tenemur tanquam Vicarii DEI agere in his terris, quæ ad conservationem Reipublicæ vel necessaria vel utilia. Finge Magistratum debere sese conformare Christo, qui partes summæ potestatis noluit sibi arrogare in his terris, sed ministrare, Magistratus non imperio reget subditos, quia Christus non rexit, non de civilibus judicabit, quia Christus hæreditatis divisionem petenti non annuit, Luc. 12. v. 13. 14. Magistratus tributa non exiget, quia Christus non tantum non exegit, sed & dedit, Matth. 17. Tertiò proximi nomen latius patere sub Novo Testamento, quam Veteri palam est, nam & in Veteri latissimè hæc vox statuit, & ad omnes ejusdem nobiscum sanguinis fuit extensa. De quo alibi. Secundò etiam Israëlitis non licuit occidere extraneos à Republicâ, quicquid fecerunt in Excisione populorum, fecerunt ut organa Justitiæ vindicatricis. Tertiò, etiam nos pacem cum omnibus servare ac colere debemus; non citra limitationem, sed quantum in nobis est, exponente ipso Apostolo. Quartò, quæ de additione dicuntur, supra excussa sunt. Iram enim etiam hoc præcepto notatam fuisse in Vet. Test. patet ex ipsa lege, quæ perfectissimum voluntatis & sanctitatis divinæ speculum, aut itaque Ira in proximum conformis voluntati & sanctitati divinæ, aut non. Si prius, illud, quod non sanctum sanctitati divinæ erit conforme, turbulentum sincero; si posterius, lege etiam ira erit prohibita & proscripta. Dicitur Lex spiritualis, Rom. 7. quomodo autem spiritualis, si non omnium Affectuum & Facultatum Harmoniam requisivit, non internum prohibuit homicidium, sed in externi remotione acquiescit, duxit Lex servata ad vitam æternam, & habuit illius promissionem, Levit. 18. v. 5. At quî perducere potuit ad vitam æternam, si operis tantum substantiam requisivit, cordis integritatem, sine qua omnia externa DEO displicent, non attendit. Quintò, frustra accusat Textum sacrum, & Vulgatum præfert: vox enim εἰκῇ in omnibus invenitur, probatur Codicibus Græcis, Interpres Syrus illam probè notavit, & non tam vertit, quam ex Græco posuit, Patres eandem legerunt, observarunt, ut constat ex Justino Martyre in Epistola ad Zenam & Serenum, Irenæo libr. 2. contra Hæreses cap. 56. & libr. 4. cap. 31. Secundò, Vulgata quidem non habet, in quibusdam tamen manuscriptis Exemplaribus Lovanienses observarunt, Erasmus non ubique fuit sin-

cerus

cerus in Codice sacro; notum, quid circa locum Rom. 9. disputarit, & præterea in suspenso reliquit Crisin, Hieronymo opponens Chrysostomum & Augustinum, qui hanc particulam retinuerunt. Tertiò, ipsa res videtur exigere illam, cum detur ira quædam absque vitio, videatur locus Eph. 4. v. 29. Ulciscendi libidinem Christianis permitti, si particula obtineat falsum, hanc enim hâc additione proscribit, nec internum est homicidium, nisi Ira fiat temerè, & exardescat non sceleri, sed proximo εἰκῆ, nec Moses externum, sed cum illo internum quoque prohibuit homicidium. Sextò, etiam verborum asperitatem fuisse prohibitam in V. T. suprà ostensum est, nec Apostolus Gal. 5. v. 19. & 20. agit tantum de vitiorum istorum consuetudine, sed de illis secundum totam suam latitudinem spectatis, nec hæc vocabula tantum habitui conveniunt, sed & de uno aliquo actu usurpantur, & de singulorum etiam merito loquitur, nec potest esse culpa absque pœna. Septimò, quæ de correptione acri objurgatione non adversante huic præcepto proponit, non dextrè dicuntur, nam convitia semper sunt in vitio, nec tantum illa, quæ ex animo vindictæ cupido funduntur, correptio autem fraterna & acris objurgatio non sub genere convitiorum comprehenditur, sed est alterius generis actus, charitatis Christianæ actus, divinitus præceptus actus, convitiis adversus & oppositus. Octavo, quæ de vindicta prodit & Lege Talionis, ex eadem sunt Theologiâ, ex qua superiora. Nam primò, si ponamus Christum abrogasse Legem Talionis, non tamen sequeretur, quidpiam Christum addidisse quinto præcepto, auxisse Mandatum de non occidendo, longè enim aliud est tollere Legem Forensem attemperatam certo populo in statui, quæ quandoque absolutè spectata aliquid habet ex iniquo, aliud addere aliquid Decalogo, qui juris Moralis & perpetui. Secundo Christus verba sua non opposuit legi Morali, sed perversæ interpretationi Talionem etiam ad privatos extendenti. Tertiò etiam Talio Legis Mosaicæ spectabat, & ad publicam Majestatem & authoritatem non per modum exequendæ ultionis, quæ ardebat in privato, sed puniendi commissum contra leges & bellum publicum reparandi ablata, vel ratione famæ vel opum, vel corporis læsi, & Talio certa ratione perpetuæ innititur æquitati: unde etiam apud Romanos lege Duodecim Tabularum sancita fuit, comprobata à Gellio Libro Noct. Atticarum c. 1. videatur Episcopius & observ. in Grotium.

CA-

CAPUT III.

PRÆCEPTUM VI.

VERBA TEXTUS.

לֹא תִּנְאָף׃ *Non mœchaberis.*

THESIS I.

DE Ordine Præceptorum ſupra aliquid diximus, atque demonſtravimus, non eſſe rationem ſolidam, quæ urgeat, ut è veteri migremus domo, & ordinem receptum deſeramus, rectè præponi Præceptum de non occidendo, Præcepto de mœchando, invertit autem illum Hugo Grotius, dum hæc ſubjungit huic Præcepto. In Hebræo præcedit de non occidendo præceptum, quem ordinem & Græci codices in Deuteronomio nunc habent. Cæterùm, ne quis recens hoc putet, Philo jam ſuo tempore legit ut hic legimus, ordinatimque progrediens ait de Deo: *τὴν ἑτέραν ἀναγραψάμενος* (nempe *πεντάδα*) *περιέχουσαν ἀπαγορεύσεις τῶν πρὸς ἀνθρώπους, ἀπὸ μοιχείας ἄρχεται*, ſecundum numerum quinarium ſcripturus continentem ea interdicta, quæ ad homines pertinent, initium ab adulterio facit, & cauſam addit: *μέγιστον ἀδικημάτων τοῦτο εἶναι ὑπολαβών*, inter injuſta facta hoc maximum exiſtimans, & quæ ibi ſequuntur. Et rurſum poſtea cum mala ex adulterio ſequentia facunde expoſuiſſet: *εἰκότως στυγητὸν καὶ θεομίσητον πρᾶγμα μοιχεία πρῶτον ἀδικημάτων ἀνεγράφη*, merito Deo hominibusque exoſa res adulterium inter crimina ordinem ducit. Nec aliter legêre Chriſtiani veteres, qui codices Græcos ſequebantur: ut Tertullianus de Pudicitia: Eo amplius præmittens, Non mœchaberis, adjungit, non occides. Oneravit utique mœchiam, quam homicidio anteponit. In prima itaque fronte ſanctiſſimæ legis, in primis titulis cœleſtis edicti, principalium utique delictorum, proſcriptione ſignata, de loco modum, de ordine ſtatum, de confinio meritum cujuſque dignoſcas. Eſt & mali dignitas, quod in ſummo aut in medio peſſimorum collocatur. Pompam quandam atque ſuggeſtum adſpicio mœchiæ, huic ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum homicidii ſubſequentis. Inter

ter duos apices facinorum eminentiſſimos ſine dubio dignè conſedit, & per medium eorum, quaſi vacantem locum, pari criminis auctoritate complevit. Quis eam talibus lateribus incluſam, talibus coſtis circumfultam, à cohærentium corpore divellet, de vicinorum criminum nexu, de propinquorum ſcelerum complexu? Quare quoties veteres alio ordine adducunt hæc præcepta, ex Deuteronomio adducunt, non ex hoc Exodi loco. Exodi Græcum ſequuntur Marcus 10. ℣. 19. Lucas 18. ℣. 20. Deuteronomii, is qui Matthæum Græcè reddidit 19. ℣. 18. Chryſoſtomus ad initium capitis 5. ad Epheſios, & alii. Contra, ut mox videbimus, in præſcripto ultimo Deus hic domum præpoſuit uxori, Moſes in Deuteronomio uxorem domui. Adeò inter ea, quæ pariter interdicta ſunt, parum refert, qui ſervetur ordo. Nos, quod ſine injuria Maſoreticæ diligentiæ fiat, Græcam nunc, quam in manus ſumſimus, ἔκδοσιν, editionem ſequamur, quæ non vetuſtate tantùm, ſed & ratione probabili defendi poteſt, quòd pudicitiam vitæ multæ Hebræorum mulieres prætulerint, quodque Ariſtotele judice, graviora ſint crimina, quæ ex voluptatis deſiderio, quàm quæ ex ira veniunt. Nec illud Cleanthis ſpernendum;

Πόθεν ποτ' ἄρα γίνεται μοιχῶν γένος;
Ἐκ κριθιῶντος ἀνδρὸς ἐν ἀφροδισίοις.

Adulterorum natio unde naſcitur?
Ex luxuriante Venerea libidine.

II.

Ut ut autem hæc Controverſia non ſit magni momenti, ut ſatius eſſe cenſeamus ad Præcepti ſenſum attendere, obſervare Mandatum, conformare ſe voluntati divinæ, quàm ſcrupuloſè circa ſeriem verſari, ipſe etiam Grotius inter ea, quæ pariter interdicta parum referre agnoſcat, qui ſervetur Ordo, nihilominus nobis præferenda videtur communis ſententia, & Aſſertio ſuperior circa initium quarti Præcepti. Quam uberius confirmat Joannes Caramuel in Theologia intentionali, ita diſputans lib. 4. In Hebræo præcedit de non occidendo præceptum, quem ordinem Hebræi & Græci Codices in Deuteronomio nunc habent. Ergo hic ordo à nobis etiam retineri debebit. Reſpondeo hoc argumentum non contra nos, ſed pro nobis eſſe. Addo Vulgatum nos ſequi Latinum, qui in Exodo Tabulas ipſas exſcribit; qui-

quique in Deuteronomio eundem ordinem omninò observat: qui debebit à nobis religiosè observari. Secundum. Quia hæc ipsa quinti & sexti præceptorum alteratio non est recens inventa, sed ante annos multos à viris maximis admissa, Philo enim innuit jam suo tempore prius fornicationem quàm homicidium interdici; ait enim de Deo; Τὴν ἑτέραν ἀναγραψάμενος (nempe πεντάδα) περιέχουσαν ἀπαγορεύσεις τῶν πρὸς ἀνθρώπους, ἀπὸ μοιχείας ἄρχεται, secundum numerum quinarium scripturus continentem ea interdicta quæ ad homines pertinent, initium ab adulterio facit; & causam addit: μέγιστον ἀδικημάτων τοῦτο εἶναι ὑπολαβών, inter injusta facta hoc maximum existimans, & quæ ibi sequuntur. Et rursum postea, cùm mala ex adulterio sequentia facundè exposuisset: εἰκότως στυγητὸν καὶ θεομίσητον πρᾶγμα μοιχεία πρῶτον ἀδικημάτων ἀνεγράφη, merito Deo hominibusque exosa res adulterium inter crimina ordinem ducit. Respondeo, me non tanti facere Philonem, tametsi illustrem, ut propter ipsum debeam à textu Hebræo, Græco, & Latino discedere, quos nobis Ecclesia proposuit, imò indixit: sed quidquid sit de Philonis mente, & locis aliis, sanè verbis propositis aliquid contra me probari aut firmari non video; non enim voluit Philo præceptum honorandi parentes, quod homines concernit, fornicationes inhibenti præponi; ergo non omnibus humanis præceptis, tametsi toti secundæ Tabulæ: nam duæ erant in Tabularum distinctione sententiæ; altera tria præcepta scribebat in prima, & septem in secunda; altera quina in singulis; & isti subscribens Philo, sic ait, secundum numerum quinarium scripturus continentem ea interdicta, quæ ad homines pertinet, initium ab adulterio facit. Ergo adulterium est in sexto loco; probo consequentiam; quoniam, si esset in quinto, esset finis primi numeri quinarii, & non secundi initium; quæ instantia evidenter nostram positionem ostendit. Igitur, quia sexto loco positum adulterium, Deo hominibusq; exosa res, inter crimina, ordinem (in secundo videlicet quinario) ducit. Tertium. Arguit authoritate Tertulliani, qui lib. de Pudicitia hoc ipsum velle videtur. Respondeo, Tertullianum illo loco non videri agere de Decalogo, agit enim de tribus vitiis, aut peccatis, videlicet de Idololatria, Mœchia, & Homicidio. Quod si hæc cohæreant antecedentibus, dico, eum agere de Mœchia utriusq;

M 2 extre-

extremi participe, cùm ita delirat Mœchus, ut sibi Deam præfigat amasiam: aut saltem, quod Ethnici faciunt, adulterium in obsequium & latriam Idoli committat; & hoc demum immoderato ardore inductus, ut impedimenta auferat, suam propriam uxorem interimit. Quod, si hac nolis esse solutione contentus Textui Biblico insistens, jubebo transire Tertullianum. Quartum à ratione desumitur. Quoniam graviora sunt crimina, quæ ex voluptatis desiderio, quàm quæ ex ira proveniunt, id ipsum asserente Aristotele. At fornicatio à voluptate, & ab ira homicidium procedit. Ergo principaliùs est interdicenda fornicatio, homicidium posteriùs. Et respondeo, multas esse sententias, quæ deberent à Peripateticis meliùs examinari, & inter alias hanc: unde, aut dicendum hanc non fuisse sententiam Aristotelis, aut eum errasse. Profectò aliud est quærere, quænam qualitas perfectior sit; aliud quænam intensior? perfectio ad essentiam spectat, & intensio est accidens. Cùm quærimus, quodnam peccatum majus sit? essentiam peccati respicimus, à voluptate & ira præscindendo: illud enim est pejus, hoc sensu, quod majus damnum infert proximo. Postea intra eandem speciem gravius, hoc est, intensius illud est, quod majori libertate committitur: unde, si magis minuat libertatem ira, quàm voluptas, gravius seu intensius peccabit occidens, verbi gratiâ, hominem ob voluptatem (putà, ut libidinetur liberiùs) quàm ex ira. Lubrica res luxuries, & inter omnia crimina, quæ minus libertatis habet, tam periculosa, ut multi asserant esse grave periculum, etiam ubi materia est levis; quod in ira non contingit, nec in aliis peccatis. Quamobrem teneo gravius peccare, qui fœminam volentem occideret, quàm qui cum volente misceretur: graviùs, qui occideret nolentem, quàm qui vim lascivam inferret repugnanti. Sed urget; Fuerunt multæ illustres Hebræorum mulieres, quæ vitæ pudicitiam prætulerunt: ergo. Et ego responsurus antecedens, quod ad Hebræas contrahit, etiam ad suas Hollandas, & quascunque honestas matronas extendo; & tamen consequentiam, quæcunque inde inferatur, nego. Et ratio est, quia ipsis mors præterintentionalis fuit, & intentionalis debiti pudoris custodia; quod etiam locum habet in Martyribus, & quibuscunque aliis, qui justitiam defendendo succumbunt. Nam, si invadar, ab Ethnico, & condemner ob fidem, dicam, me

esse

esse & semper futurum Catholicum. At occidar. Quid inde? ego occidi non volo, non præcipio; mihi mortem non consciscо; sed tantùm veram religionem profiteor, etiam cùm cultrum video, cùm ignem sentio: nam fidei protestationem ago, ne patiatur religio; & mortem meam non molior, sed patior, clarè prævisam, non tamen directè volitam aut intentam. Sed de hoc uberius in parte præterintentionali. Quintum Cleantis authoritate substruitur & sic procedit. Luxus est crimen hæreditarium, quod non solùm luxuriantes, sed & filios ipsorum inficit. Ergo gravior est reliquis culpis. Et assumptum probatur hoc disticho.

Πόθεν ποτ' ἄρα γίνεται μοιχῶν γένος;
Ἐκ κραιπαλῶντος ἀνδρὸς ἐν ἀφροδισίοις.

Adulterorum natio unde nascitur?
Ex luxuriante Venerea libidine.

Et respondeo id non esse proprietatem luxuriæ, quoniam omnia vitia parentum cursu ordinario ad filios transeunt; nam quæ in lacte suguntur, mandari postea oblivioni non possunt: sicut enim adulteræ filiæ lascivæ sunt, sic infidelis & blasphemi sunt irreligiosi & heterodoxi; sic etiam gladiatoris sive grassatoris crudeles; sic denique latronis fures, & calumniatoris mendaces. Sicut vitia, sic etiam virtutes à parentibus ad filios transeunt. Poëta nescio quis.

Nulla columbino de semine nascitur ales
Prædatrix, taurum nulla creavit ovis.
Jupiter Alcidem genuit fortissimus, atque
Cantorem genuit cantor Apollo Linon.

III.

Tria verò hic iterum occurrunt expendenda, primum quidem Actus, secundò prohibitio, tandem ipsum objectum. Actus describitur voce תִנְאָף Tinaph. à verbo נאף naaph quod propriè est adulterare, atque ita usurpatur Levit. 20. v. 10. Proverb. 6. v. 32. & cap. 8. v. 20. Job. 24. v. 15. & cap. 31. v. 1. Jer. 23. v. 9. cap. 23. v. 14. Oseæ. 4. v. 2. Ezechiel. 16. v. 38. cui affinis est Vox נוף nuph, quæ notat agitare, atque usurpatur de Manu 2. Reg. 5. v. 11. Serra Esajæ 10. v. 15. de cultro Exod. 20. v. 25. Sic procax

cax fœmina dicit, *imbui lectum meum, agitando irroravi sive perfudi*, Proverb. 7. v. 17. quasi Voce נאף indicaretur agitatio illicita organis ad illam adhibitis eidem servientibus, & quidem vel mariti cum aliâ quæ non sit uxor illius, vel uxoris cum Viro, qui non maritus, cum Vox זָנָה Zanâh laxius usurpetur & notet scortari *πορνεύειν*, passimque ita occurrat in Scripturis, Genes. 38. vers. 24. Oseæ. 2. cap. ... vers. 10. 18. Exod. 34. vers. 16. Levitic. 19. v. 29. 2. Chron. 21. v. 11. LXX. Interpretes habent vocem *μοιχεύειν*, quod quidam volunt deducere, à *μὴ* & *οἶκος* ut sit exire foras, non manere domi, impudicè divagari, ut quidem de Adultera loquitur Salomon. Proverb. 7. ℣. 11. quod in domo non maneant pedes ejus, vide Martinium in Lexico. (Et hanc vocem constanter retinuerunt Matthæus cap. 19. ℣. 18. Marcus cap. 10. ℣. 19. & Paulus Rom. 13. ℣. 9.) alii *παρὰ τὸ μὴ εἰκὸς*, quod sit *ἐοικὸς* simile aut decens, quia hoc vitium *οὐκ ἔοικε*, non deceat, liberi dissimiles sint, & non ex eodem genere ad illum modum, quo cognominantur plantationes adulterinæ, Sap. 4. ℣. 3. Alii opinantur esse quasi à *μὴ ἔχων*, nihil habens, quia nihili habeatur ex adulterio natus, alii *ἀπὸ τῶν μοιχῶν* à recessibus & abditis locis. Prohibitio indicatur voce לא, quam supra expendimus, latè illa accipienda & ad omnes homines, tempora & casus extendenda, neque hic quisquam exemptus, inde Isidorus & Beda caveri docent hoc Præcepto, ne quisquam præter Matrimonii fœdus, aliis fœminis misceatur ad explendam libidinem, neque ullo tempore vel casu licita impuritas. Objectum denique est Homo, & quidem juxta verbi proprietatem vel conjux cum conjugata, vel solutus cum uxore, aut soluta cum Marito, vel solutus & soluta, quanquam etiam aliæ fœditates circa proprium corpus vel ejusdem sexus vel diversi generis censendæ sint hic prohibitæ.

IV.

Utut a. vox נאף notet mœchari, atq; errent illi, qui existimãt illud etiam significare fornicari vel scortari, neque illis faveant loca supra adducta Jobi. 24. ℣s. 15. Jer. 3. ℣. 19. sed prior de adultero agat, cum scortator non adeo quærat latebras ut adulte-

ra,

ra, posterior duo verba conjungat, non tanquam *ἰσοδυναμοῦντα*, sed tanquam generale & speciale observante B. Gerhardo, & Noeph, sive adulter observet crepusculum maximum, & posita etiam Synonymia in loco Jeremiæ, non tamen concedendum in hanc sententiam, quod voce נאף Naaph, exprimatur scortatio, ut observat Piscator apud Jobum. Non tamen propterea subscribendum est Oleastro, qui verbis hisce negat prohiberi fornicationem simplicem: non tantum enim Aben Esra de quolibet concubitu illicito hoc præceptum accepit, sed & Christus laxius verba hujus Præcepti exposuit. Matth. 5. ℣. 27. vel Hugoni Grotio scribenti: Putat Abenesdra per vocem נאף omnem venerem illicitam, etiam scortationem, significari. sed video ubique eam vocem apud Hebræos in solo sensu adulterii sumi, & sic translatum hoc aliisque locis à Græcis, Latinis, aliisq; interpretibus. Verum est in lege Mosis vetari, ne scorta sint in populo Hebræo: prohiberi & incestus & conjugia cum falsorum deorum veneratricibus & quæ Veneris portenta sunt. sed nihil necesse fuit in tam brevi decalogo omnia crimina, quæ post interdicenda erant, memorari, cum satis esset attingi ea, quæ aut pietatem aut societatem humanam maximè læderent. Sic non fit hic mentio inflictorum vulnerum, sed cædis, quod in genere nocumenti corporibus illati maximum est. Comprehenditur ergò propriè his vocibus & uxor, quæ alii quam marito sui usuram dat, & is qui alienam uxorem polluit. Uterque mortis damnantur Levitico xx. 10. quam pœnam in Romanum Imperium introduxere Christiani Principes Constans & Constantius, ut ex Codice Theodosiano apparet. Neque gravior æquo hæc pœna putanda est, si quis consideret ex conjugiis nasci conservarique civitates, earum fundamenta convelli adulterio, conjugalem amorem in odium verti, supponi hæredes, domos totas impleri probris atque inimicitiis, quæ sæpe & in pernitiem publicam erumpant. Nam primo Interpretes hactenus ita exposuerunt; ut sub hoc Præcepto comprehendi omnem impuritatem docuerint, quia Lex moralis ut in cæteris Præceptis est perfectissima, ita quoque in hoc se habebit, adeoque non tantum excludet Adulterium, sed omnem impuritatem, quæ purissimæ Menti adversa. Aut enim impuritas, quæ extra adulterium, est peccatum aut non, si prius, lege hâc erit pro-

prohibita, si non, impuritas non adversabitur sanctitati & puritati divinæ. quia secundò in Novo Testamento vis hujus Præcepti & sensus nativi amplitudo ita explicatur, ut facilè sit colligere, omni impuritati hîc interdici. videantur loca Matth. 5. ℣. 28. cap. 19. ℣. 9: Rom. 12. ℣. 13. Eph. 5. ℣. 3. Colos. 3. ℣. 5. Quia tertio ipsa Scripturæ collatio hoc docet, Deut. 20. ℣. 20, 21, & seq. Gen. 6. si conferatur cum Levit 17. Num. 25. unde optimè Augustinus ex Analogia Præceptorum, si furti nomine benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ, non enim rapi eam permisit, qui furtum prohibuit, sed utique à parte totum intelligi voluit, quicquid illicitè rerum proximi aufertur, profectò & nomine Mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.

V.

Fixum itaque esto prohiberi omnem Impuritatem, tum quia, ex unâ specie reliquæ cognatæ intelliguntur. Nec malè noster B. Chemnitius. Quia Decalogus intelligendus est juxta interpretationem traditam à Prophetis & Apostolis, manifestissimum est ex testimoniis Scripturæ, quorum quædam post ea recensebimus, omnes commixtiones extra conjugium in sexto præcepto prohiberi: nec tantùm externa delicta, sed ipsas interiores flammas libidinum accusari. Christus enim Matthæi 5. vers. 32. recensens præcepta secundæ tabulæ, adulterio conjungit scortationem. Sicut igitur in reliquis præceptis, sub una specie, quæ nominatur, reliqua peccata comprehenduntur: Ita in sexto non tantùm de adulterio, in quod etiam Lege Julia severiter animadvertitur, disputandum est: sed discendum est, quot modis nos Deus in suo judicio adulterii reos teneat, nisi facta fuerit remissio propter Filium Mediatorem.

VI.

Adhibere autem voluit Deus hanc vocem juxta Lutherum, quia in Judaismo ita ordinatum, & præceptum fuit, ut quisque ductâ uxore Matrimonium contraheret, unde & juvenes maturè contrahebant, ita ut Virginitatis status & cœlibatus, apud Judæos nullius haberetur momenti, sed neq; propalam visebatur aut concedebantur meretricum ac scortatorum lustra, ut hodie apud quosdā solemne est, quamobrem adulteriū apud illos cōmunissimum fuit

fuit peccatum Impudicitiæ, vel quia graviora crimina sæpè solet de scriptura ponere ad Majorem horrorem non exclusis cæteris, sed inclusis ut omnia illa reddantur adversa, quæ ad promotionem illorum faciunt, vel se illis quocunq; modo, assimulant, quo vergunt illa B. Chemnitii scribentis: Consideretur, quare Deus adulterii crimen potissimum in sexto præcepto voluerit nominare. Ostendit autem causam ipse Filius Dei. Matth. 5. v. 28. cùm inquit: Jam mœchatus est in corde: Deum scilicet hoc modo voluisse magnitudinem peccati ostendere: quòd sicut Lex Julia agnoscit, magnum flagitium esse crimen adulterii, & atroci pœna dignum: Ita coram judicio Dei censeri etiam errantes flammas libidinum. Et quia humana malitia solet vitiis luxuriæ molles & leues appellationes tribuere, Deus igitur illa omnia atroci appellatione adulterii accusat, ne nobis extenuationibus vel excusationibus blandiamur, sed nostram Immunditiem agnoscamus & deploremus: quæramus remissionem per Mediatorem, & Spiritu sancto mortificemus actiones carnis, ne regnet, Est & alia causa, quare Deus non aliquam aliam illegitimæ commixtionis speciem in sexto præcepto nominarit, sed usus est vocabulo significante violationem copulæ conjugalis. Quia enim hanc prohibet, ostendit se sancire, approbare & munire conjugium, usum, consuetudinem & copulam conjugalem. Et Deus illam vocem prohibentem violationem legitimi conjugii, suo digito in Decalogo voluit opponere doctrinæ Dæmoniorum damnanti nuptias. Ostendit enim, se non tantùm auctorem, verùm etiam defensorem esse conjugii. Hæ considerationes eruditè ostendunt synecdochen sexti præcepti. Vel secundum alios, quia Adulterium per se proximum magis lædit, & ideo expressum, cum secunda tabula directè respiciat proximum, ut omnis injuria ab eo removeatur.

VII.

Prohibetur his præmissis Adulterium, quæ est carnalis commixtio personę conjugatę, cum altera, quæ illi non conjugata est, & contingit: si maritus commisceatur cum uxore alterius carnaliter quod gravissimum crimen, cujus exemplum habetur. 2. Sam. 11. ℣. 5. vel si persona ligata Uxor scil. commisceatur cum Viro cælibe, quod itidem grave, quia ita fætus alterius quandoque Marito supponitur, aut persona ligata maritus scil. rem habeat cum

cælibe, de quo Paulus. 1. Cor. 7. ℣. 2. denique secundum quosdam, si persona soluta vel ligata rem habet cum desponsata vel etiam cum concubina vel Muliere, quæ absolute non est libera, qui casus recensetur, Deut: 22. ℣. 23, 24, 25, 26. Levit. 19. ℣. 20. Judic. 19. ℣. 1. & 2. Quantum hoc scelus sit, patet, quia pugnat cum DEI voluntate, instituentis hunc ordinem, *& derelinquet quisque Patrem suum & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ, eritque cum illa Caro.* Gen. 2. ℣. 23. 24. Matth. 19. ℣. 5, 6. interdicitur, Deut. 5. ℣. 18. Levit. 18. 20. Proverbior. 7. ℣. 5, 6. & seq. Dei carnis impetui consulentis & per Apostolum edicentis propter scortationem suam quisque uxorem habet, & proprium quæque Virum habet 1. Cor. 7. ℣. 2. adde Proverb. 5. ℣. 15. & 20. Quia secundo pugnat cum affectu uxore vel Marito debito, & studio proprii corporis conservandi, ut constat ex Malachiæ 2. ℣. 14. & 1. Cor. 6. ℣. 18. Quia denique pugnat cum bono & fine hominis, facit enim adulterium hominem obnoxium pœnis variis, de quibus, 2. Sam. 12. ℣. 9, 10, 11. Jerem. 5. ℣. 8, 9. Ezechiel. 32. ℣. 26. Capitale meretur supplicium, Levit. 20. ℣. 10. Deut. 22. ℣. 22. Denique æternam sibi accersit damnationem, teste Paulo, 1. Cor. 6. ℣. 9. Galat. 5. ℣. 19, 20, 21. Ebr. 13. ℣. 4.

VIII.

Primævæ Institutioni secundò adversatur Polygamia simultanea, Gen. 2. v. 23. & 24. ubi Eva ex costa Adami formata, ei connubio juncta est; atque edictum, ut etiam deinceps maritus & uxor essent in carnem unam. Illùc Christus provocat, Matth. XIX. 5. *Qui duo fuerant, erunt una caro.* Atque item Paulus, Eph. V. 31. non solùm repetivit eadem: sed & similitudinem transtulit ad Ecclesiæ unionem cum Christo; & cujusque mariti officia sua circa uxorem suam inde deduxit, ℣. 32, 33. *Mysterium hoc magnum est: hoc autem ego dico respiciens in Christum & Ecclesiam. Itaq; & vos singuli, suam quisque uxorem diligito ut seipsum.* Idem Paulus etiam disertè, 1. Cor. VII. 2. *Propter scortationes, suam quisque uxorem habeto, & proprium quæque virum habeto.* Quibus verbis monogamiam præscribit, polygamiæ simultaneæ oppositam: adeò ut non magis uni viro liceat plures mulieres in matrimonio habere, quàm uni mulieri plures viros. Ac porrò ℣s. 4. *Uxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir: similiter autem & vir proprium*

prium corpus non habet in potestate, sed uxor. Absurdissimum verò est, plurimisque incommodis obnoxium, si idem vir pluribus uxoribus tribuat potestatem in corpus suum; quod experientia multorum πολυγάμων docuit satis. Nec magis id licet viro, quàm mulieri licet pluribus viris potestatem sui corporis tribuere. adde quæ præscripta 1. Tim. 3. v. 2. Tit. 1. v. 6. & vestigium quoddã in Natura. Tertiò Fornicatio sive scortatio, quæ est illicita conjũctio duorum, sive viri & mulieris comixtio carnalis extra conjugium, quanquam verò scelus & flagitium non fuerit, adolescentẽ scortari in Gentilismo, imò secundùm quosdam habita fuerit pro re indifferente, ut colligere volunt ex Actor. 18. ℣. 20. & lupanaria passim erecta publica fuerunt, notabile tamen vitium esse docet sacra pagina, ostendendo esse contra divinam voluntatem Levit. 19. ℣. 29. Deut. 23. ℣. 17. Eph. 5. ℣. 3. Coloss. 3. v. 5. Esse adversus imperatam sanctitatem. 1. Cor. 6. v. 15, 20. 1. Thess. 4. v. 3, & 4. Esse denique contra propriam utilitatem, DEUS enim irascitur istiusmodi impuris & impudicis, atque punit illos animi atque corporis morbis, secundùm illud Syracidis. cap. 19. v. 2, 3. punit paupertate. Proverb. 5. v. 11. cap. 29. v. 3. Syrach 9. v. 6. Luc. 15. v. 12. Denique æternis flammis, quibus dignæ illæ ustiones istiusmodi libidinum. Incendio. 1. Cor. 6. v. 9, 10. Gal. 5. v. 19, 21. Ebr. 13. v. 4. Apoc. 21. v. 8. Et hæc est vel voluntaria citra vim ex libidinis Regimine, vel quæstuosa cum attentione ad lucrum, vel coacta sive cum vi quadam conjuncta.

IX.

Quartò prohibetur stuprum, Virginis illicita defloratio, quæ in hoc differt à raptu quod hic vim dicat illam, quâ puella abripitur à Domo sua, stuprum autem dicat vim in integra, & potest raptus etiam locum habere in corrupta, stuprũ verò est illibatæ, potest etiam raptus fieri citra violationem pudicitiæ, stuprum autem non sine illa; videatur Lex. Deut. 22. ℣ſ. 25, 26, 27, 28, 29. ibidem casus proponuntur, unus de Virgine desponsata, alter de Virgine nullo vinculo illigatâ. Quintò ad hoc Præceptum referendus Concubinatus cùm vir mulierem apud se retinet, & cùm ea consuescit citra Matrimonium. Est hæc conjũctio, quamvis valdè familiaris, à jure civili permissus, quid? Jure quoque Canonico parte primâ Decreti distinct. 34. Qui non habet uxorem, loco illius con-

lius concubinam liceat habere. Ac porrò in nigro; Is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur; tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, conjunctione sit contentus. Ita sc. post correctionem Gregorii XIII. cùm priùs in rubro extiterit; qui non habet uxorem, debet habere concubinam. Fœditas & turpitudo in oculis divinis, qui extra societatem, quam ille instituit, conjugalem omnem conjunctionem abominatur, videatur locus Rom. 7. ℣. 2, 3. 1. Cor. 7. ℣. 7, 9, 39.

X.

Pugnat etiam maximè sextò cum hoc Præcepto Incestus, qui Commixtio Viri & Mulieris consanguinitate vel etiam affinitate propinquiorum, quam ut liceat matrimonium cum illis contrahere, secundum DEI Ordinationem: quanquam verò & hîc cæca fuerit Gentilium aliquot Ratio, atque Cornelius Nepos Cimoni non turpè fuisse asserat Atheniensium Viro summo Germanam in Matrimonio habere sororem, cum cives eodem uterentur instituto, apud alios quoque populos istiusmodi conjunctiones fuerint probatæ, & juncta nato Genitrix atque ita pietas geminato creverit amore, ut Poeta loquitur, detestandum tamen esse vitium docet interdictum Divinum. Lev. 18. ℣. 24, 25, 26, 27, 28. 29. c. 20. ℣. 22, 23. Deut. 22. ℣. 30. Secundò quia libidine expleta odiũ utplurimum sequitur 2. Sam. 13. v. 15. tertiò quia hoc peccatũ sequitur pœna & ultio divina, Amos. 2. ℣. 7. Ezech. 22. ℣. 10. 11. Lev. 20. ℣. 11. 14. Deut. 27. ℣. 20. Uti Exemplum Ruben docet, qui ob incestum hanc MALEDICTIONEM audit, *Ne crescat*, simulque jus primogenituræ amittit, Genes. 49. ℣. 4. Deut. 33. ℣. 6. Ammonis, qui etiam ob incestum miserè trucidatus fuit, 2. Sam. 13. ℣. 29. Sicut & Absolon, 2. Samuel. 18. v. 14.

XI.

De peccatis mutis præstaret silere, quàm loqui, nisi ipsa Scriptura hanc fœditatẽ denudaret, & informatio etiam hoc in puncto esset necessaria. Est autem inter illa quamvis incestum etiam quidam referant, sub hoc Genus, primo Peccatum Onaniticum, Gen. 38. ℣. 9. & Mollities de qua 1. Cor. 6. ℣. 9. Sodomia, Lev. 28. ℣. 22. Exempla habemus Gen. 19. ℣. 5. 2. Act. 2. ℣. 67. Jud. 7. Ultimum nimis fœdum, de quo Jus Can. Caus. 32. q. 1. ex Aug. Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu, pejus

pejus est enim cũ matre, quàm cum alienâ uxore concumbere, sed omnium horum est pessimum, quod contra Naturam fit. Id. l. 3. Confess. Flagitia, quæ sunt contra Naturam ubique & semper repudianda, qualia Sodomitarum fuerũt. Origo Sodomiæ est luxus & desidia Ezech. 16.34. Exempla recensentur, Genes. 19. 15. Jud. 19.33.23,24. Rom. 1. 26,27. Uti verò Deus Sodomiam punit pœnâ temporali & æternâ, Genes. 19.24. Lev. 22.c.20. 13. Ezeh. 16. 49,50. Sap. 10. 6,7. 1. Cor. 6. 9,10. Tim. 1. 9. ita Magistratus quoque pii est, flagitium hoc exemplo piorum Regum, 1. Regum. 24. c. 1. 5,12. c. 22. 47. 2. Reg. 23. 7. abolere. ad Sodomiam referuntur omnes illegitimæ commixtiones, ut coire cum Jumentis seu quavis bestiâ: quod interdictum, Exod. 22. 19. Levit. 18. 23. Levit. 20. v. 15, 16. Deut. 27. v. 21. *contra naturam quoque est coire cum Muliere menstruata, quod itidem severè prohibitum*, Levit. 18, 19. cap. 20. ℣s. 18. Ezech. 18. vers. 6. *numeratur ut pars iustitiæ, si ad mulierem menstruatam non accesserit.* Bestialitas de qua Levit. XVIII. 23, 24. *Cum nullo animali dabis coitum tuum; ut polluaris cum eo: neque mulier stabit ante animal, ut coeat cum eo: turpitude est. Ne polluamini in omnibus his: per hæc enim omnia polluerunt se Gentes, quas ego eiecturus sum à facie vestra.* Exod. XXII. 19. *Quicunque concubuerit cum animali, moriendo morietur.* Levit. XX. 15, 16. *Siquis dederit coitum suum in brutum, moriendo morietur, & iumentum occidetis. Mulier autem, quæ accesserit ad aliquod animal ad coeundum cum eo, occides mulierem & animal: moriendo morientur; sanguis eorum super eos.* Denique congressus cum dæmone vel succubo vel incubo, de quo Augustinus lib. 15. de civ. DEI c. 23.

XII.

Huc refer Vagas libidines, de quibus Scriptura: *Homo æstuans libidine, est ut ignis ardens*, Syrach. 23. vers. 22. *quomodo homo potest abscondere ignem, &c.* Proverb. 6. 27. *Juvenis lasciviens transit per plateas, &c.* Prov. 7. 8. *sedens in foribus*, Prov. 9. 14. *libidinoso quivis cibus dulcis*, Syr. 23. 24. *filia parùm verecunda, &c.* Syr. 26. 13, 15. *Has qui vitare vult, fugiat mala Sodalitia, &c. Fuge amicas, &c. ne capiant te illecebris suis, &c.* Syr. 9. v. 3, 4. *inprimis virgines domos otiosa circumire non discant, &c.* 1. Timoth. 5. 13. *nec ad ducendas Choreas procedant*, Judic. 21.

 20. Gen.

20. Gen. 3. 41. *sed Sara Exemplum sequantur*, Tob. 3. 17. *Mariæ Virginis*, Luc. 1. 29. *Econtra iuvenes Josephi castitates imitentur*, Gen. 39. 8, 9. *Libido enim velut festuca est, citò accenditur, properè consumitur*, Ambrosius in quadam Epist. Sicut iniquum est aviditate possidendi tansgredi limitem agrorum: ita iniquum est libidine concumbendi subvertere limitem morum.

XIII.

Non tantùm autem peccatur ipso Opere, sed etiam gestibus & verbis. In gestibus quidem signis lasciviæ variis, qualia sunt oculorum emissititii ignes, & optica stupra, dum aspicitur fœmina, non illo quoque debere aspici oculo, sed accenso, impuro libidine contaminato, de quo Christus Matth. 5. ℣. 28. (videatur Lessius de Jure & Justitia, lib. 4. c. 3. dubio 80.) Gen. 39. ℣. 7. Ezech. 6. ℣. 9. Syr. 26. ℣. 11. 2. Petr. 2. ℣. 14. Oscula, de quibus Lessius, Amplexus & Tactus, de quibus nostri videantur Theologi: In verbis spurcities, turpiloquium, obscœnitas: in gestibus quævis signa lasciviæ, oculorum concupiscentia, Syr. 26. v. 11, 12. *Fornicatio mulieris in oculis & palpebris agnoscitur. impudici amplexus & oscula.* Jerem. 5. 8. *Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Ambr. 1. Offic. cap. 18. Est autem in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia, Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Verborum obscœnitas fugienda, Eph. 4. 29, 30. cap. 5. 4, 6. Coloss. 3. 8. Deut. 25. v. 11, & 12. Ezech. 23. v. 38. 12. Furores hyppomannici, de quibus Jerem. 5. v. 8. In verbis verò turpia fugienda, secundùm illud Ephes. 4. vers. 29, 30. cap. 5. vers. 4, 6. Coloss. 3. vers. 8. Basil. in Exam. Homil. 4. p. 45. Ludi spectacula abundantia lascivis communis ac publica sunt scelerum officina: Et modulationes atque concentus, meretriciique cantus auditorum animis insidentes nihil aliud efficiunt, quàm ut turpitudinem omnibus persuadeant, Cytharædorum tibicinumque cantus imitantes.

XIV.

Tandem adversatur huic præcepto impuritas cordis, ex quo tanquam scaturigine & radice Mali omnia peccata, & inprimis etiam sordes illæ contra hoc præceptum, Matth. 15. ℣. 18.

XV.

Ut autem hæc Præcepto divino obnituntur, atque sanctissimæ

simæ Voluntati sunt contraria, ita quæ iniquitatis rationem habent appositam huic præcepto, huc referuntur à quamplurimis, qualia sunt vota cœlibatus in Papatu, quæ ex imperitia quadam eduntur, nondum maturo judicio illa examinante, expendente & ponderante, de quibus Chamier & alii, nec non prohibitio Nuptiarum secundarum, quibus itidem laqueus injicitur conscientiis, contra illud: *Mortuo enim viro mulier liberata est à Lege viri*, Roman. 7. vers. 3. *Nubat, cui vult*, 1. Corinth. 7. vers. 39. Et 1. Tim. 5. v. 14. *Volo iuniores viduas nubere, &c.* Exemplum memorabile Polygamias licitæ successivæ. Hieronymus Epistol. 1. ad Gerontiam refert: quòd tempore Damasi quædam viginti duos maritos, Romæ autem quidam viginti uxores habuerit: maritis istis & uxoribus mortuis, cùm fœmina illa & vir ejusdem essent ætatis, matrimonium contraxisse, ita ut fœmina vigesimum tertium maritum, & vir ille vicesimam primam uxorem habuerit. Uxorem verò ante maritum mortuam esse: Hoc comperientes cives Romani, in funere accurrentes, dederunt marito viduo coronam è lauro contextam, & palmam in manus. Et tandem Verecundia præpostera cum scilicet pudet quosdam rerum etiam illarum, quæ tamen piæ & honestæ sunt: *Pudendo ergò etiam peccari potest*, Syr. 4. 24. *Sunt quos pudet rerum non pudendarum*, Syr. 42. v. 20. Utrumque igitur vitium fugiamus, nisi velimus DEUM, S. Angelos, & pios offendere, & in gravissimas incidere pœnas: *Absit à vobis turpitudo, &c.* Eph. 5. 4. *sermoq; turpis*, Col. 3. v. 8. *Corrumpunt bonos mores & colloquia prava*, 1. Cor. 15. 33.

XVI.

Virtutis præcepta in hoc verbo sunt Castitas, Verecundia, & Temperantia. Castitas in genere autem est virtus servans munditiem animi & corporis cum voluntate Dei congruentem, & vitans omnes libidines à Deo prohibitas, omnes concubitus illicitos, & commixtionem corporum inordinatam, & omnes earum cupiditates, occasiones, causas effectus, suspiciones, &c. tàm in conjugio, quàm in vita cœlibe. Castitatem dici volunt à græco κάζω, orno, quia est ornamentum totius hominis, & omnium aliarum virtutum. Nomen igitur κατ' ἐξοχὴν huic virtuti est inditum, quia una est ex præcipuis virtutibus ad imaginem Dei, juxta illud: *Mens*

Mens est casta DEUS, casta vult mente vocari:
Et castas jussit pondus habere preces.

Est a. duplex, cœlebs & conjugalis. Castitas cœlebs est virtꝰ vitans omnes vagas libidines extra conjugium. Castitas conjugalis est in conjugio servante ordinem mirando Dei consilio institutum. 2. Verecundia est virtus abhorrens ab omni turpitudine, conjuncta cum pudore, dolore, & contristatione, vel ob præteritam turpitudinem, vel ob metum futuræ, & habens propositum fugiendi non ipsam tantum turpitudinem, sed & omnes ejus occasiones, argumenta & signa. Græcis vocatur αἰδώς pudor, quem Aristoteles in Ethnicis dicit esse φόβον τῆς ἀδοξίας. Requiritur ad castitatem tanquam adjumentum & causa, & effectus, & consequens & signum castitatis. 3. Temperantia est virtus servans modum naturæ honestati, & rectę rationi, ordini item personarum, locorum & temporum convenientem, in rebus ad corpus pertinentibus, ac in cibo & potu, & horum appetitionibus. Hæc mater & dulcis nutricula est omnium aliarum virtutum, & castitatis causa est, sine qua non. Sine temperantia enim non possumus esse casti: *Cavete ne quando graventur corda vestra crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ. Et ne inebriemini vino, in quo est ἀσωτία, id est luxus & dissolutio. Ut interdiu composite ambulemus, non in commessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac protervitis, non lite & invidia: sed induimini Domino JEsu Christo, & carnis curam non habete ad explendas cupiditates.*

ERRORES PONTIFICIORUM.

Profunda sentina Impuritatum apud Doctores Pontificios in hac Materia, & forsan satius esse non movere Camarinam illam, quam fœtorem ex illa concitare, nisi interesset scire, quantâ fœditate Papatus sit contaminatus, quàm multas & varias sordes hæc Religio despuat. Primò autem sunt, qui statuunt simplicem fornicationem non esse peccatum mortiferum, quia non impediat bonam prolis educationem, cùm extra Matrimonium possit convenientiùs educatio prolis haberi, conducto Pædagogo optimo, & quia non sit contra dilectionem DEI, neque contra proximi amorem. Ita Johannes de Magistris, & Durandus, imò Caramuel eousque progreditur, ut scribat:

Mihi

Mihi tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam malitiam involvere, & solùm esse malum, quia interdicta, ut contrarium omni rationi dissonum videatur. Addit quoque. Nullâ ratione naturali ostendi posse, simplicem fornicationem esse malam. Rursus in Theologia fundamentali num. 1171. editionis Francofordianæ, ultrò agnoscit, contrariam sententiam esse Divi Thomæ, & totius Scholæ Thomisticæ; & nihilominus ibidem mox subdit: Cæterùm stando nudæ rationi, non auderem hanc Divi Thomæ opinionem nominare probabilem: sunt enim objectiones nonnullæ, quibus respondere non scio; & inter alias hæc quæ sequitur: Fornicatio mortiferum peccatum est, etiam quæ à solutis commissa. At si staremus D. Thomæ principiis, deberet interdum esse licita: Ergo, &c. Secundò publici & notorii concubinarii non sunt hodie ipso facto de jure suspensi, & non fiunt irregulares, si actum sacri ordinis exerceant, quia nullibi in jure expressum est publicos concubinarios esse ipso facto suspensos, secundum Suarez, Molinam, Gomezium, Sotum, Rodriquezium, Henriquezium, Ugolinum, Fagundezium, & alios plures ex Neotericis. Tertiò Judices seculares non possunt ex officio punire concubinatum, neque Concubinæ Clericorum, quoad punitionem subsunt Judicio seculari, quia infamia videtur in Clericos recidere, quorum delicta non sine gravi nota publicantur, atque ita sentiunt Abbas Jason, Palatio. Quarto, Magistratus non peccat Lupanaria constituendo, quia potest permittere minus malum intuitu Majoris: ita Bellarminus, Navarrus. Quintò inordinatus concubitus cum uxore non est peccatum mortale, ita Toletus, Navarrus, Tannerus, & alii. Copula cum conjugata consentiente Marito non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum: ita illi, articuli, quos examinat Academia Lovaniensis. Quem errorem jam olim Apostolus jugulavit dicendo: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur ADULTERA, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Sextò, non est Sodomia cùm vir cum propria fœmina rem habet in præpostero vase,

quia Sodomia tantùm datur inter duos viros, ita Fagundez, Sotus, Lopez, Gratius, Antoninus, & alii. Septimò, Fœmina cum altera fœmina ita congrediens, ut Masculi gerat vices, & effusio seminis intra vas naturale sequatur, non incidit in reservatum Sodomiæ casum, quia inter personas ejusdem sexus quidem geritur, sed tamen ita ut servetur vas, ita Mazechel de casibus reservatis, Diana part. 7. tract. 12. resol. 11. Octavò, Commixtio cum consanguinea uxore in Matrimonio tantùm rato, & non consummato, non est incestus necessariò in confessione explicandus, quia affinitas in foro conscientiæ non oritur nisi ex Matrimonio verâ copulâ consummato, ita Sanchez, Ledesna, Henriquez, Toletus, Fagundez. Nono, Papa dispensare potest in quibusdam gradibus consanguinitatis & Affinitatis. Ita Bellarm. & alii. Decimò excusamus fratrem habitantem juxta morem patrium in eadem domo parentum cum sorore; licet habitatio sit illis fortè causa peccandi: quia ejusmodi occasio, quamvis extrinseca, non est voluntariè assumpta. Ita Tamburin. & alii. Undecimò, licitum est desiderare pollutionem, ita Mallet. scribens: Ob sanitatem, vel alium finem honestum licitũ esse desiderare pollutionem, v. gr. causa sanitatis, sedandæ tentationis, obtinendæ tranquillitatis animæ, &c. Ita Navarr. c.16. num. 7. Toletus, lib. 5. cap. 13. Angelus verbo pollutio, n. 2. & alii. Ratio est, quia, quod hic desideratur, non est peccatum, sed per se indifferens, desideratur enim, ut fiat via naturali, per causas naturales à natura constitutas, sine omni libera cooperatione, & finis ob quem desideratur est bonus, & verè optabilis; ergo in tali desiderio nullum est peccatum. Dnodecimò voluptates sensuum licitè possunt appeti propter se, & finis solius delectationis in conjungatis nè veniale quidem est peccatum, sicut nec pulchrum prospectare campum, fragrantem Rosam odoratui admovere, ob voluptatem summam Melodiæ aures liberas dare; ita Sanctius & Socii. Decimò Tertiò, Famuli comitantes Dominum noctu vel die ad domum concubinæ, qui sine eorum societate eò non iret, vel ferunt internuncia vel literas, vel referunt hinc inde horam ad peccandum, vel faciunt excubias vel custodiam, dum simul cum concubina vel altera committit peccatum, absolvi non possunt, si consentiant in peccatum domino-

rum

num, fecus, si id fieret propter temporalem comoditatem, ita Tambur. lib. 5. c. 1. n. 4. §. 18. p. 31. Decimò Quartò, Multa sexto Decalogi Præcepto interdicta reperiuntur, quæ præcisa à præcepto non solùm dicentur indifferentia, sed & bona, inter quæ commixtiones carnales vetitæ, Levitic. 18. Ita Caramuel. Decimò Quintò, Mollities est seminis effusio voluntaria, & & si mala debet constare hominibus de ipsius Malitia, sed quid semen sit, adhuc Doctores certant, & sub Judice lis est. Aliqui sudorem, alii spumam, nonnulli lac, plerique sanguinem esse contendunt: & tamen esse contra ipsam naturam sudorem, spumam, sanguinem, lac, & similia corporis nutrimenta vel excrementa, ex rationabili causa, decidere, nullus Dialecticus probare poterit. Ita Caramuel. Decimò Sextò, licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro Bono spirituali aut temporali nostri vel proximi, nec quisquam tenetur occasionem proximam peccandi vitare cum magno suo detrimento, unde nec concubinarium teneri dimittere concubinam, quæ ipsi nimis utilis est, ad lucrandum Bona temporalia, media negotiatione, vel etiam ad oblectamentum concubinarii vulgo REGALO, dum deficiente illa curis ægrè ageret vitam, & aliæ Epulæ magno tædio afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficilis inveniretur. Ita Articulus unus ex illis, qui exhibiti Academiæ Lovaniensi, & ab illâ examinati. Decimò Septimò, Clericus habens rem cum fœmina in vase præpostero non incurrit pœnas Bullæ Pii Quinti contra Clericos Sodomitas, quia Sodomia est peccatum contra sexum & debitum instrumentum, ita Azorius, Florenus, Tannerus, Valentia, & alii. Decimò Octavò, Clericus crimen Sodomiæ bis aut ter perpetrans non incurrit pœnas præfatæ Bullæ, quia Pontifex in Bullâ illâ infligit pœnas Clericis Sodomiam exercentibus, in Jure verò intelliguntur hi, qui aliquid frequenti usu efficiunt, secundum Azorium, Navarram, Avilam, Filliucium, & alios. Decimò Nonò, Clericus Bestialitatem perpetrans non incurrit Bullæ Pii pœnas, quia Lex pœnalis minimè extendenda ad casum non expressum, ita Sanchez, Henriquez, Garcia, Castro, Diana, Barbosa. Vigesimò, Ut delectatio morosa sit peccatum mortale,

non ſufficit, quod quis animadvertat, rem eſſe prohibitam, nec moraliter illicitam, quia tunc datur peccatum mortale, cùm ratio advertit, delectationem eſſe mortalem, ita Victoria, Corduba, Angelus, & alii. Vigeſimò Primò, Delectatio moroſa & Conſenſus deliberatus voluntatis habitus de cògitatione ſeu de ſpeculatione operis mali non eſt lethale peccatum, quia delectatio ſumit totam ſuam malitiam, deformitatem atque peccatum ab Objecto, ſed objectum delectationis hujuſce cogitationis eſt ſpeculatio, ſeu potius cogitatio quædam ſubtilis & ingenioſa, in qua ſubtilitate nullum eſt peccatum, juxta Sylveſtrum, Cajetanum, Valentiam, Azorium, Cordubam, Fagundezium. Vigeſimò Secundò, Non eſt lethale peccatum negativè ſe habere circa delectationem moroſam, & non poſitivè reſiſtere, quia ceſſat periculum conſentiendi, ita Navarra, Cajetanus, Roſella, Amella, Corduba, Toletus, Fagundez, Sanchez, & alii. Vigeſimò Tertiò, non eſt lethalis culpa Deſiderium & conſenſus conditionalis intenſus, quo quis vult adulterium committere, ſi ei eſſet licitum, quia cùm conditio ſumatur ex parte voluntatis, ea adjecta tota peccandi voluntas excluditur, ita Cajetanus, Fumus, Sa, Alcoz, Mauel, & alii. Vigeſimò Qnarò, Nonniſi veniale eſt, etiam abſque utilitate ſe cibo & potu uſque ad vomitum ingurgitare, niſi ex hujuſmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur. Ita unus ex articulis Academiæ Lovanienſi exhibitus. Plura qui deſiderat in hac materia, adeat Pontificios Doctores, inter quos Præcipui, Burckhardus, Thomas Sanchez in grandi illo Opere de Matrimonio, Johannes Caramuel in Theologia Fundamentali à pagina 563. uſque ad paginam 615.

XVII.

Quid verò ſentiendum de iſtiusmodi Effatis, quæ tantam Mephitin impuritatis exhalant, Primum de ſimplici fornicatine impium eſt. Fornicatio enim pugnat cum lege divina, cum virtute Temperantiæ, cum fine quem DEUS intendit, qui eſt conjunctio maris & fœminæ, unde etiam hæc ſententia deſtruitur

ſtruitur ab ipſis Pontificiis aliis, Thomâ, Cajetanô, Leſſiô, Azone, & aliis. Caramuelem autem egregiè exercet & confutat Socius Religionis. Secundum, publici & notorii concubinarii ſi non ſunt ſuſpenſi hodie ipſo facto, de jure indulgentiæ erit papalis & illius character, qui ad vitia connivere ſolet, quanquam ſuſpenſos eſſe & irregulares ſi celebrent, aut alium ordinis ſacri actum exerceant, doceat Jus canonicum Declaratio Concilii Tridentini ad cap. 14. ſeſſ. 21. quæ ita legitur: Clerici concubinarii ſunt etiam hodie, ſi notorii ſunt ipſo jure ſuſpenſi à divinis, prout etiam in Veteri Jure ſunt, & hanc ſententiam tenent atque defendunt, contra alios Franciſcus Toletus, Ludovicus Lopez, Vega, Azorius, Farinacius. Tertium Magiſtratus Authoritatem vellicat, & falſum ſupponit, quaſi Clerici, & quicquid illis adhæret laciniarum, ſive lixarum, concubinarum & cæterarum, non ſubſint Politicæ Poteſtati, præterea legibus Romanorum, totius Hiſpaniæ, Galliæ &c. in concubinas pœnæ decretæ ſunt, & omni juris fundamento careat denegare ſecularibus Judicibus poteſtatem puniendi, temporale crimen in perſona ſæculari commiſſum, unde etiam contra hanc ſententiam diſputat Fagundez & Eſcobar de Mendoza. Quartum pugnat diſertè cum lege divina, Deut. 23. v. 17. ubi omnis illa venus publica prohibita; Secundò nunquam ſunt facienda mala, ut eveniant bona nunquam alendæ lupæ ne ineantur agnæ. tertiò ipſi Pontificii quoque agnoſcunt, oppoſitum magis eſſe ex ratione ſanâ & voluntate divina, videatur Planctus Eccleſiæ. Quintum inordinato concubitui ſubſerviens licentiam facit peccatis, quod ſi enim non eſt peccatum mortale illa ἀταξία, quam facilè erit laxare frœna libidini, & illi hîc ſuccumbere, violare thori ſanctitatem & ſacrilegum ſeſe in illo exhibere, ſecundò quî non ſit peccatum illud quod eſt inordinatum contra ordinem ſcilicet naturalem & inſtitutionem divinam? denique ipſi ſaniores ex Pontificiis hîc agnoſcunt oppoſitum eſſe tutius, proinde ſequendum. Sextum, nititur primò falſa hypotheſi, quaſi illa tantum eſſet inter duos viros, cum præpoſtera Venus etiam in conjunctione Maris & fœminæ illo titulo

ſit exprimenda, & omnia hic accidant, quæ in Sodomia excepta ſexus identitate. Præterea quia Sodomia eſt divortii cauſa, ſive ſit activa ſive ſit paſſiva, &c. Septimum falsâ hypotheſi nititur, quaſi ſcilicet in tali caſu non ſit propria Sodomia, quia ſervatur vas, cùm tamen ſit inter perſonas ejusdem ſexus, ſecundò talis Coitus planè innaturalis eſt, & cum ſexu indebito quî itaq; non veniat Sodomiæ accenſendus; inde etiam Lupus tales in reſervatum Sodomiæ caſum incidere affirmat de caſibus reſerv. part. 2. caſu 10. num. 114. cum quo conſpirant etiam alii. Octavum de copula cum nondum conjugata egregiè refutatur à Socio. Pugnat enim cum Matrimonii natura, quod ſi ratum à Sociis utut non conſummatum, cenſetur eſſe Matrimonium in oculis divinis, unde etiam Scriptura hunc modum loquendi uſurpat, ut Sponſas Uxores & viciſſim appellet. Secundò etiam in Papatu docetur ex Matrimonio rato non conſummato affinitatem oriri, & tandem huc collimant Thomas, Sotus & Sylveſter. Nonum Characterem AntiChriſti prodit, hoc enim eſt ſe efferre ſupra DEUM, diſpenſare ſc. velle in legibus ſuperioribus, hoc eſt, terminos humanæ poteſtatis tranſilire, talia concedere, quæ DEUS prohibuit. Maluit caput ſuum ſubmittere carnifici, jugulum gladio Johannes Baptiſta, quam probare inceſtuoſas Herodis cum fratris uxore nuptias, unde etiam ex ipſis Pontificiis quibusdam fuerunt, quibus diſplicuit illius deſponſationis exercitium. Decimum, laxat conſcientiam contra Scripturam, rectam rationem, & Theologorum authoritatem. contra Scripturam; quæ vult, ut occaſionem peccandi declinemus, abſtineamus ab omni ſpecie mali; rectam rationem, quî enim ejusmodi occaſio non ſit voluntariè aſſumpta & continuata? Theologorum authoritatem, quibus diſplicet illa Tamburini audacia. Undecimum, ipſa fœditate inhorreſcit, & quantum quantum eſt, putidum eſt. Impium eſt dicere, licitum eſſe deſiderare pollutionem, ob ſanitatem vel alium honeſtum finem, cùm nunquam ſint facienda mala, ut eveniant Bona, alia etiam in promptuario Scripturæ ſint remedia præſcripta, alia ab ipſo Drexelio in Niceta ſuggeſta: falſum enim eſt, pollutionem eſſe

ex

ex se rem indifferentem, cum ipsa vox aliud indicet, Moralitatis ratio oppositum evincat, quam sordidū verò illa non teneri aliquem, nec sub veniali in plena vigilia, in qua potest effusionem reprimere, id præstare, quod tamen non displicuit Emanueli Sà, Filliucio, Graffio, Cordubæ, Fagundezio, & aliis, scilicet non est pugnandum contra tentationes carnis, sed ad primum impetum arma sunt abjicienda? non reprimenda sunt libidinum incentiva, cum tamen facultas adest & vires desuper datæ; quam crudum illud mortale non esse deliberatè desiderare in vigilia, ut tibi vel alteri pollutio eveniat in somno ob finem aliquem bonum, quod tamen asserit Angelus, Sà, Sylvester, Fagundez, Toletus, Vasquez, Filliucius, Sanchez. quam impium illud pollutionem etiam ex verbis impudicis, turpibus cogitationibus & tactibus in somniis eventuram non esse mortale peccatum, quod Sancius defendit, quem alii quoque sequuntur. Duodecimum castigat Sinnichius graviter, Decimum tertium illos absolvit à peccato, qui tamen Moraliter concurrunt & participant, secundò ponit conditionem consensus, qui tamen præsumitur ex concursu & actuum Ministerio, elevat gravitatem peccati, imò negat peccatum esse sicubi fiat propter temporalem commoditatem scilicet DEUS, illius Timor & Reverentia postponenda est temporali commoditati, & quod ad mala concurrit ex hac causa non peccat, non delinquit. In Decimum quartum prolixè declamitat contra Caramuelem strictioris Conscientiæ Doctor. Decimum quintum retundit masculè Laxitatum ille Domitor. Decimum sextum exaxaminat iterum laudat⁹ Hibernus §.CDXXX. p.447.498. Decimum septimum patrocinatur Clericis, supponendo falsum, quasi talis concubitus non esset Sodomia, cum tamen sit verè & propriè hujus speciei peccatum, unde etiam sub hoc genus criminis referunt Sayrus, Garzia, Quaranta, Riccius, Gambacurta & Homobonus. Decimum octavum iterum veniam facit Clericis Sodomitis, & supponit falsissimum, quasi ille demum esset Sodomita, qui frequenter se contaminat hoc actu, ut Artifex, vel Mercator non dicitur Artifex vel Mercator, qui se-

qui ſemel vel iterum artificii vel Mercaturæ exercet actionem, ſed qui ſolido exercet, ut vulgi opinione pro artifice aut Mercatore habeatur. quia ſecundo ſi Laici ſunt Juris pœnis obnoxii, citra criminis frequentiam, cur non Clerici, denique, quamvis Pontifex utatur verbo exercent in Bulla, tamen ſecundum Pontificios ipſos in Canonicis decretis tam exacta verborum proprietas non obſervari aſſolet. quicquid itaque dicatur, arguitur Papatus, ſi vox exercentes ſtrictè uſurpatur de frequentationibus actus hoſce, impietas & Mollities Pontificis diſpaleſcit, ſi adeò latè accipiatur patet Impietas Moraliſtarum ſupra adductorum, qui non niſi poſita actuum frequentia ad artificium uſque Sodomiæ volunt reos eſſe iſtiusmodi Clericos, in contrarium tamen nituntur Azevedo, Cevallos, Salzedo, Aldrete, Ledeſma, & alii. Decimum nonum iterum effugia quærit in Bulla Clericis impuris & flamma dignis, nam annon lex pœnalis de caſu ad caſum extenditur, quando eadem ratio militat, & ita definiunt Riccius, Homobonus, Lodeſma, Vega, Manuel, Quaranta, & alii. Vigeſimum ex Theologia illa eſt profectum, ubi veniale putatur quod divinæ voluntati revelatæ adverſatur, ſufficere itidem, ipſi Pontificii docent, quia ubi quis ſpecialiter non judicat, rem eſſe venialiter tantùm malam, mortaliter peccabit, ſi in ea re illicitâ delectatur, hinc contrariæ ſubſcribunt ſententiæ Zumella, Sanchez, Vaſquez, Fagundez. Vigeſimum primũ, de delectatione moroſa falsâ nititur hypotheſi, refutatur ab ipſis Pontificiis, quia delectatio cogitationis ſpeculativæ alicujus operis & peccati mortalis neceſſariò involvit delectationem, & conſenſum ipſius mali operis, & ita ſentiunt Thomas, Cajetanus, Bonaventura, Scotus, & alii. Vigeſimum ſecundum ſufflaminat in Curſu pietatis, in lucta contra vitia, etiam ex quorundam Pontificiorum ſententia lethale peccatum eſt, idque ideò, quia tam liberum & voluntarium videtur reſpectu peccati non reprimere illos appetitus ſenſitivi motus, quos ratio plenè ac perfectè advertit: ac perfectè in illis conſentire: Ergo idem eſt, tunc illos non reprimere, aut cauſam illorum antecedenter non rejiecere

cere, ac in illis consentire. Verùm, qui non repellit libidinis causam, in qua periculum consentiendi inest, cum possit, tacitè, ac implicitè videtur exhibere consensum: Atqui hoc periculum semper in tali causa inest, quamvis homo habeat propositum formale non consentiendi, semper enim ea turpis commotio cogitatioque de se attrahit appetitum, & animum ad consentiendum? Ergo qui hanc causam & periculum expressè non rejicit, implicitè illud vult, ac proinde lethaliter peccat; nam, qui amat periculum, illo peribit. Sic Valent. 2. 2. d. 6. quæst. 4. punct. 5. Sayr. in Clavi lib. 8. cap. 7. num. 3. Zumel. 1. 2. q. 74. art. 8. d. 2. Vasq. 1. 2. tom. 1. d. 108. c. 2. & alii recentiores, queis contraria opinio improbabilis videtur. Unde etiam concedunt in hanc sententiam Valentia, Sayrus, Zumell, Vasquez & alii ex modernis. Vigesimum tertium in memoriam revocat illud, quam vellem si liceret, & ex carnis sensu respondet, an nescis te superiorem esse lege divinâ, leges dare, à DEO non accipere? Secundò etiam ex Papistarum Principiis turpis illa actio est intrinsece mala, unde absque sua malitia cognosci nequit: Ergo nec amari, ac desiderari; nihil enim volitum, quin præcognitum. Quare conditio illa negans eis hanc malitiam, contradictionem involvit. Neque obstat, quod illa conditio habeatur ex parte voluntatis; quia voluntas non potest efficaci desiderio velle rem illam, nisi ut ab intellectu valet cognosci: nunquam autem dignosci potest ab intellectu absque sua mala intrinseca natura: Ergo etiamsi habeat se ex parte voluntatis non excludet ab ea peccatum in efficaci volitione. Ita Sanch. Decalog. t. 1. cap. 2. num. 23. Adrian. quodlib. 10. art. 2. conclus. Fagundez. Decalog. libr. 9. cap. 3. num. 3. Azor. tom. 1. libr. 4. cap. 6. quæst. 10. Viderunt hoc in tenebris suæ Religionis Sanchez, Adrianus, Fagundez, Azorius & alii. Vigesimum quartum examinavit Sinnichius, & ita conclusit ex hactenus toto isto capite ac præcedente deductis: obvie cernitur, quam rectè à Schola Theologica Lovaniensi reprobatus fuerit Articulus iste, ordine vigesimus primus inter viginti sex sibi per Episcopum Gandavensem Anno 1657. propositos: *Non nisi veniale est, etiam absque utilitate, se cibo & potu usque ad vomitum ingurgitare; nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.* Quem Articulum denuo Episcopus Namurcensis Anno 1659. synodaliter proscripsit, ordine penultimum inter septemdecim, quos tanquam novos, periculosos, & salutis animarum destructivos, à sua diœcesi eliminandos

censuit. Lovaniensis porrò Censura ejusdem Articuli sic sonat: Scandalosa assertio, & falsa in sua generalitate, ac laxans habenas potatoribus ad se liberaliter ingurgitandum & inebriandum.

XVIII.

ERRORES CALVINIAORUM.

Rigidiores justo sunt hic quoque Calviniani, qui primò proscribunt omnes Choreas, de quo videndi Arezius, Perkinsus, Amesius. Secundò, ludos & Comœdias simpliciter improbando, de quibus videndi Rivetus & Amesius.

ARMINIANORUM.

Errant Arminiani primò, dum statuunt, præceptum de non mœchando non se extendisse adeo, ut Polygamiam etiam vetitam esse eâ lege censeri debuerit, ut habet Apologia Remonstrantium. Secundò, præceptum istud eò se extendisse, ut divortium ob aliam nullam causam, quam ob adulterium, comprehenderit, prout istud nunc accipiendum in Novo Testamento.

ANABAPTISTARUM.

Hi statuunt primò Legem Moralem fuisse imperfectam in V. T. quia indulserit divortium, Repudium & Polygamiam. Secundò statuunt, quando Moses vetat committere adulterium, adjecisse Christum, non aspiciendam esse Mulierem. Tertiò statuunt, Maritum fidelem ab uxore, & uxorem fidelem à Marito apostata debere ac teneri se abstinere, donec conjux Apostata se convertat ad preces, quibus à DEO & Ecclesia impetret peccatorum remissionem, & scandali dati abolitionem.

PHOTINIANORUM.

Photiniani accusant quoque imperfectionis hoc præceptum. Ita enim Catechismus Rakoviensis quæst. 92. Quod verò est septimum Mandatum? R. *Non mæchaberis.* Quæst. 93. Quid huic addidit Dominus Jesus? R. Primum ne mœchemur, non solùm reipsâ, verum etiam, ne mulierem, ita ut eam concupiscamus, aspiciamus: id innuens, eum,

qui

qui eam concupiscat in corde suo, adulterium patravisse. Præterea idem addidit, eum, qui uxorem exceptâ causa adulterii dimittat, & aliam ducat, mœchari, & qui etiam dimissam duxerit, eum pariter mœchari. Postremò omnem scortationem & impuritatem, ac etiam omnem sermonem turpem, & obscœnum, & scurrilitatem, & jocos nobis interdixit: Paria leguntur apud Smalcium de præceptis. Copiosè verò illa exponit Volkelius lib. 4. de Relig. cap. 7. pag. 108.

XIX.

Catechismi Rakoviensis commentum discutit Lux Scripturæ, divinæ veritatis radius. Nam primò nullum est additamentum illud de non aspicienda muliere, ut eam concupiscamus, sed Legis divinæ Exegesis opposita non Mosi, sed Pharisæis cœcis & cœcorum Ductoribus. Secundò, annon ut DEUS diligendus ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine, ita quoque diligendus est proximus? Dicitur enim Levit. 19. v. 18. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*, quod Christus dicit Mandato primo esse simile: at qui potest dici illum diligere DEUM ex toto corde, & ex tota anima, & totâ fortitudine suâ, qui intus ardet amore impuro, castissimæ Menti adverso, qui diligere proximum ut seipsum, qui cogitat id facere, quod proximum lædit, quod sibi fieri non vellet, si illius esset loco? Tertiò, posito, quod in hoc præcepto, *Non mœchaberis*, non exclusa esset concupiscentia, quod tamen falsum esse constat ex ipsa hujus præcepti præmissâ Exegesi, nihilominus non esset additamentum illud Christi Matth. 5. cum apertè dixerit DEUS: *Non concupisces uxorem proximi tui*, Exod. 20. v. 17. Deut. 5. v. 25. De quo ita Soc. in Explic. cap. 5. Matth. pag. 88. Sanè jam in ipsa Mosis Lege non expressè vetitum erat, alterius uxorem concupiscere. Quare si id modò Christus dicere voluisset, nec quidquam novi dixisset, &c. pag. 89. Moses, quamvis cupiditatem istam disertè prohibeat, &c. Cui adjunge Deuter. 27. v. 26. *Maledictus, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis hujus.* Habes hic 1. generalem interdictionem. 2. Pœnam divinam, mortem æternam. Et quamvis non vocetur hæc concupiscentia totidem literarum apicibus & syllabis ADULTERIUM, tamen quia æternâ morte DEUS dignam judicat, & severissimè clarissimis verbis in Decalogo interdicit, quis dubitet etiam in V. Test. DEUM concupiscentiam, quâ quis internis motibus

 rea-

realiter alteram adulterare constituit, & omnimodo desiderat alteram comprimere, si modò succederet, non aliter habuisse, quàm si verè corde adulteratus fuisset, cùm & ipse Smalcius in V. T. internum adulterium agnoscat, contra Frantz. pag. 247. Secundò, illud additamentum de uxore non dimittenda, nisi in casu adulterii, iterum confictum est, debuisset nim. etiam hoc observari in V. T. utpote conformme primævæ Conjugii institutioni. Secundò, num non Malachias contestatus fuit displicentiam Divinam, num non ad Legem Moysis revocavit, cap. 2. v. 14. 15. 16. & cap. 4. v. 4. Tertiò, Constitutio Mosaica de libello Repudii, Deuter. 24. vers. 1. non fuit nisi indultum politicum ob σκληροκαρδίαν Judaicam, unde ipse Christus negat Mosen præcepisse, qualibet ex causa dare libellum repudii, sed permisisse tantum, ipsa Verborum Structura hoc docet, quæ ita concepta, *cum quis duxerit uxorem*, &c. Deuter. 24. v. 12. 34. ipsum Abarbarnelis Testimonium, de quo alibi. Tertium, adjectum itidem nullum est, siquidem DEUS etiam in Veteri Testamento omnia incitamenta libidinum improbavit, Proverb. 2. vers. 16. cap. 6. v. 26. cap. 7. v. 7. & 13. Secundò, cur DEUS tàm graviter punivit scortationem, de quo 1. Cor. 10. v. 3. si non peccarunt contra Legem de non mœchando. Tertiò, annon expressa Lex Deut 23. v. 17. Levit. 19, 29 Turpiloquium & obscœnitatem quod attinet, quamvis non totidem literis prohibeatur, tamen excluditur quoad sensum. DEUS namque studiosè declinavit legum prolixitatem, & tanto artificio interim brevitatem concinnavit, ut cuivis plebejo sensato facilimum fuerit, meditando dies noctesque legem DEI, ex uno casu colligere reliquos, & ita ad plenam legis cognitionem pervenire. Prohibetur ergò, quoad sensum Deut. 6. v. 13. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine*, Levit. 19. v. 18. *Dilige proximum tuum sicut teipsum*, Levit. 11. v. 44. cap. 19. v. 2. cap. 20. v. 7. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Dominus DEUS vester.* Jam, qui turpibus & obscœnis gestibus, verbis, & moribus utuntur, illi utique DEUM non toto corde, anima, & viribus, reverentur & colunt, quem sciunt esse Spiritum castissimum & purissimum. Judica, si cogitasset aliquis, qui delectatus fuit istis obscœnitatibus, DEUM ignem consumentem, & fortem zelotem, Majestatem ineffabiliter sanctam, castam, puram adstare, omnia turpiloquia audire, gestus obscœnos videre, & omnibus actionibus interesse,

judi-

judica, an exerciturus fuisset suos ludos & jocos? Non certè arbitror. Ergò dum exercuit, DEUM non toto corde, non totâ animâ, non omnibus viribus reveritus est & coluit, & sic hoc præcepto illi inordinati joci & ludi tolluntur, & prohibentur. Sic, qui debet sanctus esse, sicut DEUS est (explicante ita Petro 1. Epist. cap. 1. v. 15.) illi utique obscœna verba interdicuntur, à quibus DEUS maximè abhorret, & hinc congressum conjugalem, Gen. 4. vers. 1. & excretionem naturæ, 1. Sam. 24. v. 4. admodum pudibundè effert. Denique, qui jocis & ludis delectatur, & utitur impudicis & obscœnis, proximum non, sicut debebat, diligit, quippe, quem vel hâc ratione ad idem exercitium deducit, & ita turpissimè seducit, occasionem ad majora facinora subministrando, vel scandalum ei præbet. Ergò illis præceptis etiam in Vet. Test. severè fuerunt interdictæ obscœnitates, turpiloquia, & urbanitates illicitæ.

XX.

Smalcius nihil novi prodit, quod non discussum in antecedentibus, de jejunio verò, quod adjicit, nullius est momenti.

XXI.

In Volkelio primò non probamus, quod dicit, scelus hoc dupliei modo secundum prisci fœderis rationem fuisse commissum, & imparem fuisse tunc Viri & Uxoris conditionem, nam & pariter hoc scelus hodie committitur in foro soli, & etiam in Veteri Testamento non licebat marito vel stuprum inferre vel scortari ut hodie, quod vero Vir habebat concubinas, uxor autem ad unum fuerit adstricta Virum, id quidem ex parte uxoris eâ de causa factum, quia alias facile suppositi fuissent alieni partus, & maritus in currucam transformatus, aliâs quantum ad fidem conjugalem debuit esse utrinque par conditio, neque vel uxori vel marito illam violare licebat, de Polygamiâ autem quod addit, ad id Respondemus cum Christo ex Matth. 19. v. 4. Annon legistis, *quod is, qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos?* v. 5. Et dicit: *propterea deseret homo patrem ac matrem, & adglutinabitur Uxori suæ, & erunt Duo in carnem unam*, v. 6. *itaque jam non sunt Duo, sed una caro. Ergo & in Veteri Testamento tantum Duo juxta legem & institutionem divinam debebant esse in carne una*, quod Smalc. p. 253. etiam de vo-

etiam in causa illa prima, desideria non posse dici voluntaria. Quintò, quæ de commessationibus interdictis proponit, ea & in Veteri Testamento locum habuerunt, si enim omnia illa prohibita fuerunt, quæ faciebant ad libidinum incendia, etiam commessationes & ingurgitationes fuisse interdictas dextre colligitur, si ipsi gentiles viderunt fomenta ex commessationibus subministrari & ventrem plenum despumare, si DEUS ipse per Prophetas ad jejunia vocavit suos, ut imprimis videre est Joëlis secundo capite, quis non commessationes DEO displicuisse ex eo intelliget, neque jejunia multo magis nostris quam priscis illis sub veteri fœdere temporibus convenire admittimus, cum aliud indicet Christus, Matth. 9. v. 14. 15. vel in vetusto illo fœdere precum religionem lege sancitam non fuisse, cum oppositum constet ex Dan. 9. v. 3. Joel. 2. v. 15. 16. Jonæ 3. v. 3. vel tantam castitatem Sanctimoniamque vitæ ab illius ætatis hominibus fuisse exactam, quanta præditum eum esse oportet, qui ad sempiternam vitam adspirare cupit, lex enim est spiritualis teste Paulo, Rom. 7. Omne carnale excludens & perfectum hominem requirens. Sextò, quæ de indulgentia urgetur, illa ipsa primâ fronte absurda sunt, non enim credibile, DEUM voluisse Ecclesiam suam impuram, contaminatam, vitiis refertam, oleum affudisse ignibus libidinosis, homines in porcos transformasse, illuminatos verbo ad spem melioris vitæ, in animalia ventri obedientia; Secundò num non ipsa praxis aliud docet, Deut. 21. v. 10 num non commessatores tales traducuntur, Proverb. 23. v. 20. & cap. 28. v. 7. Amos. 6. v. 3. 4. 5. 6. Tertiò quam putidum dicere, quæ olim in peccatis non fuerint habita, nunc sæpe gravissima esse æstimanda, cum peccati natura non immutetur ut legis, sed quod ἀνομία semel, illud semper & perpetuo collatum scil. ad legem moralem perpetuam & immutabilem. Patet insuper falsum esse quod dicit Volkelius apud Esaiam nequaquam commessationes ebrietatemque simpliciter prohiberi; cum verba sint solis radio scripta, nec Musica instrumenta propterea etiam simpliciter censenda sunt prohibita, sicut ebrietas, quia, ut docent verba adjecta, reprehendit DEUS illos Hectoras udos, quod opus ejus non respexerint, vel si comparare placet, dicendum usum cibi & potus seu vini non damnari, sed abusum, & ita quoque non Musicam, sed illius abusum, & quod Esaias reprehendit, id reprehendit, quia contra legem, cujus ut cæteri Prophetæ fuit Interpres, neque enim illi aliud quam Evangelium & Legis Exege-

sin auditoribus suis proposuerunt. Septimò, quæ de castitate conjugali urget, & ex 1. Cor. 7. v. 29. confirmare studet, caduca sunt, eadem enim puritas requirebatur à lege in Veteri Testamento, & quod Paulus mandavit instante necessitate, etiam imperatum in Veteri Testamento, ex Joëlis capite secundo fuisse, constare potest. Octavò, quæ de Divortiis promit, supra excussa sunt, dum ostendimus, talia potius esse tolerata quam præcepta, nec Christum aliquid novi introduxisse, sed ad primævam institutionem revocâsse: quæ ex Paulo proponit, illa agunt de dissolutione quidem Matrimonii, sed non à purâ mariti voluntate pendebat illa, quæ ex Adulterio, de quo casu Christus. De Polygamiâ supra sententiam diximus, ut & in observationibus ad Grotium, hoc certum non fuisse illam Polygamiam Adulterium. Is enim accuratè loquendo, est Adulter, qui alienam uxorem constuprat, & maritali affectu non addicit se cæteris, qualis tamen obtinuit in fœminis istis secundariis, & præterea dispensatio divina intervenit, quæ etiam rationem peccati sustulit. Deinde illud, quod Matth. 19. v. 9. dicitur μὴ ἐπὶ πορνείᾳ μοιχᾶται, Luc. 16. v. 18. μοιχεύει quidem per Ebraismum explicant, transitivè facit illam mœchari, ut habetur Matth. 5. v. 32. quæ Paulus concessit 1. Corinth. 7. ex utraque parte sunt intelligenda, nec illa de muliere non separabili à viro sunt aliter accipienda, quàm sub Hypothesi voluntatis Mariti, & fidei constantis ex parte illius. Tandem quæ de Cœlibatu proponit, admitti possunt, modò illud dextrè intelligatur de statu laudabili, cum per se aliàs sit status indifferens, & bonus dicatur non moraliter, sed politicè pro ratione commoditatis ex instanti necessitate, & non acquisitioni tribuatur continentia per labores & Conatibus à nostris, sed gratiæ divinæ peculiari, nec perfectio singularis in continentia quærenda, cum conjugalis quoque spectet ad illam.

CAPUT IV.

Caput IV.

PRÆCEPTUM VII.

VERBA TEXTUS.

לֹא תִּגְנֹב׃ *Non furaberis.*

PRæceptum septimum, ut duo antecedentia, breviter sed nervosè exprimitur sequentibus verbis: *Non furaberis.* subjungitur vero quinto & sexto debito ordine, quia, cum de vita & corpore hominis fuerit provisum, etiam de bonis, quæ illa conservant, & nos circumstant, decenter agatur.

Thesis I.

Tria verò hic observanda veniunt, primo Actus ipse, secundò objectum, & tertiò prohibitio. Actus ipse à DEO designatus est verbo גנב Ganaf. Notat autem hæc vox aliquid clam subducere & occultè occupare, atque usurpatur de Jacobo, cùm Laban dicit, quod *furatus esset cor illius.* Genes. 21. 16. de Absolone, *quod furatus fuerit cor Israelitarum.* 2. Sam. 15. 6. de populo, qui *furatus est seipsum.* 2. Sam. 19. 3. & psevdoprophetis, qui *furati sunt verba Domini, unus ab altero.* Jerem. 23. 30. Diversitas autem aliqua est in hisce locis; quando enim hoc verbum usurpatur de Jacobo, notatur celasse discessum suum; atque ita furatum esse cor Labanis, quo respicit Chaldæus, quando reddidit, abscondisti te à me, vel ut alii volunt, effecisti dissimulatione tua, ut cor meum fuerit in potestate tua, ut non observaretur, ut versiculus vigesimus septimus innuit. Quando autem Absolon dicitur furatus esse cor populi, notatur illum abalienasse illud, clam subduxisse, fraude ad se pellexisse. Quando populus dicitur se furatus, notatur subductio cum pudore conjuncta, quando verò psevdoprophetæ dicuntur furati verba Domini, notatur interceptio, quod scil. effecerint, ne cognoscerentur, & in cor descenderent, interim tamen ubique occulta machinatio insinuatur, unde etiam hoc verbũ verbo גָּזַל quæ est publica alieni occupatio, contradistinguitur. LXX. In-

terpretes habent verbum κλέψεις. Κλέπτειν verò sic dicitur quasi καλύπτειν occultare, imo ipsum nomen furis à Græca voce φῶρα quæ à φῶρ videtur descendere, adeoque furtivam subductionem indicare, metaphora petita à fucis, apum operibus insidiantibus, & furtim mella subducentibus, devorantibus.

II.

Non male Lorinus: Verba תִּגְנֹב thingob, & κλέψεις, & furtum faciendi, seu furandi, propriè involvunt ut clam quid surripiatur. Quod Laban dixisse legimus ad Jacob; *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi?* Hebraicè & Græcè est, *& furatus es me,* וַתִּגְנֹב אֹתִי vatthingob othi, καὶ ἐκλοποφόρησάς με: & paulò antè; *noluitque Jacob confiteri socero suo quod fugeret,* (*& furatus est Jacob cor Laban,* וַיִּגְנֹב יַעֲקֹב אֶת־לֵב לָבָן vajingob Jahhakob eth leb Laban) exponitque prætereà Cajetanus quoniam clam discedens Jacob irritum fecisse consilium Laban quod corde cogitaverat, ut non sineret eum auferre quas sibi apud illum opes pepererat, sed nudum dimittere cogitavisset: & Lipomanus de opibus, quas Laban ut cor suum amabat. Eodem loco Græcè est ἔκρυψε, abscondit, Chaldaicè כַּסִּי chassi, celavit. In historia Regum, *quare te furati sunt fratres nostri viri Juda;* quod Hebræo textui & Græco respondet גְּנָבוּךָ ghevanucha, & ἔκλεψάν σε: Chaldaicè autem erat כַּסְיוּךְ casseiuch, occultaverunt te. Ibidem (*& declinavit populus in die illa ingredi civitatem*) Hebraicè, Chaldaicè, Græcè (*& furatus est populus,* seu *furati sunt sese,* וַיִּתְגַּנֵּב vajithganneb, וּמִתְגַּנְּבִין umithgannevin, καὶ διεκλέπτετο. Tale illud:

Germane vultus veste furabor tuos.

Item:

----- ac se tegmine ingenti clepit.

Unde clypeum dictum volunt, quòd hominem tegat, ac oculis furetur, quod est clepere, & κλέπτειν hujus loci nostri verbum, quasi καλύπτειν. Sic verò etiam furem, ut aliàs notavi, quidam inter cæteras notiones, ferendi, hoc est, auferendi, & φωρ, à futuro derivant, id est, à nigro, & tetro, quòd latebras, tenebras, obscurum, noctem fur quærat: & olim Laverniones quoque vocabantur fures à Laverna dea, de qua dixi, sub cujus tutela essent, & in cu-

in cujus luco obscuro abditoque furta prædamque inter se luere solerent. Dicebatur quoque furis nomen de servo, ut

Quid domini faciant, audent cùm talia fures?

Plautusque trium literarum homo, id est fur, servum significare dicitur: etsi per ironiam præterea significatum volunt eum, qui videri affectabat ingenuus, quòd talis nomen, prænomen, agnomen tribus literis notaret, ut M.T.C. pro Marco Tullio Cicerone.

III.

Etsi autem verbum Ganab occultam subductionem notat, tamen generalissimè hoc præceptum est accipiendum: idque patet tum ex ipso hoc verbo, quod significat rem inscio Domino auferre, ita, ut non animadvertatur, si itaque inscio Domino quod aufertur, furti nomine venit hic & inter prohibita refertur, multò magis quod invito, tum ex legis divinæ conditione, quæ spiritualis est, & consequenter spiritualem vult hominem, qui careat omni cupiditate rei alienæ, quæ perfecta est, & consequenter requirit abstinentiam perfectam & omnimodam ab alienis bonis, quæ concisè concepta & sensus fœcundissimi, atque propterea prohibet furtum occultum, ut intelligamus multò magis esse prohibita, quæ manifesta, vel majori cum fœditate & turpitudine conjuncta, tum ex interpretatione hujus legis in libris legis Mosaicæ. Huc enim spectat illud Levitic. 19. Unde Augustinus q. 71. in Exod. Furti nomine benè omnis illicita alienæ rei usurpatio intelligitur, non enim rapinam permisit, qui futum prohibet, sed utique à parte totum intelligi voluit Gellius, adde quæ habet Hugo Grotius, pagin. 46. graviter itaque errant quidam ex recutitis, qui hoc Præceptum tantum in furto hominis sive plagio exponunt, quos castigat noster Gerhardus.

IV.

Ratio autem cur adhibuerit Deus hoc verbum, exposita est à Chemnitio, qui ita: Jam considerandum, cùm certum sit, latrocinia, deprædationes, rapinas, &c. in septimo præcepto prohiberi, sicut sententiæ manifestæ sunt: 1. Corinth. 6. v. 10. Ezech. 18. v. 7, 10, 12, & 16. cur DEUS non scripserit: Ne sis raptor, vel latro; sed: *Non furaberis:* & illa consideratio ostendit, quàm magna sit sapientia in Decalogo. Ratio igitur latrocinia

& manifestam violationem utcunque agnoscit, reprehendit & damnat: quando verò per occultas fraudes, vel prætextu juris & cum proximi incommodo nostra augemus commoda, ita ut vel aliorum hominum conscientiam fallamus, vel ipse non sentiat & animadvertat, quem fraudamus, ibi nulla religio est ditescere, sed omnes plus satis diserti sumus ad vitia illa, vel excusanda & extenuanda, vel etiam defendenda. Deus igitur singulari consilio usus est tali verbo, sicut dictum est, ut ostenderet coram Dei judicio, reos censeri non tantùm raptores, quos etiam politicæ Leges puniunt: sed etiam si fraudibus omnium hominum conscientiam fallas, Deum tamen vindicem fore. Rapina enim, quia manifesta fit, gladio magistratus punitur, vel certè debet puniri. Clandestinæ verò species furti, quia judicis conscientiam fugiunt, Dei judicio in Decalogo subjiciuntur. Est igitur ratio à minori ad majus, sicut in secundo Præcepto.

V.

Objectum est res aliena, sive illa sit homo, unde plagium, sive ut res quædam, eaque vel sacra, unde sacrilegium, vel publica unde peculatus, vel pecudis, unde abiegatus, & quæ sunt aliæ species, de quibus in progressu.

VI.

Prohibitionem designat vox לא de qua abundè egimus, & cùm hoc præceptum sit negativum, intelligimus illud semper obligare, & ad omnes sese extendere homines, ad omnes facultates & membra, oculos, linguam, manus & cætera.

VII.

Adversatur itaq; huic præcepto primum Furtum, quod describitur rei alienæ contrectatio violenta vel fraudulenta invito domino. Dicimus, furtum comitti in re aliena: nemo enim rem suam, saltem ut sua est, furari propriè dici potest. Addimus, invito Domino: si enim Dominus consensum adhibeat, atque eatenùs saltem dominium in me transferat, injuriam illi non facio; neque furtum committo. Contrectationem fraudulentam appellamus: quoniam scienter & cum injuria peragitur, animo lucrifaciendæ illius rei, vel usûs. Verùm si alter rem istam mihi debeat, atque ego ex sententia judicis eam occupem illo invito; hoc

hoc furtum non erit: quia res jure mea est; neque ejus contrectatio, vel occupatio, fraudulenta est. Porrò autem res, in quibus furtum committitur, sunt vel Reipublicæ, vel Ecclesiæ, vel privatorum.

VIII.

In rebus, quæ sunt comunitatis Politicæ, sive Reipublicæ, speciali nomine appellatur Peculatus. Scilicet post Religionem; & Imperantes pios, justos, ac fortes; & Leges probas ac sapientes; primùm ad Reipublicæ incolumitatem facit accurata bonorum ac redituum publicorum ratio: atque omnium interest, non imperantium solummodò, sed & subditorum, ut ista fideliter colligantur, conserventur, & administrentur. Non malè vulgò pecunia nervus belli dicitur: verùm insuper in aliis ad Reipublicæ tranquillitatem & felicitatem necessariis, maximi momenti est commune ærarium Politicum. Hinc statim patescit gravitas istius peccati: sive quis fraudulenter aliquid eripiat de ærario Reipublicæ, idque in privatos suos usus convertat, aut dilapidet, &c. vel etiam præripiat, & non conferat in ærarium publicum, quod conferre deberet. Ita peccant, qui vectigalia publica, aliosque census, defraudant: contra illud Christi, Matth. XXII, 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Atque istud Pauli, Rom. XIII. 6, 7. postquàm alia de obedientia Magistratibus debitâ præmisisset; *Propter hoc enim etiam tributa solvitis: siquidem ministri Dei sunt, in hoc ipsum incumbentes. Reddite igitur omnibus, quod debetis: cui tributum* debetur, *tributum; cui vectigal, vectigal; &c.* Accedit exemplum ipsius Christi, qui pro se & pro Petro, didrachma persolvi jussit; Matth. XVII. 27. Quemadmodum etiam Joseph cum Maria, & reliquis, unà venit, ut describeretur secundùm edictum Cæsaris Augusti: Luc. II. 1, 5. Neque est quòd quis excipiat, sic solùm defraudari publicanos; sive redemtores vectigalium: præterquàm enim quòd ista defraudatio etiam eatenùs furti rationem habeat; sic efficitur, ut publicani in ærarium publicum conferre minùs possint quod debent; atque ut ista vectigalia ac tributa deinceps minoris redimantur, & nova quædam imponenda sint; quod cedit in grave incommodum Reipublicæ, & detrimentum eorum qui illa fideliter, sicut probos cives decet, secundùm conscientiam coram Deo, persolvunt. In rebus Ecle-

clesiæ committitur Sacrilegium. Nam propter cultum institutum necessaria quoque est collectio, conservatio, & proba administratio quorundam bonorum in istos usus; ut nimirùm pauperes sustententur; Ministris sua stipendia persolvantur; oratoria exstruantur & conserventur, aliaq; instrumenta necessaria comparentur; quin etiam aliqui in spem sacri Ministerii educentur. Non minùs certè quàm alia collegia qualiacunque suos reditus requirunt. Ista autem bona vocantur Ecclesiastica, quia ad sustentationem Ecclesiæ institutæ appropriata sunt: vel etiam sacra; non quasi inhærentem aliquam sanctitatem haberent, aut solenni ritû à pontifice consecrata essent; sed quoniam ad usus sacros destinata & obligata sunt. Secundò Avaritia quæ describitur, quod sit plus æquo habendi cupiditas. de qua Thummius pag. 498. Tertiò opum Fiducia, de qua Thummius p. 500. impia Sollicitudo de victu corporali, Thum. p. 500. immodicus Labor, de quo Thum. 496. & πολυπραγμοσύνη quæ fugienda, pag. 496. huc refer Tenacitatem, Usuram, ἀεργίαν, immisericordiam, de qua Thum. p. 502. Inhospitalitatem, Ingratitudinem. de qua Thumm. p. 104. quartò Prodigalitas, quæ est peccatum, quo quis facultates sine more modoque dilapidat. de qua Thummius pag. 502. Mendicitas, turpe otium. Thummius pag. 496. huc refer hypocriticam Eleemosynam & simulatam gratitudinem, de qua Thum. 503, 504.

IX.

Virtutes verò mandatæ in hoc verbo primò est Charitas in commodis proximi juvandis, promovendis. Cui opponitur Avaritia quæ est plus æquo habendi cupiditas. Aliqui verò magis in accipiendo avari sunt, ita ut ab aliis nimium accipere cupiant, atque ita ad malas istiusmodi artes applicent animum suum. Alii magis in dando sunt avari, ut minus æquo aliis dare velint, atque adeò plus sibi servare. Alii pariter in accipiendo & in dando avari sunt. Hîc autem expendendæ primùm disertæ prohibitiones. Luc. 12. ℣. 15. *Videte, & cavete ab avaritia: nec enim cuiusquam vita ex iis quæ ipsi suppetunt, in eo sita est, ut redundet.* Col. 3. ℣. 5. *Mortificate membra vestra terrestria, cupiditatem malam, & avaritiam, quæ est idololatria.* Hebr. 13. ℣. 5. *Sint mores vestri alieni à pecuniæ amore: estote contenti præsentibus;* dixit

dixit enim ipse, (Jos. 1. ℣. 5.) *Nequaquam te omittam, neque te deseram.* Psalm. 62. ℣. 11. *Substantia si multiplicetur, ne ponatis cor.* Huc etiam pertinet illud Christi, Luc. 21. ℣. 34. *Cavete vobis, ne quando graventur corda vestra solicitudinibus hujus vitæ.* Secundò Justitia commutativa, quæ est virtus in acquisitione bonorum, de qua Ursinus p. 376. Tertiò justitia in possessione propriarum facultatum, de qua Thumm. pag. 475. Huc refer αὐτάρκειαν virtutem, quâ sumus rebus nostris contenti, non appetimus aliena, vel non necessaria bona, & exiguam quoque sortem ferimus patienter, ut & alia incommoda, de qua Paulus 1. Timoth. 6. Πορισμὸς μέγας. Quartò Liberalitas, quæ describitur, quòd sit virtus, quæ largitur indigentibus secundum rectam rationem, seu quæ communicat aliis facultates suas sine obligatione civili seu jure divino & naturali, seu pietatis & dilectionis causa liberali pectore, pro facultate sua & alterius necessitate, sciens nimirum, ubi, quibus, quando, & quantum possit largiri, & servat Mediocritatem inter profectionem & sordes. Thummius pag. 480. Quintò misericordia in pauperes. Thummius pag. 482. Sextò Hospitalitas, de qua Thummius pag. 491. Septimò Gratitudo, de qua Thummius pag. 493. Octavò Labor & industria œconomica, de qua Thummius p. 472. Nonò, Parsimonia de qua Thumm. p. 480. Decimò frugalitas, de qua Ursin. pag. 339.

ERRORES PONTIFICIORUM.

Ut conscientiam laxant in illis, quæ pugnant cum præcepto sexto Pontificii Doctores, qui præ cæteris in materia moralium volunt esse perspicaces, ita hic quoque à recto calle & tramite abeunt. Nam primò statuunt, illum, qui furatur rem parvam, quam scit magni à Domino pendi, ob idque magno angore afficiendum, non peccare mortaliter, quia irrationabilis sit Dominus rem levem tam acriter ferendo. Ita cum Cajetano Navarrus. Secundò, quando quis ab initio proposuit animo furari ab uno multa minima usque ad notabilem quantitatem, singulæ actiones illorum minimorum sunt lethalia peccata, imò minima furatur à pluribus perveniẽdi ad sũmam gravẽ, si quis id efficiat, quia non habet, unde alias ipse ac familia vivat, adde quod

quod furta Religiosorum ex bonis Monasterii minutatim facta ad quantitatem quinque vel sex Regalium, quæ furtum grave constituunt, non sunt peccata lethalia in ultimo ut loquuntur furtiolo, ita etiam prælati & Superiores locales Religionis, Abbates sc. Priores, Doctores, Abbatissæ, possunt sine furti reatu dare domesticis & externis singulis mensibus duos aut tres aureos de Monasterii facultatibus, quia continuatur tantùm furtum, jam cœptum, non committitur novum peccatum lethale. Ita Lessius libr. 2. cap. 12. n. 4. quia qui intendit hæc minima accipere à diversis, minimè facit notabilem injuriam. Ita Hieronymus ab Angesto. Quia talis non efficit in fraudem præcepti de non furando, sed ut sibi ac familiæ victum eo haud difficili modo provideat. Ita Molina c. de rep. quæst. 10. in fine. Tertiò omnia rerum minimarum furta etiamsi notabilem constituant Quantitatem, non sunt lethalia, nec obligant ad restitutionem sub mortali, quia furtum illud minimum veniale solùm fuit, imò ultimum, quod gravem constituit quantitatem, propter levitatem materiæ culpam venialem non excessit, ita Navarra & Sa in verb. Furtum. Quartò, qui levem quantitatem aufert ab eo, à quo notabilem alii jam abstulerunt, non peccat lethaliter, quia illa non est damni notabilis causa, & ejus furtum in parva est quantitate ad mortale insufficiens. Ita Vasquez, Sanchez, Diana. Quintò filiusfamilias serviens Patri potest clam accipere tantùm, quantum pro eo servitio extraneo cuidam esset insumendum, quia ea bona acquisitita à filio sunt industriæ fructus, & non totaliter profectitia, tuentur hanc sententiam Lessius, Navarra, Angelus, Fagundez, Rosella, & alii. Sextò, uxor, quæ amplissimam dotem detulit, potest absque mariti facultate, quinquaginta, v. gr. aut sexaginta aureos nutrici ipsius ad dotem filiæ, aut ob licitum alium titulum impertire, quia est donatio remuneratoria ex parte uxoris, & ratio postulat, ut uxores etiam donationes remuneratorias faciant, modo non sint immoderatæ, attentis mariti facultatibus & uxoris qualitate, placet hæc assertio Molinæ & Fagundezio. Septimò quantitas minor, dictus Nummus aureus, non est lethale peccatum vasalli respectu Regis vel Principis, quia spectata liberalitate Principum, qui vasallos instar filiorum solent diligere, non vide-

videtur minor hâc quantitate posse assignari, juxta Sotum & Fagundezium. Octavò, Famuli & ancillæ possunt occultè heris surripere ad compensandam suam operam, quam majorem judicant salario, quia suum arripiunt, non alienum, quod plerumque difficile, verecundum via juridica à Dominis recuperare, judice Stephano Baunio, Lessio, Sylvestro, Fagundezio. Nonò, servi captivi possunt licitè seipsos à suis Dominis furari, sive fugere in patriam, aut in alia loca, ubi libertate potiantur, & quãdo Dominis constat hujusmodi servos ad suos confugere, non possunt licitè ab eis ob id puniri, quia illi licitè possunt fugere, si à Dominis occidantur aut mutilentur. & ad impetrandam libertatem, quæ æquè est ac vita preciosa, cum captivitas sit mors civilis. sic statuunt Navarra, Halensis, Sotus, Lopez, Becanus, Covarruvias, Azorius, Lessius, Fagundez, & alii. Decimò, licitum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi. Ita Tamburinus. libr. 8. Tract. 4. cap. 1. §. x. pag. 503. num. 8. Undecimò, qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum, non tenetur ad restitutionem illius damni secundùm Stephanum Baunium. Duodecimò, Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ & cum contractu revenditionis prævia inito cum intentione lucri, sententiam ferente Caramuele, Escobare, Lessio. Decimò tertiò, Advocati videntes rem non posse convinci, posse tamen probari, semiplenè possunt actoris patrocinium sumere, &c. Decimò quartò, non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcunque sit magna summa totalis judicio Baunii. Decimò quintò, superfluum non est, quod homines servant pro status sui vel parentum qualitate habita vel adipiscenda, ideoque vix poterunt inter seculares inveniri, qui superfluum habeant. Decimò sextò, fas est otiari & mendicare. ita Ecclesiæ Romanæ columen Bellarminus. Decimò septimò, montem pietatis erigere licet & conducit. Decimò octavò, possunt lapidea templa egenis præponi. Decimò nonò, Judæis, possunt ædes locari, &c. Vigesimò, licet indulgentias vendere, & calicem Laicis subducere.

X.

Primò omnium hîc Astutia Doctorum Pontificiorum in hâc materia occurrit expendenda. Disputant enim gravem quantitatem in furtis non posse generatim definiri, quia quod uni sufficiat ad victum unius diei, non sufficiat alteri, & circa illam tot sunt sententiæ, quot capita: unde in proclivi est, colligere, posse vel ita, vel aliter definiri quantitatem, & si scrupulosus incidat in benignum, conscientiam exolvi facile, quantitatem extendi, pietatem laxari. Prima autem Assertio furtum inter peccata venalia refert, quod semper mortale etiam in re parva, utpote contra præceptũ hoc. Secundò si scit furans, Dominum magnipendere rem sublatam, peccat in proximum maximè, qui angore magno ob illud furtum afficit, & quidem sciens & volens, denique ipsi Pontificii quidam hîc lethalem culpam agnoscunt, utpote Navarra, Rebellus, Sotus, Sylvester. Altera iterum impietati litat; nam primò, quando quis proposuit iniquo animo furari, pravâ intentione laborat, dolo agit, & tanquam mala arbor malos producit fructus, totâ animi propensione, quî itaque non lethaliter peccaret, cùm singula furtiola ex tam malâ prodeant radice. Secundò continuatio est peccati protractio, & cujus naturæ, est unum ex illis furtiolis, illius quoque est alterum. tandem huic sententiæ obstrepunt in papatu ipsi Doctores moralium quidam. Sanchez, Lessius, Rebellus, Navarra, Sotus, Medina, Ludovicus Lopez, & alii. Pariter censendum de illo, qui sibi proposuit furari à pluribus ad summam notabilem, nec à peccato quoque mortali excusat intentio illa, ut vivat vel ipse vel familia ex subductis: non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona, & si hic finis, hæc intentio salvaret, vix fur quispiam posset furti reus agi, cùm nunquam illi deesset excusatio, quòd scil. vivendi causa fecerit, nullum enim sine auctoramento malum est: quid? num non alii modi vivendi & familiam alendi? annon labore manuum alimenta paranda secundùm Davidem Psalmo 128. ut inde vivat familia. De furtis religiosorum aliter pronuntiant Sotus, Sanchez, Medina, Valentia, Navarra, Fagundez, Toletus, Rebellus. Et ita de Prælatis, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus, Abbatissis nimiùm liberalibus quoque censent JCti, Corduba, Lopez, Hieronymus

Flamma

Flamma & Navarra. Tertia illa, quæ ad peccatum usque notabile excurrunt, quod etiam in foro exteriori non impunitum haberi debet, antequam ad ultimum gradum pervenerint, malè eximit peccatorum lethalium numero, secundò conscientiæ malè consulit, quia etiam ultimum furtum, quod gravem constituit quantitatem, dicit propter levitatem materiæ culpam venialem non excedere, à quo facilis consequentia ad furta graviora, restitutioni non esse obnoxia, cùm tamen non dimittatur peccatum nisi restituatur ablatum, & repugnat insuper sententiæ Lessii, Caramuelis, Sanchezii, & Fagundezii. Quarta quoque laborat, nam qui levem quantitatem aufert, ab eo, à quo alii notabilem abstulerunt, ille peccat lethaliter subducendo, & invito Domino rem alienam auferendo, ille afflicto addit afflictionem, cùm deberet compassionem, ille damnum post damnum datum infert, unde etiam Bonacina huic sententiæ se opponit, de contract. disp. 2. q. 8. punct. 2. num. 5. Quinta primò filium impium facit adversus patrem, cui se totum debet, secundò Modum subministrat pro servitio inpenso illicitum, & contra præceptum de furando, contra sinceritatem, quam clandestina illa subducendi ratio temerat, tertiò ex ipsorum Pontificiorum sententia contra jus naturæ ita peccatur, quia filii jure naturali tenentur parentibus inservire, unde ab hac sententia recedunt Parisius, Navarra, Antonius Gomez, quicquid dicant cæteri. Sexta nimium indulget uxori, tum quia vir est caput uxoris, cui illa debet in actionibus quoque suis esse subjecta, neq; inscio vel invito aliquid agere potest, tum quia quamvis amplissimam dotem detulerit, tamen illa dos non est in potestate uxoris simpliciter, ut de illa disponere possit pro arbitrio, tum quia uxor non habet administrationem bonorum, & proinde etiam nequit elargiri aliquam summam sine viri venia. Consentientibus hic Navarra & Cabedo. Septima Vasallo permittit non permittenda, nam qui debet fidem Domino suo & quidem strictam, quomodo non peccabit lethaliter violando, & fidei vinculum & præceptum de non furando, secundò si Domini vasallos suos habent instar filiorum, magis peccant subducendo illis aliquid vasalli, ita retaliando affectum Dominorum. Tertiò, si unum argenteum eripere est quantitas

mortalis etiam respectu potentissimi Regis, ut graves in papatu Doctores sentiunt, Flamma scilic. & Toletus, quantò magis summa minor duobus nummis aureis lethale erit furtum Vasalli respectu Regis vel Principis. Octava errat, peccata primò probando furta famulorum & ancillarum, quos decet fidelitas, qui obligati heris ad officia & promotionem commodorum; secundò suggerendo modum illicitum clependi & clam subducendi, qui fraudem dicit indignam homine pio, tertiò viam conculcat, quam DEUS signavit juridicam, scil. coram judice repetendi mercedem debitam, unde etiam improbatur hæc assertio à Lessio, Sylvestro, Fagundezio, nec non Lovaniensi Academia Nona patrocinatur nimium captis. Nam primò Petrus disertè: *à quo quis victus est, illius servus factus est.* 2. Epist. 2. ℣. 19. Secundò, si bellum justum non operatur, ut quis in servitutem redactus non possit refugere, non erit titulus justus servitutis ex bello, contra omnium ferè etiam Politicorum Regulam. Tertiò non aliter suadet Paulus, dicendo: *Servus vocatus es, &c.* 1. Corinth. 7. ℣. 20. 21. in quem locum videatur Estius. Et qui non possit punire vel castigare servum, qui eum potuisset occidere in bello, eundem servavit, cui pro benignitate refert tam turpe ingratitudinis & levitatis indicium. Decima, præceptum hoc de non furando sternit. Nam primum citra exceptionem casus necessitatis dicit, non furaberis, quod si itaque absolutè hoc accipiendum, & ne quidem in summa necessitate censetur, esse licitum furtum, multò minus in gravi tantùm, secundò falso inædificat hæc sententia principio, quod scil. jure naturali omnia sint vel fuerint communia. Et in casu tali ad talem iterum statum deduci, quod falsum, ut in Observationibus ad Grotium excussum. Tertiò propositio hæc examinata & damnata fuit ab Academia Lovaniensi, inde graviter in illam invehitur Sinnichius p. 526. Undecima planè est impia, in quam detonant Professores severiores Academiæ Lovaniensis. Duodecima dudum expugnata & injustitiæ convicta ab eodem Sinnichio. Decima tertia latius deducta à Sinnichio, qui omninò hîc audiendus, contra Caramuelem. Decimam quartam examinat seq. §. CDLXLII. pag. 525. Decima quinta de superfluo pertractatur ab eodem p. 533. §. CDXLV.

Deci-

Decima sexta adversatur divino mandato, & voluntati, quæ eò collimat, ut homo in sudore vultus panem comedat, Genes. 3. Sathanæ pulvillos substernit, quid enim non ex otio fœdum & turpe oritur? Unde Deus mendicos noluit esse in Republica Judaica Deuteron. 15. denique non obscurè prodit Bellarminus, quid sentiendum de mendicantibus monachis, quando admittit ab initio non fuisse sic. Decima septima, quæ monti pietatis favet, montem impietatis extruit, & hypocrisin Pontificiorum prodit. vide Meisn. Phil. s. 1. c. 6. pag. 395. Decima octava consulit lapidibus præ hominibus, de quo videndus Ambros. lib. 2. offic. cap. 28. Decima nona favet Judæis præ Christianis, dum Lutheranos regionibus pellit, admissis in domicilia Judæis Christum cottidie blasphemantibus facit licentiam, consimiles, & qui sunt ejusdem furfuris recipiendi in Rempub. ut fiat Poniropolis, ut Ephesiorum symbolum tandem eligatur, nemo nostrum frugi esto; ab ipsis etiam pontificiis reprobatur. Vigesima Simoniam probat. Vigesima prima excussa à D. Calixto in lib. de communione sub una.

ERRORES CALVIN. & PHOTIN.

XI.

Quamvis Calviniani circa hoc præceptum conspirent nobiscum, videntur tamen laxiores justo, dum fures eximunt capitali supplicio, de quo videatur Zepper lib. 1. c. 10. p. 77. Rivetus Amesi. lib. 5. Cas. Mur. cap. 51. De Anabaptistis hæc habemus. Christum correxisse Decalogi præceptum hoc prohibitâ avaritiâ, per Orationis Dominicæ petitionem IV. quâ fas tantum sit flagitare Panem quotidianum.

XII.

Photiniani ut in omnibus cæteris capitibus, ita etiam hac in parte maximè errant, quærit enim Catechismus Rakoviensis, quid ad id præceptum adjecit Dominus JEsus? respondetur, ne simus avari, &c. Smalcius de divinitate Christi: ita loquitur, prohibet Lex ne furemur, perfecit eam & implevit Dominus JEsus, & pagin. 108. diductius Johannes

Volkelius, qui ita explicat hoc præceptum, duo inquit animadvertenda sunt, nam & quid sit furtum & quam ob rem prohibeatur, videndum est p.637.

XIII.

Verum omnia hæc frustra dicuntur, & veritati opponuntur. Nam primò falsissimum est interdictum de avaritia non obtinuisse in Vet. Test. non includi præcepto de non furando, esse additamentum quoddam Christi, nam primò si fixum fuit illud: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde, &c.* Deut. 6. 5. qui non avaritia prohibita, quæ cum Dei amore indivisibili consistere nequit, *Cum nemo queat duobus Dominis, DEO & Mammonæ servire*, Matth. 6. si notum illud præceptum: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Lev. 19. 18. qui non avaritia prohibita in V.T. num enim proximum diliget ut se ipsum, qui cor suum occludit, nec in necessitate subvenit proximo, si ex illo colligit Ostorodus in N.T. avaritiam & luxuriam esse prohibitam, qui non etiam in V.T. deducere vel subintelligere debuerunt, quotquot Decalogo attenderunt? secundò non tantum dictum est in V. T. non concupisces. Exod. 20. 17. sed & non sit mendicans in te. Deut. 15. Tertiò avaritia etiam in V. T. fuit taxata, liberalitas verò intimata & comendata. Consulantur loca Exod. 8. 21. 15. Levit. 19. 13. c. 25. 36. Deuteron. 16. 19. c. 17. Deut. 11. 1. 9. 10. c. 14. 28. 29. Esaiæ. 1. 23. c. 10. 2. Jeremiæ 6. 28. Mich. 3. 2. Zach. 8. 10. Sephon. 1. 9. quid? num avaritia in V.T. non fuit radix omnium malorum, æque ut in Novo 1. Tim. 6. 10. num non ob avaritiam reprehensi filii Samuelis, 1. Sam. 8. 3. Nabal 1. Sam. 25. Achab. 1. Reg. 21. ℣. 2. Gehaci 2. Reg. 5. 12. annon præservationem ab hoc malo rogarunt pii. Psal. 119. 96. & dehortati sunt alios quoque Psal. 62. 11. annon ipsi gentiles ex lumine naturæ viderunt id, quod Paulus dixit 1. Tim. 6. 12.

XIV.

Excipit quidem Socinus; quædam, sed ad quæ rectè hactenus responderunt nostri. Secundò avaritia si dicat vitium, quo quis plus habere velit quàm ad tuendam vitam suam & suorum omninò pertinet, ipsi Photiniani inter avaros erunt computandi, nobiles scil. & fundorum possessores, imò urbium Domini, quales Adamus Goslavius à Bebelno, Johannes Schlictingius à Bukowiz, Dominus urbis Rakoviensis, nec confestim avaritiæ nom.

nomine traducenda ὄρεξις illa, qua præter privatam necessitatem aut quærunt aut recondunt homines aliqua, quanquam enim reprehendatur dives ille Rusticus, qui cor suum apposuit divitiis, non omnis tamen habendi appetitus, qui etiam ultra lineas necessitatis se porrigit, avaritiæ titulum habet, quia alias nemo deberet sub spe arare, 1. Cor. 9. 10. parentes filiis non deberent thesauros colligere, cum dicant abundantiam & aliquid superflui contra Apost. 2. Cor. 12. 14.

XIV.

Tertiò omnia illa quæ abundant & necessitatem excedunt, in usus divinæ gloriæ, vel sublevandos pauperes impendenda esse, non tamen studio privatæ gloriæ, ambiguè dicitur. si enim ita intelligatur, ut omnia alienare debeamus, quæ ultra necessitatem non admittimns, possumus enim illa reservare quoque nostris, & quidem quandoque maximè post mortem nostram illis indigentibus, possumus etiam vertere in gloriam divinam, si nostros illis alamus, educemus, de apparatu linguarum & scientiarum hisce subsidiis prospiciamus, sin verò ita intelligatur, quod etiamsi nostros quoque aliquid ex superfluo reservato dispensemus, & aliàs liberales nos exhibeamus, pauperibus, inprimis fidei domesticis, non reprobamus hoc, quanquam non videantur hoc intendere Photiniani.

XV.

Quæ de Luxu & corporis voluptatibus habet, iterum additamenti rationem non habent: legant Photiniani caput Esaiæ tertium & quintum, & dicant, num non luxus, crapula, ebrietas & voluptates corporis sint satis & sufficienter reprehensæ, quanquam quæ de Luxu & corporis voluptatibus hic proponuntur, commodius potuissent referri ad præceptum sextum.

XVI.

Smalcius eâdem oberrat chordâ, in lib. de divinitate Christi, supponit Christum perfecisse hanc legem, cujus contrarium ad oculum demonstravimus, supponit in Vet. Test. prohibitum fuisse furtum, aliena rapere, & præceptum Gentem juvare, supponit avaritiam esse plus bonorum acquirere, quam ei opus ad sustentandam vitam, etsi absque alterius injuria facere possit, quæ omnia mera postulata & jam in superioribus excussa.

XVII. Vol-

XVIII.

Volkelius cespitat passim & deviat. nam primò dum duplices modos, quibus commoda aliena intervertuntur, in lege prohibitos ponit, & primum dicit cum aperta quâdam vi res alienæ auferendæ, non tam furtum quàm latrocinium describit, & cùm dicit obliquæ interversionis modum primum consistere in contractibus, videtur ipsos contractus cum adhærente vitio, quod abesse vel adesse potest, dolo scilic. & fraude confundere, denique quod de Usura, altero obliquo modo docet, illud in tantum admittimus, in quantum scil. nimiũ non extenditur ad quodcunque fœnus vel usuram etiam certis terminis circumscriptam, & circumstantiis personarum, locorum & temporum attemperatum, quanquam locum illum Luc. 7. 35. malè referat ad inimicos, hoc quidem certum est Christum agere de ipsa sorte, sed quod doceat tantum quomodo nos adversus inimicos gerere debeamus, non admittimus, sed vult ut & inimicis benefaciamus & omnes diligamus. adeoque verbis illis ἀγαθοποιεῖτε καὶ δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες, Beneficentiam & pronitatem in pauperes commendat. vide Walæum in hunc locum.

XIX.

Secundò quæ de additamento proponit hujus præcepti, nullius est momenti, & supra sufficienter excussum. nam neque illa, quæ honestissimo etiam modo à nobis comparata sunt, & necessitates nostras superant, vult aliorum esse, nec Charitas præscripta in N. T. intensioris affectus esse debuit, quàm in Veteri, nec Christus sive Apostoli summopere laborarunt amoliri avaritiæ crimen & luxus Syrmata, idem enim factum in Vet. Test. à Mose & prophetis probatum erit. Πλεονεξία etiam in V. T. fuit interdicta, & num avaritia non quoque illis temporibus malorum omnium radix? Patres verò ante adventum Christi viventes frustra porcis æquat, qui furfure temporalium bonorum contenti vixerint extra cœli curam, citra promissionem æternalium bonorum, nec terrenorum promissiones fuerunt absque respectu ad cœlestia, quorum Umbræ & Typi, nec pietas in N. T. sed semper & ubique utilis fuit ad omnia, & habuit promissionem bonorum hujus & alterius vitæ. 1. Tim. 4. v. 8. porrò immensitas illa opum vix locum habere potuit in populo agricul-

culturæ dedito, & si licuit citra injuriam in V. T. domum domui conjungere, cur hodie non liceat, absente injuria in proximum, non videmus, nec mundi amor demum in N. T. est prohibitus, sed dilectionis præcepto inclusus; thesaurorum collectio absolutè non est in vitio, ut nec parsimonia, quæ virtus, nec dum monemur à Christo vendere, quæ possidemus, ut Eleemosynam erogemus, absolutè hoc intelligendum, sed comparatè, prævalere scil. debere potius charitatem proximi, quàm privatæ abundantiæ curam, unde qui suis & maximè domesticis non prospicit, dicitur fidem abnegasse, 1. Tim. 5. v. 8. De futuro, quæ cornicatur remotiore, potius videntur pro nobis stare, & stabilire curam parentum, quæ se extendere debet ad natos natorum, & qui nascuntur ab illis, & num non si filii & filiæ sunt adhuc teneræ constitutionis, parentes autem ætate ingravescente & senio vicini, eò magis prospicere debent suis, ne egeant post obitum, & lac venale per Urbem non taciti portent, aut ad mulctra greges ducere cogantur, & cum hac cura optimè consistit fiducia in DEUM, ut enim ille vult, & in hac vita laboremus, & benedictionem cœlitus expectemus, toti in illum defixi, ita cura parentum in futurum & fiducia in DEUM locata probè consistere possunt. Paulus verò Ebræorum cap. 13. αὐτάρκειαν commendat ita, ut prudentiam & parsimoniam non excludat, nec Christus per crastinum intelligit futurum remotius, quod quasi infinitum & à prudentia hominis alienum, sollicitudinem culpat, anxios mentis humanæ motus, non futurum explicat vel determinat, imò si de futuro accipienda verba Christi, potius de propinquiore crastino scil. quàm remotiore essent interpretanda, de illis enim agit, quæ victum & amictum concernunt.

XIII.

Quæ ex Proverbiorum 15. ab illo adducuntur, ℣. 27. non habentur in textu originali, quæ autem leguntur Proverb. 16. v. 6. alium sensum habent, quam illis affingit Hæreticus. Pariter sentiendum de loco Danielis 4. v. 24. quæ ex Petro producuntur, agunt de Tectione peccatorum apud homines, ut constat Prov. 10. v. 12. Locus Matth. 25. v. 34. non causaliter exponendus. Tandem non dextre exponit mentem Christi Luc. 14. v. 12. aliter Nostri ad textum respicientes. Malè etiam dicit, cùm necessitas quædam exigit, ut homo Christianus nonnihil excedat vitæ cultum, & ea ratione dignitatem suam tueatur, posse ei permitti, talis quippe necessitas ostendi nequit, cum fastus semper

de testibus speciatim respondentibus, Deut. 19. v. 18. Esa. 59. v. 12. additur autem vox שקר schaker, quod reddunt falsum testimonium. שקר enim est mentiri, fallere, ut constat ex Gen. 21. v. 23. Psal. 44. v. 18. Psal. 89. v. 34. Unde שקר scheker mendacium, & ut scheker hîc est testis falsitatis, in Deuter. est vox שוא schav, de qua Lorinus pag. 238. quanquam Vox עד usurpetur, tum de persona, quæ testatur, tum de re sive testimonio, quod testis profert. Sermo autem primò est de testimonio in judicio, ut observant Interpretes.

III.

Prohibitio iterum effertur particula לא, quæ negantis naturæ, & quidem universaliter prohibet omni generi hominum dicacitatem, singulis os obstruit, atque linguas quorumvis compescit, nec enim si nefas est falsum loqui personis gravitate aliqua conspicuis, propterea plebeis hoc permittitur, qui semina quæcunque colligunt, & devio offundunt, vel Poëtis, qui figuli fabularum & sale quandoque sollicitudinum acri perfricare capita hominum, aut Momis & Morionibus, qui putant licere, quæ lubent, & citra injuriam posse nunc hos, nunc illos mordaci radere vero, vel etiam falso, ut enim præceptum de non occidendo, de non mœchando, de non furando, universale, ita & hoc negativum de non loquendo falso testimonio, ideoque indefinitè particulâ לא armatum in omnes.

IV.

Objectum hîc est proximus רע reah רעך proximus, quæ vox usurpatur tum de amico, ut constat ex 2. Sam. 13. v. 3. 2. Sam. 15. v. 37. & 1. Regum 4. v. 15. notat socium, Job. 30. v. 29. ἕτερον sive alium, Gen. 11. v. 3. 7. Exod. 21. v. 18. Deut. 27. v. 24. Notanter autem dicitur, non dicas falsum testimonium ברעך boreachâ in proximum tuum, ut quidã reddunt, h. e. adversus illum. Accipitur autem hîc generalissimè & notat quemvis hominem, quemvis ejusdem nobiscum materiæ & originis, quia ex uno sanguine omnes, teste Paulo Actor. 17. phrasi Scripturæ, quæ hâc voce complectitur etiam ἕτερον, ut annotavimus, notat ἀλλόφυλον, Exod. 18. v. 16. Judic. 7. v. 13. cap. 14. v. ult.

V.

Nullo itaq; modo possumus probare illa Grotii, qui proximi vocem ad popularem restrinxit, scribens: Proximus hic est, popularis Israëlita, ut

apparet expenso loco Exod. 21v. 13. & Levit. 19. v. 18. cui opponitur ὁ ἐχθρὸς hostis, scilicet, vid. Matth. 43. In Evangelio proximus est homo quivis, ut Luc. 10. v. 33. ac seqq. quomodo & ante Mosis Legem Gen. 11. v. 3. ענה idest respondere, sæpè apud Hebræos quovis modo eloqui significat. Itaque verti nonnunquam solet per εἴπω, εἴρω, καλέω, λέγω, φθέγγομαι, & similia. Et eo sensu in sacris Scriptis reperitur etiam verbum ἀποκρίνεσθαι.

VI.

Tunc autem hæc placebunt cum Photinianorum Theologia ad palatum erit, ut illi. Repugnat quippe huic opinioni ipsa vox supra expressa, ipsa natura legis moralis, quæ non ut forensis & ceremonialis tantùm respicit Israëlitas, sed omnes homines atque omnes societates gubernat.

VII.

Primum ergo peccatum, quod in hoc præcepto prohibetur, est falsum Testimonium, quod severè à DEO vetatur, damnatur, & punitur, estqueillud tam judiciale, quale latum est adversus Nabothum, ubi peculiarem habet gravitatem adjunctam, quod in proximi detrimentum & periculum quandoque vitæ cedat, de quo 1. Reg. 21. v. 13. vel extrajudiciale, quale sustinuit Jobus ab amicis suis, cap. 4. v. 7. Judiciali autem affines sunt hi modi, primò, si actor reum falso accuset; quod Doëg Edomæus fecit Abimelecho, reliquisque Sacerdotibus, 1. Sam 22. v. 9. & Judæi Christo, coram Pilato; quasi populum seduxisset, & Cæsari tributa solvi prohibuisset, Luc. 23 v. 2. Secundò, si reus falsò neget se fecisse, quod omninò fecit, aut se scire, quod minimè ignorat; Exemplo Cainis, Gen. 4. v. 9. qui cùm fratrem Abelem interfecisset, à DEO interrogatus, ubi ille esset? Respondit: *Nescio, nunquid custos fratris mei ego?* Tertiò, si Advocati, Procuratores, & Notarii, malas causas defendant scientes, mendaciis adversarium gravent, clientem tueantur, veritatem celent aut incrustent suis instrumentis, Exod. 23. v. 6 7. *Non pervertes judicium pauperis tui in lite ejus. A sermone falso recedes*, &c. Esa. 5. v. 24. *Qui justificant impium propter munera, justitiam autem justorum auferunt ab eis.* Cap. 59. v. 4. *Non est, qui clamet pro justitia, neque est, qui judicet pro veritate.* Quarto, si judex sententiam pronunciet, antequam veritatem probè cognitam habeat; & utramque partem audiverit satis: qui enim parte inauditâ alterâ statuit, æquum

æquum etiamsi fortè statuat justè, non tamen statuat æquè, Deut. 16. v. 16. Simile est peccatum judicis, si muneribus se corrumpi finat; vel affectibus, partiumque studio indulgeat, adeò ut innocentem fortè condemnet, aut sontem absolvat, Deut. 16. v. 19. 20.

VIII.

Est autem hoc peccatum grande malum, non tantùm, quia directè illud in hoc præcepto prohibetur, nec non Exod. 23. v. 1. & Deut. 5. v. 20. sed etiam I. ratione incommodorum: Falsi testes aliis sunt perniciosissimi, Prov. 26. v. 18. Syr. 28. v. 22. innocens Naboth ob testimonium falsum lapidatus fuit, 1. Reg. 21. v. 13. miselli homines ad mortem damnantur, licet innocentes, ob falsum testimonium, 2. Maccab. 4. v. 47. 48. innocens Jeremias ob falsum testem cæsus in carcerem missus fuit, Jerem. 37. v. 13. 14. 15. & Susanna conqueritur: *Ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt adversum me*, Dan. 13. v. 43. Stephanus similiter lapidatus fuit, Actor. 7. v. 59. 60. II. Ratione pœnarum: Testis fallax refertur inter sex, quæ DEUS odit, Proverb. 6. v. 19. & gravissimè punitur, Deut. 19. v. 18. 19. Proverb. 19. v. 5. cap. 21. v. 28. Syr. 20. v. 27. Sap. 6. v. 6. Haman falsum perhibens testimonium tandem suspensus fuit, Esth. 7. v. 10.

IX.

Falsum Testimonium extra judiciale quamvis minoris possit esse periculi & damni, interdum tamen etiam est grave peccatum, tum ex prohibitione divina, tum ex mendacio, quod hîc committitur, tum ex perverso judicio, quod in aliis generatur vel generari ad minimum potest. Secundò prohibetur mendacium, quia DEO maximè displicet, & veracitas opposita præcipitur. Tertiò Sophisticatio, de qua Syrach 19. v. 22. quia vitium est valdè perniciosum: Lingua Sophistarum dolosa, ut sagitta, Psal. 120. v. 3. conterit spiritum, Proverb. 15. v. 4. occidit animam, Sap. 1. v. 11. quod patet in Jacobo perturbatissimo, Gen. 37. v. 33. 34. Josepho in carcerem conjecto, Gen. 39. v. 20. quia dolosi & DEO & hominibus sunt infensi, Psal. 5. v. 7. Proverb. 12. v. 22. *Non habitabunt in domo Domini*, Psal. 101. v. 7. 8. quia dolosi tandem suis confusi mendaciis pœnas dabunt gravissimas, Psal. 64. v. 9. Proverb. 11. v. 5. cap. 12. v. 13. cap. 17. v. 20. Syr. 20. v. 27. quod patet in Ahitophele, 2. Sam. 12. v. 23. Hamano suspenso, Esth. 7. v. 10. Amalechita mentien-

tæ se occidisse Saulum, 2. Sam. 1. v. 16. duobus senibus, Dan. 13. v. 55. Quartò simulationes & dissimulationes, cum scil. illa, quæ vera sunt, celantur & indirectè negantur, & quæ falsa sunt proferuntur, atque sic indirectè affirmari videntur; Diserte autem prohibentur simulationes, 1. Petr. 2. v. 2. quatenus scil. celatur veritas, quam reverentia, vel charitas alteri debita, vel DEI gloria indicari postulat; & præfertur contrarium. Confer exempla filiorum Jacobi circa Sichemum; Gen. 34. v. 13. Saulis circa Davidem; 1. Sam. 18. vers. 19. Joabi circa Abnerum; 2. Sam. 3. v. 27. ejusdem circa Amasam; 20. v. 9. 10. Judæ circa Christum; Matth. 26. v. 48. 49. quo referenda perfidia, quæ est fraus, qua quis dictis vel promissis non stat; Psalm. 15. v. 4. & impium silentium. Sicut Rex Joakim & servi ejus ad suspicionem libri Jeremiæ tacuerunt, Jer. 36. v. 23. 24. sic nemo contradixit Herodi mandanti decollare Johannem, Matth. 14. v. 9. 10. sed per dedecus non discedas jure, &c. Syr. 7. v. 6. Aperi os tuum, &c. Prov. 31. v. 9. Ne sis canis mutus, &c. Esa. 56. Talium enim finis est interitus, Phil. 3. v. 19. Quintò maledicentia & calumnia, quæ contingit verba proximi in alium sensum detorquendo, vel additione vel omissione verborum aut circumstantiarum, cujus fœditatem prodit Scriptura, origo, comparatio, de qua Psalm. 5. v. 9. Psalm. 52. v. 4. 5. 6. Psalm. 57. v. 5. Psalm. 57. v. 6. 7. Psalm. 120. v. 3. Psalm. 140. v. 4. Proverb. 17. v. 20. cap. 30. v. 14. Eccles. 10. v. 11. Syr. 28. v. 15. 16. 19. 20. 21. 22. Exempla: Satan calumniatus est Jobis pietatem, Job. 1. v. 9. 11. Ita adhuc homo perversus, Prov. 17. v. 20. Si quid boni videt, in pessimam interpretatur partem, ut Laban fecit, Gen. 31. v. 26. Doëg, 1. Sam. 22. v. 9. 10. Satrapæ Babylonici, Dan. 3. v. 8. 9. cap. 6. v. 6. Haman, Esth. 3. v. 8. Alcimus, aliique impii, 1. Maccab. 7. v. 5. 6. duo Seniores Susannæ, Dan. 13. v. 36. Judæi accusarunt Christum: *Ecce homo vorax, & potator*, Matth. 11. v. 19. *recipit peccatores, & edit cum illis*, Luc. 15. v. 2. *per Beelzebub ejicit dæmonia*, Matth. 12. v. 24. *insanit*, Joh. 10. v. 20. August. Epist. 163. col. 655. Sextò Proditio. Exempla proditionis & proditorum sunt Ziphæi, 1. Sam. 23. v. 19. 20. 21. 22. 23. 24. Cives Kegila prodentes eum, qui de ipsis benè erat meritus, 1. Sam. 23. Ab initio Rhodus mysteria enunciavit hostibus, 2. Maccab. 13. v. 21. Verùm, *tria expavescit cor meum, & quartum facies mea perhorrescit, civitatis scilicet proditionem*, inquit Syrach cap. 26. v. 5. 6. Proditio dignis afficitur pœnis, uti videre est 2. Maccab. 13. v. 3. 4. 5.

4. 5. 6. 7. 21. refertur ad hanc obtrectatio, peccatum, quo alterius bona fama læditur, de eo absente male loquendo. Sic Siba de Mephiboseth Domino suo ad Davidem. 2. Sam. 16. v. 3. Remansit Jerusalem: dixit enim: Hodie restituet mihi Domus Israëlis regnum patris mei. Diserte autem 1. prohibetur, Levit. 19. v. 16. Ne ambulato cum detractione per populares tuos. 2. Ejus turpitudo ostenditur, Prov. 11. v. 13. Ambulans cum detractione revelat arcanum: at fidus animo tegit rem, Psal. 57. v. 5. Lingua eorum gladius acutus. 3. Pii & salutis suæ studiosi istud fugiunt; Psal. 15. v. 1. 2. Quis habitabit in monte sanctitatis tuæ? qui non detrahit linguâ suâ. Convitia nunc intelligimus, cum alicui in os vitia objiciuntur & exprobrantur, ex pravo aliquo animi affectu, atque ut ipse in contemtum adducatur. Exempla sunt in Simei contra Davidem; qui maledicebat ei in hunc modum, 2. Sam. 16. v. 7. 8. Egregere, egredere vir sanguinum; & vir impie: Reddidit tibi Jehova omnem sanguinem domûs Saulis, pro quo regnâsti: & ecce, es in malo tuo: quoniam vir sanguinum es. In Achabo contra Eliam, 1. Reg. 18. v. 17. Nonne tu es ille, qui conturbat Israëlem? In Judæis contra Christum; Joh. 8. v. 48. Nonne bene dicimus, te Samaritanum esse, & dæmonium habere? & contra Apostolos, Actor. 2. v. 13. Alii sannis eos excipiebant, dicentes; Vino dulci pleni sunt. Istud peccatum 1. diserte prohibetur, Eph. 4. v. 31. Omnis amaritudo, & clamor, & maledicentia, tollatur ex vobis, cum omni malitiâ, Tit. 2. v. 2. Ne quem maledictis incessant. Specialius autem respectu Magistratuum, Exod. 22. v. 28. Judicibus non maledices: neque principi in populo tuo maledices. 2. Ejus turpitudo & gravitas indicatur, Jac. 4. v. 11. Ne alii aliis obloquimini, fratres: qui obloquitur fratri, quique damnat fratrem suum, obloquitur legi, & damnat legem, Psal. 50. v. 19. 20. Os tuum mittis in malum: Sedes, & contra fratrem tuum loqueris; contra filium matris tuæ das probrum. 3. Pœnæ denunciantur, Matth. 5. v. 22. Quicunque dixerit fratri suo, Raca, damnas erit consessûi: quisque autem dixerit Fatue, damnas erit gehennæ ignis. Septimò, sermones insulsi: *Sermo stultorum molestus est*, Syr. 27. v. 14. & quasi sarcina premens in itinere, Syr. 21. v. 19. Quibus offenditur DEUS ejusque Angeli & Homines: *Nolite contristare Spiritum spurco sermone*, Eph. 4. v. 30. *Nec facite laborare DEUM in sermonibus*; Malach. 2. v. 17. Octavo, Suspicio, quæ est opinio mali de aliquo propter probabilem causam,

ſive veram, ſive apparentem. Eſt vel bona, vel mala: Bona eſt, cùm ex cauſa ſufficiente ſuſpicamur, quæ non niſi viri boni, & ſapientis eſt. Mala, quando ex cauſa vel prorſus malâ, vel non ſufficiente colligitur, & ideo prohibita eſt. Zach. 8. v. 17. Suſpicio, quæ non credit proximo, diſturbat unitatem, inquit Bernh. Decimò mordacitas, quæ conſiſtit in perſtringendo alios mordacibus dictis: Sicuti Jezabel Regem Jehu, 2. Reg. 9. v. 31. Athalia Regem Joas, 2. Reg. 11, 14. Undecimò, garrulitas & vaniloquentia, de qua Seneca: Dividamus ſi tibi videtur Serene, injuriam à contumelia prior illa, natura gravior eſt, hac levior, tamen delicatis gravis, qui non læduntur, ſed offenduntur, tanta eſt tamen animorum diſſolutio & vanitas, ut quidam nihil aliud acerbius putent. Sic invenies ſervum, qui flagellis quam colaphis cædi malit, & qui mortem ac verbera tolerabiliora credat, quam contumelioſa verba. Duodecimò pugnat cum hoc præcepto Judicium temerarium: Ubi non habetur ſufficiens ratio veritatis cognoſcendæ ac dijudicandæ; ſed judicium iſtud nititur rumore incerto, relatione dubiâ, aut ſigno qualicunque minus certo; ut ſi quis ex rebus externis proſperis judicet aliquem probum; ex adverſis improbum, Eccles. 9. vers. 1. 2. Juſti & ſapientes, & opera eorum, ſunt in manû DEI: etiam amorem, etiam odium, neſcit homo omnium, quæ ante eos ſunt. Omnia eveniunt conſimiliter omnibus; eventus unus eſt juſto & impio, improbi ſæpe magnâ & admirabili felicitate fruuntur in hoc ſæculo; pii vero multa adverſa experiuntur. Vide Job. 21. vers. 7. 13. Pſalm. 17. vers. 10. 37. 35. Pſal. 73. v. 3. 7. 12. Jerem 12. v. 1. 2. Item Pſal. 41. v. 2. 72. v. 14. 15. Hujusmodi fuit peccatum amicorum Jobi circa ipſum; 4. v. 7. Imo & diſcipulorum Chriſti, circa eum, qui cœcus fuerat natus; Joh. 9. v. 2. 3. & Barbarorum Melitenſium de Paulo, cum viperam viderent è manu ejus pendentem; Act. 28. v. 4. Temere etiam Sacerdos Heli Hannam judicabat ebriam, cum videret eam labia ſolum movere, vocem vero non audiret, 1. Sam. 1. v. 13. 14. Decimò tertiò, Pertinacia, quâ multi de erroribus convicti nolunt reſipiſcere, ſed ſæviunt in candidos monitores: Prov. 9. v. 7. Syr. 21. v. 14. 18. 22. Proverb. 29. v. 1. Vir increpatus, qui indurat cervicem ſuam repente contereretur: Qui diſciplinam odit, inſipiens eſt, Proverb. 12. v. 1. pauper, Proverb. 13. v. 18. ac morietur, Proverb. 15. v. 10. ut Rex Amazias, 2. Par. 25. v. 16. Nabal, 1. Sam. 25. v. 25.

X. Nec

X.

Nec tantum hæc vitia adversantur huic præcepto, verum alia quoque, inter quæ primum Ambitio. Quanquam lux nostra lucere debet, ut videant homines bona nostra opera, Matth. 5. v. 16. non tamen id fieri debet πρὸς τὸ θεαθῆναι, ut spectemur ab hominibus, Matth. 6. v. 1. sed virtutum opera facientes, quod Beda monet, vitium jactantiæ per omnia, gloriamque vitemus humanam, ne bona nostra actio per inanem vulgi favorem supernæ retributionis munere privetur: Qui enim inquit Chrysost. nihil propter virtutem, sed ut hominibus, & rudibus, & indoctis placeat, operatur, quive in omni re fallacem hominum atque erroris plenam exquirit scientiam, quamvis meretur gloriam inanem. Secundò propria laus: Seipsum laudare Scriptura prohibet, Prov. 27, 2. Laudet te alienus, & non os tuum, &c. 2. Cor. 10. v. 12. Non audemus nos inserere & conferre cum quibusdam, qui seipsos commendant, &c. v. 13. 18. Interdum tamen licet: Sic enim Chrysost. Serm. in dictum Apostoli. Utinam tolerassetis, &c. Tom. 4. Col. 1379. Quemadmodum suas recitare virtutes extremæ videtur dementiæ, si nulla superest necessitas; ita necessitate violenter incumbente propellenteque proditio est, ea tacere, quæ quis studiosè perfecit: idque confirmat exemplo Apostoli, 2. Cor. 11, 16. 2. Cor. 3, 1. c. 12. v. 7. Christi, Joh. 8, 14. 54. Tertiò defensio non necessaria vel hypocritica. Non respondeas stulto, &c. Prov. 26. v. 4. Gloria viri est iniqua prætergredi, Prov. 19. v. 11. Sic Christus noluit multis confutare, quod non esset Samaritanus, Joh. 8. v. 49. Falsis testibus nihil respondit, Matth. 26. v. 63. Valer. Episcop. In privatis injuriis & convitiis plane victoria est, à clamatione tacere, & non respondere provocanti: Habet enim mercedem, & de tua patientia, & de fratris medela, si oblivioni detur injuria. Sicuti nihil deformius, quam respondere furiosis: Ita nihil est utilius, quam tacere provocatis: Nullus est finis inimicitiis, nisi ad tempus obtemperemus iratis. Quartò Adulatio: de qua Aug. l. 50. Hom. 20. Tom. 10. Col. 458. Quid est adulatio? nisi fallaci laude seductio? dolus duplicat cor, adulatio duplicat linguam, detractio vulnerat famam, de hac vide Psal. 12. v. 3. Psal. 55. ℣. 22. Prov. 26. ℣. 24. & 27. c. 27. ℣. 6. Syr. 10. ℣. 2. Exempla: Core & ejus complices, Num. 16. ℣. 3. Doëg Idumæus, 1. Sam. 22. ℣. 9. Amalechita 2. Sam. 1. ℣. 10. Rechab & Baana, 2. Sam. 4. ℣. 8. Absolon, c. 15. v. 3. Siba, 16. v. 1. Sedechias, 1. Reg. 22. ℣. 11. 12. Juniores Roboam

boam Consiliarii, 2. Par. 10. ỳ. 10. Duces & Bellatores Nabuchodonosor, Judith. 2. ỳ. 3. Discipuli Pharisæorum & Herodiani, Matth. 22. ỳ. 16. populus adstans Herodi concionanti, Act. 12. ỳ. 21 22. Et tandem quintò intempestiva, dura & imprudens Admonitio. Sæpe quis objurgat proximum, &c. Syr. 20. ỳ. 1. Observa ergo tempus, Syr. 22. ỳ. 6. Noli proximo conciliari inter pocula, &c. Syr. 31. v. 41. Sicut Abigail marito ebrio Nabal non indicavit minas Davidis, &c. 1. Sam. 25. v. 36. aut etiam Admonitio durior, quâ magis irritatur quam emendatur proximus: Sicut amici Jobis durioribus verbis utebantur, Job. 4, 3. 5. Unde Job respondit: *Usque quò affligitis animam meam*, Job. 19. v. 2. 3.

XI.

Virtutes, quæ à DEO per hoc Verbum imperantur, sunt, primò Veritas seu Veracitas, quæ est firma προαίρεσις in voluntate, qua constanter amplectimur veras sententias, & easdem pro ratione officii nostri & circumstantiarum profitemur ac defendimus, servamus pacta, & in sermone ac gestu vitamus insidiosas occultationes, ad DEI gloriam & proximi salutem. Facit iste finis, ut diabolus non sit verax, etiamsi verum dicat aliquando. Nam verax est, qui veritatem dicit & amat, eique studet propter gloriam DEI & proximi salutem. De hac virtute etiam disputat Aristoteles in Ethicis breviter, sed eruditè. Veritatem in pactis refert ad justitiam. Veracem propriè vocat eum, qui cùm nihil intersit, tamen verax est in oratione & vita, & qui talis est ipso habitu. Unde iterum liquet, diabolum & homines mendaces, non esse veraces, licet aliquando verum dicatur. Secundò παῤῥησία, quæ est virtus, quâ, quantum tempus, locus & necessitas postulat, veritatem liberè atque intrepidè profitemur, nec absterremur metu periculorum. Confessio veritatis præcipitur in hoc & in certo præcepto, quomodo sæpè eadem virtus ad obedientiam diversorum præceptorum requiritur: sed aliter in illo, aliter in hoc præcepto sancit. Ibi, quatenus est celebratio DEI immediata: hic quatenus fallere nolumus proximum, sed conservatam cupimus ejus famam & salutem. Tertiò Candor qui est virtus, quæ rectè dicta vel facta rectè accipit, ambigua in meliorem partem interpretatur, quatenus causæ probabiles sunt: non facilè suspiciones concipit, nec iis, quantumvis causas probabiles habentibus, indulget, nullas ex iis actiones instituit, neque inde

de aliquid decernit aut statuit, seu, est Virtus vicina Veritati, propter probabilem rationem approbans alienas voluntates, non habens malevolentiam, quædam etiam ambigua flectens in meliorem partem, ac bonum quidem sperans, sed tamen ut de rebus mutabilibus cogitans, posse mutari voluntates, & posse hominem errare de aliena voluntate, cùm non penitùs aspiciantur latebræ humani pectoris. Quartò Simplicitas, quæ est perspicua veritas sine ambagibus; vel, est virtus, quæ vera, recta & explicata in act bus, & communi vita, propriè & perspicuè dicit & facit. Simplicitate & candore veritas temperatur. Quintò Constantia quæ est virtus à veritate agnita non discedens, nec mutans consilium sine necessaria & probabili causa, sed constanter dicens & faciens vera, justa & necessaria. Seu, est virtus in inventa, agnita & approbata veritate perseverans, & similiter eam profitens ac defendens, & requiritur illa ad veritatis conservationem. Sextò Comitas seu affabilitas, quæ est virtus libenter & cum significatione benevolentiæ audiens, respondens, loquens ubi opus est, propter causam necessariam vel probabilem: seu, virtus facile admittens congressus aliorum, & colloquiis, sermone & gestibus benevolentiam significans: seu, virtus consistens in audiendo & respondendo, cum aliqua significatione benevolentiæ. Septimò Urbanitas seu veri veritatis sermonis condimentum, est quæ veritas figurate dicta, ad alios taxandos, monendos, vel delectandos, servatis circumstantiis personarum, loci & temporis; seu, est facultas dicendi veritatem cum quadam venustate, ad docendum, consolandum, exhilarandum vel taxandum alios sine acerbitate. Octavò Taciturnitas, quæ est virtus reticens arcana, & non necessaria dictu, ubi, quando, & quatenus non est opus, & vitans nimiam loquacitatem: seu, est modus profitendi veritatem ejusmodi, quo reticentur arcana, sive vera, sive falsa, vitantur sermones non necessarii & inutiles, maxime vero intempestivi, perniciosi & scandalosi. Nonò Justa Apologia contra calumniatores, quæ licita & concessa est: Respondendum est stulto secundum stultitiam, Prov. 26. v. 5. neque ad horam cedendum falsis fratribus, Gal. 2. v. 5. Quamvis enim conscia mens recti famæ mendacia ridet, attamen sic diligenda bona vita, ut etiam bonam non negligamus famam: Aug. de Doct. Christ. ad calumnias conticescere non oportet, non tantum, ut per contradictionem nos ipsos defendamus, sed utnè men-

T 2 dacio

dacio successum permittamus, & deceptos in damno non sinamus. Decimò vera Gloriatio, & solida gloriandi ratio concessa; 1. Corinth. 1. ✝. 31. Qui gloriatur, in Domino glorietur, & 1. Cor. 15. ✝. 10. Plus omnibus laboravi, non ego, sed gratia DEI per me, 2. Cor. 10, 13. At nos de iis non gloriamur, &c. v. 14 15. 16 17. 18. Jer. 9. 23. Non jactet se sapiens in sapientia sua, &c. 24. sed in hoc jactet, qui jactat se, quod intelligat & cognoscat me, &c. Veræ Gloriationis Exempla: Job. cap. 31. per totum cap. fœdus pepigi cum oculis meis, &c. & Jeremias c. 12, 3. Tu Domine nosti me, &c. c. 15. 10. Non fœneravi, &c. & 17. Non sedi in Concilio ludentium. Apostolus, 1. Corinth. 9, 15. 2. Cor. 1, 12. Phil. 3, 4. 5. 6. 7. 2. Cor. 12, 1. 6. 9. 10. Gal. 6, 14. Undecimò honesta Delatio. Delatio alia est licita & necessaria, Lev. 5. 1. Si quis audiverit vocem juramenti, & non indicaverit, feret pœnam iniquitatis suæ: Sic Joseph, cum esset natus septendecim annos, pascebat cum fratribus suis pecudes, & retulit infamiam eorum Patri suo, Gen. 37. 2. Et 1. Reg 1, 11. 12. 13. 14. Nathan Propheta monet, adeoque urget Bathseba Matrem Salomonis, ut institutum Adoniah, qui se pro Rege gerebat, Davidi deferret, quod ut fieret, ipse pro virili promovit & juvit. Ester. 2, 21. In diebus illis irati sunt Bigtham & Thores duo Eunuchi Regis, & quæsiverunt mittere manum in Regem Abasueros, v. 22. Innotuit autem res Mardochai, qui renunciavit Esther ipsi Reginæ, &c. 23. 1. Cor. 1. 11. Declaratum (alii significatum) est enim mihi de vobis, fratres mei, à domesticis Cloes, quod lites sint inter vos. Duodecimò Docilitas quæ est virtus inquirens rationes verarum sententiarum, facile credens ac cedens meliora docentibus, aut ostendentibus, idque propter certam rationem, & promptam faciens voluntatem ad acquiescendum veris & probabilibus rationibus, & ad relinquendum ea, quæ prius falsa pro veris amplectebatur. Vide Proverb. 1. vers. 5. cap. 4. vers. 13. cap. 10. v. 8. Et tandem duodecimo Studium bonæ famæ. Expetenda autem bona fama quia in Scriptura mandatur: Curam habe de bono nomine, &c. Syr. 41, 15. 16. In operibus tuis, &c. Syr. 33, 23. ne famæ tuæ maculam imprimas, ib. v. 24. Quia bona fama divitiis præstantior: Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ, &c. Prov. 22, 1. & unguenta pretiosa, Eccl. 7, 2. Bona fama impinguat ossa, Prov. 15. 30. Et bonum nomen permanet in ævum Syr. 41, 16. Chrysost. in Epist. ad Hebr. Hom. 1. Col. 1353. Multo quippe melior est opinio bona pecuniis, illa enim si mala fuerit, non facile ablui-

abluitur. Pecunias nihil laboris est acquirere. Magis autem pecuniæ, & cum adsunt non satis adjuvant, & cum desunt, nihil protinus obsunt; opinio autem bona si adsit, prodest plurimum: si vero absit, facit probrosum totum hominem, facit infamem, & ridiculum constituit omnibus & exosum.

ERRORES PONTIFICIORUM.

Seges hîc iterum errorum, quæ noxia conscientiis. Nam primò secundum Pontificios licet contumeliam contumelia, convitium convitio aliquando propellere, quia præparatio animi circa injurias sustendas actus præcipitur à Christo præcepto affirmationis, affirmativum autem non obligat pro semper, sed cum necesse fuerit atque ratio & circumstantia temporis postulaverit. Conspirant in hoc puncto Sotus, Sayrus, Filliucius, Fagundez. Secundò non est lethale peccatum audita aliorum crimina referre apud illos, quos credis ex merâ levitate esse credituros, addere te sic audivisse, sed minime credere, quia est tantum contra charitatem, non justitiam, secundum Sylvestrum, Cajetanum, Sotum, Navarram, Lessium. Tertiò non tantum non est lethale peccatum referre crimen alterius occultum uni aut alteri viro prudenti, qui celabit illud, ac si referatum non fuerit, sed etiam non est lethale peccatum, sine causa justa & honesta ob meram curiositatem & levitatem naturalem ex objecto de vitâ ac moribus aliorum inquirere, si inquirens persona gravis sit, quia revelare proximi gravem defectum, uni vel alteri viro prudenti, qui obesse non possit, & ita rem silebit, ac si nulli diceretur, peccatum mortale non est. Ergo si talis persona est, quæ sine malitia, ex mera curiositate de altero inquirit, culpa gravis non aderit stante sententia Petri Navarræ, Cordubæ, Tabienæ, Pedruzæ, Graffii & aliorum. Quartò non tantum non est contra justitiam infamare illum, qui falsis virtutibus famam acquisivit, sed & illum, qui de uno crimine publice est infamatus, licitum est de aliis delictis alterius speciei levioribus infamare, quia si in gravioribus jam diffamatus est, haud gravis ei fit injuria, si minus gravia delicta de eo affirmentur ab eo revera patrata, secundum Paludanum & Sylvestrum. Quintò non tantum libellum infamatorium non manifestat ille, qui illum solum perlegit per-

famæ, sed conficiens etiam non tenetur se manifestare, si Superioris edicto, vel sub censura jubeatur, ut se prodat, quia in capite Gregorii *quidam maligni*, q. 1. si præceptum non fuit, ut ille homo se proderet absolutè, sed sub conditione, ut vel proderet se, vel esset excommunicatus, ita Cajetanus & Suarez, tom. 5. disp. 4. & 5. Sextò non peccat lethaliter contra justitiam, qui sine legitima causa iterum infamat illum, qui publice criminosus fuerat per judicis sententiam, vel per publicum factum, sed tamen jam erat bonam famam assecutus, aut illius delicta oblivioni tradita, quia ille jure ac publico præconio in commissi delicti pœnam suo famā privatus est, adeo ut liceat, & cuicunque data sit facultas scelus illud propalandi, ut senti Sotus & Lessius, quia licitum hoc est, si ob id ab infamato, præter infamiam aliquod aliud grave incommodum sit obventurum. Septimò non peccat contra justitiam, qui alibi divulgat crimen illius, quem scit fuisse injuste à judice aut falsorum testium iniquitate hoc in loco damnatum, quia quamvis reus per injuriam à judice contra jus damnatus suum jus non amittat ad suam famam, tamen in hoc casu non amittit jus ad illam præcise per illam injuriam formaliter, sed ex quadam consecutione, quia scil. ex injuria sequitur publicum fieri, unde eo ipso jus amisit, ut homines recte de tali homine sentiant. Ita statuit Lessius, lib. 2. cap. 11. dub. 13. num. 37. Octavò licet crimen falsum proximo affingere ad torturam in judicio vel extra illud damnum grave vitandum, si enim talis revelare potest, crimen verum secretum, potest ei etiam affingere falsum, secundum Sotum, Lessium, Malderum. Nonò non est mortale peccatum alienas literas sine animo nocendi ob curiositatem aperire, quia id materiæ levitas & carens mortali deformitate excusat, ita Sa, Sylvester, Navarrus, Fagundez. Decimò lethale non est se ipsum sine causa infamare, stando præcise in propriæ infamiæ ratione, quia homo est famæ suæ Dominus, sicut & bonorum temporalium, conspirantibus in unum hic Covarruvia, Toletano, Molina, Lessio, Maldero, Toleto, Sayro, Filliucio, Navarra, Andriano, Turriano, Fagundezio. Undecimò ad vitanda gravia tormenta in judicio vel diuturnum carcerem, lethale peccatum non est se ipsum infamare, vel falsum sibi imponendo crimen, vel verum occultum confitendo, ex cujus impositione vel confessione certo quis sciat se capitali sententia afficiendum, quia hoc moraliter loquendo non est dare propriæ morti causam, quam una brevi morte multas diuturnas tædi-

redimere secundum Malderum, Lessium, Toletum, Sotum, Covarruviam, Sayrum, Angelum, Sylvestrum & alios plures Recentiores, nec tenetur in loco supplicii retractare. Duodecimò licet per susurrationem alium excludere ab amicitia, quam ipse tibi ambis, verbi gratia, cum principe, narrando tantum aliquos defectus naturales illius, quem intendis excludere, quia amicitia & familiaritas est bonum gratuitum, pendens à libera voluntate amicorum, juxta Sotum, Aragonium, Bonacinam. Decimò tertiò, quando utrinque sunt motivæ probabiles, nec est peccatum grave judicare probabiliter contra personam, præstando de ejus detracto gravi probabilem Assensum, quia existentibus his motivis possumus licite judicare, probabile esse tale delictum, ut sentit Cardinalis Lugo, tom. 1. de just. disp. 14. sect. 1. n. 22. Decimò quartò, suspicio temeraria, quæ scil. habetur ex levibus indiciis, ex suo genere & objecto non est peccatum lethale, quia suspicio de gravi malo non judicium aut firmus assensus, nec opinativus, imò nec proprie est Assensus; sic definiunt Cajetanus, Sotus, Sylvester, Navarrus, Valentia, Fagundez, Medina, Filliucius, Lessius & alii. Ita quoque de opinione temeraria censet Escobar de Mendoza. Decimò quintò, fas est, uti æquivocatione & audientem decipere. Ita Toletus, Gregorius de Valentia, Sotus, Filliucius. Decimò sextò, fas est, fidem hæreticis datam fallere. Ita Ebermannus. Decimò septimò, in confessione silentio res aliqua ita premenda est, quacunque etiam causa sub sigillo confessionis ut si interrogetur etiam cum discrimine vitæ debeat silere. Decimò octavò, non omne mendacium est lethale, ita Lessius & alii. Decimò nonò, licitus est Stellionatus in libris subventaneis.

XII.

Hactenus recensuimus, quæ in Papatu disputantur, quæ in agro illius Lappæ tribulique inveniantur. Requiritur Examen & evulsio. Primum ipso fructu horridum. Nam primò aliud imperat Salomon, Proverb. 26. v. 4. aliud Christus, Matth. 5. v. 39. aliud Paulus, Rom. 12. aliud suggerit Christiana mansuetudo, aliud modus declinandi mala. Qui enim contumeliam contumeliâ, convitium convitio repellit, malum malo, peccatum peccato, non tam propellit quam cumulat. Secun-

cundò, præceptum de diligendo DEO & proximo est affirmativum, num itaque non obligat pro semper? Tertiò repugnat huic assertioni Ambrosius libr. 10. Alterum effatum itidem à vero abludit, tum quia non quæ rumusculi Vulgi suggerunt credenda confestim, multo minus diffundenda, propalanda minimè verò apud illos, quos novimus ex mera levitate credituros, ita enim levitati illi scientes, volentes, cooperamur & oleum addimus, camino tum quia, An illa peccata, quæ sunt contra charitatem, non sint contra justitiam, & vicissim, alibi expendimus, tum quia ipsi Pontificii quidam ita putant esse peccatum lethale contra justitiam, ut etiam obnoxium reddat restitutioni. Tertium peccat primum in illo, quia sine causa justa & honesta licere vult, de vita & moribus aliorum inquirere, quæ inquisitio est περιεργία & πολυπραγμοσύνη, quia stabilit curiositatem & levitatem naturalem, quia denique jus & fas esse asserit, quod superiori & judici tantum ex officio concessum, unde contra hanc sententiam ex ipsis Pontificiis disputat Fagundez, lib. 8. cap. 3. num. 6. Quartum iterum laborat, quia infamare dicit actum malum, quia ex ipsorum Pontificiorum sententia, qui est infamis in uno vitii genere, non ideo amisit jus, quod habet ad bonam famam in aliis virtutibus, & si aliquis commisit crimen, & publice à Magistratu propterea famæ discrimen subierit, non propterea subjacet in aliis cujusque privati judicio & linguæ, quia deniq; etiam ipsi Doctores in papatu huic sententiæ contradicunt, Navarra, Malderus, Corduba, Lessius. Quintum ludit non tantum invoce manifestare, & Pontificis authoritatem Pii scil. quinti pulsat, sed & primò laxat conscientiam & vinculum, quod est inter superiores & inferiores, principem & subditos; annon enim interrogatus juridice à suo Superiore vel principe tenetur manifestare veritatem, atque ita profiteri sese confecisse libellum famosum, posito quod confecerit; annon ita eludi possent judicia passim, & homo sceleratus præferre suam salutem veritati, quam DEUS vult in judiciis vigere inter omnes? Dnique num non aperte Gregorius in capite *quidam maligni* 595. excommunicavit quendam, qui libellum famosum contra alium confecerat, nisi ipse se ponderet, ex quo ipsi Doctores Pontificii concludunt, hujusmodi libelli Confessorem teneri ob criminis atrocitatem esse pondere, jubea-

jubeatur tantùm, quî admitti possit non videmus, qui enim jam bonam famam assecutus, ille eâ non dejiciendus, & si delicta oblivioni erant tradita, non refodienda, Rücke dem seine Sünde nicht auff/ der sich gebessert/ inquit Syracides. Secundò ipsi Pontificii volunt peccari contra justitiam, & ad restitutionem talem teneri, ex eo, quia licet per judicis sententiam, aut per publicam famam perpetrati delicti fuerit illi, fama antecedens ablata, non tamen fama subsequens, quam posterioribus rectè factis acquisivit, & quam tempus illi conciliavit. Unde recedunt ab hac sententia Toletus, Adrianus, Navarra, Fagundez. Septimum crudum est. Est enim contra charitatem proximi, agnoscentibus omnibus, qui in papatu cum aliqua Conscientiæ Observatione docent moralia, quia damnum proximi tenemur vitare ex hac ipsa virtute; estcontra justitiam etiam secundùm quosdam, & proinde restitutioni obnoxium, quia talis solùm per sententiam judicis, velpatrationem delicti in loco publico amisit jus ad famam & honores publicos, non ad pensionem, non ad alimenta, non ad bonorum patrimonialium conservationem, legatur Toletus lib. 5. c. 65. Octavum iniquissimum est in innocentem. nam primò absolutè non licet falsum dicere seu mentiri, etiamsi non noceas tuo mendacio alteri, est enim vitium contra veracitatem. secundò non licet mentiri adversus proximum, quia hoc ipso quoque charitas & justitia violatur; tertiò multò minus crimen falsum affingere proximo, famam illius crimine imputato denigrare, cùm perniciosum & tanti gradus mendacium nunquam licitum, nec recta ratio, etiam seposita Scriptura, tale quid potest admittere, sed detestatur summè & improbat; longè autem aliud est crimen occultum dicere sed verum, aliud autem falsum imponere; nec commodum, quod intenditur, actum hunc fœdissimum cohonestare potest, sed peccatum peccato cumulat, nam etiam non sunt facienda mala, ut vera eveniant bona, non tantùm nobis utilia vel commoda. displicet itaque etiam hæc assertio ipsi Soto, Lessio, Fagundezio, Navarro & Sylvestro. Nonum nequitiæ iterum patrocinatur. nam primò Curiositatem elevat, & inter peccatilla recenset: secundò nullum jus habet alius in meam Epistolam, quam reserare volo tantùm illum, ad

quem dirigo. tertiò ita literarum commercium valde suffla-minabitur, egregium & utile Reipubl. organon. Undecimum pugnat cum voluntate DEI, qui hominem custodem vult esse vitæ suæ, custodem linguæ, nec unquam mendacio se contaminare, & ut αὐτόχειρ pessimus homo audit, ita quoque ille, qui tantùm in se peccat, ut etiam sibi per sceleris falsi imputationem vitam abrumpat, & in illo peccato usque in ultimum halitum etiam in loco supplicii perseverat: secundò ipsi Doctores Pontificii pugnant contra hanc sententiam, ex eo, quia charitas unumquemque obligat, ex se & sua diligat, ut videre est apud Escobar. pagin. 577. tertiò abhorrent à fœdo hoc pronunciato Cajetanus, Antonius Angelus, Valentia. Turrianus, Undecimum ob multa impium est, quia ut non possumbona temporalia dissipare, prodigere, & quocunque illicito modo distrahere, ita nec licet quicquam mihi in meam famam, & quidem eò minùs, quo minus incommodum, jacturam pati bonorum, quàm famæ; quia secundò contra charitatem agit talis, charitas enim obligat unumquemque, ut se & sua diligat, &c. quia tandem Pontificii ipsi renituntur, Ca-Cajetanus, Antoninus, Angelus, Sylvester, Valentia, Turrianus & alii. graviter proinde invehitur in Tamburinum Sinnichius, p. 554. usq; ad finem. Duodecimum vitiis favet, & media illegitima probat. nam quid est susurratio, nisi infame nomen, quid est excludere aliquem ab amicitia, quàm commodum proximi non promovere, sed impedire, quid est defectus naturales narrare, quam obloqui DEO, proximo, exprobrare, quæ citra culpam eidem adhærent, vidit hoc Ipse laxissimus laxitatum patronus; Esc. nnde cum Salonio, Sayro, Azorio & aliis in negativam descendit. Decimum tertium displicet ex eo, quia animus dubius non debet præcipitare se, & potius in mitiorem inclinare partem, quia prætereà detractio, qua existentibus motivis probabilibus ex utraque parte determinatè quis affirmat crimen seu defectum gravem proximi, gravem continet culpam, ergò & assensus internus quo apud se idem affirmat etiam gravem continebit culpam, concludentibus ipsis Pontificiis Doctoribus. Decimum quartum Suspicioni temerariæ habenas laxat, quæ tamen eo ipso, quo suspicio, & quidem temeraria, grande peccatum est; quia suspicio etiam ex

Pontificiorum ſententia tunc habetur, quando aliquis jam non dubitat nec ſuſpenſus eſt, ſed propendet & inclinat in alteram partem, licet nondum aſſenſum opinativum aut firmum ferat, &c. Eſcob. p. 383. §. 189. Decimum quintum egregiam illam materiam reproducit, inquam tam ſeverum ſe exhibuit Sinnichius. pag. 565. usque in finem. Decimum ſextum, Meiſnerus convellit. Decimum ſeptimum, noſtri Theologi. Decimum octàvum, Sinnichius, p. 558.

XIII.

In Calvinianis reprehenſionem meretur illa aſſertio, quod ſimulatio & diſſimulatio ſit licita, quam propugnat Ameſius, Polanus, Beza & alii.

XIV.

Anabaptiſtæ ſtatuunt contra ſenſum hujus Præcepti, falſum tantum juramentum fuiſſe prohibitum, imò prolixiùs in Collatione Embdenſi: *Porro tam ſevera pœna gravis comminatione Chriſtiano vetitum eſt mentiri*; quam Iſraeli Levit. 19. *vetitum fuit non iurare falſum iuramentum:* ſicut legi poteſt Apoc. 21. & 22. *illis qui mendacium faciunt & amant, partem fore in lacu ignis*; ſicut quoque Evangeliſta Johannes cap. 8. verum legitur Levit. 5. *illum qui peieraſſet, potuiſſe expiari oblato ſacrificio pro peccato ſuo.*

XV.

Deniq; Photiniani quoq; à veritate ſenſus recedunt in hoc præcepto. ita n. Catech. Rakov. was gehört zu dieſe Gebott? Eine jedere lügen/welche nicht allein aus ſolch einem hertzen herfleuſt/das jemanden in der rede begeret zu verforteilen/ ſondern auch die aus leichfertigkeit herkömt: und darzu allerley afterreden und ohrenblaſen/ verleumbden und verdamen. Similiter Smalcius de divinitate Chriſti ſcribit. prohibet Lex, ne falſum teſtimonium dicamus adverſus proximum. perfecit eam D. JESUS & implevit... Tandem Volckelius, ita in hoc verbum commentatur: Ad hoc præceptum rectè intelligendum primo videbimus quo ſenſu per Moſen traditum fuerit, &c.

XVI.

At nihil ſolidi in hac Catecheſi. nam etiam mendacia & levitates, obtrectationes, cenſuras & judicia atque condemnatio-

nationes fuiſſe prohibitas liquet ex Deuteronom. 6. verſic. 5. Volkelius primò ſupponit Moſen non niſi illa falſa teſtimonia prohibuiſſe, quæ proximum vel in vitæ vel fortunarum vel honoris diſcrimen adducunt, contrarium ſupra oſtenſum eſt ex allegatis dictis, oſtendi poteſt ex natura legis, quæ ſpiritualis eſt, & omne id quod carnale excludit, quæ perfecta, & ut alia præcepta de non occidendo, non mœchando, non furando, non tantum quædam vitia proſcribunt, ſed perfectam exigunt charitatem, caſtitatem, ἀυτάρκειαν, hæc quoque perfectam linguæ & cordis temperaturam exigit, atque omne id, quod quocunque modo deviat ab hac perfectione, ſubmovet & excludit, quæ dilectionem proximi exactam ſpirat, & conſequenter omne id quod adverſatur eidem non admittit, ſed prohibet & deteſtatur; denique ex ipſo lumine naturæ, quod ſanè non ſuperat, imò non æquat, ſed longè infra legem moralem ſubſidet, mendacium proſcribente. Secundò ſupponit mendacia officioſa eſſe licita vel fuiſſe. At primò mendacium officioſum eſt quoque mendacium, difforme itaq; legi divinæ, quæ veracitatem exigit; dicitur officioſum, quia illo ſubvenitur alicui; at hic finis accidentarius non tollet ipſam naturam mali mendacio intrinſecam & formalem, neque facienda ſunt mala ut eveniant bona. Denique quæcunq; neceſſitas hîc fingatur, quæ exprimat latè mendacium, nequit tamen illa tollere formam mendacii, & qua talis actus dijudicandus, unde Apoſtolus ſimpliciter vult deponendum eſſe mendacium. Epheſ. 4. ℣. 25. & ſectandam eſſe veritatem in charitate. ℣. 15. vid. Auguſtinus. tertiò exemplis agit, non legibus, pòſito enim quod obſtetrices Ægyptiacæ mentitæ fuerint, Rahab à vero receſſerit, Michol verbis uſa fuerit falſis, Jonathan obliquo ſermonis genere luſerit, nondum tamen probatum, legi conformiter egiſſe, nondum hunc modum & medium ſervandi proximum DEO placuiſſe, nondum in imitationem iſtiuſmodi exempla eſſe præſcripta. quæ vero de parabolis, Apologis & aliis figuris adducunt, à præſenti argumento abludunt, neque ad prohibitionem hanc referri debent.

Σὺν

Caput VI.

PRÆCEPTUM IX. & X.

VERBA TEXTUS.

לֹא תַחְמֹד בֵּית רֵעֶךָ לֹא
תַחְמֹד אֵשֶׁת רֵעֶךָ וְעַבְדּוֹ
וַאֲמָתוֹ וְשׁוֹרוֹ וַחֲמֹרוֹ וְכֹל
אֲשֶׁר לְרֵעֶךָ׃

Non concupisces domum proximi tui; Non concupisces uxorem proximi tui, neq; servum ejus, neq; ancillam, neq; bovem, neq; asinum ejus, neq; ulla, qua illius sunt.

Thesis I.

SEquitur nonum & decimum Præceptum, quæ duo distincta secundum nostros, plerunque autem, quia de concupiscentia actuali & originali agunt, connectuntur; Ordine autem sequitur hoc argumentum de concupiscentia, ut scil. intelligamus, in antecedentibus non prohiberi tantum externos actus, sed etiam interiores motus, & quidem usque ad primò primos imò radicem vitiosam, quæ concupiscentia originalis. Requiri verò perfectam conformitatem hominis cum voluntate divina sanctissima, ut omnia quæ in illo, ardeant amore DEI & proximi, sincero, perfecto & immutabili. Sigillatim progreditur Cocceius pagin. 554. qui omninò videndus. Dicitur autem primò non concupisces domum proximi, secundò non concupisces uxorem proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. In quibus iterum observandus Actus, secundò Objectum, tertio Prohibitio, Actus in nono designatur voce תחמד tachmod, quod verbum deducitur à חמד chamad, quod generatim notat desiderare, concupiscere, optare, unde etiam ipsi DEO adscribitur Ps. 68. v. 17. hic verò accipitur ut Proverb. 2. ℣. 22. Job. 7. ℣. 21. Cognationem secundum quosdam habet cum voce חמם chamam, quæ notat incalescere, ardere, atque ita occurrit Exod. 16. ℣. 21. Ecclef. 4. v. 11. 1. Reg. 1. ℣. 2. Esaiæ 27. ℣. 5. Matthæus Galenus quidem

 puta-

putavit hoc verbo notari non libidinem quamlibet, sed æstrum, flammas, incendium; verùm refutatur ab ipso Socio religionis Lorino p.240. Altera vox, quæ in Decimo usurpatur est תתאוה titaveh, ab אוה desiderare, concupiscere, quæ quandoque notat motum voluntatis adhibendum rem pulchram vel jucundam, eaque fruendum. atque ita occurrit Deut. 5. ℣s. 21. Psalm. 45. ℣. 13. Prov. 21. ℣s. 10. Psal. 132. ℣. 13, 14. Job. 23. ℣. 23. Hic verò notat facere concupiscere incitare ad concupiscendum, adeoque originale malum designat, observante B. nostro Chemnitio, qui notanter scribit & observat vim vocis hujus p. 246.

II.

Objectum Actus hujus sive utriusque concupiscentiæ sunt domus, ager, uxor, servus & ancilla. Bos & asinus & omnia sive universa, quæ sunt proximi. in Græco primo loco ponitur domus, atque nono inseritur, cætera decimo, in Deuteronomio aliter se habet ordo, atque uxor primo loco ponitur, cætera autem & inter alia ager submittuntur, nulla confusionis nota, sed varietate ordinis selecta, ut non malè expendit Grotius, prolixius B. Gerhard. Deuterom. pagin. 368. Objectum itaque prohibitum est Domus qualiscunque augusta sive angusta. Matthæus Galenus & Crocquetius familiam intelligunt per metonymiam, & proinde putant vetari, & hic quoque liberorum, concupiscentiam, id est, nè quis cor inordinatè concupiscat. Per agrum, qui in Deutre. additur, intelligitur omnis illa possessio, quæ aliâs hortorum, pratorum, sylvarum, piscinarum, & similium nomine venit; secundò interdicitur concupiscentia alienæ uxoris, imò generaliter omnis concupiscentia carnalium libidinum, secundum quosdam hic intelliguntur, præludia & præparationes ad talia; tertiò servus & ancilla, Matth. Galenus vult agere Mosen de Mancipiis, non de ministris, esse tamen eandem utrorumque rationem, cùm nefas sit desiderare alicujus utilem & necessarium ministrum. Verùm castigatur à Socio, Lorin. scil. qui conrradicit: quartò Bos & asinus, hoc est omne jumentum, quod ad usum nostrum facit. Tandem universa quæ proximi sunt, de quo videndus Lutherus in Catechismo & Lorinus.

III. Cur

III.

Cur a. Deus peculiari præcepto concupiſcentiam prohibere voluerit, reſpondent Noſtri: quia eſt ἀνομία, ac proinde etiam ἁμαρτία, pugnans cum perfecta illa totius Naturæ humanæ conformitate & integritate, quæ fuit in primo homine ante lapſum; Itemq; cum archetypo, ad cujus imaginem homo primum fuit conditus quemque in ſuis actionibus, & totâ ſuâ Natura exprimere debet. ad alteram quæſtionem reſpondent: Quare DEUS peculiari præcepto concupiſcentiam prohibere voluerit, cùm juxta infallibilem Chriſti interpretationem, Matth. 5. jam antè in reliquis præceptis fuerit prohibita? Reſp. 1. Actualem concupiſcentiam ideò peculiater legiſlator prohibere voluit, ut eò fortiùs craſſo & carnali populo Judaico inculcare, non ſolùm delicta externa, ſed etiam interiores pravæ concupiſcentiæ æſtus prohibitos eſſe.

IV.

Prohibitio quæ in voce לא continetur, univerſaliter eſt accipienda non tantum reſpectu delictorum recenſitorum, ſed maximè reſpectu hominum, qui enim dixit non concupiſces, ille hoc ipſo prohibuit, ne vel hujus vel illius ſtatus hujus vel illius ætatis, hujus vel illius ſexus concupiſcat, ne laboret morbo illo, quo omnes ſumus corrupti, & præcepit ut absque concupiſcentia ſint omnes noſtri actus, motus, & Sedes omnium animus, adeoque purum & perfectum hominem ſimilem Adamo, qui expers omnis concupiſcentiæ ad imaginem & ſimilitudinem DEI in juſtitia & ſanctitate creatus eſt, requirit.

V.

Ex dictis liquet, quid judicandum de commentario Grotii, Cal. Non concupiſces] In hoc loco Hebraicè לא תחמד, in Deuteronomio תתאוה. Significat ea vox & actus doloſos, quibus alienum intervertitur, &, ſenſu ſublimiore appetitus etiam. Hunc ſenſum fermè negligebant Hebræi, ideò Chriſtus oſtendit, talem appetitum non modò Deo diſplicere, ſed &; ſi foveatur, gehennæ obnoxium.

VI.

Prohibentur autem hoc in præcepto nono, ſcil. 1. πλεονεξία, de qua

de qua Thum. p. 544. Invidia. p. 545. in decimo concupiscentia prava & hypocritica concupiscentiæ pravæ mortificatio. Thummius 546.

VII.

Virtutes verò præcipuæ sunt *αὐτάρκεια, quâ non plura concupiscamus, sed modico & pusillo nostro contenti esse discamus: melius enim id est, iusto super divitias peccatorum multas.* Psalm. 37. ℣. 16. si namque

-------------- Rure paterno
Est tibi far modicum, purum, & sine labe salinus:
Quid metuas? cultrixq; foci secura patella:
Hoc satis est:

Secunda virtus hujus præcepti potest esse proximi salutem felicitatem promovendi cupiditas. Et hoc vult Paulus, dicens: *Nemo quod suum est, quærat, sed quod alterius est.* 1.Cor. 10. ℣ 24. Ambros. Nemo commodum suum quærat, sed alterius, nemo honorem quærat, sed alterius.

ERRORES PONTIFICIORUM.

Parcì hìc sunt Pontificii Doctores, qui moralia tractant atque plerunque in octavo præcepto subsistunt, putant enim hæc duo comprehendi in prioribus, præcepto scil. de non mœchando, & non furando. Trabalis Error hic & communis est totius scholæ Pontificiæ, concupiscentiam in renatis superstitem non esse peccatum, nec lege prohibitam, sed tantum causam & pœnam peccati, de quo nostri Theologi.

VIII.

Nec Calviniani hic usque absque reprehensionis merito sunt, dum urgent identitatem præcepti noni & decimi, de quo vid. Cramerum, Könningium & cæteros, & dum originale peccatum non prohibitum hic esse volunt cum Molinæo quem vide.

IX.

Photiniani in hisce præceptis iterum urgent Augmentum. sic enim Catechismus Rakoviensis: Was ist das/ seines Nechsten Hauß 2c. begehren? Es ist in seinem Hertzen beschliessen und vest vornehmen/ daß man seines Nechsten Dinge/ die uns wolgefallen/ haben

haben mögen/ und solt es gleich durch die allerungebührlichsten Mittel geschehen. Was ist in dem newen Bund darzu gethan? Diß/ daß man nicht allein/ also nicht begehren/ sondern/ daß man auch sein Hertz nach den Dingen die man begehret/ nicht hencken soll/ ob man schon nicht gedächte die begierde zuvollziehen/ sondern sich nur allein in seinem Hertzen damit kützele. Denn was einem Christen zuthun oder zuhaben nicht gebühret/ das gebühret sich auch nicht zubegehren. Smalcius itidem & tandem Volkelius &c.

X.

Sed hæc sunt similia antecedentibus, & eodem digna carbone. nam primò falsum est, legem de non concupiscendo in V. Test. non prohibuisse titillationes de alienis, cum titillatio plus dicat quam motum primò primum, & tamen etiam illi cum mala sua radice in hisce præceptis sunt taxati, censurâ divini judicii notati. Secundò num non Apostolus Rom. 7. dicit? Lex spiritualis, ego verò carnalis, venundatus sub peccatum! num non? nesciebam concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex dixisset, non concupisces. Lex itaque tota spiritualis est, excludens omne carnale, sive intra primos adhuc subsistat motus, sive ad titillationes progrediatur, sive ad actus deliberatos, vel etiam externos & consumatos, concupiscentia illa in hac lege est prohibita, quam Apostolus ex Lumine naturæ peccatum esse non cognovit, ergò etiam primi motus, & illorum fons, origo & radix, quarum fœditas ex revelatione innotescit. Tertiò omne figmentum cordis humani dicitur esse pravum. Gen. 6. ℣. 5. concipere itaque concupiscentias, atque illis delectari, malum erit & pravum, præcisa temporis variatione. Secundò Smalcius supponit falsum, perfectam fuisse à Christo legem divinam, nè unquam eas concipiamus apud animos nostros, adeoque exclusos etiam esse primos conceptus, cùm tamen Cathechismus velit tantum titillationes esse à Christo vetitas, atque ita hac in parte auctam. tertiò concludit Smalcius: ô divinam legis perfectionem! cùm potiùs exclamandum fuisset ô divinam legis imperfectionem, quam purus Homo Christus sustulit, cujus intelligentiam & perfectionem Deus tam diu tot seculis in sua Ecclesia durare voluit. vid. Thum. de Instantia Smalcii, 142.


XI.

Tertiò Volkelius primò supponit duorum peccatorum tantùm, furti & adulterii fontem & originem extirpare instituisse, atqui concupiscentia non duorum tantum, sed omnium peccatorum radix, fons & origo est, ex corde enim exeunt malæ cogitationes. Matth. 15. nec Paulus concupiscentiam sentiendo, tam in furta & adulteria propendit, quàm aliorum motuum inordinatorum molestiam passus fuit, nec datur in homine post lapsum appetitus vitiosus tantum concupiscibilis, sed & irascibilis, nec Scriptura carnis nomine, quam opponit spiritui, quoque concupiscentiam exprimit, ad hæc duo tantùm restringit peccata, sed vitia etiam notat ipsius intellectus vel naturalium facultatum. Rom. 8. ℣. 6. utut itaque recenseantur in hoc Præcepto nono & decimo talia objecta, quæ aliàs ad furtum & mœchationem referri possunt, non tamen excluduntur alia, cùm notus sit modus præceptorum divinorum in Decalogo, qua vel synecdochicè ponitur pars, & totum intelligitur, vel à compari concludendum esse, vel à minori ad majus progrediendum esse insinuatur. quod si ponamus hoc præcepto DEUM fontem furti & adulterii extirpare voluisse, annon ita concedendum, DEUM voluisse extirpare illam concupiscentiam, quam Christus prohibuit, quia illa est fons, origo furti & adulterii. secundò falsissimum est, cupiditatem nefariam, furti vel adulterii non numeratam fuisse vel furti vel adulterii loco, cùm Lex æquè fuerit Lucerna Judæis atque nobis, ut non tantum Paulus ex illa cognoscere potuerit, quantum & quale malum concupiscentia tempore N. T. quàm Judæi in veteri, nec ipsi gentiles tàm cœci fuerunt, ut non aliquas stricturas cognitionis hic admiserint. Mares. 657. tertiò falsum est ea de causa separatim esse præceptum hoc traditum, cùm additum hoc sit præceptum, ut universaliter omnes motus peccata esse, & sub prohibitione esse, intelligeremus, etsi recta ratio dictat, quæ habere minimè convenit, ea nec concupiscere debere, cupiscentiam abesse debere, imperat, nec quicquam additum, ut supponit Volkelius, unde etiam nullum adducit dictum Christi, ex quo probet argumentum additum, esse aliquid huic præcepto.

LAUS DEO.



INDEX.



INDEX CAPITUM.

PART. GENER.

INDEX

RERUM & VERBORUM MEMORABILIUM.

B. L. NB. numerus simpliciter positus, v. gr. p. 1. 10. 20. &c. attinet Part. Gen. ubi additur P. S. p. 1. c. 1. p. 1. 10. &c. notatur Pars Specialis, præcepto primo, cap. prim. pag. 1. &c.

A.

Cha-

Christi

Homi-

quod

Sceptici,

INDEX ALIQUOT DICTORUM ET SCRIPTURÆ LOCORUM,

Vel explicatorum, vel ratione Controversiarum notatorum, vel ab heterodoxiis vindicatorum.

T A N T U M!